GUILELMI SALDENI, SS. THEOL. DOCTORIS, OTIA THEOLOGICA, SIVE EXERCITATIONUM...

Willem Salden

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
39 MD
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

25. g

10-E-50

54

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

GUILIELMI SALDENI,

SS. Theol. Doctoris,

OTIA THEOLOGICA,

ſive

EXERCITATIONUM

SUBCISIVARUM,

Varii Argumenti,

LIBRI QUATUOR.

Adjecti ſunt INDICES *neceſſarii.*



AMSTELODAMI,

Apud HENRICUM & Viduam THEODORI BOOM.

CIϽ IϽC LXXXIV.

Digitized by Google

Ambroſ. Epiſt. ad *Sabin.*

Nunquam minus ſolus ſum, quam cum ſolus eſſe videor, nec minus OTIOSUS, quam cum OTIOSUS.

C

Digitized by Google

Nobiliſſimis, Ampliſſimis Conſultiſſimiſque Viris ac Dominis,

D. JACOBO van DINTER,

Nuper ad Illuſtr. ac Præpotentes D D. Ordines *Generales* Fœderati Belgii *Deputato*,

D. JOHANNI BORRE

van AMERONGEN J. Cto.

Reipublicæ ULTRAJECTINÆ CONSULIBUS;

Nec non

Univerſo ejuſdem Urbis

SENATUI

Inclyto, Spectatiſſimo, Prudentiſſimo.

NEmo *mortalium eſt*, Nobiliſſimi *ac* Ampliſſimi Domini, *qui tum* Deo *tum* Parentibus *tum* Patriæ *ſuæ ipsâ naturæ lege debitor non ſit. Præ omnibus* Deo, *Enti quippe perfectiſſimo & eminentiſſimo, utque rerum omnium, ita &* Hominis *Creatori primo, ac Conſervatori unico; qui* ἀνενδεὴς *non tantum eſt, ſed &* ὁ πατὴρ τῶν φώτων, *omnibus vitam & halitum & omnia conferens. In quem proinde cuncta hominum non refundi, non niſi nefas eſſe poteſt, cum omnia ex & ab Ipſo in ſe dimanaſſe perſuaſiſſimi eſſe poſſint. Poſt Deum quicquid Liberorum eſt* Parentibus *debetur; neque enim, juxta illud Stagiritæ,* Diis, Parentibus *&* Magiſtris

unquam æquivalens *rependi poteſt. Et quorumnam aliter filiorum & filiarum omnia eſſe par eſt, quam eorum, quorum ipſæ & ipſi toti ſunt? quare & in hoc non minimam felicitatis ſuæ partem Genitores ſemper poſuerunt, quod ſuæ erga ſe propaginis benivolentiam experiri conceſſum ſibi eſſet. Et quis, ſi Deo & Parentibus, etiam* Patriæ *ſuæ obnoxius dici non debet? quippe quæ velut* alter quidam Deus, & (*ut olim Hierocles*) primus maximuſque Parens *eſt.* Patriæ, *inquam, quâ extorris quis factus vitam vix vitalem agere deinceps poteſt;* Patriæ, *quam nemo unquam deſpexit, quod* vilis *eſſet, ſed in pretio ſemper habuit, quod* ſua *eſſet;* Patriæ, *pro quâ duriſſima quæque ſubire, imo ipſam mortem oppetere, ingenui homines in laude ſemper poſuêre;* Patriæ *tandem, quam licet in ſe ingratiſſimam, tamen votis ſuis juvare* Ariſtides *non detrectavit. Quæ quidem,* Magnifici Domini, *ſi rite expendere non dedignemini, videbitis facile, quam ſupervacaneum foret, ſi cauſas prolixè apud Vos orarem, ob quas qualiacunque mea hæc* OTIA *rectà ad Vos eant, Veſtraque illuſtria nomina fronti eorum inſcribere volupe mihi fuerit: in liquido enim ratio eſt, quæque millium inſtar eſſe poteſt,* RESPUBLICA, *cujus Rectores, Præſtites, Defenſores, Patres eſtis,* PATRIA *mea eſt. Oportuitne ergo ad Vos præcipue ire, Veſtrumque fieri, cujus conditor* Veſtrum *ſe eſſe tot nominibus, nativitate, educatione, ſtudiorum inchoatione, continuatione & abſolutione gloriari auſit & poteſt? Ne de* Doctorali *in Theologiâ* laureâ *dicam, quâ me Ampliſſimus Academiæ Veſtræ Senatus, pro benivolo ſuo affectu, conſonantibus calculis, tale quid haudquaquam cogitantem, utpote tenuitatis & indignitatis meæ ſatis conſcium,* ſuâ ſponte nullius unquam mor-

mortalium rogatu, (*verba ſunt* Diplomatis) nedum ipſius, *id eſt, meo, ſub auſpiciis veſtris, liberaliſſime nuper donavit. Qui quidem honor utut ægrum forte nonnullorum ulceret & urat jecur, cum mihi aliunde, vel ex transmarinis qualibuſcunque oris non acceſſerit, ſed in* Patrio *fundo imo Urbe natus ſit, qui aliter quam arctiori vinculo ejus Proceribus, Eccleſiæ, ac Scholæ obſtringere me potuit? Tametſi vero in arcto ac nimis inglorium, longeque infra tam præclari, qualem conſtituitis, Conſeſſus merita obſervantiæ ſacramentum ſit, quod hic exhibeo, vixque dignum, ut publicis veſtris curis qualitercunque eo intercedam; offerendi tamen id ipſum fiduciam addidêre tum ſolita Veſtra in quoſcunque, nedum in illos, quos* Veſtros *eſſe agnoſcitis, benivolentia, tum meus in Populares meos, Voſque imprimis eorum Antiſtites Duceſque, affectus juſtiſſimus, effuſiſſimus, conſtantiſſimus: quem ergo etiam ut tanquam oblati levidenſis hujus Pignoris animam pretiumque præcipuum accipere non detrectetis, iterum atque iterum rogo. Quod quidem unum ſi ferre à Vobis poſſim, cum in hæc reſervati ſimus tempora, quibus* Sectariorum *non tantum, ſed &* Pyrrhoniorum *ac* Atheorum *feralia & funeſta agmina obvia paſſim ſunt, quæ veritatem Euangelicam vel apertè impetunt, vel actis per ſcelus cuniculis labefactant, quin & vitiorum imo quorumvis pene flagitiorum ſtupenda ſe indies prodit colluvies, Patriam Eccleſiamque non tantum invadentia, ſed, niſi tempeſtiva iis adhibeantur remedia, plane tandem oppreſſura; nihil quidem antiquius mihi erit, quam ut continuis & enixis à Deo depoſcam ſuſpiriis, ut Spiritu ſuo, vere ἡγεμονικῷ, ita inflammare, dirigere & roborare Spiritus Veſtros velit, ut, dum omni conatu* Rei-

pu-

Digitized by Google

publicæ, è decumanâ, quâ non ita pridem exercita fuit, ſuccuſſatione miraculosè ereptæ, reſtituendæ & tutandæ invigilatis, etiam Domus *ipſius* Zelo *magis magiſque* conſumptos *Vos eſſe demonſtretis; tantâque tum ſollicitudine tum ſortitudine Regni Servatoris noſtri Jeſu Chriſti commodis incumbatis, ut Hæreticorum, Schiſmaticorum, omniumque Eccleſiæ turbonum ora & molimina cohiberi, veritatem, quæ* κατ᾽ εὐσέβειαν *eſt, ſartam tectam conſervari, antiquam illam* Ultrajectenſium *pietatem ac devotionem, tam in imi quam in ſummi ſubſellii hominibus pridem ita conſpicuam, reviviſcere, quin magis magiſque incrementum capere palam fiat; nunquamque credatis, felix ac bene compoſitum regimen veſtrum fore, niſi ut Verbo Dei ſua ſemper conſtet authoritas, Chriſtus ipſe per Vos regnet, neque tam Ariſtocratia, quàm Theocratia, quæ Deum Præſidem & Rectorem ſemper habeat, in Urbe veſtrâ ſit, ſummâ animi contentione procuretis, procurare ſaltem allaboretis. Ut tandem,*

ne Vos ſermone remoto
Neve per ambages & longe exorſa retardem,

idem Clementiſſimus Deus, ob fidelem hac in re à Vobis præſtitam operam, nullo non bonorum genere, Animi ſerenitate, Corporis ſanitate, Vitæ longævitate Vos mactet. Quinimò cuncta ea, quæ ad εὐζωίαν, εὐαρχίαν καὶ ἀθανασίαν *Veſtram neceſſaria & conducibilia eſſe poſſunt, pro infinitâ ſuâ gratiâ, in Vos Veſtroſque omnes quam cumulatiſſimè effundat. Sic vovet, nunquamque non vovebit, qui omni animo & obſequio Veſter eſt,*

G. SALDENUS,
Ultrajectinus.

Hagæ-Com. Ipſis Non.
Februar. CIↃ IↃC LXXXIV.

Digitized by Google

TESTIMONIUM
FACULTATIS THEOLOGICÆ ULTRAJECTINÆ.

Videt hic orbis OTIA hæc THEOLOGICA; vidimus & nos ante, probavimus ſimul & laudavimus. Utique occurrit nihil quod Orthodoxæ Fidei ſanctæquè pietati foret adverſum. Imo vero comperimus Opus gratâ abundans argumentorum varietate & omnigenà refertum eruditione; ubique ſpirans acre Viri ingenium, indefeſſum laborem, multivariam lectionem, Criticam libertatem, junctam cum modeſtia, quæ Doctos deceat. Itaque exiſtima-

**

ſtimavimus Librum digniſsimum ut adſpiciat lucem, atque eruditiſſimorum Bibliothecis inſeratur. D. O. M. porro precamur, ut piis ſtudiis noſtri FRATRIS *adſpiret ſuo favore, faciatque ejus laborioſa* OTIA *utilia Eccleſiæ & Reipublicæ. Ultrajecti Ipſ. Idib. Januar.* CIↃ IↃ C LXXXIV.

PETRUS van MASTRICHT,
MELCHIOR LEIDECKER,
HERM. WITSIUS,
HERM. van HALEN.

SERMO

SERMO
PRÆLIMINARIS.

Candide Lector,

ANtequam ad evolvendas haſce EXERCITATIONES Te accingas, docendus paucula es de inſtituti mei in Editione earum ratione. I. OTIA & *Diverticula*, ut vides, eas inſcripſi, eo quod *horis ſubciſivis* exaratæ ſint; ne nempe pauxillulum temporis, quod a ſeriis & gravioribus occupationibus redimere potui, ſine quali quali fructu, animi ſaltem laxamento, decurreret, ſed fallendo id ex parte, ex parte etiam impenderem. Haud vero unquam forte ad Te perveniſſent (non enim id *Plinii Iunioris* me latet, *Magnum profecto eſſe, in manus hominum quid dare*) niſi Viri quidam Eruditi (abſit jactantia) tam Theologici quam Politici ordinis, *tum* ſcripto *tum* ore teſtati mihi aliquoties eſſent, me *Exercitatione* meâ de JURE ZELOTARUM, quam, ut majoris *Operis* ſpecimen, A°. 1678. præmiſeram, ſibi ſalivam tantum moviſſe; ſerioque a me contendiſſent, ut, ſi quæ alia ejusdem κόμματος affecta haberem, prout in Præloquio CONCIONATORIS mei SACRI, una cum dictâ *Exercitatione* editi, videbar innuiſſe, ea publico non inviderem. Emiſi etiam ante annos aliquot Scripta quædam, vernacula, ut *Viam vitæ*, *Sanctorum Querelam*, *Afflictiſ-*

Plin. Epp. lib. 7.

Digitized by Google

Afflictiſſimum Chriſtiani hominis Statum, *Chriſtianum Labentem & Reſurgentem*, *Iudicii Chriſtiani Lapidem Lydium*, *Cœnam Spiritualem*, *Vitam ex Morte*, &c. idque eum in finem, ut δύναμιν τῆς εὐσεβείας ſtrenuè urgerem afflictis per Spirituales tentationes animabus pro modulo ſuccurrerem, quosvis denique ad beatum e vitâ hac exceſſum ritè præpararem: impellente me eo præter alia aureo hoc effato, quod e *Lactantio* olim enotaveram: *Si ſane vita optanda eſt ſapienti, profecto nullam aliam ob cauſam* vivere *optaverim, quam ut aliquid efficiam, quoad* vita *dignum ſit, & quod utilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam* (*quia tenuis in nobis facundiæ rivus eſt*) *ad vivendum tamen adſerat, quod eſt maxime neceſſarium. Quo profecto ſatis me* vixiſſe *arbitrabor & officium hominis impleſſe, ſi labor meus aliquos homines, ab erroribus liberatos, ad iter Cœleſte direxerit.* At vero, ab evulgatis iſtis *Opuſculis*, variæ, præter Amicorum vota (de quibus mox) intervenerunt rationes, quæ ut *Latio* etiam ſcribendi idiomate, deque aliud genus argumentis, quam quæ hactenus tractaveram, publicè aliquid tentarem, operæ mihi pretium fecerunt; quibus κατὰ μέρος recenſendis hic ſuperſedeo, ne *Præfamen* hoc in nimiam molem excreſcat.

Lactant. de Opific. Dei cap. ult. f.

II. Materias, quas præ manibus habeo, adinſtar *Locorum Communium* non pertractavi cuncta, nimirum, quæ eo referri forte poſſent, congerendo & conglomerando; ſed peculiaria quædam *Capita* tantum ſelegi, quorum pleraque non tam operoſe & diffuſe amplifico, quam ſtrictim & veluti ἐπικεφαλαίως tantum examino & excutio. Quod obſervari velim, ne forte plura a me hic quisquam expectet, quam publico dare in animum unquam induxi. Indignè tuliſſe quosdam nonnunquam animadverti, quod Cl. D. *Hoornbekius*, Fautor & Præcetpor meus olim meritiſſimus, in Libris ſuis de *Theologia Practicâ*, cunctas, quas tractandas ſuſcepiſſe videbatur, *materias* ab ipſo, ut ajunt, fundo non erueri,

ruerit, planeque pleneque eviſceraverit; ſed ſummâ, meo judicio, in Theologum judicioſiſſimum & ἀκριβέστατον injuriâ; cum nunquam id præſtare ſcopus ipſi fuerit, ſed argumentorum illorum ſummas tantum perſequi eâque methodo aliis quibusvis plenius profundiuſque eas elaborandi viam præmonſtrare. Ipſe quid *Opere* illo intenderit, ſic exponit: *Nam ſuper hoc a variis diu ſumus rogati, ſaltem ut* Titulos *daremus,* Practicæ, *ad quam quæcunque in iſto genere uſu veniunt, vel inter legendum obſervant, aut meditando vel diſcendo aſſequuntur, poſſent referre.* Pariliter mei etiam inſtituti hic tantum eſt iis, queis *Deus de meliore luto præcordia finxit*, aurem vellicare, ut quæ deſiderari hic vident, ut profecto multa videbunt, ſuâ quandoque operâ, ſi tanti ſint, perficere non dedignentur, uberiuſque abſolvant, quæ ego hic jejunus tantum inchoavi. OTIARI hæc ſcribendo animus tantum fuit, mentemque meam, ſat gravibus alias moleſtiis immerſam, relevare qualitercunque & erigere, minimè profundioribus meditationibus, ad exædificandum ſpiſſum & continuum aliquod Opus requiſitis, magis eam deprimere; eo præcipue tempore, quo nulli non pio, ob funeſtam Patriæ calamitatem (hoc enim *Lucubrationum* harum telam primum exorſus ſum) dicendum erat,

Hoornb. in Præfat. partis Primæ de Theolog. Practic. præfixa.

> Κήδεά μοι καὶ μᾶλλον ἐνὶ φρεσὶν ἤπερ ἄεθλα.
> *Sunt curæ mage nunc quam ludi in pectore noſtro.*

Unde & factum credas, quod ſtyli libertati pluſculum nonnunquam indulſerim, non tantum *Sapientum* has vel illas γνώμας, ſed *Poëtarum* etiam tum *Græcorum* tum *Latinorum* veneres (has enim Scriptionibus publicis magis convenire quam Sermonibus Eccleſiaſticis ratus ſemper ſum, cum in cœtu communi vix centeſimus fere ſit, qui intelligere eas poſſit) σποράδην intermiſcendo, vel ſi quid occurrebat forte aliud, quod ad refocillandum animum tam meum quam *Lectorum* meorum valiturum eſſe præſagiebam; Quin imo hanc

 ipſam

ipſam ob cauſam quædam offendes, ob quæ, eo quod plane ἀπροσδιονύσως adferri videantur, manifeſtæ ἀκαιρίας dicam mihi ſcribes: licet inſons vapulaturus ſim, ſi id facias: *tum* quod ut plurimum ἐπιτροχάδην id tantum fiat, utque materiarum intercurrentium varietate magis Te oblectem, *tum* quod juſta ſæpe ac ſufficiens tractandarum rerum explanatio vix conſtet, niſi ſpecietenus ſaltem heterogenea quædam intercurrant, quæ planiorem viam eò ſternant. Veſtigia ſic ſcribens preſſi Litteratiſſimi Viri *Henrici Salmuthi*, Syndici quondam *Ambergenſis*, qui in politiſſimis ſuis ad *Pancirollum* Commentariis eodem proceſſit pede. Speciminis inſtar eſto ſolus Partis Poſterioris Operis ipſius *Titulus ſecundus*: ubi licet de *Porcellanis* præcipue agat, plurima tamen alia etiam infarcit, quæ alius loci eſſe nemo non dixerit. E. G. de *Divini honoris affectatione*, de *Campanis*, de *Aceto*, de *Paſquillis*, de *Adulteris*, de *Eunuchis*, de *Græcorum bibendi ratione*, &c. Et quid illa ad *Porcellanas*? Quare & veniam ſuæ hujus methodi deprecatus eſt Scriptor ille doctiſſimus tam ipſiſſimo hoc Titulo, dum dicit: *Da veniam*, Lector, *ſi quandoque digrediar & excurram longius. Hac enim rerum varietate tibi legendi tædium ſublevare geſtio, ut mihi ſcribendi laborem non leviter mitigari hoc modo ſentio*: quam in totius *Operis* calce, ubi ſic infit: *Ego his finem facio, & quæ a candido hoc profecta ſunt pectore, ea candori tuo, Lector Benivole, commendo, nihil dubitans*, ſi quandoque exſpatiatus ſim longius, *id ob floridam illam rerum varietatem, cum utilitate, uti ſpero, conjunctam, tibi non ingratum fore*. III. Varias Autorum citationes in margine etiam appinxi; non oſtentationis ergo, ut agendi hunc modum ſugillare nuper volupe fuit Viro cuidam non incelebri, ἐπιεικείας *charitatiſque* Chriſtianæ, quæ *malum non cogitat*, procul dubio oblito; ſed ut palam faciam, *tum* quo loco aliorum Scriptorum conſenſus mihi ſit, *tum* quorum

Salmuth in Panciroll. part. 2. pag. 94. & 311.

rum

Digitized by Google

rum hactenus operâ profecerim, *tum* denique quinam aliis conſulendi Authores veniant, ſi uberiorem ſubjectæ materiæ, quam ego paucis tantum perſtringo, tractationem forte deſiderent. Neque credo, me hanc ob cauſam *Plagii Litterarii* poſtulandum a quoquam eſſe, cum nequaquam mihi conſcius ejus ſim; niſi tam abſurdus quis ſit, ut cunctos illos *Plagiarios* dicere velit, qui ex aliorum laboribus commodato quid ſumunt, eorum cogitata quædam adoptant, vel verba, nominibus eorum non celatis, allegant. At quis *Plagiarium* unquam ita deſcripſit? *Plagium* quantum mihi videtur, eſt, ut Nonnemo id nuper de-
,, finivit, furtum Eruditorum proprium, vel mendacium
,, potius juſtitiæ commutativæ oppoſitum, quo quis de-
,, bitam alteri opinionem eruditionis, cogitata ejus pe-
,, culiaria, quomodocunque ad ſe delata, maligne pro-
,, ferendo, pro ſuis, mentionemque alterius, ubi fieri
,, ea oportebat, intermittendo, quærit. Quâ itaque culpa ut plane vacuum me eſſe demonſtrarem, in plurium Autorum adſcriptione, non fortuito, ſed de induſtriâ aliquanto liberalior hic fui. Quodſi quis alienum equitare equum, vel, ut loquuntur Arabes, *alieno indui pallio* malit, id eſt, alienos furtim labores, quaſi ſui eſſent, ſurripere, quæque *alii laudabiliter dictitarunt* (verba ſunt Cypriani) *furtivâ tranſlatione ſuis inſerere, nullo dictantibus honore relicto*, gaudeat is ſuo ſenſu; meum mihi ſcribendi hunc modum præ illo arridere, non eſt quod diſſimulem. *Cyprian. de Cardin. Operib. Chriſti in Præfat.* Neque ullatenus me pudet, neque pudebit unquam, quod aliorum, longe me eruditiorum, verbis multa hic exhibuerim, quæ melioribus & ſignificantioribus ipſe efferre non potui; in quo *Rainoldos*, *Caſaubonos*, *Mornæos*, *Vſſerios Armachanos*, *Seldenos*, *Rivetos*, *Voſſios*, *Gatakeros*, *Voetios*, *Hoorn*[illegible] s ſecutus ſum; ne e Veteribus *Nepotianum* me[illegible] de quo ſic ad *Heliodorum* Hie-

Hieronym. Epiſt. 3. ad Heliodor.

Hieronymus: *Ingenuo pudore ornabat ætatem, quid cujus eſſet ſimpliciter confiteri, atque hunc in modum eruditionis gloriam declinando, eruditiſſimus habebatur. Illud* (ajebat) Tertulliani, *illud* Cypriani, *hoc* Lactantii, *illud* Hilarii *eſt*; *ſic* Minucius Felix, *ita* Victorinus, *in hunc modum locutus eſt* Arnobius. *Me quoque quia pro ſodalitate Avunculi deligebat, interdum proferebat in medium, lectioneque aſſiduâ & meditatione diuturna pectus ſuum* Bibliothecam *fecerat Chriſti*. Et ſane niſi Celebrium Virorum exiſtimationi parcere pium magis ducerem, quam eorum laudibus quicquam detrahere, non uſque adeo difficile forte foret, invictè demonſtrare, eos, qui aliorum ſcribendi rationem, quæ per variorum *Autorum ſuffragia* procedit, maxime exagitare in more habent, dum egregie intumeſcere volumina ſua faciunt, vix quicquam ſæpe, quod ſuum eſt, depromere, ſed materiam doloſè aliis ereptam, ſtylo ſuo politiore & ornatiore tantum conveſtire, atque ita ut cogitata propria, imperitioribus obtrudére. Quod quidem an candide & generoſè ſatis fiat, & ad genuinum Librorum *Plagium* (quod aliis alias objiciunt) quam proxime non accedat, judicent velim quotquot mentem exſenſam non habent, & modicæ Lectionis tantum ſunt. IV. In Locorum quorundam *S. Scripturæ* interpretatione a tritiori via nonnunquam etiam receſſi; quod nemini offendiculo eſſe velim; cum perraro fiat, & in iis tantum Quæſtionibus, quæ, nemine refragante, merè *problematicæ* ſunt, id eſt, de quibus, ſalvâ fidei compage, diſputari utrimque poteſt & licet; adhæc Magnis plerumque Doctoribus teſtibus & ſuffragatoribus laudatis, citraque ullius modeſti viri acrem infectationem, *Curæ enim* (dico cum Illuſtri Heinſio) *mihi fuit, ut cum a Doctiſſimis Viris alibi diſſentio, raro* nomen, *& ubi faciendum fuit, cum* honore *exprimam, neminem, quo morbo plurimi laborant*, traducam. *Ut, cum alii ad* eruditionem *provocare audeant, nullum mihi præter*

Heinſ. Ariſtar. in Præf.

ter

ter hoc modeſtiæ *azylum*, *quo confugiam*, *reliquum ſit*; *quod tutiſſimum in omni ſcriptione ac prope ſacroſanctum ſemper arbitratus ſum.* Et quid (ut cum *Cicerone* loquar) dum ſic procedo, *eſſe poteſt*, *quod me impediat*, *ea*, *quæ mihi* probabilia *videntur*, *ſequi*, *quæ* contra, *improbare*, *ac affirmandi arrogantiam vitantem*, *fugere temeritatem*? Accedit, quod oſtendere ſic etiam voluerim, liberalioris & erectioctioris ingenii indicium mihi ſemper fuiſſe, aliorum Doctorum opinionibus & interpretamentis haud nimium ſe mancipare; adeoque omnis *libertatis Prophetandi* infeſtum hoſtem haudquaquam me eſſe, modo ne in licentiam & factionem, Eccleſiæ Dei noxiam, ea abeat, Chriſtianæ doctrinæ Capita non luxet, in pacis fideique communis *formulas* non arietet, ad *ἀγράφας καινοτομίας* viam non ſternat, & ne ad ipſos quidem loquendi modos hæreticis quicquam concedat: quem ſectariorum alias, ſub obtentu cum Scripturâ loquendi, præpoſterum zelum, multorumque temporum calamitatem fuiſſe, nemo eſt qui neſciat. Cæteroquin a *Nazianzeni* hoc effato me neutiquam abhorrere profiteor, *Cicer. Offic. Lib. 3.*

Ritters-huſ. ad Camerar. ex Nazianzeno.

> *’Ει νέα τέρπησιν, δίδομεν νέα, ἐι δὲ παλαιὰ,*
> *Μίξαμεν, ὡς τι νέον καινοπαλαίον ἔχῃς.*
>
> *Si* nova *delectent*, *demus bem*! nova, *ſi* vetera *autem*
> *Iungo*, novum antiquum *quoddam uti obtineas.*

Neque enim (ut bene alicubi Lactantius) *tantam* Vetuſtatis *oportet eſſe authoritatem*, *ut in illam inquirere ſcelus eſſe ducatur.* Quia (ſic Arnobius) *Religionis auctoritas*, *non eſt* tempore *æſtimanda*, *ſed* numine; *nec colere* qua die, *ſed* quid *cœperis*, *couvenit æſtimare.* Poteſt quippe accidere, ut ab uno quopiam Autore, præſertim illuſtris ſi ſit, opinantium multitudo procedat, & quidam, pio & humili timore correpti, malint aliena contra ſtomachum probare, quam quicquam *novi* ex proprio ingenio depromere, ne quid inſolens in Eccle-

Lactant. de Falſâ Relig.

Arnob. c. Gent. Lib. 2.

Digitized by Google

ſiam invehere videantur. Quorum ut laudanda eſt *humilitas*, ita aliorum non ſemper vituperanda eſt *fiducia*, qui veritatis amore non verentur meliora quandoque introducere. Pedibus eo in *Turretini*, Viri ſupra omnem exceptionem Præſtantiſſimi, nulloque non eruditionis ſupellectile inſtructiſſimi, ſententiam, quam in Præfatione elaboratiſſimi *Inſtitutionum Elencticarum* Operis, quo explanatius, ſolidius, conſummatius dubito an quiſquam unquam viderit, hiſce nuper expoſuit verbis: *Fateor* (inquit) *non eſſe aſpernandam Recentiorum induſtriam, qui luculentiora dona a Deo conſecuti, & peculiari ingenii acumine pollentes, cum laude occupantur in* Scripturis *ſcrutandis & veritate illuſtranda. Et ingratus eſſet in Deum, talium donorum Autorem, qui debita laude ipſos fraudare vellet, vel nollet ex illis proficere. Sed ut, ſub hoc prætextu*, Vetera *ſuperciliose rejiciantur*, & novitia *dogmata in Eccleſiam inducantur, quaſi illi, qui nobis præiverunt, in* caligine & tenebris *adhuc verſati ſint, nec Religionem ab erroribus ſuis ſatis repurgaverint*: *Hoc ſane & famæ tantorum Virorum injurium eſt, & Religioni probroſum, & piis auribus intolerandum.* Quibus gemina hæc *Vincentii Lirinenſis* fere ſunt, dum ait: *Per* te *poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur; eadem tamen, quæ didiciſti, ita doce, ut cum dicas NOVE, non dicas NOVA.* Et alio loco: *Fas eſt, ut priſca Cæleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis* excurentur, *nefas ut* detruncentur, *ut* mutilentur. *Accipiant licet evidentiam, lucem, diſtinctionem, ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Atque hoc quidem pacto & ordine quamdiu qui *novi* quicquam reperiſſe ſe putant, procedunt, nullum inde rei litterariæ vel Eccleſiis diſpendium imminere in propatulo eſt. At ſecus res ſe habet, cum innovantium eouſque intumeſcunt animi, ut *ſolos* ſe ſapere, per ſe *ſolos*, tanquam novos quoſdam Æſculapios, intermortuam vel lethali ſal-

Turretin. Theolog. Elenct. part. 1. in Præfat.

ſaltem ſopore hactenus preſſam veritatem reductam eſſe, ſe *ſolos* Scripturarum ſenſum eſſe aſſecutos, neminemque *ſibi*, in eviſcerandis & exponendis iis parem, nedum ſuperiorem unquam exſurrexiſſe, jactitare non erubeſcunt.

Vincent. Lirinenſ. de Fid. Cathol. Antiquit. cap. 42. & capp. 27. & 30.

Qualem ἀλαζονείαν laudatus mox *Lirinenſis* Neſtorio Hæretico olim adſcripſit: *Invecti* (inquit) *etiam ſumus in ſceleratam* Neſtorii *præſumptionem, quod Sacram Scripturam ſe* primum & ſolum *intelligere, & omnes eos* ignorare *jactitaret, quicunque ante ſe magiſterii munere præditi Divina eloquia tractaviſſent: univerſos ſcilicet Sacerdotes, univerſos Confeſſores, Martyres, quorum alii explanaſſent Dei Legem, alii vero explanantibus conſenſiſſent vel credidiſſent.* Totam *poſtremo etiam nunc errare & ſemper erraſſe aſſeveraret Eccleſiam, quæ, ut ipſi videbatur,* ignaros *erroneoſque Doctores & ſecuta eſſet & ſequeretur.* Cum etiam in verba Magnorum quorundam Virorum jurare honori duci incipit, in eoſque tum ſolos, tanquam Doctores pene irrefragabiles, nullique ſecundos, in quibusvis fere, quæ evulgantur, ſcriptionibus & χαρτιδίοις neſcio quot & quæ non elogia laudeſque ὅλῳ veluti θυλάκῳ congeruntur & coacervantur; cunctis interea aliis, haud minus ſæpe de re Eccleſiaſtica meritis, ſi mox digitum inſoliti quicquam propinantibus Doctoribus attollere nolint, nullo loco habitis, quinimo ut ingeniis ſtupidis, hominibusque genuino Scripturæ lumine deſtitutis, qui veritatem, quam intelligi nolunt, inſanâ ſuâ ſtribiligine offuſcant & larvâ obducunt, diemque ut glires oderunt, tædarumque lucem ut adulterini Mercatorum panni, neglectis non tantum, ut dixi, ſed & contumelioſe ſatis exſibilatis. Adhæc cum quæ *noviter* excogitata dicuntur, licet haudquaquam hactenus in ſuffragium miſſa, neque examini Doctorum ac Cœtuum imprimis Theologicorum (penes quos ejus, quod orthodoxum vel heterodoxum pacique Eccleſiæ conducibile vel noxium eſt, determinatio procul

 dubio

dubio ſtat) oblata, nedum probata, cathedras tamen Eccleſiaſticas incaleſcere faciunt, inventoreſque eorum ſola illa fere docent, ad ravim uſque urgent, nulloque non loco ac tempore repetunt, quaſi de univerſâ veritate, pietate, ſalute, Scripturæque imprimis juſta explicatione actum plane eſſet, niſi novis iſtis placitis, pugnis calcibuſque inculcandis, præ aliis inſiſtatur. Cujus neceſſarium conſequens tum vix poteſt non eſſe, ut in imperitum vulgus inventa illa etiam eant, ac viri, fœminæ, ſenes, ipſique pueri quæſtiunculis Theologicis ludere & laſcivire incipiant, imo vix ſanus tandem haberi dignus ſit, cui ſimili modo haud volupe eſt inſanire; quale tempus vixiſſe olim *Nicephorum Gregoram* hæc ejus verba indicant: *Apud nos* (inquit) *etiam* opificibus *effuſa ſunt* arcana Theologiæ, *atque ita omnes inhiant ratiocinatiunculis & ſermonibus ſyllogiſticis, ut herbæ & paſcuis armenta. Et illi, qui de recta fide ambigui ſunt, & qui nec quomodo credendum ſit ſciunt, nec quid illud, quod videre ſe dicunt; illi, inquam, & fora & porticus & theatra omnia* Theologiâ *impleverunt. Neque Solem hunc teſtem facere impudentiæ ſuæ reverentur.* Hâc, inquam, ratione ſi extrudi *nova* quædam contingat, metuendum utique Eccleſiis eſt, ne in inſignem ſui noxam tandem id cedat. Plenus enim invidiæ & arrogantiæ modus is eſt, propagationique reſtitutæ, ut obtenditur, veritati non tam conveniens, quam plane ei repugnans & contrarius. Quis enim vir vere cordatus poteſt non indignari, ſi miſellulis quibuſdam hominibus, utut valde forſan eruditis, fallere tamen non neſciis, iſtiuſmodi tribui perfectiones videat, idque cum omnium aliorum pene deſpectu, quas ſoli Chriſto, ſummo populi ſui Doctori & Ductori, reſervari pium æquumque eſſe judicat? Videre hoc eſt, ut alia mittam, in *Gerardi Geldenhaurii*, inter Primos Reformatores non poſtremi, exemplo, qui ſic alicubi de ſeipſo apud Melchiorem Adamum: *Legi ſæpe*

Nicephor. Gregor. Hiſt Byzant. Lib. 2.

Jo-

Johannis Weſſeli (*aliter* Weſſeli Gansfortii *vel* Baſilii Groningenſis *dicti*) *Libros, e quorum lectione Chriſtus rimas mihi quaſdam aperuit, lucemque veritatis aliquam infudit*, ſed (*NB*) *ſepoſui Librum*, magnificos *illos* titulos *conſiderans*: Magiſter noſter Weſſelus, tot linguarum peritus, Omnium facultatum Doctor, Poëta, & *quid non, imo* Lux Mundi (*ita enim vulgo ſalutabatur*) id dixit, hoc docuit, hoc ſcripſit; *ne præjudicio aliquo humanæ authoritatis abriperer.* Ut turpe ludibrium taceam, quod Pontificiorum Palpitatorum plurimi naſutioribus ſemper debuerunt, eo quod Alexandrum Ales Doctoris *irrefragabilis*, Thomam *angelici*, Bonaventuram *ſeraphici*, Henricum de Gandavo *ſolennis*, Scotum *ſubtilis*, Ægidium Romanum *fundatiſſimi*, Franciſcum Mayronem *illuminati*, Johannem denique Baconem *reſolutiſſimi*, portentoſis inſcriptionibus paſſim inſigniverint. Prout res tandem periculoſæ plena etiam aleę eſt, cum ea, quę noviter inventa ſunt, vel ut talia venditantur, multiplicibus non tantum involuta σκολολογίαις, ambiguitatibus, perplexe & impedite dictis prodeunt, adeo ut operoſiſſimo fere verborum & explicationum apparatu opus ſit, ſi cum *receptâ* Eccleſiæ doctrinâ conciliabuntur; ſed & in adverſarias partes ſecedere Patronos ſuos faciunt, cunctis deinceps modis, nullo vel perquam ſaltem exiguo ędificationis vel deſtructionis Eccleſię reſpectu habito, firmandas & tutandas. Non quod de Sententiarum quiſque, quibus ſe addicit, veritate convictus ſemper ſit (eſſe enim ſæpe poſſunt, qui licet de genuino Quæſtionum ſtatu partiumque momentis nequicquam quidem norint, in *ignotam* tamen *veritatem*, verbo iterum utor Lactantii, *loqui & ſcribere non dubitant*) vel quod charitatis paciſque rationes non ſuadeant, propriæ mentis vel Magiſtrorum cogitatis & dictatis præfractè nimis inhærendum non eſſe, ſed ne alter alteri cedere quadantenus videatur, vel, quod peſſimum eſt, ne communis partiariorum exiſtimatio detrimenti quicquam

Melch. Adam in Vit. Theolog. pag. m. 93.

Lactant. Inſtit. Divin. Lib. 5. cap. 1.

capiat: ſicuti funeſtam iſtiusmodi ſortem ſubire Eccleſiam nonnunquam debuiſſe, ex *Annalibus* Eccleſiaſticis plus quam manifeſtum eſt. Queſtus de eo ſuâ modo ætate eſt *Hilarius*, in hæc verba erumpens: *Dum de* Novitatibus *quæſtio eſt, dum de Autoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſt, prope nemo* CHRISTI *eſt.* Ut ſuis etiam temporibus *Prudentius*:

Hilar. Lib. 2. ad Conſtant.

Prudent. Apotheſ. Reprehenſ. Infidel.

Statum laceſſunt Omnipollentis Dei
Calumnioſis litibus.
Fidem minutis *diſſecant* ambagibus,
Vt quisque lingua nequior.
Solvunt ligantque quæſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.
Væ captioſis ſycophantarum ſtrophis,
Væ verſipelli aſtutiæ.

Nec minus patheticè *Bernardus* in Epiſtolâ ad *Eugenium* Papam: *Vides* (dicit) *omnem* Eccleſiaſticum *Zelum fervere pro ſola ſua* dignitate *tutanda.* Honori *tantum datur*, Sanctitati *nihil aut parum: Si, cauſa requirente, paulo ſubmiſſius agere, aut ſocialius te habere tentaveris; abſit,* inquiunt, *non decet, tempori non convenit, quam geras perſonam attendito. De* placito *Dei ultima mentio eſt, pro* jactura ſalutis *nulla cunctatio. Quod* ſublimè *eſt hoc* ſalutare *putamus, quod* gloriam *redolet id juſtum.* Et paulo poſt. *Hic, hic, non parco* tibi (affatur ipſum Papam) *ut parcat ipſe Deus.* Cum enim res Eccleſiaſticæ tali conſtitutæ ſunt loco, non tantum juxta Poëtam (quod quis non doleat!)

Bernard. de Conſider. Lib. 5.

Χάρμα γενώμεθα δυσμενέεσσιν,
Præbemus ludum jocumque inimicis,

ſed juſtiſſima quoque Dei vindicta in ipſam Eccleſiam provocatur. Unde enim aliter perſecutionis *Decianæ*, quæ, ut loquitur Bucholcerus, *multos S. homines velut atrox tem-*

peſtas

Digitized by Google

peſtas demerſit & abſumpſit, Cyprianus, & *Diocletianææ* Euſebius originem olim derivarunt, quam e contentioſo hujuſmodi Eccleſiæ ejuſque Anteceſſorum, qualem jam delineavimus, ſtatu? *Intelligendum eſt* (inquit Cyprianus) *& confitendum, preſſuræ iſtius tam turbidam vaſtitatem, quæ gregem noſtrum maxima ex parte populatur, ſecundum* peccata noſtra *veniſſe, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad ſalutem cæleſtia mandata ſervamus. Fecit dominus noſter voluntatem Patris, & nos non facimus Domini voluntatem, patrimonio & lucro ſtudentes*, ſuperbiam *ſectantes*, æmulationi *ac* diſſenſioni vacantes, *ſimplicitatis & fidei negligentes. In petendo autem fuiſſe* diſſonas *voces &* diſpares *voluntates: & vehementer hoc diſplicuiſſe illi qui dixerat*: Petite & impetrabitis, *quod plebis inæqualitas diſcreparet, nec eſſet* Fratrum conſenſio *una & juncta* concordia, *cum ſcriptum ſit*: Deus qui *inhabitare facit* unanimes *in domo*. Et Euſebius: Cyprian. Epp. Lib. 4. Epiſt. 4. pag. m. 121. 122.

Ὅτι δοκοῦντες ἡμῶν ποιμένες τὸν τῆς θεοσεβείας θεσμὸν παρωσάμενοι, ταῖς πρὸς ἀλλήλους ἀνεφλέγοντο φιλονεικίαις, αὐτὰ δὴ ταῦτα μόνα, τὰς ἔριδας καὶ τὰς ἀπειλὰς, τόν τε ζῆλον καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ἔχθος τε καὶ μῖσος ἐπαύξαντες, οἷα τε τυραννίδας τὰς φιλαρχίας ἐκθύμως διεκδικοῦντες. Τότε δὴ κατὰ τὴν φάσκουσαν τοῦ Ἱερεμίου φωνὴν ἐγνόφωσεν ἐν ὀργῇ αὐτοῦ Κύριος τὴν θυγατέρα Σιὼν, καὶ κατέρριψεν ἐξ οὐρανοῦ εἰς γῆν δόξασμα Ἰσραὴλ, &c. Id eſt: *Præ nimia quadam licentia in mollitiem delicatam & diſſolutam ſegnitiem prolapſi ſunt: Paſtores quoque, depulſa repudiataque pietatis regula*, diſſidio & contentione *inter ſe* exarſerunt; *quin etiam nullas alias res, præterquam* diſcordias, minas, æmulationem, *inimicitias & odium inter ſe mutuo adaugere ſtuduerunt, & animis* ambitionis *æſtu incenſis, tyrannorum more* principatum *obtinere laborarunt. Atque tum demum Deus* obſcuravit in irâ ſuâ *filiam Sion & dejecit de Cælo gloriam Iſrael* &c. quæ pluribus ibi idem Author perſequitur. Et quid aliud Apoſtoli hæc ſonant, Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. 8 cap. 1

Quodſi

Optat. Milevit. Lib. 2.
Auguſt. Ep. 166.

Quodſi alii alios mordetis & devoratis, videte, ne viciſſim alii ab aliis conſumamini? Gal. 5. 15. Ut neque fugit id Imperatorum peſſimum *Iulianum*, dum *hoc pacto*, (teſtibus Optato Milevitano & Auguſtino) *Chriſtianum nomen perire poſſe de terra* exiſtimavit, *ſi* unitati *Eccleſiæ, de qua lapſus fuerat, invideret, &* ſacrilegas diſſenſiones *liberas eſſe permitteret.*

V. Intertexui etiam nonnulla, in quibus confirmandis uti me nonnunquam fateor argumentis *dialecticis* magis, quam *apodicticis*; illic nimirum, ubi haud aliter, quam veluti κοσκίνῳ μαντεύεσθαι datum mihi fuit, & ſolidiora adferri poſſe deſperabam. Prout certum eſt, cujuſvis generis hypotheſes rationibus æque validis adſtrui haud ſemper poſſe, eoque caſu, ſi non laudem, veniam ſaltem mereri dicendos eſſe, quotquot maxime *probabilibus* decertant, juxta hoc Philoſophi: *Non illis ſolis agendæ gratiæ ſunt, quorum opinionibus quis acquieſcit, ſed illis etiam, qui* ſuperficietenus *dixerunt. Conferunt enim & illi aliquid; habitum namque noſtrum exercuerunt.* Ego eorum, quæ conjecturis magis quam demonſtrationibus nixa hic occurrunt, notionibus *videtur, non videtur, dubium* vel *probabile mihi eſt*, &c. indicinam paſſim facio; adinſtar Antiquorum Juriſconſultorum, quorum hoc imprimis nomine commendata modeſtia eſt, quod in Diſputationibus ſuis, nonnunquam etiam de rebus certioribus, formulis iſtiuſmodi diminuentibus uſi fere ſint. *Adeo* (inquit Ant. Matthæus) *religioſa in conſulendo diligentiâ uſi ſunt, ut non* eſſe *ſed* videri *ſibi reſponderent, etiam cum certò cognoviſſent. Ejuſmodi verbi verecundia poſtea in Forum ad teſtimonia & ſententias tranſlata eſt, ut teſtes pro teſtimonio, & Iudices ultima pronunciatione* videri *ſibi* reum *feciſſe dicerent.* Quapropter quivis horum lectores gratiſſimam mihi præſtituri operam ſunt, ſi cogentiora quædam ſubſtituere poſſint, meque ea docere non detrectent, utcunque non tantum *pro* ſed & *contra* meam opinionem militantia.

Ariſtot. Metaphyſ. Lib. 2. cap. 1.

Ant. Matth. Orat. de Modeſt. Veter. Juriſconſ.

Idem

Idem enim mihi judicium hic eſt, ſemperque erit, quod *Salvii* olim *Iuliani*, Juriſconſulti Celeberrimi, qui, juxta aliquos, *Commodi* Cæſaris, juxta alios, *Adriani* & *Antonini Pii* temporibus floruit. Hic, ut ut tam eximiæ eruditionis eſſet, ut ejus præcipue operâ, in componendo *Edicto Perpetuo*, uſus ſit Imperator, ſemper in ore tamen habebat: *Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret tamen aliquid addiſcere.* Hoc magis, quod mens noſtra, hactenus imperfecte tantum illuminata, ad hunc illumve errorem ſuſcipiendum impenſè adhuc inclinet, nullique unquam contigerit homini, *Forſter. in Vit. Jureconſult.*

Omnibus in rebus gnarum doctumque cluere,

ſive, ut ille apud *Procopium*, τὸ μηδ' ὁπωσοῦν ἁμαρτάνειν ἐπὶ ἀνθρώπινον, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων φύσεως ἔξω. *Nuſquam* errare *neque humanum, neque per naturam rerum poſſibile ſit.* Quare & diſſentientes quoſvis facile hic feram, modo neque mihi fraudi ſit, ſi forte ab hujus illiusve Docti Viri opinione libere & modeſte nonnunquam divortam. *Procop. de Bell. Gothic. Lib. II. cap. II.*

Bene alicubi ex *Hieronymo* Auguſtinus: *Haud ſtultus adeo ſum, ut diverſitate explanationum lædi me putem, quia neque tu læderis, ſi nos contraria ſenſerimus.* Et in Confeſſionibus ſuis: *Quid mihi obeſt, ſi aliud ego ſenſero, quam ſenſit alius eum ſenſiſſe, qui ſcripſit.* Nunquam enim non Eccleſia ſententiarum quandam inter Doctos experta eſt διαφωνίαν & varietatem, in rebus nempe levioris momenti, quæ Fidei fundamenta non evertebant, imo ne luxabant quidem. Neque ea, ut dixi, ullum Eccleſiæ veritatiſque Catholicæ periculum unquam poſt ſe traxit; e contra, prout ex attritu ſilicum ignis, ita ex iſtiuſmodi ſententiarum colliſione veritas nonnunquam magis quam antea eluxit. Quis ignorat inter *Orientales* & *Occidentales*, de celebrandi Paſchatis die, inter *Theophilum* & *Chryſoſtomum* de Archiepiſcopatu Conſtantinopolitano obtinendo, inter *Auguſtin. in Epiſtol. & Confeſ. Lib. 12. cap. 20.*

**** cun-

eundem *Chryſoſtomum* & *Ephiphanium* de Librorum *Origenis* condemnatione, inter *Cyrillum* & *Iohannem Antiochenum* ob damnatum, hoc abſente, *Neſtorium*, diſſenſiones? Quis neſcit multorum in Veteri Eccleſiâ, nominatim *Aniceti* & *Polycarpi* de celebrandis *Iejuniis* diſcrepantes calculos? qui, teſtibus *Irenæo* & *Euſebio*, fraternitatis tamen fidem eapropter haud plane violarunt, licet præconceptarum ſuarum opinionum juſto alias tenaciores ſæpe eſſent. Nempe

Euſeb. Hiſt. E. l. 5. cap. 26.

Sic facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Cyprian. Epp. Lib. 2. Ep. 11.

Scimus (inquit Cyprianus) *quoſdam quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare, ſed, ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſunt uſurpata, retinere. Quâ in re nec nos vim cuiquam facimus, aut Legem damus, cum habeat in Eccleſia adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unusquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus.* Quoad me, ego reſpectu univerſi hujus *Operis* applicare mihi auſim *Iſidori Peluſiotæ* verba, quibus conjecturam ſuam de verbo Ἀπέχει ſic clauſit: Τοῖς ἐντυγχανομένοις ἄνευ φιλονεικίας συνιδεῖν. Καὶ εἰ μὲν ὀρθῶς εἴρηται, τῷ Θεῷ χάριν εἰδέναι, εἰ δὲ μὴ τῷ γεγραφότι συγγνώμην νεῖμαι, τῷ μὴ ἀποφηνομένῳ, ἀλλὰ τοῖς ἐντυγχανομένοις ἐπιτρέψαντι τὴν ψῆφον. *Lectores precor, ut ad iſta, quæ attuli, remoto contradictionis & contentionis ſtudio attendant, & ſiquidem recte dicta ſunt, Deo gratiam habeant, ſin minus, Scriptori veniam tribuant, qui nihil præfactè definivit, ſed lecturis calculi libertatem permiſit.* Imo addo cum Comico,

Iſidor Pel uſiot. Ep. 11.

Emendanda ſiqua viſa Doctis hic erunt,
Non ero ſtulte repugnans aut amans prave mea,
Quin ſtatim culpanda delens, præbeam rectis locum;

neque enim cum quoquam ſuper hiſce meis *Conatibus* contentionis funiculum ducere animus eſt. Quod quidem niſi decretiſſimum mihi eſſet, forte etiam antequam ipſam lucem vident, diſputandi de iis cum nonnemine occaſio ſe offerret. Non deeſt enim Vir quidam Doctiſſimus, qui, poſtquam *Exercitatio* VIII. Libri II. hujus Operis de

Digitized by Google

Iuda Iſcariote typis non tantum commiſſa, ſed & plane excuſa jam eſſet, peculiares quaſdam *Diſſertationes* edidit de eodem *Iuda* ejuſque *morte*, in quibus ſententiam *Pricæanam*, uti vocat, quæ & mea eſt, dudumque fuit, etiam antequam *Pricæum* unquam inſpexeram (quod Ille tamen neſcivit) deſtruere, eamque, quæ Judam *laqueo* periiſſe ſtatuit, adſtruere ſummâ animi contentione allaborat. In quem finem plurima ſane, acre ſatis judicium multamque bonorum Scriptorum lectionem ſpirantia, tantâque veri ſpecie ſe ipſa commendantia adducit, ut, in eviſcerandâ & tractandâ hac *Quæſtione* omnibus ſibi ἰσοψήφοις palmam præripuiſſe jure dicendus ſit, quinimo multis in ſenſum ſuum pertrahendis haud impar forte eſſet, niſi præjudicium ingenioſo ſuo conatui creaviſſet ſtylo, quo utitur, in Præſtantiſſimos Viros, *Theophylactos*, *Caſaubonos*, *Pricæos*, *Heinſios*, *Calovios*, *Voſſios*, *Grotios*, *Gerardos*, *Lichtfootos*, *Suiceros*, *Lydios*, aliosque a ſe diſſentientes, pro exiguo argumenti, ſuper quo diſceptatur, momento, nimis certe aculeato. Sique peremptorie magis, quam feciſſe mihi videtur, aſſeruiſſet, vocem ἀπάγχεσθαι, quæ apud Matthæum eſt, non niſi per ſuffocationem mediante *laqueo*, quamque mors immediatè ſemper conſequi debet, explicandam eſſe. Quæ enim eum in finem adfert, utcunque egregia ſint, haud plus tamen evincunt, quam vocem illam *ſæpiſſime* quidem apud Autores ſic ſumi, non vero (in quo quæſtionis tamen cardo vertitur) *ſemper* ſumendam ita eſſe, neque *aliter* ſumi unquam poſſe. Saltem negotium ſibi quadantenus hic faceſſere *Æliani* locum, de *Poliagro* in ipſa Comœdiâ *ſuffocato*, quemque *Pricæus* aliique imprimis urgent, ipſe non infitetur, dum *aliquantulum nubulum* eum *eſſe*, nec *perſpicue demonſtrare* diſertis verbis pronunciat. Dicit quidem, e *poſterioris loci*, quem ex eodem citat *Æliano*, *notatione*, *quæ* certa *eſt*, incertam *prioris*, id eſt, hu- *Ælian. Var. Hiſt. Lib. 5. c. 8.*

hujus *loci*, *potius colligendam*, *quam ad prioris loci* incertam *& nullo teſtimonio probatam*, veram & certam *adaptandam & immutandam eſſe* At parum ad rem id facit, cum ſuæ hypotheſi ſic tantum ſerviat Vir Doctus, quæ eſt, Locum præſentem *Æliani* pro voce ἀπήγχετο, mortem etiam aliam, quam quæ laqueo conſciſcitur, ſignificante, nihil certi inferre; quod neque *Pricæus*, neque quiſquam ei conſonus unquam concedet. Manet itaque (quod in tantum ſententiæ *Pricæanæ* ſuffulciendæ hic ſufficit) e vi ſaltem vocis ἀπήγχετο probari non poſſe, proditorem ſui *ſuſpendio* interiiſſe; adeoque ſi verum hoc ſit, non niſi e locorum *Matthæi* & *Lucæ* collatione & circumſtantiis colligi id debere. Hoc vero an ſolide ſatis inde eduxerit Vir ille Doctus, non minus jam dubito, quam unquam; ſive (ut Terentianus ille Demipho) *Fecit is probe*: *incertior ſum multo, quam dudum.* Licet libens aliorum judicio id committam, cum neque animus ſit, ut dixi, neque brevis *Præfatiunculæ* ratio ferat, eapropter cum quoquam, nedum cum inſigni hoc Viro, cujus induſtriam maſculamque ſcribendi rationem revera ſuſpicio, inamœnis verbis contendere. Sopiendas quippe lites, non fovendas, nedum ſeculo hoc plus ſatis ἐριστικῷ ulterius producendas eſſe exiſtimo; quemnam enim alias earum finem, vel modum fore dixeris? dum

Exercit. p. 113. 114.

> Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβην βλάβη,
> *Litem parit lis, noxa item noxam ſerit.*

VI. Rerum tandem Capitumque tractandorum ordine uſus ſum plane confuſaneo, tum magis *Hiſtorica* promens, tum magis *Practica*, tum magis *Philologica*, tum magis *Exegetica*, & ſic porro, omni connexione & ordine neglecto. Inſerviturum id magis duxi intentioni meæ, quæ non fuit materiis homogeneis laſſare Lectorum animos, ſed ordine veluti inordinato eos docere & recreare. Compoſuit ſic etiam

Digitized by Google

etiam *Noctes* ſuas *Atticas* A. Gellius, ut hiſce confitetur verbis: *Uſi ſumus ordine rerum fortuito, quem antea in excerpendo feceramus. Nam proinde ut librum quempiam in manus ceperam, ſeu Græcum ſeu Latinum, vel quid memoratu dignum audieram, ita quæ lubitum indiſtincte ac promiſcue annotabam.* Hoc ergo & dextrâ a Te accipi velim manu, neque in pejus rapi, ſi tanti Scriptoris exemplo plane forſan ἀμέθοδος cuiquam videar. Quod quidem, cum reliquis, quæ hactenus a Candore tuo contendi, impetrare ſi poſſim, adeoque ſub benivolentiæ tuæ favonio hiſce meis *Cogitatis* remigare, animum utique addes, ut quoſcunque mox procul dubio, ad conſpectum Eorum, in me inſultaturos *Litteratulos* & (*Criticellos*, qui tot numero in aliorum labores hodie ſunt, Gell. Noct. Attic. Lib. 20. cap. 11.

Ὅσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίνεται ὥρῃ,

Quot folia aut Flores in vere vireſcunt,

quibuſque maxime expoſiti fere ſunt, qui inſuetâ ſcribendi ratione, prout hic ego, in ſcenam primum prodeunt) generoſe ſim contempturus. Quid enim ego miſer puſio eos morer, cum non neſciam, ipſiſſimos Homeros, Marones, Pindaros &c. *Zoilis, Carbiliis, Favorinis* ſuis non caruiſſe; & nunquam non talia extiterint tempora, quibus uſque adeo lacerandi rabie efferati quidam fuerunt, ut expolitiſſima quæque & ad unguem veluti facta (qualia tamen hæc eſſe non jacto) Theonino dente convellere non erubuerint, nihil approbantes, quantumlibet frugiferum, quod vel ipſi non feciſſent, vel receptorum ſuorum albo non inſcripſiſſent. Qualiter ſi qui forte circa noſtra hæc animati etiam erunt, horum alterutrum eos rogatos tantum volo, ut vel emendent quod carpturi ſunt, vel ferant quod emendare non poterunt: Etenim

Μωμεῖσθαι *facile eſt, ſed contra eſt rite* μιμεῖσθαι.

Erunt forte, qui parum ad forum *Theologicum* ſpectare di-

dicent quæ hic exhibeo; obtendent alii, *ſupererogatoria* ſaltem eſſe, ab aliiſque operoſe ſatis tractata, adeoque, quod *Iannem* & *Iambrem* Moſi exprobraſſe fingunt Hebræi, *ſtramen Aphrainam* me *importare, quo plus ſatis abundat*; adhuc alii, ἀρχαιώπεα διφθέρας, id eſt, *tricas apinaſque* pridem obſoletas me tantum loqui. At contemnam (inquam) ſub benignitatis tuæ requieſcens umbraculo, cunctos illos Ariſtarchos, Archilochos, Syllabarum aucupes, cenſuraſque eorum ne digiti quidem dignabor crepitu, nedum quod invidiæ & malevolentiæ eorum ceſſurus ullatenus ſim; cum non neſciam, quam *Horatianum* hoc omni experientia comprobatum ſit:

Horat. lib. 2. Epiſt. 2.

Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet alter,
Quod petis id ſane eſt inviſum acidumque duobus.

Quod enim iſtiuſmodi homines calumnientur nihil mihi eſt, imo forte boni cujuſdam argumentum, talibus non placere. Et quodſi *Theologica* non eſſent, quæ hic offeruntur, tantumne piaculum id foret? cum multum ſane interſit, utrum ita aliquid facias, quaſi nihil in vitâ aliud videaris acturus, anvero ὡς ἐν παρέργῳ, vel ad animi relaxationem, vel alium qualemcunque in uſum, cætera inculpabilem, id tantum delibes. Et ſic Noſtra hæc impræſens tantum inſtituimus; quapropter OTIA, *Diverticula*, πάρεργα ea etiam inſcripſimus. Materiis enim *mere Theologicis* nos alias etiam incubuiſſe, ex *Opuſculis Aſceticis*, publice editis, de quibus ſupra, ſatis in aperto eſt. Imovero falletur impenſe quiſquis etiam hæc ipſa *Theologica* eſſe plane negaverit; quippe quæ, ſi non cuncta formaliter talia ſint, iis ſaltem adeo confinia ſunt, ut *Argi* oculos habere neceſſe ſit, qui grande hic diſcrimen animadvertat; licet elucidationis & amplificationis cauſâ intertexta quædam ſint, quæ ad aliud diſciplinæ genus referri etiam poſſunt. Præterquam quod pluribus

ribus aliis Scriptoribus nunquam vitio datum ſit, quod in alieno choro pedem ſuum nonnunquam poſuerint. Id vero cur Scriptori *Theologo* minus concedendum ſit, quam *Iurisconſultis, Politicis*, aliiſque *ſecularis* ordinis Viris, qui non tantum non illaudabiliter, ſed inſigni ſępe rei litterarię bono, in meſſem *Theologicam* falcem ſuam miſerunt, doceri a quoquam optem. Fecerunt id, uti conſtat, inter *Veteres* Juſtini Martyres, Lactantii, Victorini, Ammonii, Minucii, Procopii, Oecumenii, Boethii; inter *Noviores* Pici Mirandulæ, Sigonii, Villagnonii, Faji, Durantii, Bullengeri, Præluſii, Fricii, Laſicii, Volani, Cachanovii, Moncæji, Marnixii, Mornæi, Caſauboni, Cunæi, Salmaſii, Heinſii, Grotii, &c. Et ſunto, qui quæ nos hic depromimus, ante nos etiam attigerint, imo ex profeſſo ea pertractarint; quid tum? Quis enim πολύθρυλλητον hoc Auguſtini ignorat? *Vtile eſt plures Libros a pluribus fieri, diverſo ſtylo, non diverſâ fide: etiam* (NB) *de* Quæſtionibus iiſdem, *ut ad plurimos res ipſa devolvat, ad alios ſic, ad alios autem ſic. Neque enim omnia, quæ ab omnibus deſcribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri poteſt, ut nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere vellent, eos non inveniant Libros, in hos ſaltem incidant.* Mihi quidem videtur, prout in *Olympicis Certaminibus* non uni aut alteri duntaxat in eodem ſtadio decurrendi facultas concedebatur, ſed *pluribus*, ita etiam in curriculo hoc litteratorio nihil abs re fieri, ſi cum aliis idem a variis carcer reſeratur. Imo vero quid ſi, quoad *materiam*, non niſi merum *alienorum* compilatorem hic egiſſem, neque hoc forte omnimode improbandum foret, modo *forma* totiuſque Operis *diſpoſitio*, ut revera eſt, *mea* tantum eſſet. Haud puduit id certe de *Politicis* ſuis agnoſcere ipſum *Lipſium*, Virum nominatiſſimum, dum dixit: *Lapides & ligna ab* aliis *accipio: ædificii* exſtructio & forma *tota* noſtra *eſt*. Architectus *ego ſum*, *ſed* materiam *varie undique conduxi. Nec araneorum ſane textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt, nec noſter vilior, quia ex* alienis *libamus ut apes.* Et quid tandem *tricas apinaſque* quis objectet?

Auguſt. de Trinitat. Lib. 1.

Lipſ. **Not.** *in Politic. c.* 1.

Ego-

Egone enim ſolus iterum is ero, qui publico aliquid exponam, quo carere ſine æternæ ſalutis diſpendio Mundus forte poſſet? Ἐκ τῶ πάνυ ἀρχαίω enim ingens eorum modo extitit turba, qui talia quædam in dias luminis auras emiſerunt, quæ non niſi περὶ ὄνυ σκιᾶς ſive de *umbrâ aſini* eſſe dixeris, id eſt, ne dentiſcalpio quidem digna; unice tantum ut vel ingenii ſui experirentur vires, vel caverent, ne in otio otioſi conſeneſcerent, vel qualiquali recreationi (prout Scriptorum oblectatio legitima etiam uſum ſuum habet) lectoribus ſuis eſſent. Hoc ſane conſilio *Febri* olim laudandæ Huttenus, *Luto* Majoragius, *Paupertati poëticæ* Pierius, *Stultitiæ* Eraſmus, *Pulici* Rhodiginus, *Ebrietati* Salerius & Hegedorpius, *Paſſeri* Catullus, *Quartanæ* Favorinus, *Aſino* Apulejus, *Culici* Virgilius, *Tyranno Byſiridi* Polycrates, *Morbo Gallico* Angius, *Nuci* Ovidius, *Calvitiei* Syneſius, *Arti paraſiticæ* Lucianus bonas ſuas horas impenderunt; imo Ariſtomachus Solenſis totos ſexaginta, ut ferunt, annos *Pulicum* ſaltibus *Muſcarumque* naturâ indagandis conſumpſit. Quibus ergo cum Viris, maximam partem Doctiſſimis, ſi mihi etiam, ob tenuia hæc, non tam eruditionis quam diligentiæ ſpecimina, crux quædam ſubeunda ſit, haud quidem probro id ducam; vovebo e contra, ſi non niſi induſtriæ, Bibliomaſtigum iſtiuſmodi judicio forſan ſupererogatoriæ, cauſâ petar, cum Poëta,

Ἀεὶ τοιοῦτοι πόλεμοι διώκοιεν!

Me bella ſemper inſequantur talia!

VII. Dimitterem te hic jam, LECTOR, niſi unum adhuc eſſet, quod neceſſario monendus es. Miraberis forte, cum pag 309, *Exercitatio* extet de HORTO HEDENIS, quomodo p. 594. alia adhuc occurrat ſub eâdem inſcriptione, curque ſub *priore* illâ hanc non comprehenderim? Sed ſcito, Typothetæ ἀβλεψία factum id eſſe, qui pro

DE

DE ARBORIBUS PARADISI (hunc enim titulum *Exercitationi* illi feceram, prout etiam de iis tantum agit) iterum poſuit DE HORTO HEDENIS, quod fateor me ſerius animadvertiſſe. Adhæc in genere Te etiam obteſtor, ut, ſi quæ alia, præter hoc, in hiſce *Diſſertationibus* offendas *παροράματα*, ut quamplurima procul dubio, tum Hebraicas & Græcas voces, earumque puncta, accentus, ſpiritus, &c. tum Orthographiam, commata, &c. concernentia, imo quædam ipſum ſenſum non parum turbantia, offenſurus es, priusquam ullo ea propter contra eas præjudicio abripi te ſinas, *Indiculum Erratorum*, in calce adjectum, conſulere non dedigneris, ac videre, num cuncta illa, eorum ſaltem præcipua, ut ſunt, quæ non correcta textum notabiliter corrumperent, vel craſſiores ſolæciſmos, (qualem tamen dubito an vel ullum *ἀυτόγραφον* meum habeat) inferrent, ut cum vocalis *a* pro *o* vel *o* pro *a* vel *e* obrepſit, ut pag. 432. *προσκυνήσατο* pro *προσκυνήσατε, vel æ pro i*, ut p. 71. *quæ* pro *qui* (quorum lapſuum mentionem hic facio, quia in dicto *Indiculo* eos omiſſos eſſe video) emendata ibi non invenias, reliquis levioribus, quæ ſe ipſa ſatis corrigunt, vel alibi rectius ſe habent, ut pag. 688. *ενδὴς* pro *ἐνδεὴς*, &c. ſive in meris litterarum omiſſionibus vel tranſpoſitionibus conſiſtunt, quorum innumerus pene numerus eſt, favori & benivolentiæ tuæ commiſſis. Prodit, fateor, *Opus* hoc minus exaſciatum; at dolendum magis id eſt, quam mirandum, cum tanta me ſæpe, qui ſolus ad tempus correctionis onus ſuſtinebam, in *relegendo* eo, mendorum obruerit turba, ut *rebus* magis earumque momentis, ac jure quidem, quam vocum litterarumque *apicibus* intentus, in *hiſce* obſervandis negligentior eſſe coactus pene ſim, ne in *illa* injurius eſſem. Prout varia etiam *Errata*, quæ probè ſatis in poſtremis *ſpeciminibus* annotata a me

erant, a Typographo ne obſervata quidem, nedum rite correcta ſunt. Præterquam quod me ipſe jam docuerit eventus (quod tamen cum Amici antehac monerent, vix credibile mihi videbatur) nullius pene oculos Librorum, quæ occurrunt, σφάλματα facilius effugere, quam ipſiſſimorum Autorum; hi enim, dum res voceſque mente conceptas tenent, papyro eas inſcriptas ſe videre ſæpe putant, quas revera ei inſcriptas non vident. Plura non addo, ſed finio piiſſimi Patris *Auguſtini* voto, non minus pio: *O Pater luminum, Deus meus, in cujus ſinu non eſt contradictio, plue mihi* mitigationes *in cor, ne in* litigationes *infundar, ut patienter alios feram, qui multa dicunt interdum,* & contentioſe *perſuadere ſua nituntur, tanquam* Divini *eſſent, & illa in corde tuo vidiſſent; ſed veram raro noverunt ſententiam, quia* ſuperbi *ſunt, nec a Te, parvulorum Doctore, meriti ſunt erudiri: ſed amant ſuam, non quia* vera *eſt, ſed quia* ſua *eſt; quorum in diſputando & aſſeverando* temeritas *non* ſcientia *ſed* audacia *eſt, nec viſus ſed* typhus *illam peperit.*

Auguſt. in Confeſſ.

Digitized by Google

IN OTIA THEOLOGICA, OPUS ERUDITUM REVERENDI CLARISSIMIQUE VIRI GUILIELMI SALDENI, S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET ECCLESIÆ HAGANÆ PASTORIS VIGILANTISSIMI.

SALDENI egregium, ſemper fruitura, laborem
Haga, decus Themidis, Martis alumna, ſtupet.
Hunc celebrat vaſti laus & flos Belgica mundi:
Seu linguæ eloquio, ſeu calamoque placet:
Seu pia flexanimi demulcet pectora Suada;
Grandiloquo cæli ſeu tonat ore minas:
Seu victos Erebumque refert Erebique miniſtros,
Infracta & mortis ſpicula morte Dei:
Seu cupidis vitæ, melior quæ lumine caſſis
Spiratur, monſtrat duxque comeſque viam.
Frendet, at incaſſum, rabies Acherontis avari:
Applaudit Pietas, cælicolumque chorus.
Herculeos Dirce ſileat Cadmæa labores:
Monſtrorum hic domitor Tartareique canis.
Nunc ſimilis quanquam ille polo, ignaruſque quietis,
Victurum ſæclis, otia, donat opus.
Otia? ne ſcripti titulive modeſtia fallat.
Hæc quoque cæleſti pagina melle madet.

Otia SALDENO *ſunt hæc digniſſima, nunquam*
Quæ ſegnem oſtendânt diſſimilemve ſui:
Otia non ficti juſſis ſacrata Tonantis,
Deſidiam atque ævi pellere nata nefas.
Innumeras hæc charta docet percurrere chartas,
Optimaque aſſidua volvere ſcripta manu.
Naſcentem hic videas mundum, mundumque ruentem,
Cum noxa humanum perdidit una genus:
Dilectam hic ſuperis Solymen, & ab æthere miſſos
Sacrorum ritus, bis genitumque Deum.
Hic ſtudium veri ac recti pulcherrimus ardor
Fertur in ætherias per pia vota domos.
Amramides dux hic vatum, Amramidenque ſecuti,
Plena Deo, falli neſcia turba, nitent:
Multaque præterea, cæcis erepta tenebris,
Grajugenis nunquam nota, nec Auſoniis.
Quis neget huic multa vigilatas lampade noctes,
Huic annos ſtudio, Neſtoreoſque dies?
Inventis quæ cura ſagax tam nobilis otî,
Judice quis certet poſteritate labor?
Non Hagâ, aut Batavis, quæ laus hinc parta, ſed orbe,
Quà doctrina viget, teſte perennis erit.

J. VOLLENHOVIUS.

Cla-

Digitized by Google

Clariſsimo, Doctiſsimoque Viro

D. GUILIELMO SALDENO,

S. S. Theologiæ Doctori, & Verbi Divini Miniſtro in Florentiſſima Hagienſi Eccleſiâ, cum elaboratiſſimas ſuas

EXERCITATIONES THEOLOGICO-PHILOLOGICAS

In lucem mitteret.

SI tua tam Doctas, nobis dant OTIA chartas,
Quid lucubranti (*a*) non tibi penna dabit?
Tu Demoſthenicæ (*b*) poſſes certare lucernæ,
Et poſſes Tullî doctius ore loqui.
Macte novis eſto *titulis* (*c*) dum vana refutas
Somnia, dum ſacras adſtruis Hiſtorias;
Deſinat Annales Pharios (*d*) jactare vetuſtas,
Adam, te tanto vindice, *primus* erit.

(*a*) Proprie, nocte ſtudendo.

(*b*) Demoſthenes, Oratorum princeps, plus olei, quam vini lucubrando conſumpſiſſe dicitur.

(*c*) Nempe, *Theologiæ Doctoris.*

(*d*) Id eſt, *Ægyptios*, qui narrant de vetuſtate ante Adamum.

Honoris, & amoris ergò appoſuit

Hocce Octaſtichon

D. DE LOBELL.
Eccl. Hagienſis.

IN LAUDEM

OTIORUM

CLARISSIMI DOCTISSI-
MIQUE VIRI

D. GUILIELMI SALDENI,

*S. S. THEOLOG. DOCTORIS ECCLE-
SIÆQUE HAGIENSIS PA-
STORIS FIDISSIMI.*

OTia corpus amat tenerum gratiſſima vitæ,
 Otia mens hominis feſſa labore petit.
Otia jure petunt: Animus nam paſcitur illis;
 Otia corpus alunt: Carpit utrumque labor
Immodicus. Quis non poſt curas otia captat?
 Otia Meſſor amat; curvus Arator ea
Deſudans inhiat; Faber hæc defeſſus agendo
 Appetit; hæc laſſus læta quietis amat
Tempora Mercator currens per ſaxa per ignes;
 Eſt etiam doctis dulcis amica quies;
Juſta laboriferis tribuuntur & Otia Muſis;
 Et requiem captat ſollicitudo Fori;
Hanc cupit in caſtris validus poſt prælia Miles;
 Hanc volucres optant, Monticolæque feræ;
Quodque ſuo nutu ſapiens DEUS ipſe creavit
 Solvere jucundâ membra quiete ſtudet;
Blanda quies Superiſque placet, placet Omnipotenti
 PATRI, qui nunquam feſſus agendo fuit.
Otia grata DEO, quoniam DEUS ipſe quievit,
 Inque ſuo Verbo juſſa quietis habet.

Atta-

Attamen haud quævis nobis laudanda quies eſt:
Otia perpetuo deſidioſa nocent.
Talia formoſum corrumpunt otia corpus,
Et ceſſas mentes delitioſa quies
Deprimit: hæc ſenſus ſegni rubigine rodit:
Faſcinat hæc animam ſegnitieſque mera eſt.
Luxuriat petulans, tenditque Cupidinis arcus:
Illa quies torpens, illa Magiſtra mali eſt,
Quæ ruit in vetitum præceps, cupienſque negata
Vertitur in vitium pectora morte necans.
Hæc fugienda quies ſemper cane pejus & angue eſt.
Aſt datur & requies de meliore notâ.
Hæc requies operoſa pia eſt, hæc languida nunquam,
Hæc animos recreat ſedulitate ſuâ.
Eſt ea ſemper agens, nunquam non tractat honeſta,
Quæ verſare manu nocte dieque ſolet.
Aut mentis ſtudio divina volumina Verbi
Ruminat, aut lingua prædicat acta DEI:
Aut vigili calamo prodeſt; aut ludicra tractat,
Ludicra quæ bona ſunt hæc ſine labe quies.
O bene felices! quibus hæc DEUS otia fecit,
Quique ſuam requiem ſic moderare ſciunt.
Hæc tua felicitas, hæc noſti, Myſta verende,
Ut nobis monſtrant otia docta tua;
Otia ſigna tui longi magnique laboris,
Artis & ingenii judiciique notæ;
Otia quæ merito Cedro digniſſima laudo,
In quibus ars, linguæ, ſparſa prophana ſacris,
Otia, quæ minimè tractant trivialia, ſed quæ
Dogmata divine maxima ſacra docent.
Myſtica ſacra doces, DOCTOR, Myſteria pandis,
Quæ ſcriptis nullis eſſe ſecunda puto.
Sic tibi non ſatis eſt graviter docuiſſe per annos
Voce gregem CHRISTI ſenſa viaſque DEI;

Sed

Sed calamo prodeſſe cupis, prodeſſe quibuſvis
Sic decet ingenuos dexteritate ſtyli.
Ante tuum nomen ſcriptis innotuit Orbi,
Et non immerito, nam placuêre piis.
Non hederam doctis poſcis SALDENE libellis;
Attamen hanc juſtam nectit amica manus.
Otia tam nitidè patulas itura per auras,
Ingenuè doctis & placitura viris
Numinis auſpicio procedant! Commoda mille
Ut (precor) exhibeant otia docta tua!
Talia plura tibi redeant tua tempora VATES!
Aurea ſint Muſis otia ſæpe tuis!
Pergito: neu tenebris include diutius illa,
Quæ proſunt, & quæ ſcrinia fida tegunt.
Vive DEO, populoque ſuo, nobiſque tuiſque!
Quod dederis nobis hoc dabis omne DEO.
Accipe MYSTA tui Collegæ pignus amoris,
Et placeat Muſis hæc mea Muſa tuis.

CORNELIUS BOSCH,
Eccleſiaſtes Hagienſis.

IN EUNDEM.

Diſplicet ignavis labor improbus, otia laudant,
Quæ prognata malo, materque nefanda malorum.
Cum ſit mollities genitrix fœcunda, Timorque,
Illis ſit pater, & nutrix maleſana voluptas.
Infandum quis amet partum, cum nil niſi probrum
Sit totus, monſtrumque ingens, informe; noverca
Virtutum, mater vitiorum, expellat honeſti
Quicquid ineſt menti, corrumpat corpora, Juris,
Artis, Martis, vitæ, animæ mors ipſa, ſepulchrum!
Quidnam igitur poſt tot doctos, SALDENE, labores,
Varia D. *Queis pueros tu lacte cibas; Mannâque Deorum*
Anct. *Chriſtiados nutris; peccati pondere preſſis*
Opuſc. Pract. *Cardiacum præbes: ut fas, cum pondere juſtam*

In-

Judicii libram cordis perpendere monſtras:
Et magnum pietatis opus, meditando, docendo
Et vitâ calamoque viam, quæ ducit ad aſtra,
Cum dederis Patriæ patrio ſermone; piis quæ
Sic placuêre tuo quod ſint fateantur in ære,
OTIA me laudare jubes gnavi, non OTIA inertis
Sunt tua; namque in tot dubiis quæ ſigna ſequenda
Tollis, & indoctis filum monſtras Ariadnæ,
Ne Labyrinthus agat perverſos; & quid in uſu
Hebræis, Latijs, Grajis fuerit; referendo
Penſiculata doces rerum monumenta; profanis
Jungis inoffenſo tu Numine ſacra; coruſcum
Tot rutilans gemmis, Phrygiâ velut arte paratum
Nobile das Scriptum: hæc hæc ſunt OTIA curæ
Digna tuæ; docti quæ laudant pollice utroque
OTIA, cur non hæc, Philomuſe, *negotia laudem?*

HENR. TROYE.

AD CLARISSIMUM VIRUM

GUILIELMUM SALDENUM

S. S. THEOLOGIÆ DOCTOREM,

CUM

OTIA SUA THEOLOGICA

Publici juris faceret, Carmen ἐγκωμιαστικόν.

CArmine quis digno tua dilaudabit Homerus
OTIA, Pieridum concelebranda tonis?
OTIA nocturnæ redolentia Lampadis uſum:
OTIA continuæ Sedulitatis opus:
OTIA demorſos ungues ſapientia totos:
OTIA lectori grata futura ſuo:
OTIA quæ paſſim permiſcent utile dulci:
OTIA queis felix omnia puncta meres:

******

OTIA

Otia doctorum manibus volvenda virorum,
Dum Sol flammivomis aëra findet equis;
Frigida dum tardus flectet ſua plauſtra Bootes,
Eque ſuo fundet gramina terra ſinu:
Otia multorum vano anteferenda labori:
Otia Pyramidum nobiliora ſitu:
Otia quæ calidum ſpirant pietatis amorem:
Otia quæ Momis ilia rupta dabunt.
Zoilus ô quoties in te ſua ſpicula mittit,
O quoties in te nigra venena vomit;
Dum te fama vehit conſtans ſuper æthera pennis,
Nec tua Lethæis nomina mergit aquis!
O quoties morſu te rodit lividus atro,
Applaudens populus cum tua Scripta legit!
Sed ſua crudeli conſumit viſcera dente
Invidus, eſtque ipſus carnificina ſibi.
Invidiæ rabiem contemnere fortiter aude:
Latrantes ſpernit fulgida Luna canes.
Ure tuo fulgore malos, quos fervida bilis
Urit, quod curru laudis ad aſtra volas.
Diſtendunt ventres alii, cellaſque novorum
Vinorum luſtrant, & ſua labra rigant:
Turpiter aut recubant poſt templum putre Vacunae,
Aut garris Siculis paſcere pectus amant.
At tibi muſæo dulce eſt latitare remoto:
Eruis hinc amplas cognitionis opes.
Nulla dies tranſit qua non tibi ducta ſuperſit
Linea: nam noſti quod breve tempus habes.
Ultrajectini concordia vota Lycæi
Doctoris titulum ſponte dedêre tibi:
Ingenii quoniam terſi documenta dediſti
Plurima, te doctum teſtificata virum.
Vive diu rerum ſplendor, Saldene, mearum,
Vive tuæ columen præſidiumque domus.
Et cum fatalis tandem tua venerit hora,
Sedibus angelicis Otia lætus age.

M. ab Harlingen,
Eccleſiaſtes Hornanus.

NB. In *Indice Rerum* Lit. A. in voce *Antonini Pii* pro *qui* l. *quæ.*

EX-

EXERCITATIONUM,

Singulis LIBRIS *contentarum*,

INSCRIPTIONES.

LIBER I.

Exercit.		Pag.
I.	DE Primo *Scriptore.*	1
II.	De Autore *Pentateuchi.*	18
III.	De *Φιλαυτία.*	37
IV.	De *Piorum & Salvandorum* paucitate.	50
V.	De *Præadamitis.*	59
VI.	De *Potu* Zelotypiæ.	73
VII.	De Canis *pretio.*	123
VIII.	De *Calculo* Albo.	167
IX.	De Surculo *in carne* Pauli.	184

LIBER II.

Exercit.		Pag.
I.	De *Mundi* Natali.	213
II.	De *Protoplaſtis.*	218
III.	De Typorum *V. T.* uſu & abuſu.	235
IV.	De *Creaturarum* bonitate.	303
V.	De *Horto* Hedenis, *Pars* Prior.	309
VI.	De *Fratricidio* Caini.	324
VII.	De Polygamiâ *V. Teſtamenti.*	349
VIII.	De *Iudâ* Iſcariote.	367
IX.	De *Veritatis Divinæ* Profeſſione.	397
X.	De Abnegatione *Fidei.*	408

LI-

LIBER III.

Exercit.		Pag.
I.	De *Hamane.*	423
II.	De *Virgâ* Apoſtolicâ.	448
III.	De *Hebræorum* כרת.	466
IV.	De *Angelorum* Creatione.	479
V.	De *Libri* Ęſtheræ *Divinitate.*	486
VI.	De *Eunuchis.*	494
VII.	De *Suſceptoribus.*	530
VIII.	De *Angelorum* Lapſu.	545
IX.	De Sadducæis & Phariſæis.	554
X.	De *Orationis* Efficaciâ & Loco.	572
XI.	De *Horto* Hedenis, *Pars* Poſterior.	594

LIBER IV.

Exercit.		Pag.
I.	De *Iure* Zelotarum.	609
II.	De Certitudine *fidei Divinæ.*	646
III.	De *Iejuniis* Religioſis.	658
IV.	De Mendicantibus *in Iſraële.*	682
V.	De Parabolis *Euangelicis.*	691
VI.	De *Publicanis.*	704
VII.	De Rationis *Humanæ* & Spiritus S. *Operationibus in Rebus* Spiritualibus.	718
VIII.	De *Regenitorum* Relapſibus.	733
IX.	De Felice & Druſillâ.	766
X.	De *Iuramenti* illegitimi *obligatione.*	781
XI.	De Loco *Nativitatis Chriſti.*	795

OTIO-

Digitized by Google

OTIORUM THEOLOGICORUM

LIBER I.

EXERCITATIO PRIMA DE PRIMO SCRIPTORE.

BREVIARIUM.

Diſquiſitionis occaſio. Henochi Liber *quo loco a multis Patribus habitus?* *Argumentum* ejus *primarium*. Henoch *cur* συζητητὴς *dictus*? Codex a Deo *Adamo* traditus *quis*? Muhammedanorum *de Librorum S. Scripturæ numero delirium.* *Patriarcharum* Præceptores *juxta Kabbaliſtas*. Sabbaitarum *ſecta unde*? Sethi *Columnæ*. Manethonis ϖροσωπογραφία. *Ejusdem ſpiſſus circa* Columnas *illas error.* Noachi, Hanochi, Abrahami, Guiljelmi Poſtelli *Libri.* *Duodecim Patriarcharum* Teſtamentum. *Talmudicorum de* Lege, bis mille annis ante Mundi creationem conditâ, *figmentum.* Græcorum *de Scriptorum ſuorum* Antiquitate *gloriatio vana.* Zoroaſtris *Volumen quale*? Hermæ

 Triſ-

Triſmegiſti πολυγραφία. Sibyllæ Perſicæ *vaticinatio.* Pherecydes Syrus *a Plinio laudatus. Liber* Jobi *a Moſe in Midian, juxta nonnullos, inventus. Omnium* primus *Scriptor ignotus. Quidam procul dubio* ante *MoſemLibri,ſed deperditi.* Hiſtoriarum *laus.* Moſes *inter Scriptores Canonicos omnium* Primus. *Prophetia* Henochi, *de quâ Judas, non* ἔγγραφος *ſed* ἄγραφος. Liber *tribui ei ſolitus non* γνήσιος *ſed* ὑποβολιμαῖος. *De* Autore *ejus Hottingeri conjectura. Quæ de Libro* Adami, Noachi, Hanochi, Sethi Columnis *referuntur, ad fabulas rejecta.* Joſephus *ſubleſtæ fidei Autor.* Zoroaſtres *quis qualiſve? Plureſne ejuſdem fuerint nominis? An ipſe fuerit Moſes?* Huetius *partim laudatus partim notatus.* Cecrops *primus* Athenienſium *Rex. Cur* Διφυὴς *dictus? Non fuit ipſe* Moſes. Pythagoras *quare, relictâ Græciâ, ad* Hebræos *ſeceſſerit?* Hermæ *vel* Hermetes *varii. Ægyptio unde* Triſmegiſti *nomen adhæſerit? De Scriptis ejus diſcors Eruditorum ſenſus. Libri ejus,* Poemandri *dicti, argumentum & ſcopus. Moſe* antiquior *non fuit, ſed recentior. Locus* Actor. 7. 22. *vindicatus.* Sibylla Perſica *an e Noë nata? Quo tempore vaticinata ſit? Longe* Moſe *poſterior fuit. Ut &* Pherecydes Syrus *juxta Euſebium. Moſes* & *Jobus an* σύγχρονοι: *Liber Jobi* poëticè *digeſtus. Quiſnam eju* Scriptor *fuerit incertum. Idem cum* Jobabo *non fuit. Neque dignitas ipſi* Regia *bene ab aliquibus adſcripta.*

Tertull. de Habit. mulier. cap. 4.

I. Occaſione Prophetiæ *Henochicæ*, quæ refertur in Epiſt. *Judæ* vers 14. diſceptatum nonnunquam eſt inter Eruditos, unde *Judas* habuerit illam Prophetiam, an per manus traditam, an ex Scripto aliquo ab *Henocho* exarato? Ac in varia eâ ſuper re iverunt Doctorum ſententiæ, quibusdam plane ἄγραφον, aliis ἔγγραφον eam fuiſſe aſſerentibus; iiſque, qui a *poſteriori* ſtabant parte, pertendentibus, Verbum Dei, dum Prophetiæ hujus, ut ἐγγράφου, mentionem facit, perſpicue ſatis innuere, non *Moſem*, ut creditum hactenus

Auguſt. de Civ. Dei lib. 15. cap. 20.

nus

nus fuit, ſed ipſum illum *Henochum* Primum omnium Scriptorem in mundo extitiſſe, quippe qui devixit modo, vel in Cælum potius raptus eſt, *Ao.* Mundi 987. cum *Moſes* anno ab Orbe condito 2493. ad meliores demum abierit.

Salian. Annal. V. T. Tom. 1. pag. 140.

II. Meminerunt Scripti hujus *Henochici* inter Patres quamplurimi: *Tertullianus*, *Irenæus*, *Cyprianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Juſtinus*, *Athanaſius*, *Athanagoras*, *Lactantius*, ac inprimis *Auguſtinus* pluribus locis: Inter alia ſic alicubi habet: *Scripſiſſe nonnulla divina* Henochum, *ſeptimum ab Adamo, negare non poſſumus, cum hoc in Epiſtolâ Judas Apoſtolus dicat.* Imò tanti Antiquorum quidam *Librum* hunc fecerunt, ut putidiſſimum inde errorem hauſerint, de Angelorum malorum cum filiabus hominum congreſſu, Gigantumque ex eo ortu. Ita *Tertullianus*, *Lactantius*, & ex parte etiam *Irenæus*, *Juſtinus Martyr*, *Clemens Alexandrinus*, aliique. Quare nec deſunt, qui Canonicum eum fuiſſe aſſertum iverunt, quos multis refutavit Cl. Rivetus. Argumentum ejus compendiario exhibet *Camerarius*, qui hunc in modum: *In quibus* (libris ſcil. Henochi) *vaticinia dicuntur fuiſſe, quæ Patriarcharum nepotibus eventura erant*; *de futuris Hebræorum ſceleribus & pœnis, de eorum everſione & captivitate, de mundi Salvatore ab Hebræis occidendo, de eorum perpetua inter Gentes diſperſione, & de Chriſto cum Angelis ad judicium venturo.* Addunt quidam celebre, de *geminis* totius terræ *cladibus* oraculum, tum per *inundationem* tum per *incendium* futuris. Imò ſunt, qui juſtum ſatis volumen *Propheiam* hanc fecêre, variis quippe linearum millibus conſtantem (aliqui 4082. numerant) eamque a *Noacho* in Arcâ ſuâ ſumptam & conſervatam fuiſſe, opinati ſunt; continuiſſe eam etiam multa Mathematica, atque inde Henochum Literatum, συζηλητὴν ut & Metatorem dictum eſſe. Origenes *Henochum* in libro ſuo ſic dicentem introducit: *Ambulaſſe ſe uſque ad* Imperfectum, *quod ipſe explicat, ambulaſſe mentem Prophetæ perſcrutantem & diſſerentem omnia, uſque quo ad illud principium perveniret, in quo imperfectam materiam abſque qualitatibus perviderit, tum omnes materiæ diviſiones, quæ ab unâ in ſingulas quaſque diruptæ ſunt ſpecies, id eſt hominum, vel animalium, vel Cæli, vel Solis, vel omnium, quæ in hoc mundo ſunt.*

August. de Civ. Dei lib. 15. cap. 23. & 18. cap. 38.
Draſ. Henoch. cap. 9. 11. 18. 19
Rivet. in Gen. Exerc. 49.
Camerar. Hor. Subciſ. Cent. 3. cap. 72.
Owen. de Natur. & Ort. Theol. lib. 2. cap. 5.
Sixt. Senenſ. Bibl. Tom. 1. lib. 2
Origen. in fin. lib. 4. de Princip.

III. Quin alii *Codicem* quendam, ſupernam complectentem Sapientiam, ipſi *Adamo*, Henocho multo anteriori, a Deo Razielis Angeli, Adami præceptoris, ope, traditum fuiſſe, arbitrati ſunt; illum vero dum efferre Paradiſo Protoplaſtes meditaretur, vix ei egreſſo ereptum rurſus, ac in Cælum ſubductum fuiſſe, mox ta-

men, ad *Adami* ſupplicationem, redditum, eâ conditione, ne oblivione periret a filiis hominum Sapientia ejus, ſed cum filiis poſteriſque ſuis communicaret. Ita quidam breviter. Qui plenius, quæ de *Dei* hoc *Libro* commenti olim ſunt tum Arabes tum Hebræorum Magiſtri, ediſſerere ſategêre, Hiſtoriam ſic enarrant: *Adamum*, cogitantem in ripâ fluminis, qui *Hedenis* Horto exibat, quibus ſemet ipſum peccatis ſuis orbaverat bonis, quantaſque incurrerat clades, voce, oculis, manuque ad Deum elevatis, malorum ſuorum quale quale remedium a Deo efflagitaſſe; tertioque, poſt orationem iſtam, die *Razielem* Angelum ad ipſum acceſſiſſe, Librumque ipſi, igni albo ſimilem, porrexiſſe, trahentem ad ſe nigredinem. Atque hoc mediante *Adamum* intelligere & ſcire tum omnia potuiſſe mirabilia, quæ facta erant, & facienda unquam eſſent. Omnia in Cælis, terris, aquis, abyſſis, Cælos, Angelos, miniſtros, virtutes, operaque omnia eorum. Adhæc motum Solis, Lunæ, Stellarum, ac naturas earum, omniumque rerum, quibus regitur mundus; per eumque poteſtatem eum accepiſſe ſuper quatuor partes Mundi, Cælorumque Angelos, eo quidem uſque, ut mitteret eos, quo liberet, ſicut ſervos ſuos Dominus; imperaret ventis nocentibus & Dæmonibus; juvaret, noceret, percuteret, ſanaret, ſolveret, ligaret; interpretaretur ſomnia, tonitrua, fulgura, viſiones; prædiceret futura in mundo quolibet puncto, qualibet horâ, die, ſeptimanâ, menſe, anno, luce, tenebris, de bono & malo, de vitâ & morte. Denique *Adamum* Setho, filio ſuo, Librum hunc tradidiſſe, poſt hunc vero ad *Henochum*, inde ad *Noachum*, ab hoc ad *Semum*, a Semo ad *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Iacobum*, *Levi*, *Kaath*, *Amram*, *Moſem*, *Joſuam*, *Seniores Prophetas*, *Sapientes*, tandem ad *Salomonem* perveniſſe; huncque virtute ejus Dei domum ſine ferri ſectione, operâ vermis Zamir, exſtruxiſſe, &c. Unde & ſua forſan hauſerunt *Muhammedani*, dum dicunt: Sacræ Scripturæ Libros *Centum & quatuor* fuiſſe, eorumque aliquos ad *Iſa* ſive Jeſum, *Euangelium* nempe, *Pſalmos* ad Davidem, *Legem* ad Moſem, *Alkoranum* ad Muhammedem, ante Moſem vero *decem* ad Abrahamum, *triginta* ad Henochum, *quinquaginta* ad Sethum, *decem* ad ipſum Adamum miſſos fuiſſe. Imò dicunt *Kibbaliſtæ*, Patriarcharum quemque, ab *Adamo* uſque ad *Moſem* Angelum unum præceptorem habuiſſe, Adamum, *Razielem*, Semum *Jethielem*, Abrahamum *Zedechielem*, Iſaacum *Raphaelem*, Jacobum *Pelielem*, Joſephum *Gabrielem*, Moſem *Metatronem*, Eliam *Malushielem*, ac eorum pleroſque quædam ætatis ſuæ geſta conſcripſiſſe: atque inde *Sabbaitarum* ſectam tandem ortam eſſe.

IV. *Jo-*

Gregorius Michael in Gaffarell. p. 488. ex Kirchero & Libavio.

Hoornbeck Syll. Controverſ. lib. 3 pag. 109.

Digitized by Google

IV. *Joſephus*, ut notum eſt, duas etiam *Columnas* invexit, latericiam *unam*, lapideam alteram, *Sethi* modo ejuſque Filiorum tempore erectas (quam erectionem *Henocho* præprimis tribuit *Salmuthus*, ſed ἄτερ γραφῆς) quibus artes plurimas ac diſciplinas, ut ab interitu vindicarentur, inſcriptas fuiſſe, refert, librorum loco procul dubio a terrigenis tum habitis. Confudit (quod obiter monendum) olim Columnas haſce *Manetho* apud *Euſebium* (homo, juxta Iſaacum Voſſium & Baillium, mendaciſſimus & vaniſſimus, &, juxta Syncellum, *impurorum Sacrorum Pontifex, qui multa mentitus eſt de Diis, qui nunquam extiterunt*) cum *Columnis Mercurii*, quæ ad hocuſque tempus, teſte eodem *Joſepho*, in Sirido *monte* aſſervantur; ſed confudit, inquam, non confundenda: *Seres* enim Æthiopica Gens eſt, & *Ser* fluvius Inſulam *Seriam* in mari *Rubro* efficiens, & *Seres* oppidum in vicinia *Ægypti*. At quis crediderit, *Sethum* aut Sethi filios ipſius modo tempore in *Æthiopiam* penetraſſe, cum credibile ſit, ante *Diluvium* ne quenquam quidem ipſiſſimæ *Aſia* regione exceſſiſſe? Ne verbum addam de *Noachi* & *Hanochi* Libris, a *Guiljelmo Poſtello* fabricatis; de *Abrahami* Libro, cujus meminit *Philo*, a *Johanne Rittangelio* ex Hebræo in Latinum verſo; de XII. *Patriarcharum* famoſiſſimo *Teſtamento*; de inſubido *Talmudicorum* commento, quo Legem Dei *duobus* annorum *millibus* ante ipſam mundi creationem conditam eſſe, aſſertum voluêre; deque pluribus aliis. Quæ omnia ut ut delirantis cerebri ſomnia ſint, ſatis tamen evincunt, inventores vel fictores eorum, non *Moſem*, ſed vel *Henochum*, vel ipſiſſimum Deum, vel alium quempiam, ut *Scriptorem* omnium *primum* agnoviſſe & ſuſpexiſſe.

Joſephus Antiqq. lib. 1. cap. 3.
Salmuth. ad Panciroll. lib. 2. tit. 23.
Syncellus Chronograph. pag. 19.
Voſſius de Ætat. Mund.
Baillius Chron. lib. 1. cap. 4.
Galatin. de Arcan. Cathol. Verit. lib. 7. cap. 1.

V. Et quid non *Græcia mendax* de Scriptorum ſuorum *vetuſtate* gloriata ſemper eſt? ſequentibus eos, imo multum ferè ſuperantibus *Ægyptiis* (quos profligatos dedit laudatus mox *Auguſtinus*) qui centum millium annorum antiquitatem ſcientiæ ſuæ, eoque & Scriptorum ſuorum, jactitarunt. Reducentes eo præprimis magicum illud *Zoroaſtris* volumen, monſtroſum ſane & ridiculum, cui nomen *Similitudinis*, quod, uti volunt, 12060. pellibus bovillis auro circumcinctum conſtitit. Qui quidem *Zoroaſtres*, ſi Chamus *Noachi* filius fuit, ut quidam voluêre, *Moſem* procul dubio ſcribendo etiam anteceſſit.

Auguſtin. lib. 18. cap. 29. de Civ. Dei.
Kircherus Obel. Pamphil. cap. 2.

VI. De *Hermete Triſmegiſto* multi etiam multa, quem πολυγραφώτατον fuiſſe omnes Pagani clamant; ſcripſit quippe, ut aiunt, Aſtronomica, Phyſica, Medica, Chymica, & neſcio quæ non; adeo ut

Caſaubon. Contr. Baron. Exerc. 1. pag. m. 75

 ut

Clem. Alexand. Stromat. lib. 6.
Candall. in Præf. ad Cæſar Maximilian.
Plato in Phædr.
Simſon. Chron. Cathol. p. 1. pag. 54.

ut viginti quinque millia, vel, juxta alios, triginta ſex millia, quingenta & viginti quinque volumina in lucem emiſerit; quos *Clemens* tamen *Alexandrinus* ad numerum *quadraginta duorum* reduxit. Imo litterarum ſcientiarumque omnium inventio ad ipſum relata ab aliquibus eſt; nonnullis inſuper *Moſem* eum ſcribendo præceſſiſſe non tantum aſſerentibus, ſed & Virum illum Dei, *eruditus* cum in Scripturâ dicatur *in omni Ægyptiorum ſcientiâ*, ex *Hermetis* hujus ſcriptis eruditionem ſuam magnam partem hauſiſſe, quin haud pauca ejusdem cogitata *Pentateuchi* ſui libris inſeruiſſe. Ne de *Sibylla Perſicâ* addam, (alii vocant *Babylonicam*, *Chaldæam*, *Ægyptiam*, quidam etiam *Hebræam*) quam e *Noe* natam fuiſſe, non multo poſt Diluvium vixiſſe, ac de *Chriſto* Servatore vaticinatam quædam eſſe, ſcriptoque ad Poſteros transmiſiſſe, nonnullorum opinio hactenus fuit. Ut neque de *Pherecide Syro*, cujus meminit *Plinius*, quemque *primum* proſam orationem condidiſſe aſſerit, adeoque & ipſum *Moſem* ſcriptione anteceſſiſſe. Atque ita quidem Judæi & Gentiles. Inter ipſos Chriſtianos *Origenes*, ſive quisquis ſit, qui ſub ejus nomine Tractatum de Hiſtoriâ *Iobi* publicum fecit, notare aliquid videtur, quod ſi verum ſit, conſequi certè oportet, etiam ipſam illam Hiſtoriam ſcriptis Moſaicis vetuſtiorem eſſe. Narrat enim dictus Autor, *Moſem Iobi* illum Librum (præſupponit igitur eum tum ſcriptum modo fuiſſe) apud *Iethro* ſocerum ſuum in terrâ *Midian* reperiſſe, eumque ſecum ad filios Iſraël in Ægyptum transtuliſſe, ut pientiſſimi & patientiſſimi Viri illius exemplo muniti, Pharaonicas oppreſſiones ferre patientius diſcerent, ejusque feliciſſimo e calamitatibus ſuis egreſſu, in fide, impetrandæ tandem etiam liberationis, gratioſe confirmarentur. Neque ſolus ita *Origenes*, digitum ei, juxta cum aliis, attollere etiam videtur *Petrus Daniel Huetius* in elaboratiſſimo Opere de *Demonſtratione Euangelicâ*, dum infit: *Ad tolerandas igitur diuturnæ ſervitutis miſerias & meliora a Deo petenda & ſperanda, propoſito* Jobi *exemplo inſtituere ipſos* [Iſraëlitas] *Moſes voluit*. Supponere, qui ſic ſentiunt videntur, *Iobum* eundem cum *Iobabo* fuiſſe, de quo Geneſ. 36. cap. verſ. 33. Filio *Serah*, Raguelis ex Eſavi Filiâ Baſmath nati, nepote, Rege Edomæorum: Quod negant tamen *R. Abraham*, *Coccejus*, *Spanhemius*, aliique.

Orig. in Job. lib. 1.
Pſeudo-Clem. de Recogn. lib. 4.
Huet. Demonſt. Euang. tom. 1. p.m. 129. 130. 139. 322.
Spanh. Hiſt. Job. cap. 5.
Freidlib. in lib. Job. Claſſ. 8.
Coccej. in Job. cap. 1. §. 5.

VII. At quis dixerit certò, quisnam omnium *Primus* Scriptor vel ſacer vel profanus fuerit. Neque enim S. Pagina, neque Autorum fide dignorum monumenta, nec denique ipſorum librorum tituli & argumenta demonſtrare id unquam potuêre.

Ta-

Tametſi haudquaquam veroſimile ſit, univerſo illo tempore, quod *Moſis* anteceſſit ætatem, id eſt, ab Origine Mundi, totis 2300., vel, ut alii volunt, 2400. præter propter annis, nullos plane libros librorumque Scriptores extitiſſe. Ad rem Auguſtinus: *Verum, quod fatendum eſt* (inquit) *non quidem in Græciâ ſed in Barbaris Gentibus, ſicut in Ægypto, jam fuerat* ante Moyſem *nonnulla doctrina, quæ illorum ſapientia diceretur, alioquin non ſcriptum eſſet in Libris Sanctis*, Moyſem eruditum fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum, *tunc utique quando ibi natus & a filia Pharaonis adoptatus atque nutritus liberaliter etiam educatus eſt*. Quum enim & tum modo ſatis fuerint homines ingenioſi, ſatis labilitatis memoriæ conſcii, ſatis ad res poſteritate dignas attenti, credibile non eſt, omnem eos ſcriptionem tam turpiter neglexiſſe; minime Hiſtoricam, *temporis* (ut loquitur Cicero) *teſtem, veritatis lucem, memoriæ vitam, vitæ magiſtram*; quaque deſtituti, *ut ut vivere*, vix tamen *ſapere* homines dicendi ſunt. *Neſcire enim*, juxta eundem Ciceronem, *quid antequam natus ſis acciderit, eſt ſemper eſſe puerum.* Neque latuit id procul dubio homines etiam *ante-moſaicos*, niſi vel fungos eos dixeris vel ſtipites. Saltem nullo non ævo inter moratiores populos inventi ſunt, qui quicquid Religionis pietatiſque forſan reſpectu, neglexerint, res tamen ante geſtas litteris conſignari, eâque viâ ad poſteros transmitti, non utile tantum, ſed & neceſſarium eſſe judicarunt: haud neſcientes, Hiſtoriarum quotquot extant, libros præteritarum rerum monumenta continere, in iiſque brevi temporis ſpatio plus videri ac cognoſci poſſe, quam multæ hominum ætates ordine queant percipere. Quin & hinc dubio procul derivandum eſt, quod nullus non vir cordatus temporum quorumcunq; Annales ſingulari ſemper in pretio habuerit, effuſiſſimo ſemper deſiderio flagrâs.

Auguſt. de Civ. Dei, lib. 18. cap. 37.
Act. 7. 22.
Cicer. in Orat. lib. 2.
Id. ad Brut.

Ut legat Hiſtorias, *Autores noverit omnes,*
Tanquam ungues digitoſque ſuos.

Juvenal. Satyr. 7.

Tanti hinc *Demoſthenis* Thucydides, ut octies propriâ manu eum deſcripſerit. Tanti *Alexandro* Homerus, Trojani Belli Scriptor, ut per eum de rebus humanis omnibus, velut per terreſtre quoddam oraculum, ſapienter moneri ſe poſſe, perſuaſiſſimus eſſet. Taceo *Ahaſuerum*, qui, cum nocte dormire non poſſet, prælegi ſibi Regni ſui Commentarios curavit, qui tantam præſtitêre ipſi utilitatem, ut cognitione eorum tempeſtivâ funeſtam Populi Judaici ſtragem, ab impio *Hamane* intentatam, feliciſſimè averruncârit.

VIII. Tenendum nihilominus, utcunque definitu arduum ſit, quiſnam præciſe *Primus* ſcripſerit, eorum tamen Scriptorum, qui adhuc

huc ſunt, hominumque manibus teruntur, ſpeciatim qui pro Divinis & Canonicis habendi ſunt, *Primum* principemque Θεάνδρον *Moſem* fuiſſe, juxta illud Poëtæ,

> Moſes *erat* primus, *qui ſacra oracula Cæli,*
> *Humanis oculis conſpicienda dedit.*

Non enim dubitandum eſt, utut fuiſſe etiam ſcripta quædam *Ante-moſaica* concedatur, quin temporum injuriâ duriſque rerum revolutionibus omnia illa interciderint. De Chriſto Servatore, cum Emaunticis deambulante, exertim refert *Lucas*, quod comites ſuos ὀλιγοπίστους non perſtrinxerit tantum ob pudendam ſuam, quam prodebant, tum ignorantiam tum incredulitatem, ſed & *in omnibus Scripturis interpretatus illis ſit, quæ de ſe erant, incipiens* (N B.) *a Moſe & omnibus Prophetis.* Quodſi vero *Moſe* antiquior tum Scriptor quis fuerit, quis non videt, non a *Moſe*, ſed a vetuſtiore illo, ἑρμηνείαν ſuam incipere Jeſum debuiſſe? Conſentit inter Antiquos *Evagrius Scholaſticus*: Μωσέως μὲν ἄρξαντος ἱστορίας καὶ συγγραφῆς, ὡς τοῖς περὶ τούτων σαφῶς ἀποδέδεικται, τὰ ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἀληθῶς γράψαντες, ἐξ ὧν ἐντυγχάνων τῷ Θεῷ μεμάθηκεν ἀνὰ τὸ Σινὰ ὄρος. *Moſes enim, qui* primus Hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt, *ſicut ab illis, qui ejuſmodi res collegerunt, certiſſime demonſtratum eſt, res ab ipſo mundi exordio geſtas veriſſime conſcripſit, ſicut a Deo didicerat, quocum in monte Sinai fuerat collocutus.* Nec non *Juſtinus* Martyr haud uno loco: *Apolog.* II. *pag. m.* 89. inquit: Μωσῆς ὁ προφήτης, ὡς προέφημεν, πρεσβύτερος ἦν πάντων συγγραφέων. *Moſes Propheta, ſicuti antea indicavimus, ſcriptoribus omnibus fuit vetuſtior.* Et *pag.* 92. Ἀκούσατε τῶν αὐτολέξει εἰρημένων διὰ Μωσέως τοῦ προδεδηλωμένου πρώτου προφήτου καὶ πρεσβυτέρου ἐν Ἕλλησι συγγραφέων. *Audite verba ipſa, prout concepta ſunt* Primi, *ut diximus*, Prophetæ, & omnibus Græcis ſcriptoribus vetuſtioris *Moſis.* Ex Recentioribus, ut innumeros alios mittam Eruditiſſimus Cunæus, cujus hæc verba ſunt: *Ante* Moſis *tempeſtatem ſcripta jura non agnovit Orbis. Etſi enim antea profecto haud plane ſine legibus gens hominum agitaverit, tamen neque publicis tabulis ea, neque ullis monumentis erant conſecrata.*

Evagr. Eccleſ. Hiſtor. lib. 5. cap. 24.

Juſtinus Mart. Apol. II. pag. m. 89. Et Adhort ad Græc. pag. 32.

Cunæus de Rep. Hebr. lib. 1. cap. 1.

IX. Neque in contrarium facit quod de *Henochi* Prophetiâ adduci ſupra diximus, cum nullo cogente argumento demonſtrari poſſit, *ſcriptam* eam potius quam *traditione acceptam* poſteriſque exhibitam fuiſſe. Simpliciter dicit Judas: προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος

Owenus Tract. Citat. lib. 2. cap. 3.

Gomarus in Prœloq. ad Ep. Judæ.

ἀπὸ

ἀπὸ Ἀδαμ Ἐνωχ. *Prophetavit ab his ſeptimus ab Adamo Henochus.* Non dicit *ſcripſit*, ut liberaliter nimis ſumit, non probat *Auguſtinus*, loco antea citato. *Judas* itaque, in ſcribendâ ſuâ Epiſtolâ a Spiritu S. ductus, potuit facile per ejuſdem Spiritus revelationem in notitiam hujus *Prophetiæ* perveniſſe, utut ſcripto illa relicta non eſſet; ſicut M*oſem* omnia dicta & facta, quæ tempora ſua anteceſſerunt, eâdem viâ accepiſſe, neceſſe fuit. Fugere etiam vix quenquam poteſt; *Henochi* hunc librum, Patrum nonnullis tam impenſe celebratum, jam dudum Viris doctiſſimis plane ἀποβολιμαῖον & νοθευόντα habitum fuiſſe; neque a pio *Henocho*, ſed ab impoſtore quodam & Kabbaliſta vel Judæo vel pſeudo-Chriſtiano eſſe compilatum. Ariolatus eſt Cl. *D. Hottingerus*, autorem ejus fuiſſe Judæum quendam, non ἑβραΐζοντα ſed ἑλληνίζοντα; quam conjecturam ex eo refert Clar. d. Heideggerus. Iterum *Cunæus*: *Atque hæc res* (inquit) *quoſdam nugatores excitavit, qui ſtultâ perſuaſione ſiderati ſperavêre, ſe poſſe ſeræ poſteritati illudere, quippe inglorio ſtudio & jejunâ operâ Librum olim in vulgus extruſerunt, quem ipſi, ſi Deo placeat, ab* Enocho *ſcriptum eſſe, ajebant.*

Druſ. Henoch. cap. 18, 19, 20.

Heidegger Hiſtor. Patriarch. p. 1. Exercit. 20.

Cunæus Tract. Cit. lib. 3. cap. 1.

X. Et quid Liber *Adami*, *Angelorum*, qui Patriarcharum Præceptores habiti, *Scripta*, *Henochi* Codex, XII. *Patriarcharum Teſtamentum*, Lex Dei duorum annorum millibus ante Mundum condita, *Sethi* denique *Columnæ* huc faciunt? cum omnia chimerica plane ſint, quæ referri de iis ſolent, Scripturis non tantum, ſed omnibus etiam probatorum autorum teſtimoniis & calculis deſtituta. De *Sethi* Columnis unus tantum loquitur *Ioſephus*, cujus teſtimonium a paucis, qui fœnum in cornu habent, receptum eſt, a pluribus exploſum. Eò magis, quod Autor *Ioſephus* ſit, utut magni nominis, ſubleſtæ tamen in multis fidei. Cujus, præter ea, quæ alibi de eo obſervavi, unicum hoc ſpecimen tantum habe, omni exceptione *majus*: Videns *Ioſephus*, Imperatores *Romanorum* Idolorum cultui deditos eſſe, aſſerere non dubitavit, in Lege Moſaicâ vetitum eſſe, ne fictis iſtiuſmodi Diis detraheretur, locumque Moſis, Exod. 22.8. eò trahere: Βλασφημείτω (inquit) μηδεὶς θεοὺς, οὓς πόλεις ἄλλαι νομίζουσι; Et, Μὴ συλᾶν ἱερὰ ξενικὰ, μηδ᾽ ἂν ἐπωνομασμένον ᾖ τινι θεῷ κειμήλιον λαμβάνειν. At hoccine mandavit ullibi Deus! imo an non plane oppoſitum ejus mandavit? Cujus ergo verba hæc ſunt, C*ave*, *ne pangas fœdus cum habitatore illius Terræ, ad quam venturus es, ut non ſit in laqueum*

Selden. de Succeſſion. cap. 24.

Diſſert. de Jur. Zelot. pag. 217.

Joſeph. Antiq. lib. 4. cap. ult. Et c. Apion.

quem in medio tui. Sed altaria eorum demolimini, & ſtatuas eorum frangitote, ac lucos eorum ſuccidutote? Imò quid ipſe *Deus* DIS Ægyptiis fecit? quid *Dagoni* Philiſtæorum? quid Labani & Sichemorum diis *Iacob?* hoſne liquefactos ſubter terebinthum effudit? Et quid *Moſes?* anne Apim Ægyptium communuit, in pulverem redegit, & epotum, teſte *Hieronymo*, in ſeceſſum ejecit? Et idne eſt nolle, *ne quis Gentilium ſacra depradetur, neque capiat dona Idolo alicui conſecrata*, ut obtendit *Ioſephus*? quam procul hæc a vero non abeunt? Quare non immerito in eum Scriptor quidam celebris: *Veritus eſt* Joſephus, *ne, ſi fidelem ageret Hiſtoricum*, amicus Cæſaris *non eſſet.* Bene Cl. Heideggerus: *Affirmat* Joſephus, *Sethitas duas Columnas, alteram latericiam lapideam alteram, machinatos eſſe, iiſque arcana matheſios conſignaſſe, quo fidelius tutiuſque ad poſteros propagarentur. Verum id totum ego licentius crediderim confictum eſſe, cum nec Scriptura nec alius cujusvis idonei Authoris fide ſubnitatur. Nam quod Columnam ſuo adhuc tempore viſi* (viſam) κατὰ τὴν Συρίαδα *in Syria ſcribit, ut ita omnino habeat, quis praſtabit, eam a Sethis adornatam eſſe?*

Salian. Annal. V. Teſt. tom. 2. in Præfat.
Heidegger. Tract. Cit. pag. 315.

XI. *Zoroaſtres* etiam *Chamus*, Noachi filius, non fuit, ut quidam, hypotheſi ſuæ tantum ſervientes, pertendêre; *tum* quod *Bactrianorum* Rex vulgò habeatur; at quid hoc ad *Chamum*, cui *Bactriana* non obtigit, ſed *Africa* portio, a *Bactris* certè remotiſſima; *tum* quod diu poſt Trojana tempora vixerit. Quinimò determinatu non tantum difficile, ſed & plane impoſſibile eſt, quis qualis, cujasve *Zoroaſtres* hic fuerit; an Chaldæus, an Bactrianus, a Nino (*Iuſtino* teſte) devictus, an Pamphilius, an Armenius, an Perſo-Medus, an Proconneſus, an alius. *Primum* ex eo *Magum* fecit *Plinius*, & neſcio quæ non de eo narrat, ſat ſane confidenter, de homine, qui tam dubiæ conditionis fuit. Binos *Zoroaſtres* fecit *Arnobius*: *Age* (inquit) *nunc veniat, qui ſuper igneam Zonam Magus, interiore ab orbe* Zoroaſtres (*Hermippo ut aſſentiamur Autori*) *Bactrianus & ille conveniat, cujus* Cteſias *res geſtas hiſtoriarum exponit in primo.* Hic Diodoro *Oxygartes* dicitur. Imo vero ſententiarum de celebri hoc Viro divortia tanti eſſe *Huetio* apparet, ut non pronunciet ſolum, omnia *falſa eſſe, qua de ejus atate, Nativitatis loco, univerſâ denique perſonâ ſcripta ſunt, fucoque circumlitam veritatem, ſed & ipſum Moſem* ex eo faciat. *Ex hac* (ait) *ſententiarum fluctuatione id colligo, ſuppoſititiam eſſe* Zoroaſtris *perſonam, cui etſi vera ſubeſt* Moſis *perſona, falſa tamen ipſa & tota figmentis conſuta, de quâ nihil*

Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 2.
Bochart. Geograph. Sacr. lib. 4. cap. 1.
Hieronym. in Hoſ. 2.
Diodor. Biblioth. lib. 2.
Plin. lib. 7. cap. 5. 6.
Arnob. Gentes. lib. 1.
Diodor. lib. 2. pag. 66.
Huet. de Monſtr. Euangel. Tom. 1. pag. 129, 130, 139, 134. 135.

Digitized by Google

nihil certi cognitum eſt, *aut* litteris *proditum*. Et poſtea: *Nunc*, *cum ex hac diſſertatione clariſſimè pateat*, Zoroaſtrem *ipſum eſſe* Moſem, *&* *vetuſtiſſima* P*erſarum religionis fontem eſſe* Moſaicam legem, *Moſis certe antiquitas luculenter mihi videtur demonſtrata*; Imò omnia ſcripta, *Zoroaſtri* hactenus tributa, pro plane ſuppoſititiis habet: *Redeamus* (inquit) *ad* Zoroaſtrem, *ex cujus famâ & exiſtimatione eorum provenit fallacia*, *qui ſub ejus nomine Oracula quædam magica, Græcè ſcripta, incautis obtruſerunt. Edita illa ſunt cum* P*ſelli &* P*lethonis Scholiis*; *ſed ſi nares admoveris, fraus ſubolebit.* In ſpecie inſinceri ipſi ſunt *Oraculorum* libri, quos *Craſi* temporibus extitiſſe narrant; Libri, quos *Chaldaicè* ſcriptos & *Chaldaicis commentariis* illuſtratos *Iohannem* P*icum* ferunt habuiſſe. Inſincera ejus *Apocalypſis*; inſincerus Liber *Zend*; inſinceri denique *Libri*, quos *Hermippus*, teſte Plinio, ducentis verſuum millibus conſtantes, indicibus etiam poſitis, explanavit. Hactenus *Huetius*. *Marsham. Canon. Chron. ad Sec. IX. p. m 144.145*

XII. Quæ omnia, utut Moſaicæ ſcriptionis antiquitati aſſerendæ probe videantur inſervire, an æque tamen ſolidè a Viro Docto diducta ſint, eſt fere quod dubitem. Saltem hæc mihi conſequentia conſtare haud benè videtur: Non liquet, quis qualiſve fuerit *Zoroaſtres*, ergo fuit *ipſe Moſes*; quin dixerim potius, eam ipſam ob cauſam, quod haud bene conſtet, quis, qualive *Zoroaſtres* fuerit; nequaquam conſtare, quod M*oſes* fuerit, cum quis qualiſve Hic fuerit, bene ſatis conſtet. Qualis qualis, quam *Zoroaſtrem* inter & *Moſem* convenientiam adducit, aliquam forſan probabilitatem quidem infert, nullam tamen *ἀπόδειξιν*. Totus in eo Scriptor hic eruditus eſſe videtur, *tum* ut omnium pene Gentilium Deos & Deaſtros, *E. G: Mercurium, Bochum, Apidem*, *Anubin*, *Vulcanum*, *Typhonem, Adonidem*, P*riapum*, *Æſculapium*, & neſcio quos non, M*oſem* fuiſſe oſtendat; *tum* ut ex plurimis eorum Doctoribus & Prophetis, *Ariſtæo*, M*uſæo*, *Orpheo*, *Lino*, *Amphione*, *Tireſia*, *Eumolpo*, adeoque, ut hic, etiam ex *Zoroaſtre* eundem M*oſem* cudat. Quem in finem infando quidem labore plurima non ubivis obvia, & virum inexhauſtæ lectionis indicantia, conglomerat, ſed haud talia paſſim, ut ipſemet hic illic non diffitetur, quæ *apodictica* ſunt, ſed ad ſummum tantum *dialectica*. Quâ ratione an intentioni ſuæ, alias piiſſimæ, quæ eſt Atheos, Libertinos, alioſque Sacroſancti Codicis oppugnatores confutare & confundere, omnino ſatisfaciat, naſutiores judicent. Videtur ſaltem multo fructuoſius uno argumento verè demonſtrativo convinci & refelli

 felli

Digitized by Google

felli eos poſſe, quam innumeris levium, nimiumque ſæpe intortarum conjecturarum millibus. Ipſe celebris Autor in Operis ſui *Præfatione* dixit, *Tali ſe Religionis Chriſtianæ Veritatem adſtructurum eſſe viâ, quæ hoc conſtet demonſtrationis genere, quod non minus certum ſit, quam demonſtratio quævis Geometrica:* quò certe rationes hæ, pro *Zoroaſtre* ipſo *Moſe*, non videntur referendæ.

Huet. in Præf. pag. 4.

XIII. Alios Gentiles, ſpeciatim Græcos, quod attinet (ne dicam ſuſpecta fere eſſe Græcorum teſtimonia, hinc enim *Græca Fides*, & in eos Cicero, *quemcunque ut optime Græce sciret, ita eſſe nequiſſimum*) conſtare etiam ex variorum lucubrationibus poteſt, quicquid de Scriptorum ſuorum antiquitate gloriari paſſim ſoleant, *Moſem* tamen etiam vetuſtiſſimis eorum longe *priorem* eſſe: nempe *Thalete* non tantum & *Pythagora* (ſi is litteris quicquam prodiderit, de quo alibi) ſed *Homero* etiam & *Heſiodo*, qui poſt *Trojæ* excidium ſub tempora *Judicum* referri ſolent, quin & antiquiſſimis eorum Prophetis & Poëtis (hos enim eodem loco habent) *Orpheo*, *Lino* & *Muſæo*, qui circa Trojana tempora floruerunt. *Euſebius Pamphilus:* Εὕροις ἂν κατὰ μὲν Ἑβραίους Μωσέα κατὰ δὲ Ἕλληνας Κέκροπα τὸν γηγενῆ συγχρόνους. Καθώπερ δὲ τὸ Κέκροπος ἱστορεῖται χρόνων τὰ παρ᾽ Ἕλλησι θαυμαζόμενα. Γίνεται μετὰ Κέκροπα ὁ κατὰ Δευκαλίωνα κατακλυσμὸς, καὶ ἡ ἐπὶ Φαέτοντος ἐκπύρωσις, Ἐριχθονίου τε γένεσις, Κόρης τε ἁρπαγή, καὶ Δήμητρος μυστήρια, Ἐλευσινίων ἵδρυσις, Τριπτολέμου γεωργία, Εὐρώπης ἀπὸ Διὸς ἁρπαγὴ, τούτων δὲ ἁπάντων πρεσβύτερος γεγονὼς συνίσταται Μωσῆς, ὡς ἂν κατὰ Κέκροπα τὴν ἡλικίαν ἀκμάσας. Id eſt, *Apud Hebræos quidem* Moſes *apud Græcos vero* Cecrops *coævi ſunt* (*Meropem* dicunt *Arnobius* & *Clemens Alexandrinus*, ſed pro eo recte *Scaliger* ex *Euſebio* ſubſtituit *Cecropem*; nullibi enim notus *Merops*: loquitur quidem de *Merope* in Faſtis *Ovidius*, at hæc vir non fuit, ſed fæmina, una filiarum Atlantis, ex Pleione Nymphâ) *Omnia autem, quæ apud Græcos mirabilia narrantur poſt Cecropem fuiſſe conſtat: Nam Deucalionis Diluvium, Phaëtontis incendium, nativitas Erigtonii, Proſerpinæ raptus, Cereris myſteria, Eleuſinorum conſtitutio, Triptolemi ſatio, &c. poſt* Cecropem *fuerunt. Quare omnibus* multo vetuſtiorem Moſem *fuiſſe, comprobatum eſt.*

Tatian. Orat. c. Græc. in Biblioth. P. P. tom. 8. pag. m. 66.
Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 7. & Præpar. Euangel. lib. 10. cap. 9.
Arnob. c. Gent. lib. 6.
Clemens Alexandr. in Exhort. ad Gent.
Ovid. Faſt. 4.

XIV. Fuit vero hic *Cecrops* (ſciri enim hoc refert) juxta nonnullos Rex *Cretæ*; juxta Poëtam.

Cum

Digitized by Google

Cum Dominum Cecropem Regem tenet Inſula Creta. *Alexand. ab Alexand Gen. D. lib. 1. cap. 2.*

Juxta alios (quod verius) primus *Athenienſium* Rex, a quo omnes *Attici* Reges *Cecropidæ* poſtea nominati ſunt. Rurſus *Euſebius*: οἱ δὲ οὖν μετ' Ὤγυγον, καὶ τὸν κατακλυσμὸν βασιλεῦς εἴσιν, οἱ δὲ πρῶτος Διφυής. *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 1* Primus dicitur matrimonium inſtituiſſe, atque inde nominatus Διφυὴς, quod virum fœminæ junxerit. *Athenæus*: Ἐν δὲ Ἀθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἑνὶ ἔζευξεν, ἀνέδην τὸ πρότερον οὐσῶν τῶν συνόδων, διὸ καὶ ἔδοξέ τισι Διφυὴς ὀνομασθῆναι. *Athenæ. lib. 13. pag. 555.* Cecrops *Primus Athenis unam fœminam uni viro junxit, cum antea promiſcue congrederentur; quare & Διφυὴς* dictus eſt. Et *Juſtinus*: Ante *Deucalionis tempora Regem habuêre* (Athenæ) Cecropem, *quem, ut omnis fabuloſa eſt antiquitas, biformen tradidêre, quia primus marem fœminæ junxit:* *Juſtin. Hiſt. lib. 2.* licet alii alias cognominis hujus rationes reddant, ut mox dicetur. Regnaſſe dicitur 50. annis ab Anno 35. *Moſis*, qui fuit a mundi Origine 2498. ante Chriſtum natum 1556. *Gotfrid. Viterbienſ. Chronic. part. 4.* Ex quo ergo eſt liquidò conſtat, cum *Moſe* rationes allegantibus: ut *Euſebius* dixit, revera *poſteriorem* fuiſſe. Niſi dicere cum Viris quibuſdam doctiſſimis malis, cum *ipſiſſimum* fuiſſe *Moſem*, haſce pro opinione ſuâ: 1. Quod, ut idem *Euſebius*, ætas, nec non Patria utriuſque videantur convenire. Tametſi enim ſint, qui Atticum fecêre *Cecropem*, forſan quod Athenienſium rex eſſet, revera tamen non minus quam *Moſem*, Ægyptium eum fuiſſe dicunt. *Suidas*: Κέκροψ Αἰγύπτιος ὢν τὸ γένος, ᾤκησε τὰς Ἀθήνας. Et alibi: Διὰ τὸ ἀπὸ Αἰγύπτου γένεος, καὶ εἰς Ἑλλάδα ἐλθεῖν καὶ βασιλεῦσαι, *Suid. in Voce* Κεκροψ & Προμηθ. *quod ex Ægypto oriundus venit, & regnavit in Græciâ.* Quare & *luti* nomine eſt inſignitus, a *lutoſò* Ægypto:

Te præſide noſcat,
Unde paludoſi fœcunda licentia Nili;
Cur vada deſidant, & ripa coërceat undas
Cecropio *ſtagnata* luto. *Sylv. lib. 3. in Propempt.*

2. Quod *Cecrops* Vulcano, ignis Præſide, ortus, in eoque haud diſſimilis *Moſi* fuerit, propter rubi & Sinai montis

 ignes

Digitized by Google

Marſham. Canon. Chron. ad Secul. VIII. pag. m. 111.

ignes. 3. Quod *Cecrops* δίμορφος καὶ δίχερος fuerit, ita dictus, *vel* (ut mox) ob conjugii primam inſtitutionem, *vel* quod ex bono Rege poſtea ferox factus ſit, *vel*, ut quidam, quod ἀνδρόγυνος fuerit, *vel* ob corporis proceritatem, quod aliis viris duplo longior eſſet, *vel* quod hominis pariter ac ſerpentis ſive Draconis formam retulerit. *Ariſtophanes:*

Ariſtoph. in Veſpis.

Ὦ Κέκροψ ἥρως ἄναξ τὰ πρὸς ποδῶν δρακοντίδη.

Vel, juxta Diodorum, quod *Politiæ* duplicis *Græcæ & Barbaræ Municeps eſſet:* hoc ſenſu partem *beſtiæ* habens, partem *hominis:* pariterque *Moſi* ſexus uterque tributus, ac bicolor ſub perſonâ *Mercurii* pictus a Gentilibus ſit; cumque Virgam, quæ divinâ vi in Serpentem coram Ægyptiis mutata fuerat, geſtaret, & Serpentem æneum, ad curandos Serpentum morſus in deſertis *Arabiæ* propoſuiſſet, in fabulam id torſerint mendaces Græci, adeoque & hunc *inferiori* parte Serpentem, *ſuperiori* hominem fuiſſe, commenti ſint. 4. Quod duas calluerit linguas *Cecrops*, Græcam & Ægyptiam, *Moſes* Ægyptiam & Hebraicam. Denique quòd *Cecrops* primus bovem Jovi immolârit, *Moſes* vitulum aureum primus confregerit, ſacrificiorum ſaltem legitimos ritus Iſraëlitas *Primus* docuerit. De oblatâ Jovi *victimâ* per *Cecropem* diſſentit tamen *Pauſanias*, dum dicit: Ὁ μὲν Δία τε ὠνόμασεν Ὕπατον πρῶτος, καὶ ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν. Cecrops *Primus Jovem* Supremum *nuncupavit, & nihil vitâ præditum ei immolandum duxit: ſed liba Patria ad aram projicienda ſanxit:* Sed paſſim aliter Scriptores, ut fuſius alii demonſtrarunt.

Huet. Tr. Cit. p. 166.

Euſeb. de Præparat. Evangel. lib. 10. c. 9.

Bochart. Geograph. Sacr. lib. 1. cap. 15. pag. m. 68.

XV. Utcunque ſit (conſiderationes enim haſce ſuo relinquimus pretio) certum ſaltem eſt, exprobraſſe olim Græcis antiquorum Scriptorum defectum (tantum abeſt, quod vetuſtiſſimos eos agnoverit) *Ægyptium* illum Sacerdotem apud *Platonem* (Proclo *Patenett* dictum) *o Solon, Solon* (dicebat) *Græci ſemper pueri eſtis, nullam habentes antiquam opinionem, nullam diſciplinam tempore canam.* Quemadmodum & *Pythagoram*, relictâ Græciâ, Hebræos ob vetuſtiora ſcripta adire coactum fuiſſe, in propatulo eſt. Παρὰ τῶν σοφῶν ἐλλήνων ἔχεν οὐδὲν πενίᾳ σοφίας, καὶ ἀπορίᾳ συνοικούντων. *Tantum quia a Sapientibus Græcis nihil habuit, penuriâ Sapientiæ, ac indigentiâ cohabitantium*, ut ait *Euſebius*: neque Pythagoræ id tantum neceſſe fuit, ſed & M*elampodi*, *Dædalo*, *Homero*,

Plat. in Timæo.

Simſon. Paraſc. ad Chron. Cathol. cap. 1.

mero, *Lycurgo*, *Eudoxo*, *Democrito*, *Oenopidi*, omnibuſque fere & ſingulis, qui ad doctrinæ non vulgaris laudem olim adſpirarunt.

XVI. De *Hermete Triſmegiſto* (alii dicerent *Herme*) vix quicquam etiam certi eſt, quod adfertur. Fuit *Hermes*, de quo Paulus loquitur. Rom. 16. 14. Item qui Pii II. Pontificis Maximi, frater fuit, A°. 1450. aliter *Hermas* dictus; alius Syriani Sophiſtæ Diſcipulus ſub Imperatore Adriano; adhuc alius, qui de *Nativitatum revolutionibus* ſcripſit; denique noſter hic, *Triſmegiſtus* cognominatus: licet ſint, qui hos omnes cum ſe invicem confundunt. Eundem hunc quidam fecêre cum *Mercurio Ægyptio*, ſic *Cicero* apud Luduvicum Vivem, & *Caſtrenſis* apud Salmuthum; alii eos diſtinxerunt, ita *Seldenus*, *Geſnerus*, &c. Nomen *Triſmegiſti* unde ipſi adhæſerit, quis dicat? quidam inde id derivant, quod Magnus pariter tum *Rex* tum *Propheta* tum *Philoſophus* fuerit. Alii ad multiplicem rerum, quâ pollebat, ſcientiam referunt: alii ad *tres* Philoſophiæ totius mundi Partes. De Scriptorum ejus totis quaſi plauſtris variantia Eruditorum judicia quoque ſunt, quibusdam pro γνησίοις aliis pro ὑποβολιμαίοις multa eorum habentibus. Excellit inter eos Tractatus *Poemander* inſcriptus, quem impensè nonnulli extollunt; ſed is totus eſt *Platonicus*, niſi quod inſpargat ex Scripturis quædam, quæ peſſime potius pervertit, quam imitatur. Per *Poemandrum* videtur Chriſtum intelligi voluiſſe, *Mercurium* alloquentem & inſtruentem. Alios memorat libros *Clemens Alexandrinus*, unum, qui hymnos Deorum continet; alium, qui μοσχοσφαγιστικὰ, id eſt, ritum mactandorum vitulorum ſpectat. Adhæc Βίβλια ἱερατικὰ, *Libros Sacerdotales*, qui de univerſâ Sacerdotum Diſciplinâ loquuntur; ubi haud pauca Idololatrica ſunt, ut plurima etiam hæretica in ipſo *Poemandro*. Vocavit hinc *Philaſtrius* Triſmegiſtum *Vanum*, *Paganum*, & *Vanum* dici digniorem, quam *Magnum*. In hoc conſpirant fere Autores, quod *Moſe poſterior* fuerit: vixit quippe claruitque, ſi nonnullis fides, trecentis *poſt Moſem* annis; juxta *Funccium* ſaltem annis *quadraginta* præterpropter. Cujus apodictica conſecutio eſt, quod ſcribere *ante* ipſum non potuerit. Neque ſtringit, quæ obtendi ſolet, ratio: *Moſem in omni Ægyptiorum Doctrina eruditum fuiſſe*, nullam vero tum fuiſſe Sapientiam aliam, quam *Hermetico*-hanc-*Triſmegiſticam*, adeoque ex illâ *Moſem* ſcientiam ſuam haurire neceſſario debuiſſe. Ubi enim

Hoſmann. L. x. Univerſ. part. 1. pag. 701. Cardan. ad lib. 3. Ptolom. de Aſtronom. judicar.

Ludovic. Viv. in Auguſt. de Civit. D. lib. 8. cap. 26. Salmuth ad Pancroll. pag. 2. tit. 7.

Geſner. in Onomaſt. p. 180. Bellarm. de Scriptorib. Eccleſ. pag. m. 34. Selden. de DIS Syr. Syntagm. 1. p. cap. 1. Hoornbeck de Convert. Gentil. pag. 102. Philaſtr. de Hæreſib. Funcc. Chronolog. fol. 29. 31. Marſham. Canon Chronic. ad Secul. X. pag. m. 241. & 244.

enim principium peti dixeris, ſi hic non fiat? hoc enim τὸ κρινόμενον eſt, an *Moſis* tempore ſapientia illa *Hermetica* fuerit? Nos id negamus. Et eſto, fuerit; unde liquet, ſcripto conſignatam eam fuiſſe? quidni enim inſtitutione per manus traditâ, pro temporum illorum ratione, doceri tum *Moſes* potuerit, tam aliorum quam *Hermetis* hujus, ſi tum fuerit, adminiculo? licet alias, ſcripta quædam *ante-maſaica* eſſe potuiſſe, abſolute non negemus, ut ex ſuperioribus liquet. Quin haud multum ab atroci in *Pentateuhi* divinitatem injuriâ abeſſe videtur, ſi partes ejus aliquas ex *Triſmegiſticis* hiſce excerptas eſſe, dicatur, niſi & *Hermetem* ipſum divino afflatu in ſcribendo actum fuiſſe, adſtructum quis dederit; cujus certè contrarium diſertis verbis ei adſcribit *Auguſtinus*, dum inquit: *Cum Hermes iſta prædicit velut* amicus, eiſdem ludificationibus dœmonum *loquitur*. Et paulo poſt: *Non enim hoc ei* (Hermeti) *revelaverat Sp. S. ſicut Prophetis Sanctis, qui hac prævidentes, cum exultatione dicebant.* Hactenus Theologi *vel Triſmigiſtum* ipſum vel quoſcunque alios, qui nomine ejus veniunt, e *Moſis* potius *Pentateucho* non pauca, quam hunc ex *illo* vel illis, ſua depromſiſſe aſſeruerunt; ut Doctiſſimus *Caſaubonus* in Exercitationibus ſuis *Anti-Baronianis* variis inſtantiis demonſtravit.

Marsham Canon. Chron. ad Secul. I X. pag. 142.

Auguſt. de Civit. D. lib. 8. cad. 23.

Caſaubon. ad verſ. Baron. Exerc. 1. pag. m. 79. 80.

XVII. Erroneum quoque eſt, quod de *Sibyllâ Perſicâ e Nöe* natâ, adfertur; ortum forſan inde, quod in *Noe* oppido, ad mare rubrum ſito, primam adſpexiſſe lucem quibusdam dicatur. At *Noe* oppidum non eſt ipſe *Nöe*. Melius ad *Alexandri Magni* tempora eam retulerunt alii. Patrem enim, ut fertur, *Beroſum*, celebrem *Beli* ſacerdotem, habuit, qui, utut *Moſi* æqualis ab aliquibus ſtatuatur, communiter tamen paulo ante Alexandri principatum vixiſſe habetur. Ita *Claudius Verderius, Tatianus Aſſyrius*, Vir a primâ ætate in Gentilium diſciplinis inſtitutus. Pro quâ ſententiâ & facit, quod hæc ipſa *Sibylla* de rebus *Alexandri Magni* ceciniſſe perhibeatur. Quod de *Pherecide* Syro fabulatus eſt *Plinius*, profligatum dedit *Euſebius*, in Libris de *Præparatione Euangelicâ*, ubi *Moſe* eum recentiorem fuiſſe, invictè oſtendit.

Marck. de Sibyll. Diſp. 2. §. 4.

Verder. Cenſur. in Annian. Beroſ.

Tatian. Orat. adverſ. Gent.

XVIII. *Jobi* denique Liber *Moſis* antiquitati non magis obſtat, quam reliqua; cum dici impune poſſit, *vel* Moſem Jobumque συγχρόνους fuiſſe, eodemque tempore & vixiſſe & ſcripſiſſe, quod multi Viri docti tenent: *Moſem* enim natum volunt

Euſeb. Præpar. Euangel. lib. 10. cap. 4.

lunt Ao. mundi 2373. *Jobum* Ao. 2329. Hocque ideo pro minus alieno habent, quia *Jobus* μακρόβιος fuit, annos quippe 210., juxta nonnullos, natus, antequam deceſſerit. *Vel* ipſum *Moſem*, *Jobi* Hiſtoriæ Scriptorem fuiſſe; quod, cum *Kimchio*, *Photio*, *Polychronio*, *Juliano*, *Halicarnaſſæo*, *Hieronymo*, pertendit *Huetius*, jam laudatus, *hoc* ſenſu: *quod rem geſtam & Sermonum argumenta multorum litteris & ſermone ad* Moſem *perlata eſſe dicat, quæ uberiore deinceps orationis filo & numeris adſtricto, conveſtivit*, Adeo ut mirandum non ſit, de *Moſis*, in ſcribendâ *Jobi* Hiſtoriâ, inſtituto ſic locutum eſſe Virum illum Doctum, ut ſupra audivimus. Et ſane, cum negari non poſſit, quin *Jobi* Liber poëticé digeſtus fuerit, licet metri ratione perquam obſcurâ; quis non in eam propendeat ſententiam, non eum ipſum, ſed potiùs alium quem, ſi *Moſes* non fuerit, autorem ejus fuiſſe. Credibile enim vix eſt, virum illum, cum ſummis animi corporiſque doloribus tunc luctantem, *Carmina* ad uxorem amicoſque ſuos fudiſſe, hoſque viciſſim hominem, tantis moleſtiis calamitatibuſque oppreſſum, verſibus eſſe allocuto? E contra probabilius eſt, pium virum oratione ſolutâ, &, propter animi turbas, forſan minus comptâ & ordinatâ, cum ſuis egiſſe, hoſque ſimili modo ipſi reſpondiſſe; fuiſſe vero alium quem, ipſum forte *Moſem*, qui in formam metricam acta eorum & verba poſtea redegerit, ad poſteroſque tranſmiſerit, acceptis variorum opera (ut bene obſervavit *Huetius* in Opere ante laudato) *rei geſtæ* ſermonumque *argumentis*. Nobis impræſens ſufficit, quod Autorem Libri, quisquis fuerit, *Moſem* ſcribendo anteceſſiſſe ex *Origenianâ* hac hypotheſi demonſtrari non poſſit. Dico *Origeniana*, quia *Origenis* nomine paſſim venit, non quod Commentarius, in quo occurrit, ullo jure ad ſcribi ipſi poſſit. Habitus is ſemper in ſuppoſititiis eſt, non Noſtris tantum, ſed *Eraſmo* etiam, *Poſſevino*, *Sixto Senenſi*, *Bellarmino*, *Baronio*, multiſque aliis. Planè denique falſum eſt, quod ſupponere diximus, qui Jobum *Moſe antiquiorem* faciunt, eundem nempe illum fuiſſe cum *Iobabo*. Quot & qualia enim non ſunt, quæ *hunc* ab *illo* deſcriminant? *ille* vir *pius* & *Deum timens* audit, *hic* Reges inter *impios* numeratur. Gen. 26. 31. &c. *ille* pro ſede habuit Terram *Utz* in Arabiæ deſertæ partibus, *hujus* locus fuit *Botzra*, in confiniis Idumææ & Moabitidis. Gen. 36. 31. 33. *Iobus* introducitur ut *vir* quidam *privatus*. Erat *vir quidam*: *Iobabus* ut *Rex Edom*, totiusque circum

Mercer. in Præf. ad lib. Jobi.

Bucholc. Chron. pag. 8.

Huet. Tr. Cit pag. 322. 323. 328.

Urſin. Quæſt. Bibl. pag. m. 185.

Huet. ibid.

Salian. Annal. Vet. Teſt. tom. 1. pag. 347.

iacentis regionis. loc. cit. Sunt quidem, qui *Jobum Regem* faciunt, ſed gratis. Altiſſimum enim de hac Viri eminentiâ in Sacrâ Hiſtoria ſilentium eſt: extollit hæc quidem ejus opes, authoritatem, ſapientiam, reverentiam, liberalitatem, patientiam, nullibi *Regiam* ejus dignitatem; Et non oportuit hanc certe, ſi *Jobus* eam habuiſſet, ſilentii peplo involvi, quo magis fuiſſet aliis Regibus in exemplum, tum raræ in Deum pietatis, tum nutantis & vacillantis fortunæ. Quid enim magis monere & terrere ſecuros Reges potuiſſet, quam Principem ex ipſo Solio in ſterquilinium dejectum fuiſſe? ut *Jobo*, ſi *Rex* fuiſſet, procul dubio accidiſſet.

EXERCITATIO II.
DE
AUTORE PENTEUCHI.

BREVIARIUM.

Moſes *an non* vitæ *tantum ſed &* mortis *ſuæ ſcriptor?* Propriæ vitæ *Scriptores varii. Libri Antonini Pii Philoſophi, de* Rebus ſuis, *elogium. Moſes* Pentateuchi *Autor.* Aben-Ezræ *circa illud fluctuatio. Vox* תּוֹרָה *aliquando* ſtrictius *aliquando* latius *ſumpta.* Thomas Hobbes *notatus; Eſra* Pentateuchi *non* Scriptor, *ſed* Reſtitutor. *Quorundam de* Pentateucho, *per modum* Diarii *a Moſe inſtituto, commentum rejectum. Ratio illius commenti ad limam vocata.* Benedictus Spinoſa *quis! Putidi illius* errores. *Antagoniſtæ varii. Argumenta ejus, quibus Moſem* Pentateuchi *Scriptorem eſſe negat, profligata. Scriptores in* tertiâ *etiam Perſonâ de ſeipſis nonnunquam locuti. Quibus præcipue caſibus ritè id fiat? Propria laus ſordet. Modeſtam tamen propriarum virtutum mentionem facere, non ſemper illicitum. Locis Geneſ.* 16. 34. & 36. 3. & 12. 6. *Exod.*

Digitized by Google

Exod. 15. 36. *lux affuſa. Multa in* Pentateucho *per* πρόληψιν *dicta. Verba Gen.* 12. 6. *illuſtrata & vindicata. Autor* Hiſtoriæ Criticæ *caſtigatus. Ejus de* Scribis, *rerum geſtarum in Pentateucho concinnatoribus, figmentum excuſſum & diſcuſſum. Varia* Scribarum *olim genera.* תִּקּוּן סוֹפְרִים *quid?* Criticus *cum* Bellarmino *&* Galatino *ſuo commiſſus. Sacrorum Annalium* Scriptores *quo ſenſu* Prophetæ *dicti? Locus Deut.* 4. 2. *vindicatus. Librorum apud Veteres compaginatio qualis? Dei circa Scripturarum* conſervationem *Providentia mira.* Gordoni *Jeſuitæ impium de eâ effatum. Locus Rom.* 2. 3. *elucidatus. Hebræorum, in* Scriptorum *Sacrorum* integritate *ſervandâ, cura admirabilis. Liber* Geneſios *quando ſcriptus? E ſtyli diverſitate diverſus Scripti autor non ſemper arguendus. Quæſtionis, de* Pentateuchi *Autore* momentum. *Libri* Divini αὐθεντία, *non ex inſcripto Autoris nomine, ſed argumenti Divinitate judicanda. Librorum* Regum & Chronicorum *Scriptores fere ignoti.*

I. QUinque priores Scripturæ S. Libros *Moſi* paſſim tribui, nemo eſt, qui neſciat, ultimis tantum Deuteronomii verſiculis exceptis: *Et mortuus eſt ibi Moſes, ſervus Jehova, in terrâ Moabitarum, ex præſtituto Jehovæ*, &c. uſque ad *Capitis* finem: quos creditur *vel* a Joſua, vel a Samuele ſuppletos eſſe, cum ipſe *Moſes* propriæ mortis ſcriptor eſſe vix quiverit. Licet neque deſint, qui id ipſum ei attribuerunt, *verito* nempe, *ne propter excellentes in ſe virtutes emicantes a Deo raptum ſe eſſe prædicarent.* Ita *Joſephus*, juxta Sixtum Senenſem, & *Origenes* contra Celſum. Verene an falſo, hic non inquirimus, quia parum ad rem noſtram facit. In genere extra dubitationis aleam poſitum quidem eſt, priſcis temporibus Viros virtute inſignes *Vitæ ſuæ res* notabiliores *ipſos* nonnunquam deſcripſiſſe: *Plerique ſuam ipſi vitam* (inquit Tacitus) *narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt; nec* Rutilio & Scauro *citra fidem aut obtrectationi fuit.* Sic *Joſua* geſta ſua ipſe litteris mandavit, idem *Eliæ Thesbitæ*, *Samueli*, aliiſque pluribus adſcribitur

Deut. 34. 5.

Joſeph. lib. 4. *cap.* 8.

Serar. lib. 1. *in Joſuam.*

Sixt. Senenſ. Bibliothec. lib. 1.

Camart. Eli. Thisbit. cap. 10. §. 1.

Tacit. in Jul. Agric.

tur. Ex ipſis Gentibus præſtitêre id integris libris non tantum Poëtæ, Philoſophi, Politici, ſed Duces etiam, Principes, Imperatores, *Iulii Cæſares*, *Augusti*, *Tiberii*, *Claudii Severi*, *Hadriani*, *&c.* Hos vero inter eminet,

Quantum lenta ſolent inter viburna Cypreſſi,

Marcus Aurelius Antoninus, *Tractatu* vere aureo, cujus inſcriptio eſt τῶν εἰς ἑαυτὸν, Βίβλια ιβ: *De Rebus ſuis*, ſive *de eis, quæ ad ſe pertinere cenſebat*, *Libri XII.* Inter Patres id fecit, *Auguſtinus*, in *Confeſsionum* ſuarum Libris, quem ſecuti ſunt *Cardanus* & Præſtantisſimus noſter *Iunius*, hoc ipſo ſeculo. Tanti nempe intereſſe putabant, res præclare geſtas, in earum memoriam lucidumque bene vivendi & agendi exemplar, ad poſteritatem fideliter transmitti. Innuit id *Horatius* ad *Lollium*:

Horat. Od. lib. 4.

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus, non ego te meis
Chartis inornatum ſileri
Totque tuos patiar labores
Impune, Lolli, *carpere lucidam*
Oblivionem.

At quam non aliud plane eſt *Vitæ*, quam agimus, negotia a nobis conſignari, aliud ipſam *Mortem*, quæ ſane mors non eſt, niſi poſt noviſſimum vitæ halitum jam emiſſum: poſt quem *partem homines non habent inter viventes*: *Si enim augeantur filii ſui, ignorant, ſi diminuantur, non animadvertunt ad eos.* Job. 14. 22. Eccleſ. 9. 5. 6.

Deut. 31. 9. 10. 11. Joſ. 1. 8. & 23. 6. Jud. 3. 4. & 6. Deut. 24. 16. Eſr. 3. 2. Mercer. in Geneſ. & in Exod. 24. 4. 12.

II. Hoc igitur miſſo, ſtatuendum eſt, non tribui tantum vulgò *Moſi* Pentateuchum, ſed eum vere etiam exaratum ab eo eſſe; quoniam ipſiſſimus Deus ſcriptionem ejus ipſi expreſſis verbis mandavit. Ita Exod. 17. 14. *Scribe (*inquit*) pro memoriali in Libro.* Et cap. 24. 4. 12. *Conſcende ad me in montem, & eſto ibi, & dabo tibi tabulas lapideas legem & præcepta, quæ ſcripſi ad docendum, ſive ut doceas ea. Ubi per* מִצְוָה, notante *Mercero*, intelligenda ſunt præcepta tam Civilia, quam Cæremonialia & naturalia ſive Moralia; per *Legem* (תּוֹרָה) quæcunque alia, quæ in Pentateucho reperi-

periuntur, licet Hiſtorica alias, ad Dei tamen cognitionem facientia & conducentia. Non deſunt (ſcio) qui ad loc. Exod. 24. 4. 12. excipiunt, vocem תּוֹרָה *legis* tantum Moſaicæ *præcepta* indicare, non univerſum *Pentateuchum*; eo quod, poſt *Legis* illius acceptionem in monte *Sinai*, populus Iſraël per 40. adhuc annos in Deſerto moratus ſit; ubi multa geſta demum ſunt, quæ, ut jam facta modo, *Moſes* tanto tempore ante neque a Deo excipere neque litteris conſignare potuit. Sed dico: 1. Non negari, vocem תּוֹרָה ſtrictius nonnunquam ſumi pro *Legis* Moſaicæ *Præceptis* tam Moralibus, quam Cæremonialibus, at ideone ſemper, ac ſpeciatim hoc loco, ita ſumenda eſt? quis hoc dicat? Uſurpatur ſignificatione etiam generaliori Malach. 4. 4. זִכְרוּ תּוֹרַת מֹשֶׁה עַבְדִּי *Recordamini* Legis Moſis, *id eſt*, omnis *Sermonis Moſis*. 2. Quidni revelare Deus potuit Moſi, quæ hactenus geſta nondum erant? Non credo, omnes Prophetias rejiciendas eſſe: 3. Quis dicit Moſem, ſimulac revelata ſibi Hiſtorica hæc eſſent, mox ea litteris conſignaſſe? Cur differre ſcriptionem illam non potuit Vir Sapientiſſimus, uſque dum ipſo eventu comprobata eſſent, quæ Deus ipſi prædixerat? Atque hæc quidem, Moſem *Pentateuchi* Scriptorem eſſe, communis conſtanſque tum *Hebræorum* (uno forſan *Aben-Eſra* excepto, qui fluctuare quoquo modo videtur, ut ex Commentario ejus in Librum *Deuteronomii* liquet) tum *Chriſtianorum* Doctorum ſententia hactenus fuit; nixa *tum* diſertis S. Scripturæ teſtimoniis mox allegatis; *tum* invictâ hac ratione, quod Libros illos *Moſi* a Chriſto Apoſtoliſque adſcribi paſſim videamus; Marc. 7. 10. & 12. 19. Luc. 20. 37. Joh. 7. 23. Rom. 10. 5. 2 Cor. 3. 15. &c. minime vero merâ eorum ἐπιγραφῇ, ut tam abſurde nugari nos fingit *Hobbeſius*; quaſi vel ideo tantum, vel ſaltem præcipue, tribui *Pentateuchum* Moſi quis cenſeret, quod nomen ejus præfixum ei appareat. Quis enim tam bardus eſt, ut neſciat, Librorum titulos, non ſemper Autores, ſed ſæpiſſime etiam objectum primariamque eorum materiam ſubindicare, ut in Libris *Ruth*, *Judicum*, *Eſthera*, &c. plus quam manifeſtum eſt?

Cocc. Lexic. pag. 339.

Aben-Eſr. in Deuteron. cap. 1.

Hobb. Leviath. part. 3. cap. 33.

Menaſſ. Ben-Iſr. Problem. de Creat. pag. 24.

III. Fuêre tamen inter Antiquos, qui *Pentateuchi* (ejus ſaltem, qui hodiedum in manibus verſatur) autorem, non Moſem, ſed *Eſram* Sàcerdotem conſtituerunt. Supponentes, Hieroſolymâ a

BIBLIOTECA NA...

Iſidor. de Patr. V. T.

Ambroſ. Ep. 82.

Lomejer. de Biblioth. pag. 34.

Bellarmin. de Verb. Dei lib. 2. cap. 2.

Babyloniis expugnata, omnes ſimul Libros Sacros cum Templo conflagraſſe, eos vero per dictum Eſram, divinâ mediante inſpiratione, ex memoriâ denuo conſcriptos & reſtitutos eſſe: Ita, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Auguſtinus*, alii. At vero, cum ſententia hæc nitatur argumento plane apocrypho, quod ne ipſe quidem *Bellarminus* admittit, ex lib. 4. Eſræ cap. 4. 23. *Cur Lex Patrum noſtrorum interierit, & conſtitutiones Scripta nuſquam habeantur*: id eſt, hypotheſi falſâ, nunquam probatâ, neque unquam probandâ (omnia nempe Librorum Sacrorum exemplaria, non junctim in ſolo Templo, ſed variis procul dubio locis aſſervata, ſimul & ſemel a Babyloniis deleta eſſe) ultro ea ſatis concidit. Accedit, quod neque unquam adeo recepta hæc, de Libris Sacris ab *Eſra* reſtitutis, & Spiritu Prophetico reparatis, opinio fuerit, quin inventi ſemper ſint, qui plane eam in dubium vocitarunt, longè ſaltem aliter, quam Patres mox allegati, propoſuerunt & explicuerunt. *Hieronymus* plus non admittit, quam *Eſram* novos tantum characteres quoſdam inveniſſe. *Certum eſt* (inquit) *Eſdram ſcribam Legiſque Doctorem, poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem Templi ſub Zorobabele, alias litteras reperiſſe, quibus nunc utimur, cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum Characteres fuerint.* Athanaſius Sacros eum Libros apud ſe cuſtodiviſſe exiſtimat, tandemque ad tempus occultos, in lucem iterum produxiſſe. Verba ejus ſunt. *Narratur & hoc de* Eſra, *quod, cum Libri per incuriam populi & diuturnam captivitatem periiſſent, ipſe illos, cum eſſet honeſti ſtudioſus, induſtrius, & Lector, apud ſe omnes cuſtodiverit, & tandem protulerit, omnibuſque tradiderit, atque ita ſervaverit.* Ἐφύλαξε πάντα καὶ ἑαυτὸν προήνεγκε, καὶ πᾶσιν ἐκδέδωκε, καὶ ὅλω διαζώσατα τὰ Βίβλια. Adde his Celeb. D. *Altingium*, qui hunc in modum: *Interim non diffitemur, Eſram Scribam in colligendis, digerendis & in unum corpus componendis Libris Legis, non levem ac plane neceſſariam operam poſuiſſe.* Et alio loco: *Fieri etiam poteſt, ut exemplaria Moſis & Prophetarum, ſcribarum negligentia depravata in Captivitate, emaculârit Eſras & reſtituerit. Nam ipſe ut Scriptor* θεόπνευστος *adulterina a genuinis optime potuit diſtinguere.* Ne *Bellarminum* addam, alioſque ex Pontificiis.

Hieronym. Epiſt. 106. quæ eſt Prolog. Galeat. Joh. Gerard. loc. Theolog. Tom. 1. pag. m. 49.

Athan. in Synopſ. de Eſra.

Alting. Problem. Nov. p. 104. 105.

Bellarm. de Verb. Dei lib. 2. cap. 1.

IV. Ut neque ſpecioſius aliud quorundam inventum eſt, qui, *Moſem Pentateuchum* ſuum ſimpliciter tantum per modum *Diarii* ſive *Annalium* conſignaſſe, exiſtimarunt; Joſuam vero, vel

vel ex Sacerdotibus ſive Prophetis aliquem, *Annales* illos in ordinem redegiſſe, diſtinxiſſe, imo voces aliquas ſententiaſque iis adjeciſſe. Ecce ſolius *Sculteti* verba: *Qui in ipſum* Moſis *opus* (inquit) *quod θεόπνευστον & πεντάτευχον vocant, longo poſt Moſen tempore, interjectis duntaxat hic illic verborum & Sententiarum clauſulis, velut ſarcitum, atque omnino explicatius redditum eſſe, cum aliis minime contemnendis probaverim. Certe, ut alia mittam, Cariath-Arbe ſæpe illic Hebron nominatur, & tamen hoc illi urbi nomen a Calebi filio Hebrone impoſitum eſſe, maximi Viri tradiderunt.* Videtur hæc opinio eum in finem a Viris, cæteroquin Eruditis, fabricata eſſe, ut quæ poſt *Moſis* mortem facta & in *Pentateuchum* relata ſunt, enodari faciliùs poſſent, ipſaque adeo Scriptura contra Atheos & Libertinos (qui ludibrio dignum cenſent, ſtatuere ea narrata legi à *Moſe*, quæ poſt exceſſum ejus contigêre) a contradictionibus & abſurditatibus felicius vindicaretur. At vero cum, ut mox patebit, non aliâ tantum, ſed longe etiam certiori viâ, quam hac, expediri difficultates illæ poſſint, fruſtra eſt, quod Viri magni, ad figmentum illud, nullo Dei verbo, nullâ ratione fultum, tanquam ad ſacram anchoram recurrerint. Profligavit id etiam variis rationibus Celeberr. *D. Mareſius*, in *Præfatione Apologetic.* pro αὐτοπιστία S. Scripturæ, contra *Fabulam Præadamiticam*, qui videndus.

Sculteť. in Præfat. ad Annal.

Mareſ. Fab. Præ-Adamit. Pag. 23.

V. Adhuc ſunt, atque hi ἀθεολογώτατοι quidem, qui & olim & jam *Pentateuchi* compoſitionem Prophetæ *Moſi* abſolute abjudicarunt. Hos inter caput effert Autor impiiſſimi *Tractatus Theologico-Politici*, de *Libertate Philoſophandi*, *Anno* M. DC. LXX, non *Hamburgi*, ut titulus præ ſe fert, ſed *Amſtelodami*, publici facti: de quo ſummo jure dixeris:

Prodiit horribilis liber εἰς φάος ἠελίοιο,
Quem potius decuit δόμον εἰς Ἀΐδαο περῆσαι,
Atque ibi cum Domino κλαίοντι καὶ ἄλγεα πάσχειν.

Quodſi enim ex Parente fætus eſtimandus ſit, homo certè Scriptor is fuit, *qui Philoſophandi libertatem affectans, non ſolida tantum pietatis & ſinceræ Theologiæ ac totius Chriſtianiſmi fundamenta convulſit, ſed ſanam etiam Politicen, ac rectam Philoſophiam funditus labefactavit, planeque eo inclinavit, ut exitialem ac peſtiferam, & nimis* hac

Huet. de Demonſt. Euangel. tom. 1. pag. mihi 234.

hac ætate contagioſam Deiſtarum, *ut vocant, hæreſin tueretur.* Sic de eo *Huetius*, ſæpe laudatus. Quibus addeſis alius Viri doctiſſimi, *Theophili Spizelii*, de eo teſtimonium, ſcurrâ tali digniſſimum; intereſt enim Reipublicæ Chriſtianæ ab illius Theologematis & Philoſophematis ſerio deterreri. Prodiit (inquit ille) ante annos aliquot in lucem (anno nempe mox memorato) Scriptum quoddam Anonymi, ſub titulo *Tractatus Theologico-Politici*, cujus infeliciſſimi fœtus (ferunt autem *Benedictum Spinoſam* eſſe, natione Judæum, hominem, ut res ipſa loquitur, perfrictæ frontis, fanaticum, & ab omni Religione alienum) palmariam in impugnando Sacro Codice, indeque explodendâ omni revelatione divinâ, poſuit operam, eo progreſſus impudentiæ & impietatis, ut *Prophetiam dependiſſe diceret a fallaci imaginatione Prophetarum, ac in unoquoque pro diſpoſitione temperamenti ac ratione præconceptarum opinionum* (quibus Deus quod ad ſpeculationem attinet ſe accommodaverit) *variaſſe, adeoque Prophetiam nunquam Prophetas doctiores reddidiſſe, ſed eos in ſuis præconceptis, licet fallaciſſimis, opinionibus reliquiſſe, ac propterea nos iis circa res mere ſpeculativas minime debere teneri. Apoſtolorum Epiſtolas non ex revelatione & divino mandato, ſed tantum ex ipſorum naturali judicio, ſcriptas fuiſſe; eos accommodaviſſe Religionem, quoad fieri potuerit, hominum ſui temporis ingenio, ſuperædificaſſe illam fundamentis tum temporis maxime notis & acceptis. Exin* (quod diverſis fundamentis Religionem ſuperædificaverint) *ortas eſſe multas contentiones & ſchiſmata, quibus Eccleſia jam inde ab Apoſtolorum temporibus indeſinenter vexata fuerit. Dei æternum Verbum & pactum, veramque Religionem hominum cordibus, hoc eſt, humanæ menti inſcriptam eſſe; quod autem in Scripturis contineatur eſſe mendoſum, truncatum, adulteratum, & ſibi non conſtare, maxime in Hiſtoriarum & Prophetiarum circumſtantiis, miraculis, rebuſque ſpeculativis.* Quid, quod nulla prorſus miracula & opera ſupernaturalia in Scripturis agnoſcat, ſed quæ talia dicantur, dici contendat reſpective ad hominum opiniones, & nihil aliud eorum appellatione intelligi, quam opera naturalia, quorum cauſam ignoremus, vel explicare non poſſimus, vel quæ explicari eo modo non poſſint, quo vulgus res naturales explicare ſoleat. Hinc denique concludit, omnia quæ in Scripturis verè narrantur contigiſſe, ita ſecundum leges naturæ, ut omnia neceſſaria, contigiſſe; ſi quid vero experiatur,

Spizel. de Felic. Erudit. p. 143.

Spinoſ. de Libert. Philoſoph. cap. 2.

Id. pag. 144.

tur, quod legibus naturæ repugnet, aut ex iis conſequi non poſſit, id a ſacrilegis hominibus Litteris Sacris adjectum fuiſſe. Hactenus *Spizelius*. Sicut vero is *Autor* plurima atheologica non tantum, ut liquet, ſed & blaſphemiam, imo genuinum Atheiſmum ſpirantia, Tractatu illo propinavit, ita neque defuère, qui ſe abominandis ipſius Hypotheſibus voce calamoque oppoſuerunt. Hos inter fuère *Batelerius, Manſveldius, Cuperus, Miſaus, &c.* qui omnes an æque feliciter contra eum decertárint, non ſine ratione a quibusdam dubitatur. Hos ſecutus poſtmodum eſt, *Guilielmus Blyenbergius*, civis Dordracenus, qui idiomate etiam vernaculo confodere ipſum laboravit; licet neſciam, an conſilio ſatis tuto; *tum* quod, quem oppugnat, Adverſarius ſermone illo non ſcripſerit, *tum* quod periculo vix careat, ne peſtilentiſſimum impudentiſſimi *Novatoris* venenum, quod ſub linguâ ignotâ latere hactenus plurimos poterat, ſermone vulgato in ipſum etiam vulgus, plus juſto fere curioſum, & in paradoxa proclive, proſerpat tandem & tranſeat.

VI. Hic itaque Ex-Judæus, præter abſurda alia, plurimis quoque argumentis evincere conatus eſt, Prophetæ *Moſi* Pentateuchi ſcriptionem minime adſcribendam eſſe. Exagitat *Aben-Ezram* (cujus armis ſe certare alias non diffitetur) quod nimis ſcrupuloſe id aſſeruerit; multo ſcilicet confidentius & impudentius παράδοξον hoc adſtructurus. *Aben-Ezra* (inquit) *non auſus eſt, mentem ſuam aperte explicare, ſed rem obſcurioribus verbis tantum indicare, quæ ego hic clariora reddere non verebor, remque ipſam evidenter oſtendere.* Ego hic ſingulas ejus rationes ad incudem non revocabo, quum præſtitum id abunde ſit ab iis, qui univerſum ejus Tractatum ex profeſſo examinarunt, ſatisque ſuperque oſtenderunt, talibus eum refertum eſſe βδελύγμασι, *Tract. Theologico-Polit. cap. 8. pag. m. 304.*

Qualia credibile eſt rictu ructaſſe trifauci
Cerberon, & Stygii monſtra tremenda lacus.

Ad nonnullas tamen earum paucula ſunt reponenda:

VII. *Primum* impuri hominis *argumentum* eſt, quod ſubinde in *Pentateucho* de Moſe in tertiâ ſeu alienâ perſonâ ſermo fiat. V. G. *Deus locutus eſt cum Moſe*; *Deus loquebatur cum Moſe de facie ad faciem*; *Moſes ſervus Dei mortuus eſt, &c.* Quod fieri, uti putat, non oportuit, ſi *Moſes* de ſe ipſo locutus eſſet. Aſt nego illam ſequelam; neque enim inſolens eſt in Verbo Dei, non tantum αὐτοπροσώπως ſeu in propriâ, ſed

nonnunquam etiam ἑτεροπροσώπως, id eſt, in *alienâ* perſonâ loqui, qui de ſe ipſo verba facit. Exemplum omni exceptione majus exhibet *Johannes*, Euangelii ſui cap. 19. vſ. 35. Quin & profanis Autoribus in uſu id fuiſſe, in uno videre eſt Joſepho, *in Apologiâ* ſuâ contra *Appionem*. Imò ipſe *Hiſtoriæ Criticæ* putidiſſimus Autor, *Opponenti* alias ὁμόψηφος, argumentum hoc explodit. Requirit enim id ſæpe tum Scriptorum modeſtia, tum ſcribendorum peculiaris quædam ratio, qualem hic, ratione *Moſis* non defuiſſe, alii oſtenderunt. Præterquam quod non ſemper in *tertiâ* perſona locutus ſit *Moſes*, ſed nonnunquam etiam in *primâ*, ſpeciatim in Deuteronomii Libro, ubi aliquoties: *Et locutus ad* me *eſt Dominus: Et deprecatus* ſum, *&c.* Ita Mercerus: *Nunquam* (inquit) *Moſes* prima *perſona de ſe loquitur ante initium Deuteronomii*, ubi leges, *& deprecatus* ſum; & *Locutus eſt ad* me *Dominus*, *& ſimilia*; *alias autem ſemper de ſe loquitur tertia perſona, ut ab Exodo*; *aut nullam ſui mentionem facit prorſus*, *ut toto Libro Geneſis, & ante ſuum ortum. Id autem factum ſcito*, *quia in* Deuteronomio *jam convertit ſermonem ad omnes Iſraëlitas*, *& velut* ἀνακεφαλαίωσιν *affert omnium dictorum in tribus aliis Libris*, *& eorum*, *quæ ſibi contigerant in viâ*, *in Deſerto per* 40. *annos*; *unde & Decalogus repetitur Deuteron.* 5. *quia etiam inſtaurandæ fuerant tabulæ fractæ & alia etiam præcepta repetuntur.*

Mercer. in Geneſ. pag. 3. 4.

VIII. *Secundum argumentum* eſt, quod in *Pentateucho* laudetur nonnunquam *Moſes*, ut Num. 12. 3. Deuteron. 33. 1. &c. Atqui credibile eſt, Virum tam pium, tam ſapientem, tam demiſſum proprias ſuas laudes tum coram populo Iſraëlitico, tum coram univerſâ Poſteritate ebuccinare voluiſſe? Sed *regero*; teſtimonia illa commendatitia non tam *Moſis* de ſeipſo, quam Spiritus S. de *Moſe*, mediantibus ipſius Moſis calamo & manu, fuiſſe. Iterum Mercerus: *Sciamus*, *Sp. S. per Moſen loqui*, *ac Moſen a Deo teſtimonium habere eorum*, *quæ ſcribit*; *ideo ſibi conſcium ita de ſe & alia ſcribere, quod ea veriſſima ſciret*, *& tunc ab omnibus Iſraëlitis cognoſcerentur*, *ut contradicere nemo illi poſſet.* Proprias ex profeſſo virtutes commendare, de iiſque ſcribere, ridiculam procul dubio olet vanitatem, & abſit, ut *Moſes* in Pentateucho ſuo id fecerit. Poſtulati ejus hactenus a Viris Doctis ſunt *Horatii*, *Scauri*, *Rutili*, *Ovidii*, *Plinii*, *Arriani*, *Themiſtocles*, *Catones*, *Scipiones*, &c. in quales ſalſe olim Tullius: *O Dii quam inepti*, *quam ſe ipſi amantes ſine rivali!*

Id ibid.

li! At quis tamen pro abſolute abſurdo ſemper habeat propriarum virtutum qualemcunque nonunnunquam mentionem facere? Id certè ſi nunquam conceſſum ſit, quid de ipſo *Chriſto* in multis Euangeliorum locis tum ſtatuendum? Quid de *Paulo* 2 Cor. 11. 9. 23. quid de *Hiſkia* Eſ. 38. 3. quid de pluribus aliis, qui juſto ſæpe exiſtimationis ſuæ, ab aliis conſpurcatæ, patrocinio defungi non potuerunt, niſi propriorum, quibus gaudebant, donorum mentione leviter injectâ. Fructuoſè id ab iis plerumque fit, quorum vita aliis in exemplum poſita eſt, præſertim ſi oppoſitorum vitiorum ſuſpicio eorum, quibuſcum rem habent, animos plus juſto occupaverit, aliterve illos haud ſatis benignè de ſe ſentire pro comperto habeant. Ritè Cyprianus: In proprias laudes *odioſa jactatio eſt, quamvis non jactatum poſſit eſſe, ſed gratum, quicquid non virtuti hominis adſcribitur, ſed Dei munere prædicatur.* *Cyprian. Ep. ad Donat.*

IX. *Tertium argumentum* eſt: Quod Loca quædam non iis in *Pentateucho* indicentur nominibus, quæ vivente Moſe in uſu fuêre, ſed aliis plane, quibus longo tempore poſt inſigniti demum ſunt. Vid. Gen. 14. 14. coll. c. Judic. 18. 29. Ut & quod Hiſtoriæ quædam ultra vitæ Moſaicæ tempus protrahantur & producantur. Conf. Gen. 16. 34. & 36. 3. & 12. 6. *Reſp.* Expediri forſan nodus is poſſet ſolâ Clar. *Huetii* conjecturâ, quæ ſic habet: *Ex duobus fontibus & rivulis* (inquit) *JOR & DAN Jordanis nomen & flumen coaluiſſe, opinio eſt* Hieronymi & Philoſtorgii, *apud* Johannem Antiochenum περὶ ἀρχαιολογίας. *Id ſi ſit, certe antequam urbi* Lais *nomen Dani indidiſſent Danitæ, alter fontium Jordanis DAN nomen habuit: Nam* Jordanis *nomen* Dane *urbe vetuſtius eſt. Hunc ergo fortaſſe* Dan *fluviolum ſignificavit* Moſes, *cum diceret, Abrahamum hoſtes uſque ad Dan eſſe perſecutum.* Addo ego: multa in *Pentateucho* per πρόληψιν ſive anticipationem facta dici, non quod tum, quando narrabantur, fierent vel facta modo eſſent, ſed quod cognoverit *Moſes*, ſpiritu Prophetico, certo futura poſtea eſſe. *Primarius* Pentateuchi *Autor eſt* (verba ſunt Freidlibii) *Spiritus ſanctus, qui ipſi* (Moſi) *dicta & facta tot retro ſeculorum* (quid ni & ſubſequentium) *ſuggeſſit.* Quare & locus ille, quo uſque hoſtes ſuos perſecutus erat Abraham, nomine *Dan* in Scripturâ occurrit; non quod tum ſtatim inſignitus eo fuerit, cum Abraham inimicos ſuos fugârat, ſed quod poſtea certo certius inſigniendus eo eſſet, ut eventus quoque comprobavit. Jud. 18.

Huet. Demonſtrat. Euang. tom. 1. pag. m. 261.

Freidlib. Theol. Exegetic. pag. 3.

 29. Et

Digitized by Google

29. Et quidni dixerimus, locum illum ab ipſâ ſtatim perſecutione a ſolo Abrahamo ejuſque ſociis DAN vocatum fuiſſe, verum tam diu regionis illius incolas inſcriptionem illam latuiſſe, donec, ſingulari Dei providentiâ, occupatâ per Iſraëlitas terrâ illâ, denominationem illam in communem populi uſum tranſtulerint. Prout ſimile quid, quoad urbem Bethel, obſervaſſe memini Illuſtrem D. Grotium. Idem de Hiſtoriis illis, quæ ultra tempus vitæ Moſaicæ produci dicuntur, tenendum, ut de *Manna* diuturno uſu. Exod. 16. 35. De *Regibus Edomiticis*, &c. Quid enim abſoni in eo, quod Moſes res aliquas in iis narraverit, quas afflatu divino non ignorabat multo tempore poſt eventuras demum eſſe? Notanter *Auguſtinus* rationem, quâ Moſes ætatem ſuam antegreſſa & conſecuta (horum enim eadem ratio eſt) cognoſcere certe potuit, explanat, dum ait: *Nunquidnam ibi fuit iſte Propheta, quando fecit Deus Cœlum & Terram? ſed ibi fuit Sapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, quæ in animas etiam ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit, eiſque opera ſua ſine ſtrepitu enarrat. Loquuntur eis etiam Angeli Sancti Dei, qui ſemper vident faciem Dei, voluntatemque eis, quibus oportet, denunciant. Ex his unus erat iſte* Propheta, *qui dixit & ſcripſit.* In principio fecit Deus Cœlum & Terram. *Qui tam idoneus teſtis, per quem Deo credendum ſit, ut eodem Spiritu Dei, quo hæc ſibi revelata cognovit, etiam ipſam fidem noſtram futuram tanto ante prædixerit.*

Grot. in Geneſ. 28. 19. Ryſſen. c. Beverl. pag. 47. 48.

Auguſt. de Civ. D. lib. 11. c. 4.

Simſon. Paraſc. Chronic. Cathol. pag. 14.

X. *Quartum Argumentum*, quodque ex *Aben-Ezrâ* præprimis urget Opponens, ac cum ipſo *Thomas Hobbeſius* (de quo ante) depromitur ex Geneſ. 12. 6. *Tranſivit vero Abraham per terram uſque ad locum Sichem, & uſque ad planitiem Morah & Chananeus tunc erat in terrâ.* Sed quid elicere e verbis illis velit, fateor, me non percipere; Haud enim video, *Pentateuchi* Scriptorem indicare iis aliquid, quod poſt exceſſum Moſis demum evenerit, adeoque cujus ipſe *Moſes* ſcriptor eſſe non potuiſſet; quoniam non ad tempus ſcriptionis *Pentateuchi*, ſed profectionis Abrahami digitum notorie intendit. Sique vim argumenti in hoc ſitam dicat, quod Hiſtoricus addat, *Tunc Cananæus in terrâ erat*; adeoque indicet, Chananæum, cum hoc ſcriberetur, in Terra illâ non fuiſſe; id vero Moſi applicari non poſſe, quoniam is, cum ſcriberet, ſiquidem revera

Spinoſ. Tr. Cit. cap. 8.

Hobb. Loc. Cit.

vera ſcripſerit, certo certius Cananæus adhuc in terrâ illâ hæſit, neque expulſus inde eſt, niſi ipſo in Deſerto mortuo: *Reſpondeo*, negari rurſus illam conſequentiam, neque enim ἀσύςατα ſunt, Canaanitas & tempore Abrahami in terrâ illâ fuiſſe, & ſimul in eâ fuiſſe, cum Hiſtoricus hoc ſcriberet: imo vero eo, quod poſt mortem Moſis terrâ illa demum ejectus ſit Cananæus, neceſſe eſt, eum, donec viveret *Moſes*, in illâ moratum adhuc eſſe. Neque obſtat, quod *Moſis* & *Abrahami* tempus unum idemque eſſe non potuerit: eſto enim hoc, anteceſſerit *Abrahami* hæc profectio *Moſis* ætatem aliquot ſeculis, potuitne tamen hic, ut dictum eſt, Spiritus divini afflatu, de hoc, quod ante ætatem ſuam fuerat, teſtimonium perhibere? Probet proinde *Spinoſa*, verum eſſe quod dictat (nam hoc τὸ κρινόμενον hic eſt) Hiſtoricum verbis illis, *Et Cahananita tum temporis in terrâ illâ erat, tempus* quo hæc ſcripſit, *clare excludere*, & herbam ipſi porrigam. Taceo, quod plane aliud quid voculâ TUNC ſignificare videatur Spiritus Dei, ac conſiderant, qui telo hoc pugnant: Non enim meram temporis differentiam deſignatam eâ vult, ſed præcipue etiam populi illius, a quo egreſſus erat Abraham, cum eo, ad quem manu Dei ducebatur, comparationem; utrumque ſcil. fuiſſe nequiſſimum & perditiſſimum; idque unice quidem, ut fidem Abrahami hoc etiam pacto in migratione ipſius exploratam eſſe, ſcripto nobis relinqueret. Præclarè Paræus: *Inſeritur hæc notatio* (inquit) *ut ſciamus terram, Abrahamo promiſſam, fuiſſe tunc poſſeſſam ab aliis incolis, & quidem, impuſſimis. Unde quantam rurſus luctam Abrahami fides hic ſubierit, cogitare eſt, cum videret ſe in eâ terra, ad quam quaſi ad beatam ſtationem a Deo evocabatur, reperiſſe homines æque impios & truculentos, atque domi reliquerat, & fugiendo fumum, in ignem incidiſſe.* Addit Martyr: *Hoc ſcribitur, ut videas, quantâ illi fide opus fuerit* (Abrahamo nempe) *ei promittebatur illa terra, quam tamen occupatam videbat, & a fortiſſimis Gentibus poſſideri: non enim vocabatur in vacuam terram, quæ a nemine poſſideretur.*

Spinoſ. Loc. Cit.

Paræus in Geneſ. 12. 6.

Martyr. in Geneſ. 12 fol. 49.

XI. Hactenus *Spinoſa*: Secutus hunc eſt alius adhuc Novator, parum ipſi abſimilis, *Criticus* certe, ſub nomine Chriſtiano, uſque adeo portentoſus, & in Sacram Scripturam contumelioſus, ut nomen ejus hic apponere, religio mihi ſit; ne indicio illius

(prout in *Libertiniſmum* propenſiſſima jam ætas eſt) petulantium ingeniorum favorem accreſcere ipſi faciam. Hic, licet perſtringere nonnunquam *Spinoſam* videri velit, in hoc tamen proximè ad ipſum accedit, quod *Moſem* univerſi *Pentateuchi* autorem fuiſſe non minus, ac ipſe, neget; nixus licet aliis quibusdam hypotheſibus, paucis etiam, ne quid intactum relinquamus, ad incudem revocandis. Non abjudicat quidem, ut liquet, Moſi *universum* Pentateuchum, ſed diſtinguit *Jura* & *Leges*, inibi occurrentes, a *Rebus geſtis* & *Hiſtoriis* eo contentis, *illarumque* Scriptorem *Moſem* facit, *harum* non item. Sic habet pag. 16. *Jura & Leges Populo latas Moſi adſcribemus.* Inædificat autem hanc ſuam opinionem hypotheſi tam lubricæ, ut ne ipſe quidem fidere illi auſit, niſi admodum ſcrupuloſe; vocat enim eam *veroſimilem* tantum & *probabilem*, neutiquam veram & certam. Si vero *Moſes Legum, in Pentateucho* contentarum, Scriptor tantum fuerit, ut dicit, difficultas manet, quiſnam ergo *Hiſtoriarum* & *Rerum geſtarum*, quæ in eo occurunt, autor ſit dicendus; quem ſcrupulum ut eximat, obtendit, *Veroſimile eſſe, Moſem, qui in Ægypti aulâ educatus fuerat, & in quo omnes perfecti Legiſlatoris dotes aderant, ab ipſo Reip. Iſraeliticæ initio, Scribas quoſdam conſtituiſſe, qui ſingula Reip. ſuæ acta ſummâ fide colligerent, & in publicis ad id deſtinatis monumentis aſſervarent.* Atque his tribuit, quod Pentateuchi *Res geſtas* & *Hiſtorias* concinnaverint. Et ecce, quomodo *Scribas* illos delineet: *Prophetas, Scribas publicos, Divinos Scriptores* eos vocat; a reliquis aliis Scriptoribus, *qui pro affectu & præjudicio ſuorum temporum Annales ſcribere ſolent*, eos diſcriminat; poteſtatem habuiſſe dicit, *temporum ſuorum Acta non tantum colligendi, ſed iiſdem quandoque Actis, a Prædeceſſoribus ſuis collectis, addendo, detrahendo, & immutando, prout expedire putabant, novam quaſi formam inducendi.* Nos (inquam) de his paucis tantum, tum quod brevis Diſſertatiunculæ ratio operoſam eorum confutationem non ferat; tum quod dubium merito ſit, an non expediat, alto ſupercilio contagioſa hæc infelicis Critici βδελύγματα contemnere potius, quam prolixiorem eis refutationem opponere; & an non conſuluiſſet forte melius tum veritati tum pietati præproperus horum Interpres, ſi ſolos *Gallos* ſuos veneno hoc infici ſiviſſet, quam quod linguâ, omnibus Eruditis notâ, pluribus etiam aliis propinare id ipſum inſtituerit.

Pag. m. 15.

XII. *Scribarum* ergo vocem quod attinet, ſumitur ea vel latius vel ſtri-

ſtrictius; *priori* modo quemcunque notat doctum & eruditum, opponiturque עַם בּוֹר *rudi*, ſive illiterato; *poſteriori* idem pene ſonat, quod כהן: ſignificatque nonnunquam talem, qui ſacrum, nonnunquam qui *Politicum* munus obit, סופר המלך *Scribam Regis*, vel, ut LXX. ἀυλαρχὴν, Regis vel Principis miniſtrum honoratum. Non reſpicit hic, credo, Novator *Politicos* ſed *Sacros* procul dubio *Scribas*, At ubi talium vel Sacra vel profana Hiſtoria uſquam meminit? An oculos intendit in *Scribas*, quorum in Euangeliorum libris crebra mentio? At illi Moſis tempore non extiterunt, nedum quod *Prophetæ* & *Scriptores Divini* fuerint. Vel an illos intelligit, qui octodecim in S. Scripturâ voces correxiſſe vulgo perhibentur, unde תִּיקּוּן סוֹפְרִים *Correctio Scribarum* orta eſt? At (præterquam quod tum nihil novi dicat, quod facere videri tamen vult pag. 7. in *Præfatione*, cum multi etiam alii de his egerint) videat, quomodo in gratiam redeat cum *Bellarmino* ſuo, qui *Scribas* illos, ut ex Talmude, fabuloſiſſimo Libro natos, explodit, tum præcipue cum *Galatino*, juxta cujus ſententiam non correxerunt *Scribæ* illi Scripturas, nedum Hiſtorias & res geſtas, iis contentas concinnarunt, ſed corruperunt eas & depravarunt, *Litterarum mutatione*, *punctorum adulterinorum adjectione*, *notarum textualium annotatione*, idque quidem, ut ille loquitur, *juxta Jeremiæ prædictionem* Jer. 7. 9. & *contra expreſſum Dei mandatum*, Deut. 4. 2. Et talesne *Scribæ*, S. Codicis depravatores, *Scriptores divini* fuerunt, *Prophetico Spiritu* acti? Reſtat ergo, ut iſtiusmodi *Scribas* intelligere ſe dicat, qualis חָכָם ille fuit 2 Reg. 22. 10. qui tempore *Joſiæ* Librum Legis prælegebat, & *Eſra* סופר מהיר *Scriba celer* dictus. Eſr. 7. 6. Hos vero ſi ſpectet, quomodo, quæſo, probabit. 1. Etiam ipſius *Moſis* tempore *Scribas* iſtiusmodi extitiſſe? Diſcors quidem Eruditorum ſenſus eſt, quo tempore orti *Scribæ* ſint, *aliis* ad tempora Davidis, *aliis* ad regnum Joſaphati, *aliis* ad Eſdræ tempora eorum originem referentibus; ſed in hoc tamen communiter conveniunt, quod *Moſis* tempora eos ignorarint. 2. Quomodo probabit, *Prophetas*, *Scribas publicos*, *Divinos Scriptores* illos fuiſſe? Provocat quidem ad *Joſephum*, quem *Prophetas* eos nuncupaſſe aſſerit; ſed ubi in *Ioſepho* id liquet? Vocat is, fateor, *Prophetas* Sacrarum *Annalium* Scriptores, ſed illos commentitios hoſce *Scribas* fuiſſe, unde conſtat? Petitio principii: id ipſum enim eſt, de quo controvertitur, an Sacrorum librorum Scriptores

Leuſd. Philolog. Hebræo-mixt. Diſſert. 23. § 1. 2. &c.

Valeſ. in Not. ad Euſeb. p. m. 46

Bellarm. de V. D. lib. 2. cap. 2.

Galatin. Lib. 1. de Arcan. Cathol. Verit. cap. 8.

Joſeph. c. Appion. lib. 2.

res, cum *Legalia* & *Moralia* ipſi conſcriberent, peculiaribus hujusmodi *Scribis* indiguerint, qui ipſorum juſſu *Res geſtas* & *Hiſtorias* concinnarent, librisque eorum eas infererent. *Prophetæ* vocantur *Nathan*, *Gad*, *Ahia*, *Ado*, non tam quod ſcripſerint, quam quod locuti ſint *Prophetias*; vel generaliori ſignificatu, quatenus *Prophetæ* etiam dicuntur, quotquot ſacra Fidei myſteria denunciare ſolent & debent, vel, Spiritu Dei acti, κατόρθωμα aliquod perficiunt. 3. Quomodo probabit, *Moſem* hujusmodi *Scribis*, utut ſuo tempore fuiſſent, Hiſtoriarum & rerum geſtarum ſcriptionem demandaſſe? fingitur hoc tantum, quin ab ipſo *Critico*, ut dixi, non niſi dubitanter & ſcrupulosè aſſeritur. 4. Quomodo probabit, per *Scribas* illos ſtetiſſe, ſiquidem, ut ſupponitur, Divino Spiritu afflati fuerint, non minus ac per ipſum *Moſem*, pro rerum, temporum, perſonarumque circumſtantiis, detrahere, addere, mutare, prout e re eſſe judicabant? neſcitne Novator, ſeverum Dei interdictum, Deut. 4. 2. *Ne quis ullo pacto addat, vel detrahat Verbo meo?* Agnoſcit, ſe id non neſcire, ſed ad ſolos *privatos* reſtringit; negatque id tales tetigiſſe Iſraëlitas, quos Deus ipſe in Verbi ſui *interpretes* elegerat. Itane? Affatur Deus cit. loc. Populum ſuum Iſraëliticum, nullâ inter *privatos* homines & *publicos interpretes* diſtinctione factâ: hunc monet, ne vel *addat*, vel *detrahat quicquam Verbo ſuo*; num vero ad Populum illum Dei ejus etiam interpretes non pertinebant? imò an hi primariò eò non pertinebant? Præſcribit quoque Deus hoc mandatum ſuis Iſraëlitis hunc in finem: ut *ſervarent Præcepta Jehovæ Dei ſui, quæ ipſis præcipiebat*. Sed an ad obſervationem præceptorum illorum minus *Scribæ* hi, ſi fuerint, tenebantur, ac perſonæ quævis privatæ? & ſi ad præceptorum illorum obſervationem, obligati fuerint, ut *Finem*, cur non etiam ad *medium*, quod Deus, ut fini illi inſerviret, ordinaverat? quod fuit, ut *Verbo* ipſius neque *adderent* quicquam neque *detraherent*. Sed quis non ſubolfecerit facile, cur ad Legem hanc ſic excipiat *Criticus*; ita ſcilicet emaſculandum ſperat argumentum, quod contra Romanæ Eccleſiæ Traditiones a Reformatis depromi inde ſolet. 5. Quomodo tandem probabit, opus *Scribarum* hujusmodi ſubſidio fuiſſe? Cur enim qui Divini Spiritus inſtinctu ſcribere potuerunt *Jura* & *Legalia*, ſcribere etiam *Res geſtas* & *Hiſtorias* non potuerunt? Quid obſtat, quo minus miraculoſâ Dei inſpiratione potuerint Scriptores Sacri conſignare antecedanea & ſuccedanea, quam ipſa præ-

præſentia? Et ſi hoc potuerint, quid *Scribas* illos neceſſarios fecit? Semel iterumque obtendit, libros olim in *parvis membranis* ſcribi conſueviſſe, *quæ aliæ ſuper alias circa lignum quoddam convolvebantur*; *nec inter ſe conſuebantur*; adeoque contingere facile potuiſſe, ut, non ſatis accurate voluminum illorum ordine obſervato, rerum ipſarum diſpoſitio & ordo immutatus quandoque ſit; proinde requiſitos fuiſſe hos *Scribas*, ut quæ diſſipata & divulſa forte erant, recolligerent, populique in uſum reſtituerent. At *repono*: Quænam Librorum conficiendorum ratio olim fuerit, non uſque adeo conſtat, nec libet in id penitius hic inquirere dum brevis eſſe laboro: Non *compactos* vel *conſutos*, fuiſſe, ut jam, ſed *convolutos* certum eſt, ipſâ Scriptura non abnuente, Eſai. 34. 4. ſed tam *tenues* & *parvas* membranas illas fuiſſe, quibus Res ſacræ inſcribebantur, quis unquam demonſtravit? Hæc de eo habet *Salmuthus* ad *Paucirollum*, Antiquitatum tam Sacrarum quam profanarum, ſi quiſquam, ruſpator diligentiſſimus: *Complicabantur ſic ut Liber Cæli*, &c. *Alluditur ad Hebræorum mores, qui libros Sacros in unico folio, ſive oblongâ membranâ ſcribebant, & eam inſtar telæ textoriæ radio circumvolutæ circa Cylindrum vel bacillum ligneum circumvolvebant & complicabant.* Loquitur vir ille Doctus etiam de *Membranâ*, cui &c. Sed tam *tenuem*, ruptilem & facile divellendam eam fuiſſe, non dicit. Ut neque adeo neglectim habitas membranas illas fuiſſe veroſimile eſt, ut magno diſſipationis vel divulſionis periculo expoſitæ fuerint; inſtar magni κειμηλίῳ enim ſemper aſſervabantur. Diſcat hoc Criticus ex *Calvino*, ſi doceri quippiam ab adverſario non dedignetur. Sic il le: *Poſtquam Prophetæ concionem habuerunt ad Populum, brevem ejus ſummam colligebant, quam valvis templi affigerent ut, omnibus pateret, ac melius innoteſceret Prophetia. Quæ cum per aliquot dies ſatis patuiſſet, auferebatur a* miniſtris Templi, *atque reponebatur in Theſaurum, ut perpetuum ejus rei* monumentum *extaret. Hinc confectos eſſe libros Propheticos veroſimile eſt.*

Salmuth ad Pancirol. part. 2. pag. m. 114.

Sixt. Senenſ. lib. 2. B. S. Fol. 92

Hotting. Theſaur. Philol. cap. 2. ſ. 3. p. 100.

Calvin. Præf. ad Eſaiam.

XIII. Et quid ſi contingere olim potuerit, vel contigerit forte, ut *Membranæ* illæ diſſipatæ vel divulſæ aliquando ſint, ideone peculiares hujuſmodi *Scribæ* requirebantur, qui eas recolligerent? Cur minus præſtari id potuit ab ipſis Eccleſiæ Iſraeliticæ Miniſtris, vel ordinariis vel extraordinariis, quorum præcipue intererat, curare, ut Sacri Codices integri & inviolati ſervarentur, vel, viola-

ti aut divulſi ſi eſſent, reſtituerentur Ne dicam reſtituere & recolligere Libros Sacros plane aliud quid eſſe, quam concinnare eos, vel ſcribere; de quo *poſteriori* propriè hic quæſtio eſt, non de *priori*. Et an nihil τῷ πολυμερίμνῳ Θεοῦ ὀφθαλμῷ, id eſt, peculiari Dei Providentiæ adſcribi fas eſt? quâ quam ſollicitiſſime cavit, ne vel ullum Sacri ſui Codicis verbum, quod in Fidei morumque regulam Populo ſuo dederat, intercideret? Scio eſſe inter Romanæ Fidei addictos, qui perparum tribuere Divinæ Providentiæ hic ſolent, ne nempe Scripturarum ἀξιοπιστίαν non luxent, Eccleſiæ e contra & Vulgatæ Verſionis autoritatem in Cœlum uſque non extollant; quæ *Critica* hujus non vulgaris unicus etiam ſcopus eſt. Imo ſunt, qui non conſervationem ſed depravationem Scripturarum a *ſingulari* Dei *Providentiâ* deducunt. Sic Jeſuita Gordonus: *Divinâ* Providentia (inquit) *effectum eſt, ut ſtatim poſt factam* Vulgatam Verſionem *depravaretur textus Hebraicus.* At refragatur iis Apoſtolus Rom. 3. 2. dum de Judæis pronunciat: Πρῶτον μὲν γὰρ ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. *Primarium illud eſt privilegium, quod eis concredita ſint eloquia Dei.* Et num fruſtra ſane Deus Judæos Librorum ſuorum depoſitarios conſtituiſſet, niſi caviſſet ſimul, ne in cuſtodiendis iis infidi fierent? Non neſcit ſane *Criticus*, rerum quippe Rabbinicarum nequaquam ignarus, quam meticuloſi ſemper Judæi fuerint, in Scripturarum integritate ſartâ tectâ ſervandâ, quicquid omni conatu in contrarium molitus ſit *Johannes Morinus*. Non neſcit ſiquidem adeo tenacis memoriæ quis eſſet, ut totam Legem ſciret recitare (ut reperiuntur tales ſæpe inter Judæos) non licitum tamen ipſi fuiſſe, vel unicum jota ſine prototypo (quod originale *Legis* volumen erat, a Levitis in ſanctuario aſſervatum) exarare. Non neſcit, quod ſi vel unica tantum membrana eſſet, quæ non reliquis Codicis partibus foret ligata, utut maxime appoſita iis eſſet, non legendum fuiſſe in Codice, uſque dum omnes membranæ ſimul alligatæ eſſent. Non neſcit, Hebræos creberrimos habere litterarum *apices* vel coronulas, quas TAGIN vocant, in quibus omnibus adeo ſcrupuloſi ſunt, ut ſi vel unicum jota, nedum tota vox, deſit, reliqua omnia contaminari ac labefactari putent. Non neſcit denique ſtupendam *Maſoretharum* curam atque induſtriam de quibus Magiſtri, eos למיאות ולאלפים דור אחר דור *Centenos quaſi millenoſque ſingulis*

Gordon. Controverſ. 1. cap. 9. §. 3.

Morin. Exercit. Bibl. cap. 2.

Schickard. de Jur. Reg. Hebr. cap. 2. §. 5.

lis ætatibus fuiſſe) quâ, ne quid immutaretur alibi aut corrumperetur in Codice Sacro, non *voces* modo ſingulis in Libris, ſed *ſingulas* etiam *litteras* enumerarunt. Quapropter neque ipſe *Bellarminus* providam hanc Dei circa Scripturarum conſervationem curam plane repudiat; quin πολυθρύλλητον Philonis Judæi effatum potius adoptat: *Uſque ad ſua tempora per ſpatium amplius quam duorum millium annorum, ne* Verbum *quidem fuiſſe unquam in* Lege *Judæorum mutatum, & quemlibet Judæum centies potius moriturum, quam ut pateretur,* Legem *in aliquo mutari. Judæi* (inquit Auguſtinus) *capſarii noſtri ſunt, ſtudentibus nobis Codices portant.* Sed de his ſatis, ad convellendam temerariam *Critici* noſtri hypotheſin, quâ profligatâ, totum etiam ejus ruere ædificium neceſſe eſt.

Heinſ. in N. T. tam. in Prolegom. p. 2.
Bellarm. de Verb. Dei lib. 2. c. p. 2.
Euſeb. de Præp. Evangel. lib. 8. cap. 2.
Auguſt. in Pſ. 40.

XIV. Sed urget, *Moſem* univerſi Pentateuchi Autorem eſſe non potuiſſe, quod Libri Stylus admodum inconſtans ſit: *Modo* enim (inquit) *conciſus modo diffuſus eſt, etſi non pro re & materiâ.* At dico: 1. Eundem autorem mutare aliquando Stylum ſuum poſſe, imo nonnunquam debere; præſertim in Scriptis, quæ varii & plane diſcrepantis argumenti ſunt, ut *Pentateuchus* eſt; in talibus enim eodem cuncta tenore depromere velle, neque artis eſt, neque uſus. Non dubito, ipſum *Criticum* in multis Scriptoribus, etiam nominatiſſimis, id ſæpe obſervaſſe. Hocque minus forte abſurde adſcribi id poſſet *Moſi*, ſi verum ſit, quod nonnulli volunt, eum cunctos *Pentateuchi* libros non ſimul, ſed unum temporis quodam intervallo poſt alium conſcripſiſſe. Prout non deſunt, qui probabile putant, Librum *Geneſios*, de Creatione & vitis Patrum, ante diſceſſum Hebræorum ex Ægypto, collectum ab eo fuiſſe, cum nempe in Terrâ *Midian* greges ſoceri ſui paſcens, otio & ſolitudine abundaret. Inclinare in ſententiam hanc videtur ipſe *Euſebius*. 2. Et quidſi ſapientiſſimus Deus de induſtriâ ſervi ſui *Moſis* tum animum tum calamum derigere ſic voluerit, ut tunc conciſiore jam diffuſiore Stylo uteretur? nonne per ipſum id ſtetit? maxime cum non tantum Scriptionis materia, ſed modus etiam & verba θεόπνευστα habenda ſint? Et quis melius ad ſuorum ædificationem comparare *Stylum* potuit, ac ipſe Deus? Dicit quidem Noſter, *Styli* diverſitatem rei & materiæ in *Pentateucho* non eſſe accommodatam; ſed dicit id tantum, non probat. Et poſito verum id eſſe, adeone igitur rudes & imperiti *Scribæ* hi fuerunt, ut Stylum ſuum Stylo Moſaico in tantum ſaltem attemperare non potuerint, ut, quæ in unum con-

Simſon. Chron. Cathol. in Paraſc. p. 14.
Euſeb. de Præparat. Evang. lib. 1. cap. 2.

conſtanda opus eſſent, *Styli* etiam æqualitate ſe commendarent. Alias *Novatoris* rationes non adduco, quia cum *Spinoſa*, *Hobbeſio*, &c. communes eas habet, easque ſupra confutatas dedimus.

XV. Verum enim vero; utcunque ſtatuendum ſit, *Moſem* genuinum *Pentateuchi* Scriptorem eſſe, non tamen tam gravis momenti veritas hæc habenda eſt, ut, ſi qui modeſtè forte ab illâ recedant, mox iis hæreſeos dica ſcribenda ſit: qui Phariſæorum præpoſterus olim rigor fuit; modo qui aliter ſentiunt Librorum *Pentateuchi* ἀξιοπιςίαν divinamque authoritatem hypotheſibus ſuis minime luxent, nedum convellant; quod blaſpheme propoſitum, & ex parte factum eſſe *a Benedicto Spinoſâ*, *Thoma Hobbeſio*, *Præadamitarum Artifice*, ut & *Critico* noſtro, quibusvis, ſcripta illorum inſpicientibus, palam eſt. Apud omnes alias in confeſſo eſt, Librum aut Libros aliquos ſacri Codicis divinitatem ſuam nullo modo a deſignato hoc vel illo Autore, cujus nomen gerunt, mutuari, ſed ab argumentis tum materiæ
Waſer. de Authorit. S. Script. §. 13. 24.
tum formæ ſuæ inſitis. Bene Vaſtum illud eruditionis Promptuarium Cl. Spanhemius: *Non pendet Libri authoritas a gente Scriptoris, ſed a Spiritu, quo ſcriptus eſt. Non calamus ſed calamum ducens, non ammanuenſis, ſed author, non qui ſcripſit, ſed qui ſcribenda dictavit, attendi debet.* Ut neque negari poteſt, varios in *Sacro Canone* libros eſſe, de quorum ſingularibus Autoribus & Scriptoribus non uſque adeo conſtat, licet pro verè tamen divinis & authenticis a nemine non habeantur: E. G. Liber *Joſue*, qui ab aliquibus ipſi *Joſuæ*, ab aliis *Eleazaro* Pontifici Maximo adſcribitur; Liber *Judicum*, qui ab hoc *Samueli*, ab alio *Ezræ*, a quibusdam etiam *Pinehaſo*; Libri *Samuelis* & *Regum*, qui ex parte *Samueli*, ex parte aliis tribuuntur Scriptoribus, vel *Nathani* & *Gado* Prophetis, vel *Ezechiæ* Regi, *Eſræ* Sacerdoti & Prophetæ, vel, juxta nonnullos, Prophetæ etiam *Jeremiæ*: Ita ut veré alicubi Altingius: *A quibus Regum geſta conſignata ſint, non ſatis conſtat.* Licet nemo tamen ſit, qui γνησιότητα & αὐθεντίαν eorum in dubium hactenus vocavit.

Spanhem. Hiſtor. Jobi Cap. 16.

Martyr. in Lib. Judic. p. 3.

Alting. Theol. Hiſtor. Loc. 2.

EXER-

EXERCITATIO III.

DE

ΦΙΛΑΥΤΙ'Α.

BREVIARIUM.

Φιλαυ]ία quibus caſibus maximè ſurrepat? Scriptionis *de eâ occaſio. Libellus de* Compendioſiſſimâ ad ſummam perfectionem viâ *laudatus. Gravis nihilominus Error in eo detectus. Cui geminus a Reformatis quibusdam adoptatus.* Virginis *toto Orbe celeberrimæ inconſtans zelus.* Ἐυκληεία *ejus notata. Duo prædicti* erroris *Puncta.* Pyrrhoniorum & Scepticorum ἀταραξία. *Φιλαυτίας vera & genuina ratio variis concluſionibus expoſita. Non licita tantum φιλαυτία ſed &* neceſſaria. *Vnde ut talis non mortific da, ſed Divinæ diſpenſationi ſubjicienda.* Wiertſy, Witſy, Senecæ, Epicteti, Antonini Pii *memorabilia de hoc effata.* Subjectio *hæc in ipſâ* Virtutum praxi *etiam exercenda. Quod quomodo fieri poſſit, explicatur.* Lodenſteinius *ad partes vocatus.* Objectio *ſoluta. Theologi* Myſtici *pulſati. Salus æterna, ut bonum* noſtrum, *etiam expetenda. Φιλαυτία inordinata turpiſſima animæ labes. Ejus e contra ſub divinâ ordinatione ſubjectio virtus maxime commendanda. Ad hanc a Deo impetrandam ſuſpiria pathetica.* Drexelius, Homerus, Seneca *laudati.*

QUid φιλαυ]ία proprie ſit, non definio, aliûs enim id loci eſt: diſcutiendum tantum hic venit, quouſque licita ſit, quouſque illicita, præſertim in ipſâ Virtutum praxi; ubi facillime ſuirepit, & nos, dum amare Deum videri volumus, propriis ſæpe affectibus ſervire facit. Occaſio inſtituti hujus fuit, quod abhinc annos aliquot inciderim in libellum quendam aſceticum, ſub titulo *Via compendioſiſſima*

mæ ad ſummam Perfectionem, editum, ut Editoris & Interpretis Præfatio habet, à religioſâ quadam Virgine Mediolanenſi. Quod an verum ſit, neſcio; hoc ſcio, multa ſaltem tam egregia, & ſublimiorem, quam muliebrem, ſpiritum ſpirantia, *de Sui ipſius Abnegatione* eo contineri, ut non poſſim non fateri, me inter omnia ſcripta humana vix quicquam præſtantius & dilucidius offendiſſe, paucis duntaxat exceptis, cenſoriâ virgula dignis, & cum grano ſalis accipiendis.

III. Hæc inter præcipue obſervavi, quod pag. 170. Edit. Belgicæ Antverp. de A°. 1650. habet, ubi de Remediis contra Φιλαῦτίαν agens, ita infit: *Datſe* (namelijk onſe werken) *van God zijn komende, ſalmen hier aan kennen, dat als wy deſe werken zijn doende, daar door niet beroert en verhoveerdigt worden; nog ook niet gequelt of ontſtelt en zijn, als wy die zijn agterlatende; maar met hun ſijn mede-brengende in onſe ziele een grooten vrede en geruſtheyt, alſoo dat wy evenwel geruſt en te vreden zijn, of wyſe doen of laten.* Id eſt: Opera noſtra bona a Deo provenire, hinc colligere eſt, cum nos, ea facientes, non ſuperbimus, vel efferimur per illa, neque etiam turbamur vel inquietamur, cum ea omittimus; ſed ſi illa ſecum in animam noſtram adferant eximiam pacem & tranquillitatem, ſic ut peræque ſimus contenti, ſive præſtemus ea, ſive non præſtemus.

III. Quorum verborum (ni vehementer fallor) hic ſenſus eſt: Planè nobis in officiorum piorum exercitio indifferens eſſe debere, quomodocunque ea ſuccedant vel non ſuccedant, id eſt, ſive bonum illud, quod officii noſtri eſt, præſtemus, ſive non præſtemus, Deoque adeo ipſo actu obediendo placeamus, vel non obediendo diſpliceamus, modo Ille voluntatem & conſilium ſuum in nobis exequatur; prout *in Cœlis habitat, & quæ* vult, *facit*, Pſal. 115. 3.

IV. Tuliſſem autem facile in Scripto Pontificio paucas iſtiusmodi fæces, tot aurea dicta intercurrentes, niſi expertus poſtmodum eſſem, etiam ex ipſis Reformatis quoſdam prodiiſſe, qui vel eandem opinionem adoptarunt, vel errorem ei valde ſaltem ſimilem tenuerunt & excluſerunt: eoque haud exiguum animarum, genuinæ & exactiori pietatis praxi alias addictiſſimarum, numerum illaquearunt non tantum, ſed ab Eccleſiæ *Reformatæ* communione avulſerunt; idque non quidem aliter, quam ſub ſpecioſâ ulterioris & perfectioris τῆς φιλαυτίας mortificationis

nis & abnegationis προφάσει, *Neo-Donatiſtarum* Societate doloſè erectâ & invectâ. Cujus magnam poſtmodum partem conſtituit (prout communis ſequioris ſexus infirmitas eſt, quod ingentem ſcientiæ theſaurum non diu ferat) Virgo quædam eruditionis laude toto Orbe celeberrima. Hæc enim, relictis chariſſimis ſuis (uti loqui antea ſolebat) deliciis, *Trajecto*, *Voetio*, *Brakelio*, *Loden-ſteinio*, cum infauſti Schiſmatis Artifice *Joh. Labadæo*, in Friſiam ſeceſſit, non ſine inſigni celeberrimi nominis ſui diſpendio; ubi & mortua tandem eſt: editâ ante obitum Ἐυκληρίᾳ ſuâ, ſive Tractatu non vulgari, in quo, recantatis & condemnatis pene omnibus, quæ antea ſcripſerat feceratque, hoc fere egit, ut tum vitæ anteactæ, tum temerariæ imprimis ab Eccleſiâ Reformatâ ſeceſſionis rationem redderet, non ſine aculeatâ piorum quorundam Virorum exagitatione; quâ ſine tamen longê proculdubio ſpecioſius, minorique infirmorum offendiculo, inconſtantiæ ſuæ *maculam*, ſi non eluere, palliare ſaltem potuiſſet. Ευκληρ. *pag.* 56. 72. 73.

V. Παρόραμα vero eorum in hoc præcipue verſabatur. 1. Quod verè Regenitis in omnibus iis, quæ Deus *ipſis* immittit, nullam amplius hujus potius quam illius electionem ſupereſſe arbitrati ſint. Adeo ut, ſi quando V. G. viſum eſſet Deo, tenellum aliquem infantulum, in cunis vagientem, vel in matris gremio cubantem, ad mortem uſque affligere, non liceret illi matri duram iſtam partus ſui ſortem dolere, vel vitæ ejus prolongationem a Deo contendere; ſed e contra incumbere ei, ut, exutâ, ſive (ut loquuntur) *abnegatâ* omni propriæ voluntatis, imo στοργῆς naturalis inclinatione, unice in futurâ Dei diſpenſatione acquieſcat, neque hunc potius quam illum morbi illius eventum efflagitet. Quod an non hauſerint forte ex *Epicteto*, vel *Ariano* potius, *Epicteti* Diſcipulo, ejuſque Enchiridii concinnatore, non ſine ratione dubitaveris. Hic enim eodem pene philoſophatus eſt modo: Ἀλλὰ διεγνωκώς (inquit alicubi) ὅτι πᾶν τὸ ἀποβησόμενον ἀδιάφορον, καὶ οὐδὲν πρός σε ὁποῖον δ᾽ ἂν ᾖ. *Sed conſtitutum eſſe oportet, nihil inter quemvis eventum intereſſe, neque ad te pertinere eum, cujuscunque modi ſit.* Vel ex *Pyrhonicrum* & *Scepticorum* lacunis, qui, dum quicquam honeſtum vel turpe, juſtum vel injuſtum eſſe, ſaltem ut tale cognoſci ab hominibus poſſe, negarent, *indifferentiam* hujusmodi invexerunt; *Epict. Ench. cap.* 39.

Cicer. Quæſt. Academ. lib. 1

Laert. in Pyrrhone.

Euſeb. de Præparat. Evangel. lib. 14.

Voſſius de Philoſoph. ſect. cap. 2.

runt; cauſantes quippe, res ipſas in naturâ talem *ἀταραξίαν* homini monſtrare, ad eamque eum ducere. Quum enim res ipſæ, juxta illos, quoad naturam, affectiones, & proprietates, adeo ſaltem indifferentes eſſent & incertæ, ut comprehendi non poſſint, utpote de quibus in utramque partem poſſet diſputari, neque adeò definiri, an ſint id, vel tales, quod vel quales nobis apparent, inferebant inde, animum quoque ſapientis ad res externas, tam indifferentes & incertas, *indifferenter* habere ſe debere, neque pati ab iis affici ſe vel perturbari. Ipſa praxi teſtatum id eſſe *Pyrrhonem*, teſtis eſt *Laertius*: refert enim eum nihil vitaviſſe vel declinaviſſe, ne quidem currum, ſi occurriſſet, aut canes, aut prærupta, aut ſimilia. Imovero cum *Anaxarchus*, quem audiverat, & a quo dogmata ſua hauſerat, aliquando incidiſſet forte, ipſum, nullâ ejus ratione habitâ, tranſiiſſe, aliiſque quibuſdam id culpantibus, ipſum *Anaxarchum* cum, ut *indifferentem* & affectibus non ductum, laudaviſſe. 2. Quod voluerint, ſi forſan vere pius animam ſuam, quoad hæc vel illa ſacra officia præſtanda, aridam, languidam & perineptam ſentiat, eum e tali cordis ſui conſtitutione turbari minime oportere; licere ei e contra officia illa tum intermittere, tamque hilari pacatoque eſſe animo, ac ſi modo plane contrario omnia ſe haberent.

VI. Quæ cum non *ἄγραφα* tantum ſed & *ἀντίγραφα* planeque abſurda ſint, proprii quippe amoris in homine exceſſum non tantum, ſed & *ipſum hominem* perimentia, quinimo, ſub mortificationis & abnegationis prætextu, deſidioſæ carni, quæ perquam libenter in languore & torpore ſuo abblandiri ſibi ſolet, horrendum in modum frænum laxantia, explicandum penitius eſt, quid de univerſo Φιλαυτίας hoc negotio (quantum nos hic eam ſpectamus) tenendum ſit, quid non tenendum.

VII. *Dico* ergo 1. *Φιλαυτίαν ut ſic*, id eſt, in ſe & per ſe conſideratam, *pro peccato non eſſe habendam*. Cujus hæ rationes ſunt: Quia animæ humanæ naturalis affectio & proprietas eſt, ad ejuſque eſſentiam pertinet; quæ affectio cum *in genere Entis* ab ipſo Deo ſit, peccaminoſa eſſe non poteſt, niſi & ipſum Deum peccati reum peragere velis. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit ac fovet eam.* Eph. 5. 29. Quia Deus expreſſè

Φιλαυ-

φιλαυτίαν in Lege ſuâ præſcripſit. Matth. 22. 39. *Proximum tuum* (inquit Chriſtus) *diliges, ut te ipſum*, Ergo & te ipſum. Quia ad res pleraſque humanas neceſſariò requiritur; quis enim laborare, aliis ſervire, graviſſimas moleſtias ſubire, ſuperioribus obedire vellet, niſi φιλαυτίας ſuæ impulſu eò quadantenus adigeretur & impelleretur? Quinimo puto, univerſum rerum ordinem turbandum, imo mox invertendum plane eſſe, ſi ſtimulus ille vel ad momentum tantum abeſſet. Quia denique Deus innumeris benedictionum promiſſionibus utitur, ut homines amore & deſiderio earum ad officium ſuum illiciat: quodſi vero & ſui & benedictionum illarum cupidine ad officium ſuum incitari illicitum plane eſſet, quomodo Deo, qui ipſa ſanctitas eſt, iſtiusmodi motiva & incentiva adhibere, iiſque homines ad virtutum praxin ſollicitare, integrum eſſet? *Eſa.* 1. 19. 20. *Levit.* 26. 14. 1 *Tim.* 4. 8.

VIII. *Dico* 2. *φιλαυτίαν quà talem abnegandam & mortificandam non eſſe*: Sequitur hoc ex priori. Utcunque enim mortificatio neceſſaria abſolute homini Chriſtiano ſit, extendenda ea tamen non eſt ad naturalia (quò, ut dictum, referenda φιλαυτίας affectio eſt) extirpanda & evellenda, quoniam Gratia tollere naturam non debet, ſed corrigere & emendare. *Vetus homo* mortificandus eſt, cum omnibus cupiditatibus ſuis, ſed non illa, quæ partem veteris hominis non faciunt, prout φιλαυτία, ut ſic, non facit. Eſt φιλαυτία quædam, ad quam natura noſtra, per peccatum corrupta, ſponte propendet, quæ modum excedit, & in Scriptura damnatur, quando ſcilicet homo ſeipſum diligit, quatenus eſt corruptus, id eſt, quatenus vitioſas carnis ſuæ concupiſcentias ſectatur, atque adeo quidem ſeipſum deperit, ut Deum & proximum plane negligat; & hic quidem *ſui amor* plane vitioſus eſt, eique ſoli ſui ipſius abnegatio a Chriſto paſſim opponitur, minimè ei, qui naturalis & eſſentialis ánimæ affectio eſt. *Matt.* 16. 24. *Marc.* 8. 34. *Luc.* 9. 23.

IX. *Dico* 3. *φιλαυτίαν tamen pro primario præſtandarum virtutum incentivo habendam nunquam eſſe*, ſed ſemper tantum pro *ſecundario*; ſive, quod idem eſt, τὸ bonum noſtrum in actionibus noſtris nunquam ultimatè intendi debere, ſed ſemper tantum ſubordinate, quatenus bonum illud noſtrum ad majus bonum, Dei nempe gloriam, actionibus noſtris manifeſtandam referri poteſt. Pium eſſe mihi licet, virtu-

tumque exercitio incumbere, propter gloriam cæleſtem, imò & benedictiones terreſtres, at non præcipue propter illam gloriam vel terrenas benedictiones, ſed propter Deum ejuſque ſanctiſſimam voluntatem. Sic ut bonum meum ſemper veniat ſecundo, bonum *Dei* primo & principe loco. Patheticè Doctiſſimus & Ampliſſimus Vir *Johannes Wiertſius* alicubi in ſuis Colloquiis: *Temporalia hæc me, o Domine, juvent utentem; non corrumpant fruentem & amorem meum retorqueant in te artificem eorum, ne in his, quæ placent mihi, ego diſpliceam Tibi. Amem hæc, ſed plus te amem, & hæc propter Te amem; & ſi iſta diligam, ut ſubjecta diligam, ut famulantia diligam, diligam ut arrham Sponſi, ut munera amici, ut beneficia Domini, ſic tamen, ut meminerim ſemper, quæ Tibi debeam, iſta propter Te, & per iſta & ſuper iſta Te diligam. Illis adhæream dilectione tranſitoriâ, Tibi inhæream dilectione manſoriâ.* Neque minus piè Doctiſſimus D. Witſius: *Non* (inquit) *quod noſtri nobis amorem Evangelium plane prohibeat, ſed eum rite temperare, Deo ſubordinare & ad Deum referre docet. Non licet nobis Deum amare noſtri cauſâ, ſic ut nos ipſos ut finem conſideremus, Deum in mediorum redigamus ordinem, cujus fruitione reddamur beati. Sed quoniam nos res Dei ſumus, quem ante omnia tenemur amare, ideo etiam nos ipſos diligere debemus cum illo ad Deum reſpectu; Bonum noſtrum idcirco quærendum eſt, ut in eo ſuavitatem guſtemus Domini, & ut peculium Dei tanto reddatur auctius. Ita in Oceano illo Divini Amoris noſtri tandem amor abſorbetur.*

Spanhem. Dub. Euang part. 3. pag. 441.

Wiertſ. Colloqu. Dei c. Animâ pag. 145.

Witſ. Orat. de Euangel. Verit. & Præſt. pag. 28.

X. *Dico* 4. Omnem *noſtram* φιλαυτίαν, *utut in ſe licitam, ſapientiſſimo Dei beneplacito ſubmittendam eſſe*; adeo ut, ſi ſimul quod Deus vult, & nos vellemus, obtineri non poſſit, præferatur quod Dei eſt, cedat quod noſtrum eſt. Docent id ipſiſſima Orationis Dominicæ verba; *Fiat voluntas Tua.* Matth. 6. 10. Et quouſque ex ipſiſſimis Ethnicis quidam hic non proceſſêre! Audiſis Senecam: *Hanc quoque animoſam* (inquit) *Demetrii fortiſſimi Viri vocem audiviſſe me memini. Hoc unum* (dicit) *Dii immortales de Vobis queri poſſum, quod non ante mihi voluntatem veſtram notam feciſtis. Prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus adſum. Vultis Liberos ſumere? Illos vobis ſuſtuli; Vultis aliquam partem corporis? ſumite, non magnam rem promitto, cito totam relinquam. Vultis Spiritum? Quid ni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis quod dediſtis, a volent feretis quicquid petieritis.* Σύμφωνος huic eſt *Epictetus* pluribus in Locis, quorum unicum tantum adferam ἐμφατικώτατον:

Senec. de Provid. cap. 5.

Tys

Τῆς (ait) περὶ τοὺς Θεοὺς εὐσέβεια, ἴσθι ὅτι κυριώτατον ἐκεῖνο ἐστιν ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν, ὡς ὄντων, καὶ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως. Καὶ σαυτὸν εἰς τοῦτο κατατετάχμέναι, τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς, καὶ εἴκειν πᾶσι τοῖς γινομένοις, καὶ ἀκολουθεῖν ἑκόντα, ὡς ἀπὸ τῆς ἀρίστης γνώμης ἐπιτελουμένοις. Id eſt, *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud eſſe ſcito, rectas de eis habere opiniones, ut ſentias & eos eſſe & bene juſteque adminiſtrare univerſa. Parendum eſſe eis, & omnibus iis, quæ fiant, acquieſcendum, & ſequenda ultro, ut quæ, a mente præſtantiſſimâ regantur.* Licet ego is non ſim, qui *Epictetum* Chriſtianis auſim annumerare (quod fecère tamen aliqui, nominatim *Caſparus Barthius*, quem *Eruditionis Monſtrum* olim vocitarunt) attamen hæc ſimiliave effata dubitare vix quenquam ſinunt, quin mentem habuerit is homo Chriſtianæ Religionis rore qualitercunque ſaltem adſperſam. Fuit enim (quod omnes pene concedunt) *Epaphroditi* (de quo Paulus Phil. 4. 18.) ſervus: qui *Epaphroditus*, licet impiiſſimi *Neronis* ſatelles, Chriſtianus tamen, & in profligatiſſimâ Aulâ vere fidelis fuit, qui *Paulo* in vinculis & captivitate multa favoris & benivolentiæ officia præſtitit. Quis itaque non credat, nobiliſſimum hunc ſervum, e piiſſimi Domini ſui ore, talia nonnunquam audiviſſe & excepiſſe verba, quæ altiorem, quam qui Gentilium erat, ſpiritum redoluerunt, iiſque inſtructum hanc ſimileſve γνώμας produxiſſe, & ad poſteros transmiſiſſe? Saltem Gentiliſmum ſuperare quadantenus videtur, & ex intimâ Divinorum voluminum Philoſophiâ depromptum, quod de ſeipſo pronunciare in more habebat:

Epict. Encherid. cap. 38. & apud Arrian. lib. 3. cap. 26. & lib. 4. cap. 7

Senec. Ep. 74.

Barth. in Adverſar.

Fritſch. de Erudit. Vitiis cap. 2. §. 3.

> Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σῶμ' ἀνάπηρος
> Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.
> Servus *Epictetus*: mutilati *corporis*: Irus
> *Pauper: at hac inter charus eram Superis.*

Macrob. Saturnal. lib 1. cap. 11

Et quid aliud *Marci Antonini Philoſophi* (Principis, ut de eo Cl. Salmaſius, *in cujus vita ac moribus nihil fictum aut ſimulatum fuit*) Ἀκολούθησον Θεῷ, *Deum ſequere* paroemia indicat? In quam ſequentia annotavit Doctiſſimus *Gathakerus*; haud indigna, quæ huc transſcribantur: *Seneca* de Vitâ Beat, cap. 15. *Sapiens ſemper ani-*

Salmaſ. ad Capitol. Pium.

Gathak. Not. in Antonin. de Reb. ſuis. p. 272.

habebit in animo illud vetus præceptum, Deum ſequere. *Vetuſtiſſimum ſane. Etenim* Moſi tribuit *Philo de Migrat. Abraham.* Τέλος ὖν ἐςὶ κατὰ τὸν ἱερώτατον Μωσῆν, τὸ ἕπεσθαι θεῷ. *Cæterum alii aliis tribuunt:* Pythagoræ *Boethius Conſ. lib. 1. cap. 4. Inſtillabis auribus cogitationibuſque meis Pythagoricum illud,* Ἕπου θεῷ: *Homero etiam Stobæus, Eclog. tom. 1. lib. 2. tit. 3.* Ὅπερ αἰνίξασθαι μὲν Ὅμηρον εἰπόντα
κατ' ἴχνια βαῖνε θεοῖς.
ab eo Pythagoram *ſumpſiſſe.* Alicui e ſeptem Sapientibus *Cicer.* de Finib. lib. 4. *Quæque ſunt veterum præcepta Sapientum,* Deum ſequi; ſe noſſe, &c. *Et Soſiades apud Stob. tom. 2. tit. 3.*

XI. Neque tamen pro *totali* propriæ voluntatis *abnegatione*, multo minus (ut incongrue quidam loquuntur) depoſitione id habendum eſt, ſed pro piâ tantum voluntatis noſtræ in illum finem ordinatione & directione, quò duci & dirigi eam neceſſe eſt. Certè Servator noſter Dominus Jeſus; liberari contendens a Calice, quem propinaverat ipſi Pater, dicenſque, πλὴν ὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. Matt. 26. 39. omnem eo φιλαυτίαν ſuam non deponebat, ſed fidiſſimi Patris conſilio juſtæque diſpenſationi eam tantum ſubjiciebat.

XII. Dico 5. *Ad ipſam Virtutum praxin* φιλαυτίας *noſtræ ſubjectionem & ſubmiſſionem ſub divino conſilio extendendam etiam eſſe.* Adeo ut in omnibus rebus aliis non ſolum acquieſcendum Divino arbitratui ſit, ſed in negotiis etiam moralibus, id eſt, in virtutis bonique præſtitione & omiſſione; tametſi eo nequaquam ſenſu, quem nonnullorum eſſe, ſupra indicavimus. Abſit enim, ut perinde nobis unquam ſit, ſive officium, a Deo nobis impoſitum, præſtemus, ſive non præſtemus; omnino propendere eò ſemper voluntas noſtra debet, quin & totis viribus eniti, ut, quod præſtandum eſt, præſtemus, quod omittendum eſt, omittamus, Deoque vel præſtitione vel omiſſione illâ placeamus & obediamus; maxime ſi rationem *Divinæ voluntatis* habere velimus, ut continuo crepant, qui diverſum a nobis hic ſentiunt. Quis enim eos docuit, *Voluntatem* Dei *mandati*, quâ præcepit nobis, ut hoc illudve præſtemus officium, minus Dei voluntatem eſſe, quam *Voluntatem* ejus *beneplaciti*, qua, juxtá arcanum ſuum conſilium,

ita

Digitized by Google

ita ſæpe diſpenſat, ut quod præſtandum erat, non præſtemus, quod omittendum erat, non omittamus, Abſit etiam, ut, ſiquando nos ineptiores forte ad hoc illudve implendum officium experimur, id impune ideo omitti a nobis poſſe exiſtimemus. Ineptitudo enim hæc cordis noſtri peccatum eſt, pars reſiduæ in nobis corruptionis; quomodo autem, quod noſtrum proprie peccatum & culpa eſt, a Legis & præceptorum divinorum obedientiâ ſolvere nos poteſt! Vel quomodo omiſſio unius officii (ad oppoſitum enim illius ineptitudinis obligati ſemper ſumus) excuſare coram Deo poterit omiſſionem alterius officii? Præclarè hanc in rem nuperrimè Lodenſteinus: *Ad quæſtionem itaque tuam* (inquit) *quoad regenitum, reſpondeo cum omnibus noſtris Theologis: 1. Non licere ipſi exercitia ſua intermittere ſub pretextu, quod Spiritum actu in ſe operantem non ſentiat, quia præſtare, & bene quidem ea præſtare tamen officii ejus eſt. Si careat Spiritus operatione debebat eâ non carere, & probè ſe explorans experiretur, non niſi propriâ culpâ ſe deſtitutum eâ eſſe, neque ejus defectu ſe a præſtando officio ſuo liberari. 2. Accingere itaque operi ſe debet (habens quippe ſpiritualem vitam) ad Dei mandatum, nixus gratiâ & fide promiſſionis ejus, exſpectanſque & acquieſcens in illâ gratiæ menſurâ, quam juxta ſapientiam ſuam, Deo largiri ipſi placebit, ut & profunde ſeſe humiliare propter ſpiritualem ſuam ariditatem & καχεξίαν.* Sic ille.

Lodenſt. contempl. Sion. part. 3. pag. 110.

XIII. Neque pondus habet quod opponis fortè, videri in vanum ſumi terribiliſſimum Dei nomen, ſi citra Spiritum Sanctum ejuſque motus, exercitiis ſpiritualibus quiſquam ſe tradat: Præſupponitur enim falſum; omnimodè ſcilicet & ſimpliciter ſine Spiritu fieri, quod ſine hiſce illiſve particularibus ejus motibus & operationibus fit. Verè regenitus omnia, quæ ſuſcipit, ſacra e generali Spiritus ſanctificantis principio ſuſcipit, Chriſtus enim in ipſo *habitat vivitque per fidem.* Epheſ. 3.17. Gal. 2.20. Quod itaque animum ſuum ad ſacrum quoddam officium applicet, quod animi ſui in eo præſtando torporem deploret, quod abundantiorem motuum & operationum Spiritus Sancti gradum menſuramque anhelet, omne id per Spiritum revera facit, utcunque ad tempus gratiam ejusdem, copſe in officio ſe juvantem, confortantem, utque lubet, tranquillantem non perſentiſcat.

XIV. Notandum vero, φιλαυτίαν noſtram in virtutum exercitio Divinæ diſpenſationi dupliciter ſubjicere ſe debere. 1. Quoad animæ noſtræ *languidam & frigidam diſpoſitionem*, quâcum in pietatis praxi luctari ſubinde debemus; adeo quidem, ut, licet mallemus ſemper contrario nos habere modo, ariditatemque illam animitus deteſtemur, patienter eam tamen feramus, ut crucem nempe a Deo nobis immiſſam (prout peccatum peccato ſæpe punit) juſtumque ejus, in illâ ad tempus in nobis relinquendâ, conſilium ratihabeamus & approbemus. Non dico, quod ariditatis illius contrarium appetere non liceat, vel torporem & languorem illum ratihabere & approbare debeamus; abſit. Peccati enim rationem illi habent, quod nunquam approbandum; ſed quod ratihabendum illud Dei *conſilium* ſit, quo ſic & non aliter diſponere de nobis libet; quod ejus conſilium nunquam non ſummè ſanctum & ſapiens eſſe poteſt. 2. Quoad praxeos virtutum *hæc* vel *illa conſequentia* & *effecta*; quæ *triplicis* generis ſunt. *Spiritualia*, quò referenda præprimis ſuavitas vel dulcedo illa, quæ ipſum virtutis exercitium comitatur nonnunquam, nonnunquam non comitatur. *Corporalia* ſive terrena, ut ſanitas, pax, divitiæ, liberatio e manibus hoſtium, &c. *Cæleſtia* & æterna, regnum Gloriæ, & quævis bona poſt hanc vitam fidelibus poſſidenda. Procul dubio animabus Deo devotis tantum ſui ipſius amori concedere integrum eſt, ut præmia & effecta illa pietatis ſuæ a Deo petant, eaque ut ſecundarium quid (ut ante monuimus) virtute ſuâ intendant. At vero, ſi eventus doceat, placere Supremo rerum Arbitro, ut bonorum illorum nihil plane ad pietatem illam conſequatur, ita quidem φιλαυτίαν ſuam Divinæ ordinationi ſubjicere tum debent, ut τῷ proprio ſuo velle abſolute renuncient, voluntateque conſequente nihil aliud velint, quam quod Deum velle doctæ jam ſunt; *Non conſolationem* (ut ritè monet Rovenius) *ſed dulcem parentem, non teneritudinem ſed ſuavem Dominum ſancto amore complectentes, etiamſi vellet tota vitâ conſolatione eos carere, & ſecum in cruce perſiſtere.* 3. Quoad ipſum *executionis virtutis eventum*: Perinde nobis haudquaquam eſſe debet, ſive præſtiterimus officium noſtrum, ſive non præſtiterimus: verumtamen, ſiquidem Deo diſpenſare ſic libeat, ut quod præſtandum erat, non præſtetur, officii illa omiſſio ut peccatum condemnanda & improbanda tum quidem eſt, at diſpenſatio illa Dei neu-

Roven. Inſt. Lib. 3. cap. 28. pag. 808.

Digitized by Google

neutiquam tamen culpanda, e contra approbanda & adoranda potius eſt; tenendumque eo caſu iſtac viâ glorificandum magis Deum, noſtramque promovendam ſalutem eſſe, quam ſi non ita, ſed aliter ordinaſſet. *Deus* enim *quandoque* (Damaſceno teſte) aliquid *abſurdi & præpoſteri fieri permittit, ut per eam actionem, quæ abſurditatis ſpeciem habet, magnum aliquid & admirabile conficiatur; quemadmodum per crucem hominibus ſalutem comparavit.* *Damaſcen. de Orth. Fid. lib 2. cap. 29.*

XV. Atque in hâc quidem graviſſimam de φιλαυτίᾳ noſtrâ licitâ vel illicitâ materiam concipiendi & explanandi ratione ac methodo, ab omnibus noſtris Theologis pedem figi optem; neque, animo licet forſan non malo, imprudenter tamen, tam prope ab aliquibus accedi ad *Myſticorum* quorundam Scriptorum conceptus ἀλόγους & ἀθεολόγους; ſpeciatim hiſce ſimilibuſque loquendi formulis minus indulgeri: *Animam* mori, *propriam formam amittere; hominem tantum pati; amorem debere eſſe ecſtaticum, Divinum, Deificantem*; vel, ut nuper ſcripſit vir quidam cæteroquin Eruditus, Orthodoxus & excellenter pius: *Licere nullatenus vere regenitis beatitudinem cæleſtem appetere pro ſe ipſis & tanquam proprium ſuum bonum, ſibi ipſis ſuave & gratum, ſed unice tantum ut bonum Deo honorificum & glorioſum, ſecuſque ſi fiat, abſolutiſſimæ φιλαυτίας noſtræ abnegationi id repugnare.* &c. Non enim ſequitur, Beatitudo noſtra expetenda eſt ut bonum glorioſum Deo & ita quidem principue, ergo nullatenus ut bonum *noſtrum*, nobis ipſis ſuave & gratum; ſubordinata enim non pugnant, ut ante evicimus. Et eſtne etiam æterna ſalus in Verbo Dei, ut *proprium* regenitorum *bonum* ſingulariter iis promiſſa, utque peculiaris eorum portio deſtinata? ſi ſic, quod negari non poteſt, cur ergo ſub eo illam formali appetere iis non licet, ſub quo promiſſam eam ſibi eſſe, e Dei Verbo certi ſunt? Agentne etiam fideles, cum glorificati erunt, pro cæleſtibus, quibus fruituri ſunt, deliciis, & quibus pro *ſe ipſis* quidem fruituri ſunt, ſempiternas gratias! At qui pro eo exhilarationis & delectationis beneficio gratias agent, ad quod, ut *ſibi ipſis* gratum jucundumque, adſpirare illicitum ipſis fuit? Imovero dubitandum non videtur, quin Deus in æternæ ſalutis quæſitione ipſiſſimos naturalis noſtræ φιλαυτίας motus intercedere & miſceri ſubinde velit (eo nempe, quo ſuprà definivimus, modo) ut iis in mediorum ſalutis neceſſario ſtudio, tanquam inſignibus ſtimulis, nunquam non excitemur & con-

Agripp. de Vanitat. Scient. cap. 98. p.

Carthuſ. de Fonte Luc. art. 15. 16. 18.

confirmemur; quin & eam ipſam ob cauſam intenſiori amore Deum glorificemus, quia *nobis ipſis* utile & delectabile id olim fore, judicamus & præſagimus. Heb. 11. 26. Pſal. 119. 32. 1 Tim. 4. 8. 1 Cor. 15. 58.

XVI. Cætera (ne hoc omittam) φιλαυτία, niſi intra cancellos hactenus poſitos contineatur, labes animæ eſt teterrima & peſtilentiſſima; Κακεξία, præſertim erectiora ingenia ſi occupet, arrogans, procax, inverecunda, ſe ipſam exaggerans, novitates conſectans, magiſtros contemnens, eoſque vel ut minus ſubtiles, vel ut nimis ſcrupuloſos, accuſans, diſſolutæ licentiæ amans, alienæ laudis impatiens, ſola ab omnibus laudari, & in omnium ore verſari cupida, nihil denique toto conamine quærens, quam quæ intellectus petulantiæ & intemperantiæ ſatisfacere, oſtentationique & populari plauſui deſervire poſſint. Hoc volo, inquit φιλαυτός, hoc amo; neque quicquam volo, neque quicquam quæro, niſi quia me ipſum amo, neque vellem neque quærerem id unquam, niſi mihi ipſi Idolum eſſem, cui ſoli litandum, ſoli ſacrificandum. Ejus e contra, qui propriæ tum opinioni tum dilectioni repudium miſit; hæc pia & devota ad Deum vox eſt: Fiat in me, Deus mi, & circa me, & de me, & in me voluntas tua; fiat, fiat quicquid tibi placet, tuum in corde meo beneplacitum regnet, mea in exilium agatur propenſio; vitam, prout voles, ſive contrahas ſive proferas; honoribus ſive efferas me, ſive contemtu me premas; morbos ſive ingeras, ſive tollas; hominum favores erga me excites, ſive odia permittas, amabo te, diligam te, colam te. Eruditionem, famam, animique præſtantiora dona addas vel adimas. tacebo, patiar, applaudam; Tu ſolus dux, Dominus & arbiter meus eſto. Tuus ſum, tuus ero, vivam Tibi, moriar Tibi; Te ſolum quæro, ſuſpiro, deſidero; Amo, amo, amo Te, mi Deus, & in æternum Te amabo. Hoc unum ne deneges mihi, Deus mi, cor meum amoris Tui Æthnam facito, ut flagrantiſſime te amem, charitatiſque tuæ radiis me ita inflamma, ut Phænicis inſtar in mediis ignibus illis emoriar, hácque aliquando ſeu voce ſeu affectu flammeo vitam meam claudam: *Amo Te, Deus meus, amo Te ſuper omnia amabilia, ſuper Cælum, ſuper Terram, ſuper me ipſum, imo ſuper omnia, quia Tu Deus meus, Soſpitator meus, portio mea, & omnia es.* Vel, ut Jeſuita Drexelius, parum licet Je-

Digitized by Google

Jeſuiticè: Si ita tibi viſum, Domine, ita fiat. Si quid a Te petam noxii, nega mihi. Tu noſti, quid in rem meam magis expediat: age mecum, prout volueris. Da quod vis, & quantum vis. In manu Tuâ ſum, ut pila, huc illuc, & quacunque placuerit, me „ mitte. Honorem Tuum ſpecto, non meum, Tibi vivere deſidero, non mihi. En ego ſervus tuus ad omnia paratus. Neque neſcio Tuam pro me providentiam, mi Deus, dies noctesque jugiter multo magis vigilare, quam meæ omnes curæ pro me ipſo poſſunt. In lubrico ſtat, imo non ſtat, ſed nutat & cadit, qui non omnem ſuam ſollicitudinem in te projicit. Tibi cura eſt de nobis. Modo igitur meâ cum voluntate tua quam integerrimè conſentiat. Tibi omnia permitto cætera. Quid ſit futurum cras, quærere fugio, quemcunque dederis dierum, lucro appono. Si tenebris me ſepias, laudo Te, ſi lucem affundas, etiam laudo Te, ſi pœnis me afficias, æque laudo Te; ſi morbo, ſi paupertate, ſi ærumnis aliis me affligas, iterum laudo Te, non poteſt non eſſe bonum, non eſſe optimum, quod ſtatueris de me. Hoc enim ſemper, mi Deus, quod melius eſt, quod optimum eſt, facis. Proinde libentiſſime patiar, quicquid me pati volueris. Amarum & dulce, lætum & triſte de Tuâ manu, decretis tuis contentiſſimus, accepto, Ab uno atque unico me malo tuere, *dummodo Te non offendam*, & ego facile mortem & inferos ridebo. Quicquid calamitatis in me irruerit, non formidabo, modo non expungar e Libro Vitæ. *Drexel. de Christ. Reſurgent. Part. III. cap. 2.*

Imò neque inter ipſos Gentiles aliter illi apud *Homerum*.

> Ημεῖς δὲ μεγάλοιο διὸς πειθώμεθα βουλῇ. *Homer.*
> *Decretis ſimus Magni Jovis obſequioſi.*

Et *Cleanthes* apud Senecam: *Senec. Ep. 107.*

> *Duc me Parens, celſique dominator Poli,*
> *Quocunque placuit; nulla parendi mora eſt.*
> *Aſſum impiger; fac nolle, comitabor gemens.*
> *Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.*
> *Malusque patiar, quod pati licuit bono.*

Conferantur quæ ex *Epicteto*, *Arriano* & *Antonino* ſupra adduximus.

EXERCITATIO IV.
DE
PIORUM ET SALVANDORUM PAUCITATE.

BREVIARIUM.

Piorum turba abſolute ***numeroſa***, comparatè ***exigua***. ***Dictum*** Conſtantini ***in*** Aceſium ***ἀξιομνημόνευτον***. ***Variorum circa hanc rem Hypotheſes notatæ.*** An Origenes omnes ***tandem*** homines ***ſalvandos eſſe judicaverit***? Johannes Denkius ***quis? Errores ejus varii. A quo ad veritatem reductus ſit? Potentia liberandi animas ex*** Inferno ***Mariæ a*** Pontificiis ***adſcripta.*** Theophili ***cujusdam oratio huc pertinens.*** Mariæ ***in miſeros peccatores miſericordia ſupra eam, quæ*** Chriſti ***eſt, evecta.*** Cælius Secundus Curio, Suarez, Cajetanus ***pulſati. Quorundam in ſalvandorum numero Infernique capacitate definiendis, temeritas. De*** Inferni ***loco ſituque variæ Doctorum conjecturæ.*** Alcazaris ***de cæleſtis Paradiſi amplitudine nugamentum. An axioma abſolute verum ſit***, Pauciores ***ſemper*** meliores ***eſſe? Cur & quomodo cum*** paucioribus ***potius quam cum*** pluribus ***ſemper faciendum? Unde ſit, quod pejores*** plures fere ***ſint, quam*** meliores! Gregorius ***M. laudatus.***

I. PIorum & ſalvandorum grex, in ſe & abſolute ſpectatus, numeroſiſſimus eſt: patet id ex Apoſtoli dicto. Apoc. 7.9. *Ecce* turbam multam, *quam numerare nemo poterat, ex omni Gente & Populo & linguis.* Secus ac ſtatuêre olim *Donatiſtæ* & *Novatiani*, intra ſuos tantum, eoſque quidem, quos ſola capiebat *Africa*, ſalvandorum numerum arctantes. Quapropter neque immeritò *Conſtantinus* Aceſii, *Novatiano-*

tianorum Epiſcopi, arrogantiam, quâ ſe ſuosque ſolos καθαρȣς appellabat, hoc modo retudit: *Erigito tibi ſcalam*, Aceſi, *& ſolus in Cœlum aſcendito.*

II. Comparatè tamen per-exiguus numerus iis eſt, & impiorum damnandorumque multo eo major; ut ex variis Scripturæ teſtimoniis liquet. vid. Matth. 7. 14. & 22. 14. Luc. 13. 24. 1. Cor. 1. 26. Luc. 12. 32. Pſ. 15. 1. Mich. 7. 1. Nimirum nunquam non in areâ plus palearum eſſe videas, quam tritici, plura arborum folia, quam fructus; multi in vite pampini, paucæ uvæ, multæ in roſetis ſpinæ, paucæ roſæ, multi ubique ſilices, paucæ gemmæ. Quanta non ubique multitudo peccantium, turba pereuntium? Vere lugent paſſim viæ *Sionis*, rident e contra ſemitæ *Babylonis*. Siquis mentis oculos in viam, quæ præcipitio ad inferos imminet, attendat, advertet, eam tam viatoribus eſſe frequentem & celebrem, ut alius alium impellat ac trudat gratioſâ compreſſione; adeo plurimi ad gehennæ flammas, velut ad nuptias, alternis exemplis properant, imo ruunt. Conſonat hiſce Chryſoſtomus, qui Antiochenos ſuos ſic olim affabatur: *Quot eſſe putatis in Civitate veſtra, qui ſalvi fiant? Infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: Non poſſunt in tot millibus centum inveniri, qui ſalventur. Quin & de his dubito.* Neque aliter Auguſtinus, cujus hæc verba: *Multi ſunt, & quis numeret; ſtateram profer & appende, vide, contra pauca grana, quantam paleam leves.*

Chryſoſt. ad Antioch. Hom. 40.

Auguſt. de Unit. Eccleſ. cap. 12.

II. Adeoque falſus miſerè eſt *Origenes*, qui omnes tandem homines ſalvandos fore ſomniavit. Attribuunt id ipſi, *Epiphanius, Theophilus Antiochenus, Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius M. Theodoretus*: licet & ſint, qui ipſum errore eo abſolvunt; talia in Scriptis ejus occurere putantes, quæ contrarium videntur innuere; prioremque ſententiam ab iniquis ejus æmulis Scriptis ipſius inſertam tantum eſſe, ut odium magno Viro conflarent. In *Jobi* cap. 1. (ſi is liber ejus ſit) dicit: *Diabolus eſt, qui eſt totius iniquitatis autor, & omnium ſcelerum pater & inventor, & ad cœleſtem auram, ex quâ ſponte cecidit, nunquam iterum aſcendet, nunquam denuo revertetur.* In Matt. cap. 25. dicit: *Diaboli & impiorum æterna credimus tormenta.* Quicquid ſit, falſus ſaltem eſt *Muhammed*, qui neminem in æternum miſerum fore aſſeruit; falſus *Johannes Denkius*, Ludimagiſter olim Norimbergenſis, de quo Petrus *Gyronianus*, in Ep. ad Zwinglium. *Addidi libellum* (inquit) *Germanicum Johanne* Denckio *quodam autore, qui hic agit* Norimber-

Sixt. Senenſ. Bibliot. S. Annot. 141.

Origen. in Job. cap. 1

Id. in Matth. 25. Homil. 9.

Homil. 18. in Numer.

 ber-

bergæ, *proſcriptus ab neſcio quas factiones, homo mirè peſtilens ac lubricus, qui non paucos ſeducit, ut ſunt Auguſtani curioſi. Et inter cætera dicit*, Scripturam minimè nobis neceſſariam; Dæmones in fine omnium ſalvandos, juxta *Origenis* dogma; nec ullam adhuc Eccleſiam eſſe. Et, *ut in ſummâ rem intelligas, e rebaptizatis præcipuus eſt. Hæc partim ex eo audivi, licet nebulo poſt mutârit verba, partim ex aliis, nominatim ex Balthazare Pacimontano, qui mira de illo homine retulit, quod peſtilentia præ ſe ferat dogmata.* Ita ille. Benignius tamen de eo pronunciarunt alii, proque *Viro* cætera *bene docto Hebrææque linguæ, pro temporum illorum ratione, probe perito* eum habuerunt. Adſtruere ſententiam ſuam conatus eſt *Denkius* his rationibus: Quod *Deus omnes homines ſalvos fieri velit*; Chriſtusque *unum Paſtorem, unumque ovile futurum eſſe* dixerit. Reſipuit tamen poſtea, teſte *Sculteto*, erroribusque ſuis publicè *Tiguri* revocatis, Ao. 1528. *Baſilææ* in Domino mortuus eſt. Falſi inſanientes Papicolæ, qui talem *B. Mariæ* potentiam tribuunt, ut ipſas animas ab *Inferno* poſſit liberare; non tantum eas protegendo, ne in eum labantur, ſed poſtquam in illum protruſæ iam ſunt, eas extrahendo. Hinc *Theophili* illius oratio ad Mariam: *Quid tibi negabitur, cui negatum non eſt, Theophilum de ipſis perditionis faucibus revocare?* Quodſi enim *Maria* unum ex orci faucibus poſſit extrahere, quidni poteſt plures, imo quidni omnes, adeoque totum *Infernum* damnatorum vacuum tandem reddere? manet enim ubique eadem ratio, immenſa *ſcil.* Deiparæ Virginis commiſeratio, quâ, ipſis Papicolis non abnuentibus, Filium ſuum Jeſum multis numeris ſuperavit. Doceat hoc *Bonaventuræ* Pſalterium; doceat hoc *Holocottus*; dum dixit: *Siquis* a Patre *terreatur, quia* ſeverus *eſt, aut* a Filio, *quia* judex *eſt, is* matrem *intueatur, quia* medicina *eſt & miſericors.* Doceat id ille, cujus hæc ad *Mariam* verba: *O quid agam? Si* vulnus *amo*, magis *allicit* uber, &c. Falſus *Cælius Secundus Curio*, nec non *Franciſcus Suarez*, qui majorem & potiorem hominum partem ſalvandam eſſe ſtatuerunt. Falſi denique *Cardinalis Cajetanus*, qui parem tum ſalvandorum tum damnandorum numerum futurum eſſe pertendit.

IV. Etiamſi vero major impiorum damnandorumque turba ſit, quam piorum & ſalvandorum, haud certo tamen & præciſe determinari poteſt, quanta illa utrorumque ſit; ſic ut æthiopem lavet, qui ſtudet hic eſſe curioſior: torquens nempe *laceranſque* ſemet ipſum (ut ritè Seneca) *in quæſtionibus, quas contempſiſſe ſubtilius eſt,*

Hotting. Hiſtor. Eccl. ad Sec. XVI. part. 2. p. 435.
Joh. Gerard. Locc. Theol. Tom. 9. pag. 228. 229.
Hoornb. Theolog. Practic.
Marchant. Hort. Paſt. pag. 62.
Scultet. Annal. pag. m. 265. 267.
Mendoz. Viridar. lib. 2. prob. 15.
Rivet Apolog. pro Virg. cap. 15.
Franciſc. de Mendoſa in Viridar. lib. 2. Prob. 15.
Hieronym. Tom. 3. Ep. ad Avit.
Suares de Deo Trin. lib. 6 cap. 3.
Holocot. in lib. Sap. Lect. 36.
Jac. Ledin. de Virg. & Filio.
Senec. Epiſt. 88.

Digitized by Google

eſt, quam ſolvere. Sunt tamen, quibus dictatoriè multa hic definire viſum fuit. Narrat vaferrimus impoſtor *Muhammed* in Alcorano ſuo, in die noviſſimo hominum turmas futuras eſſe centum & viginti, ex iiſque tres tantum ſalvandas eſſe, quarum unaquæque lata futura ſit itinere mille annorum. *Alii* infernalis receptaculi magnitudinem accurratiſſimis finibus circumſcribere conati ſunt, aſſerentes μετὰ πολλῆς παῤῥησίας, futurum id eſſe 1600. ſtadiorum, id eſt ducentorum milliarium Italicorum (octo enim ſtadia unum conficiunt milliare) idque quaquaverſum. Sic ut profundum fore dicant, ducentis milliaribus Italicis, totidemque longum latumque; quo ſpatio compingendos tum damnatos putant, ſicut *haleces* & *piſces* in vaſe. Addit *a Lapide*, tantum loci occupaturum *Infernum* eſſe, quantum eſt Româ Bononiam vel Bruxellis Pariſios uſque. *Leſsius* Inferni cavitatem facit unius circiter *Leucæ*, ſive quatuor milliarium Italicorum; licet non negem eſſe, qui, unum milliare Gallicum, vel bis mille paſſuum ſpatium per *Leucam* intelligunt. Sententiæ ſuæ *Leſſius* hanc allegat rationem, quia damnati in *Inferno* pedibus non conſiſtent, vel huc illucve diſcurſuri ſunt, ſed e contra in cumulum colligendi, adinſtar carbonum & lignorum ardentium; putatque unam *Leucam* ſuffecturam eſſe, ad capienda plus quam octingenta millia millionum corporum; neque autumat, centies mille milliones damnatorum in univerſum futuros eſſe. *De Carceris illius capacitate* (inquit Drexelius) *ſic ratiocinemur: Si æternæ mortis damnentur trigeſies aut etiam mille milliones hominum* 100000000000, *flammeus autem hic Carcer, ſecundum omnem altitudinis, latitudinis & longitudinis dimenſionem, unum milliare Germanicum complectatur, ſatis omnino ſpatii habebit, ad obſtupeſcendum illum hominum numerum complectendum.*

Cornel. a Lapid. in Matth. 7. 14. & Apoc. 14. 20.

Drexel. de Damnat. Rog. cap. 8. §. 1.

V. Et quot non variorum de *Inferni* loco ſituque conjecturæ quoque ſunt? Fecit eum æneum, obſcurum, caliginoſum *Gregorius Nyſſenus*: in Telluris globo eum conſtituit *Iſidorus*; in voragine quâdam ſubterraneâ *Tertullianus* & *Damaſcenus*; in abyſſo Maris *Keckermannus*; in Terræ centro *Bellarminus*. Alii e contra negant, eum locali modo *infra* eſſe, ſed cum Diaboli *infra* eſſe dicuntur, de ſpirituali eorum dejectione & miſeriæ profunditate id intelligunt, non de Terræ *Centro*, quaſi in eo alicubi deliteſcerent; adſtruuntque opinionem ſuam hiſce rationibus; 1. Quia Diabolus nunquam *aſcendere* dicitur, ſed deſ-

Greg. Nyſſen. lib. de Animâ, & Relig.

Chryſoſt. in Roman. Hom. 3.

Tertull. Ap. cap. 45.

Damaſcen. de Orthodox. Fide lib. 3. cap. 29.

Keckerm. Syſtem. Theol. cap. 7

Bellarm. de Chriſt. lib. 4. cap. 10. Aret. Probl. pag. 449. Hoornb. de Parad. Weigel. pag. 21.

deſcendere ad peccatum, ad fraudes, ad blaſphemias excitandas; quodſi vero in Terræ *centro* habitaret, *aſcendere* ad peccata illa dici deberet, non deſcendere. Quia, ſi *infra* eſſet *Inferni* locus, ampliſſimus utique eſſet, tot nempe millium myriadum hominum damnatorum receptaculum: at Terræ *centrum* non eſt amplum. 3. Quia Terræ *centrum* per extremi Diei judicium abſumendum eſt, adeoque & periturus *Infernus*; quod vellent utique Diaboli. Aſt ſophiſmata hæc ſunt, quæ parum cogunt, juxtaque illud Senecæ, *ignoranti nec nocent, nec ſcientem juvant.* Modeſte Chryſoſtomus: *Ubi & in quo loco eſt ipſa gehenna? at quid iſtud curas? Quæſtio ſiquidem eſt, ut oſtendatur, quod ſit, non ubi recondita ſit.* Et alibi: *Non ergo erit, quo fuerit hæc loco ſita, quin magis, quo pacto evitari poſſit, quærendum.*

Senec. Ep. 45. Chryſoſt. in Roman. 16. Et de Præm. Sanct.

VI. Ita de *Inferno*, damnatorum rogo. Cæli ſive beatorum receptaculi amplitudinem determinare etiam inſtituit *Luduvicus Alcazar*: dicit enim, vel dictat potius, tantæ id eſſe magnitudinis, ut æquare poſſit vicies centena millia urbium, qualis eſt *Hiſpalis*, jam *Sivilla* dicta. Quamobrem, quodſi mundus per ſex annorum ſtaret millia, concludit inde a *Lapide*, quibusvis mille annis tot ſalvandos eſſe homines, quot occupare poſſunt tales triginta urbes ſupra trecentas; quolibet autem die tot, quot ſufficiant urbi *Hiſpali* incolendæ; *additis* præterea *ſollicite prædiis, hortis, vivariis*, (ut falsè nænias illas exſibilat Clar. D. *Hoornbekius*) *ne calculo quicquam deſit.* Et certè quis tam ἀγέλαςος eſt, quis tam ferreus eſt, ut nugas iſtiuſmodi non rideat?

Alcaz. in Apocal.

Hoornb. de Theolog. Pract. part. 1. lib. 1. cap. 1.

VII. Ritè alicubi Auguſtinus: *Laudabilior eſt animus, cui nota eſt vel infirmitas ſua, quam qui, eâ non reſpectâ, rerum terreſtrium cæleſtiumque tenet ſcientiam, vias ſyderum etiam cogniturus, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipſe, quâ viâ ingrediatur ad ſalutem & firmitatem ſuam.* Huic effato, aureo ſane, nos quoque aſſurgentes, neſcire malumus accuratum beandorum damnandorumque numerum, quam eorum, quæ magis ad ſalutem faciunt, negligentes, temere quod parum iſtuc facit, determinare. Ut neque anxiè nimis in locorum illorum, quibus recipiendi ambo olim ſunt, magnitudinem, capacitatem, ſitumque inquirere, animus eſt, ne videamur ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, *ſapere ſupra id quod oportet ſapere:* contenti irrefragabili illâ veritate, quam mox adſtruximus: Pauciores eſſe pios, quam impios; ac per conſequens in die decretorio pauciores etiam fore ſalvandos, quamdam-

Auguſt. de Trinit. lib. 1. cap. 2.

Rom. 12. 3.

damnandos; ſive,' ut ipſe Salvator Jeſus: *Multos eſſe vocatos, paucos electos: Matt.* 20. 10. *Nunquam* enim (ut ſcitè Seneca) *cum rebus humanis tam feliciter actum eſt, ut meliora* pluribus *placerent. Indicium peſſimi* Turba. *Sanabimur, ſi modo ſeparamur a cœtu: hæc pars* major *eſſe videtur, ideo pejor eſt.* Πλεῖυς κακοὶ. Imovero jam olim modo talem in modum excreverat ſectatorum *Epicuri* multitudo, hominum generis etiam tunc temporis in omnem impietatem propenſiſſimi, ut (*Laertio* teſte) *ne urbes quidem integra capere eos potuerint.* Prout neque nos ipſi, prohdolor! in meliora reſervati tempora ſumus. Ubi enim terrarum vel virtus non exulat, vel ubi admittitur, non habitationis lege, ut inquilina, ſed hoſpitii gratia, ut peregrina tantum recipitur, modico vix tempore retinenda? Vitium vero ampliſſimi juris & dominii eſt, neque regna ſua amplius numerat, ubique rerum & perſonarum Imperatrix & domina. Utinam diebus noſtris non quadraret Ciceronianum hoc de Hermodoro! *Eſt* (inquit) *apud Heraclitum Phyſicum de Principe Epheſiorum Hermodoro; univerſos, ait, eſſe Epheſios morte mulctandos, quod cum Civitate expellerent Hermodorum ita locuti ſint:* Nemo de nobis unus excellat, ſed ſiquis extiterit, alio loco, & apud alios ſit. *An hoc non fit in omni populo? Nonne omnem exſuperantiam virtutis odère? Quid Ariſtides? nonne ob eam cauſam expulſus eſt patriâ, quod præter modum juſtus eſſet?*

Senec. de Vit. Beat. cap. 3.

Laërt. in Epicuro.

Cicer. Tuſc. Quæſt. lib. 5. *circ. fin.*

VIII. At quæſitu dignum *eſt, An tam abſolutè & univerſaliter verum axioma hoc ſit,* Optimos Pauciores eſſe, *ut illi qui paucioribus ſeſe inter Chriſtianos aſſociant, colligere inde poſſint,* meliorum & pientiorum *partibus ſe ſemper adjunxiſſe?* Ludunt enim quidam hoc obtentu, perſuadentes ſibi ipſis, dum paucos ὁμοψήφυς inveniunt, ſe aliis ideo meliores & commendatiores habendos eſſe. Tenendum hic: Quodſi de omnibus hominibus, univerſâque eorum maſſâ, per totum orbem diſperſâ, ſermo ſit, in eâque pii cum impiis conferantur, omnino certum eſſe, *meliorem* illum eſſe, qui *paucioribus* annumeratur; quum procul dubio hoc reſpectu pauciores ſemper pii ſunt, quam impii, pauciores fideles, quam infideles. Atque huc præcipue ſpectant loca ſuperius allegata. Sed peræque id verum non eſt, ſi pii & impii, fideles & infideles in hoc vel illo loco, urbe, vel diſtrictu, cum ſe invicem componantur: manifeſtè enim experentia docet, hic vel illic pejores nonnunquam plures non eſſe, ſed pauciores, ut & pientiores non eſſe pauciores, ſed numeroſiores. E. G. Siquis in urbe

Epheſ.

Fliſſinganâ Pontificiorum ſocietati ſe jungat, quæ minimam incolarum partem ibi facit, quis colliget inde, cum meliori parte ſe facere, eo quod cum paucioribus faciat, cum *Papicolæ* in illâ Urbe ſimul & *pauciores* ſint, & *pejores*? In genere ſtatuendum, partiariorum neque multitudinem neque paucitatem in & per ſe pro genuino vel pejoris vel melioris partis κριτηρίῳ habendas eſſe. Poteſt enim, ut jam dictum eſt, aliquis hic & nunc facere cum *pluribus* & pientior eſſe, alius facere cum *paucioribus* & pejor eſſe. Infallibile pientioris partis ſignum nullum aliud eſt, quam fides & vita juxta verbum Dei, tum interne tum externe, conſtanter & ἀκριβεστάτως inſtituta. Cum igitur commendatur aliquando, cum *paucioribus* faciendum potius eſſe, quam cum *numeroſiore turbâ*, hoc ſenſu intelligendum id tantum eſt. 1. Quod accuratiori potius incumbendum pietati ſit, quam vivendi rationi laxiori & licentiori; illa enim *paucioru* eſt in mundo, hæc *plurium*. *Nequaquam* (inquit Chryſoſtomus) *ad multitudinem oportet adſpicere, neque exem-*
Chryſoſt. Hom. 24. *plorum denſitate turbari, ſed imitari paucos, qui nos hoc itinere incedere cautiſſime hortantur.* 2. Quod ſectatorum ſociorumque *paucitas*, nullum *meliori* parti cauſæve præjudicium creare debeat; ut certè, inter innumeras genuinæ converſionis remoras, hæc fere minima non eſt, quod pars major pietati minus addicta, quinimo infeſta ſæpe ſit. Huic igitur impedimento tribuendum nihil eſſe aſſertione hac innuitur, neque ulli parti propter ſolam multitudinem adhærendum; Cum (ut ille) *ſequacium turba* numerum *quidem habeat*, pondus *non habeat*. Ite-
Auguſt. in Pſ. 39. rum Auguſtinus: *Si juſtus es* (inquit) *noli numerare, ſed appende; ſtateram affer æquam non doloſam. Noli morari turbas hominum incedentes vias latas; pauci autem per viam anguſtam incedunt.* Et Chry-
Chryſoſt. ad Antioch. Hom. 40. ſoſtomus: *Quænam, precor, utilitas eſt, multum eſſe fœnum potius, quam paucos lapides pretioſos? Non in numeri multitudine, ſed in virtutis probitate multitudo conſiſtit.* Elias *unus erat, ſed totus mundus*
Nazianſ. Serm. de ſe ipſo c. Arian. *non erat dignus, qui rependeretur ipſi.* Nec non Nazianzenus: *Ubinam, ait, ſunt, qui multitudine Eccleſiam definiunt, & gregem exiguum adſpernantur?*

IX. Cauſas ſi quæris, unde ſit, quod *meliores* pauciores paſſim ſint, *pejores* vero numeroſiores? has habe: 1. Quod depravata noſtra natura pejorem & licentiorem partem ultrò ſatis commendet; appetit enim hæc quod maxime ſibi ſimile & convenien

veniens ducit; hoc vero nullo modo eſt *ἡ δύναμις τῆς εὐσεβείας*, ſed vel *μόρφωσις* ejus tantum, vel indomita vivendi libertas, ut lubet. *Latam viam non quærimus* (ait Hieronymus) *neque inventione opus eſt, ſponte enim ſe offert, & errantium via eſt.* 2. Pars etiam melior inferior vulgo eſt (quoad hominem loquor) dominantibus e contra & primas ubique tenentibus deterioribus; quod hinc procul dubio fit, quia, qui diſſolutiores ſunt, *mille* fere *artificia* in ſubſidium vocant, vocare ſaltem poſſunt, quibus cauſam ſuam tum ſuſtineant tum promoveant; pii e contra *unum* tantum norunt *tramitem*, quo incedere & volunt & debent, nolentes vel dextrorſum vel ſiniſtrorſum ab eo deflectere; qui eſt bona & *ἀνυπόκριτος* coram Deo hominibuſque conſcientia. 3. Accedit, quod, qui pejores ſunt, omnia a partibus ſuis habeant, Carnem, Diabolum, Mundum, voluptates, lucrum, & quid non; quibus ſingulis dum velificantur perpetim deteriores, eſſe haud aliter poteſt, quin maximam facile ad ſe turbam alliciant, melioreſque (utut non dignitate, quæ pretioſa eſt apud Deum) authoritate ſaltem & poteſtate inter homines multum exſuperent. Nempe, *Prout ex alto ventus eſt, ita velum vortitur.*

Hieron. in Matth. 17. 14.

Plaut.

Ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστιν
Νοῦν ἔχοντας καὶ φρένας, καὶ
Πολλὰ περιπεπλευκότος,
Μεταχυλινδεῖν αὐτὸν αἰεὶ
Πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον.
Hoc Viri ſagacioris
Et Cati atque verſipellis,
Multum aqua cui tranſitum,
Ut ſeſe applicet ſubinde
Parietem ad feliciorem.

Ariſtoph. in Ranis.

Sic *Ariſtophanes*: alluſione factâ ad Verbum vetus, Πρὸς τὸν εὐπραγοῦντα ῥέπειν, de iis uſurpatum, qui partibus felicioribus ſe jugiter adſociant; oppoſité ad *in caducum parietem inclinare.* 4. Adhæc melior pars pluribus in mundo moleſtiis expoſita eſt; tum *corporalibus*: Per *multas enim afflictiones ingredi in regnum Cælorum debet.* Scatet orbis incarnatis Satanæ Angelis, qui

Act. 14.22

pientioribus nunquam non graves ſunt, acutiſſimis obloquiorum, calumniarum, ignominiarum telis eos divexantes; ſic ut, ſi non cruenta ſemper, ſæpiſſime tamen *martyria* ſubire cogantur

Gregor. M. in Euangel. Hom. 35

incruenta, trucidenturque ſubinde ab adverſantibus (ut bene alicubi *Gregorius*) *nullo percutientium ferro*. Tum *Spiritualibus*; in-

Barrad. Concord. Euangel. Tom. 2. p. 495. 498.

dies enim deflenda peccata & mortificandam carnem ſuam habet, mancipare, religioſæ conſcientiæ impulſu, ſacris officiis ſe debet, nunquamque non cum veteris hominis, ad ſocordiam propenſiſſimæ, reliquiis & recalcitrationibus conflictari, &c. Quæ o-

Pſal. 73. 5.

mnia ab hominibus impiis vel ignorantur plane, vel neglectim ſaltem habentur, imo audacter ſæpe contemnuntur. *Non ſunt in la-*

Lactant. de Ver. cultu lib. 6. cap. 3. 4.

bore mortalium, & cum hominibus reliquis plagâ non adficiuntur; ignominias, calumnias, opprobria ob pietatem (quam quippe flocci faciunt) non ſubeunt; lata, mollis, roſea ipſorum via eſt, arcta vero & moleſta ſemita piorum; aſperitas montium hic, illic vallium declivia. Quamobrem haud mirum eſt, plures multo per viam planam incedere malle, quam per duram & ſalebroſam. Conſtat, enim, juxta Stratonis illud Phyſici, *αἰεὶ πλείους εἶναι τοὺς λούεσθαι, ἢ τοὺς ἀλείφεσθαι βουλομένους*, *plures ſemper eſſe qui lavari, quam qui ungi velint*; ſive, quod idem eſt, ad thermas

Pſal. 45. 14. 15.

itare malunt, quam ad palæſtras. 5. *Homo* denique *animalis incapax plane eorum eſt, quæ Spiritus Dei ſunt*. 1 Cor. 2. 14. Ignoti autem nulla cupido, tantumque diligimus, quantum cognoſcimus. Quum ergo impii circa pietatis piorumque excellentiam ut talpæ ſemper cæcutiant, quid mirum, ſi eorum ſe ſocietati non ita immiſceant? *Tota honorata eſt Filia Regis intrò*, ut inquit Pſaltes; ſed non penetrant eò lippientes improborum oculi, quare & inde procul dubio eſt, quod vix ullo in eam affectu ferantur: e contra in eorum potius inclinent, quin ruant, partes, quorum præſtantiam ſibi exploratam cognitamque eſſe exiſtimant; deplorabili ſemper animarum ſuarum tum impoſturâ tum jacturâ: quoniam petit quidem

> *Via Virtutis dextrum ardua collem,*
> *Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert*;

Verum tamen

> *Requiem feſſis in vertice ſummo*
> *Poſt prabet.*

Cum

Cum e contra gratum quidem ac

> *Molle oſtentet iter via lata, aſt ultima meta*
> *Præcipitet captos, volvatque per ardua ſaxa.*

Heſiodus:

> Δίκη ὑπερύβριον ἴσχει,
> Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα, παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω. *Heſiod. Op. & Dies.*
> *Tandem ſua pœna nocentem*
> *Conſequitur, paſſuſque ſapit tum denique ſtultus.*

Ipſoque nimis ſerò experitur ſenſu, quam inſanum ſit, a *paucioribus*, dum viveret, receſſiſſe, ut cum *pluribus* in æternum miſer eſſet. *Neque enim eo minus ardebit, quia cum multis ardebit*, ut ſcite alicubi *Bernardus*. *Bernard.*

EXERCITATIO V.

DE

PRÆADAMITIS.

BREVIARIUM.

Mundo Ariſtotelem æternitatem *adſcripſiſſe non uſque adeo certum.* Zabæorum, Arcadum, Chinenſium *de hominibus* ante-Adamicis *opinio. Regni* Athenienſium, Macedonum, Ægyptiorum *antiquitas quouſque a nonnullis producta?* Duplex *Talmudicorum Mundus.* Mareſius *leviter notatus. Locus Gen.* 1. 1. *vindicatus.* Plurimi *a Gentilium quibuſdam* Mundi *invecti. Primus* Præadamitarum *inter Chriſtianos artifex quis?* Andreæ Cæſalpini, Democriti Abderitæ, Epicuri, &c. *de* primorum *hominum ortu placita. Paracelſi* Homunculi *an* Præadamitis *accenſendi? Genuina eorum conditio expoſita.* Paracelſus *cur a pluribus oppugnatus, quam intellectus? Peirerii Præadamitarum* intro-

troductoris πρῶτον ψεῦδος. *Sententia ejus quinque argumentis oppugnata. Diſtinctio inter peccatum mortemque* naturalem & legalem *exploſa. Rationes* Opponentis *excuſſæ & diſcuſſæ.* Urbs, *a Caino fratricida ædificata, quæ? Gens humana* Caini *tempore inſigniter modo multiplicata.* Præadamitæ *epitaphium.* Ælia Lælia Criſpis *cum eo collata. Sententia* Præadamitica *paucos homines infecit. Cujus ratio redditur. Ab ipſo tandem Peirerio eſt ejurata.* Iſaacus Voſſius *notatus.*

I. QUodſi Adamus in tempore creatus ſit, de quo, juxta Scripturas, non dubitandum, conſequi neceſſe eſt, infinitos pene extitiſſe *Præ-adamitas*, ſi eorum teneat ſententia, qui Mundum ab æterno fuiſſe ſtatuerunt. Quos inter an recenſendus quoque *Ariſtoteles* ſit, cui communiter id adſcribitur, non deſunt, qui ambigunt, & forſan non ſine ratione. Eſt quidem, quod ſummus ille Philoſophus quibuſdam in locis ἀΐδιον καὶ ἀγένετον, id eſt, *æternum* & *ingenitum* mundum vocet, eumque μήτε ἀρχὴν μήτε τελευτὴν; id eſt, *neque initium neque finem habuiſſe* aſſerat, ſed interpretantur id alii benignius; ſtatuuntque, *Ariſtotelem* ſententiam illam, ut *probabilem* quidem, nunquam ut *demonſtrabilem* propoſuiſſe; adducentes eum in finem, quod Topic. 1 Cap. 9. habet: ubi, ſitne mundus *æternus*, nec ne, *problema dialecticum* tantum vocat: Verba ejus ſunt: Εἰσὶ δὲ προβλήματα καὶ ὧν ἐναντίον εἰσὶν οἱ συλλογισμοί (ἀπορίαν γὰρ ἔχει πότερον οὕτως ἔχει, ἢ οὐχ οὕτως, διὰ τὸ περὶ ἀμφοτέρων εἶναι λόγους πιθανούς) καὶ γὰρ περὶ ὧν λόγον μὴ ἔχομεν ὄντων μεγάλων, χαλεπὸν οἰόμενοι εἶναι τὸ διὰ τί ἀποδοῦναι, οἷον πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος, ἢ οὔ· καὶ γὰρ τὰ τοιαῦτα ζητήσεις ἄν τις. *Quæſtiones ſunt, de quibus & in alteram partem eſt ratiocinari: ubi nempe diſputari poteſt, an res ſic ſe habeat, an aliter, quia in utramque partem argumenta ſunt probabilia. Tum etiam, de quibus certi aliquid non habemus, quia, cum res ipſæ ſint graves, cauſas, cur res ſic vel ſic ſeſe habere pro certo habeatur, non invenimus, ut, an* ab æterno ſit Mundus, *an non? nam talia ſolent veniſſe in diſputationem.* Ne dicam eſſe, qui intellexiſſe id Philoſophum tantum volunt de æter-

Thom. 1. qu. 46. art. 1

Ariſtot. Top. lib. 1. cap. 9.

Digitized by Google

æternitate a *parte poſt*, non a *parte ante*; imo qui univerſim illum re- rore hoc abſolverunt; exiſtimantes, dum Mundum ἀΐδιον *æternum* dixit, ſumpſiſſe tum vocem illam, non in *rigore metaphyſico*, ſed more & *modo phyſico*; prout ipſe alibi ſe explicat, dicens: τὰ δ᾽ ἀΐδια ἀγένετα καὶ ἄφθαρτα, *Æterna ſunt, quæ incorruptibilia & ingenerabilia ſunt*. Sicut & *æternum* rebus *caducis* alio loco opponit. Adeo ut, cum Mundum *æternum appellavit*, nequicquam aliud innuiſſe illum putent, quam eum per *principia naturæ* neque cœpiſſe, neque periturum unquam eſſe. *Ariſtot. ad Nicom. lib. 2. cap. 3. & lib. 1. de part. Anim. cap. 1.*

II. Quomodocunque id conceperit *Ariſtoteles*, certum ſaltem eſt, ut dixi, ſtatui non poſſe, Mundum *ab æterno*, id eſt, infinitis ſeculis ante *Adamum* fuiſſe, quin concedendum ſimul ſit, ex ſic ſententium hypotheſi, multos etiam homines *ante Adamum* extitiſſe; niſi fingere mundum quis velit, tot retro ſeculis, omnibus plane habitatoribus deſtitutum: a quo abſurdo neminem, credo, non abhorrere. *Hotting. Hiſtor. Orient. lib. 1 cap. 8.*

III. Tendere, ad homines *ante-Adamicos* inducendos, etiam videtur *Zabæorum* (legunt alii *Sabiorum* vel etiam *Nabothæorum*) ſententia, qui *tres* ante Adamum homines fuiſſe, diſertis verbis aſſeruerunt: *Janbuſan* nempe, qui nonnullis eſt *Somboſcher*, diciturque Adami præceptor fuiſſe (licet alii *Razieli* cuidam id adſcribant) *Tzagrit* & *Roaneu*. Addentes, Adamum potenti Dei manu haud creatum, ſed, ut nos, e viro ac muliere natum fuiſſe; contra Scripturam non ſolum, ſed plane etiam aliter, ac olim inter ipſos Ethnicos quidam luſerunt: *Heſiodus*. *Heſiod. Oper. & D. 60.*

> Ἥφαιστον δ᾽ ἐκέλευσε περικλυτὸν, ὅττι τάχιστα,
> Γαῖαν ὕδει φύρειν, ἐν δ᾽ ἀνθρώπου θέμεν αὐδήν.
> *Mulciberumque moras jubet omnes ſolvere, & undas*
> *Commiſcere ſolo, atque humanam imponere vocem.*

Et *Juvenalis.* *Juvenal. Satyr. 6.*

> *Compoſitique luto nullos habuêre parentes.*

Mitto *Arcades*. qui προσελήνους ſe dixerunt, id eſt, ipſâ *Lunâ*, (procul dubio ante Adamum conditâ) *antiquiores*. Sic *Apollonius*: *Apoll. Argon. 4.*

> Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται.

Seneca: *Senec. Hyppol.*

> *Sidus poſt* Veteres *Arcades editum,*
> *Currus non potuit flectere candidos.*

Ovidius:

Ovid. Faſtor. 2.

Ante Jovem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & Lunâ *Gens* prior *illa fuit.*

Et *Papinius Statius:*

Statius Thebaid. lib. 4.

Arcades *hinc* veteres, *aſtris* Lunâque priores,
Agmina fida ſalis.

Et quos putas *Chinenſium* fuiſſe primos homines, an Adamum vel Adamitas; quis id crediderit? cum mundi ætatem ad ter mille bis centum & ſeptem mille millia annorum extenderint? Quo Autores illos etiam referas, qui Athenienſis, Macedonici, & Ægyptiaci Regni antiquitatem in immenſum pene produxerunt. *Athenienſis* & *Macedonici* ad 8000, *Ægyptiaci* ad 13000, nonnulli, (inter quos *Diodorus Siculus*) ad 23000. annos; idque ad expeditionem *Alexandri Magni* tantum. Qui licet ſtupidus eorum error quidem fuerit, profligatus ab *Auguſtino*, non tamen ſentire ſic potuerunt, niſi ſuppoſitis quoque hominibus quibusdam *ante-adamicis*; cum nemo ſani ſincipitis (excipe unum forſan *Iſaacum Voſſium*, Virum alias eruditiſſimum) hodie dicturus ſit, a creatione *Adami* in hunc uſque diem, plures lapſos eſſe annos, quam quinquies mille, ſexcentos & octoginta præterpropter.

Auguſt. de Civit. Dei lib. 12. cap. 10. Voſſius de Ætat. Mundi pag. 16.

IV. Habuit & Hebræorum Schola, qui a *Præ-adamitis* non videntur abhorruiſſe, dum mundum adſpectabilem ſtatuêre *duplicem*, finxeruntque, præſentem hunc primum non eſſe, ſed alium eum anteceſſiſſe, deſtructum anno ipſorum Sabbatico cum iäm per ſex annorum millia conſtitiſſet. *Rab. Abhhu*, apud Menaſſeh Ben-Iſraël, dixit: *Habemus, quod Deus ædificarit Mundos, & illos iterum deſtruxerit.* Scil. ut dixi, ſingulis *ſeptem* annorum millibus deſtrui mundum volunt, & tunc novum a Deo ædificari. Quod ſi verum ſit, ſequi iterum neceſſe eſt, *vel Adamum* prioris mundi tempore creatum eſſe, quod non credo conceſſuros Judæos; *vel Mundum* illum hominibus planè vacuum fuiſſe, quod non magis concedent; *vel* denique Adamum homines quosdam alios præceſſiſſe, qui *Præ-adamitæ* procul dubio dicendi ſunt. Adeo ut cum grano ſalis verba Viri cujusdam Doctiſſimi accepta velim, dum dicit: *Utut præter Evam & ante eam neſcio quas conjuges Adamo aſſignent recutiti, nunquam tamen, ullos homines Adamo priores febricitando eos ſomniaſſe.* Quodſi enim de directâ Judæorum *Præadamitarum* aſſertione intellectum id velit, dubitare non

Menaſſ. Ben-Iſr. Problem. de Criat. 12.

Mareſ. Refut. Fab. Præadamitic. Quæſt. 1.

Digitized by Google

non licet, quin verum ſit, quod dicit; ſi vero de talibus eorum hypotheſibus, quibus commentum hoc connexum neceſſario eſt, non video, quomodo cum mox dictis (quorum & ipſe mentionem alibi facit) conciliari id poſſit.

V. Inædificarunt, ut videtur, Judæi *duplicem* hunc mundum huic fundamento: quod Hiſtoria Creationis, a littera ב, quæ numeri *binarii* index eſt, initium ducat. בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים *In principio creavit Deus &c.* Unde ſic inferunt: Littera ב *binarium* indicat numerum: Hiſtoria Creationis Mundi a littera ב incipit, Ergo duplex creatus eſt Mundus. Achillæum ſane argumentum, Talmudicâ Cathedrâ dignum. Sic μωροὶ μωρὰ λέγουσι, *Stulti ſtulta loquuntur*, juxta Euripidem. Quidni enim eâdem concludant ſequelâ, Deum in principio, non unum ſed *duos Soles*, non *unam* ſed *duas* Lunas condidiſſe? cum Littera ב in in בְּרֵאשִׁית non tantum ad Cælum Terramque, id eſt, mundum in genere, ſed ad omnes ejus partes, eodem *Geneſios* capite memoratas, referri poſſit, & debeat? Imovero cur eodem non pronunciant halitu, omnes eas voces Hebræas, quæ a Litterâ ב incipiunt, non ſimplicem tantum, ſed *duplicem* rem ſemper ſignificare? E. G. בשֶׁת non ſimplicem *pudorem*, ſed duplicem; בַּיִת non ſimplicem ſed duplicem *domum*, & ſic in reliquis?

Eurip. in Bacchu.

VI. Alias non uſque adeo novum eſt, Hebræorum quoſdam plures mundos induxiſſe; commune enim id habent cum Philoſophorum plurimis, *Anaximandro*, *Anaximene*, *Archelao*, *Xenophane*, *Diogene*, *Leucippo*, *Democrito*, aliiſque, quos non tantum *duplicem*, ſed innumeros penè ſtatuiſſe Mundos, teſtes ſunt *Plutarchus*, *Stobaus*, *Metrodorus &c.* Quibus Auguſtinus *Ophaos* Hæreticos etiam adjecit, ut pote paria iis cum facientes.

Euſeb. de Præparat. Euang. lib. 15. cap. 33.
Plutarch. Collect. Phyſic. lib. 2
Stobæ. Ecl. Phyſ. lib. 1. cap. 21.
Auguſt. Hæreſ. 77.
Claudian. de Epicur.

Ille ferox unoque tegi non pulſus Olympo
Immenſum per inane volans, finemque peroſus
Parturit innumeros anguſto pectore Mundos.

Ait

ait Claudianus de *Epicuro.* Item Lucretius:

Lucret. lib. 2.

Cœlum ſimili ratione fatendum,
Terramque & Solem, Lunam quoque, cætera quæ ſunt,
Non eſſe unica, ſed numero magis innumerabili.

Voſſ. de Creat. Diſp. part. 2. §. 11. 1 m

Quin ipſe *Origines*, teſte *Hieronymo*, unum quidem Mundum uno tempore factum eſſe dixit, ſed addit tamen, *ante* eum alios fuiſſe, & poſt illum alterum fore, illique rurſus ſucceſſurum eſſe alium atque alium.

Hierony. ad Avit.

VII. Sic illi quidem e *Judæis* & *Gentibus* pro *Præ-adamitis*, ſed indirecte tantum, & per conſequentiam. Planius καὶ αὐτοῖς ῥήμασι urgere eos poſtmodum cæpit, Anno nempe hujus ſeculi 55. Scriptor quidam anonymus, notus poſtea ſub nomine *Iſaaci Peireræ*, ſive *Peirerii.* Hic enim faſtuoſo conatu, multiſque, ut putat, tum Scripturæ textibus, tum rationibus, adſtruere aggreſſus eſt, Adamum & Evam *primos* in Mundo homines non fuiſſe, ſed plurimos alios infinitis ipſis ſeculis priores extitiſſe. Fuitque hic quidem, meo judicio, *Chriſtianorum* primus, qui inſulſiſſimum hoc εὕρημα publicum fecit: Ipſe de ſe ipſo id etiam jactat, Tractat. ſui Exercit. 8. *Ego* (inquit) *contra communem omnium Theologorum ſententiam Præ-Adamitas in theatrum produxi.*

Spizel. Inſel. Litter. pag. 827. 828.

De Præ-Adam. Exercit. 8.

VIII. Extitêre nihilomninus etiam ante ipſum *Chriſtiani*, qui eundem errorem concepiſſe ſaltem videntur, licet tam impudenter, iiſdemque terminis & modo, ac ille, eum non excluſerint. Referendus huc (ne de *Manichæis* dicam, de quibus videri poteſt Auguſtinus) *Andreas Cæſalpinus*, Medicus Romanus; qui primos & vetuſtiſſimos homines, inſtar murium & ranarum, ex putri materiâ factos eſſe, pronunciavit: adoptato procul dubio eo errore ex *Democriti Abderitæ* hypotheſibus, cui ex aquâ limoque primum viſum eſt homines procreatos eſſe. Non multum abludente etiam *Epicuro*, qui credidit, limo calefacto uteros neſcio quos radicibus terræ increviſſe, & infantibus, ex ſe editis ingenuum lactis humorem, naturâ miniſtrante, præbuiſſe, hoſque, ita educatos & adultos, hominum genus procreaſſe. At nemo, credo, talem *Adamo* creationem ullo colore attribuet, vel ulli hominum poſt-Adamico. Ergo procul dubio, juxta Viri illius ſententiam, homines illi *Præ-Adamitæ* debent fuiſſe.

Auguſt. de Hæreſ. cap. 46.

IX. Jungunt huic nonnulli *Theophraſtum Paracelſum*, Chymiſtam

miſtam celeberrimum, eo quod diſtinctionem inter homines *Adamicos* & *non-Adamicos* invexerit. Mentem ejus ſequentem in modum exponit Clariſſ. D. Voetius: *Senſit* (inquit) *Deum præter homines Adami poſteros, etiam alia quatuor hominum genera, carnibus, oſſibus, ratione prædita creaſſe, eoſque in ſingulis Elementis collocaſſe. In* Terræ *viſceribus Pigmæos & Gnomes. In* Aquis *Nymphas & Undenas. In* Aëre *Sylvos & Meluſinas. In* Igne *Vulcanos & Salamandras; & incertum adhud eſſe, cuinam hominum generi fides vera in Deum ſit data, & via ad ſalutem patefacta.* Ita ille. Aſt dubium mihi eſſe fateor, an ex ſimplici tali diſtinctione fabricatâ certò ſatis conſequatur, Homines *Paracelſum* Adamo antiquiores ſtatuiſſe: cum homines illi *non-Adamici* æque potuerint conditi fuiſſe *poſt* quam *ante* Adamum. Quantum ego ſenſum ejus percipio, præcipuus ejus error in hoc verſabatur, quod *Nymphas*, *Sylvas*, *Gnomes*, *Nereides*, *Centauros*, *Sylvanos*, *Satyras*, *Faunos*, *Cobalos*, *Koboldos*, aliaque animalia Marina, Montana, Sylveſtria, &c. ad *humanam* ſpeciem reducere voluerit, eò quod ad formam *hominis* tam propè accederent, licet ea ex Adamo genita eſſe, inficiaretur. Sed an illa animalia, ſive, ut ille loquitur, homines *non-Adamici* ſive *Homunculi*, origine ſuâ Adamum *anteceſſerint*, non liquet, cum nullibi determinaſſe: quod fieri tamen oportuit, ſi (ut non-nemo putat) *Præ-Adamitarum* Patronis eſſet accenſendus. Ego ſaltem, lectis & relectis ejus Tractatibus, obſervare id nusquam potui. Quinimo, quantum aſſequi licuit, non proprie ſed impropriè tantum *Gnomes*, *Sylvanos*, *Koboldos* ſuos *homines* appellat, magiſque hominem ejuſque formam referentes, quam homines. Exertè enim iis animam rationalem (ſecus ac ex D. *Voetio* mox audivimus) pietatis ſtudium, ſpem vitæ æternæ, communionem mortis Chriſti, reſurrectionemque abjudicat, ut ex univerſâ eorum deſcriptione, quam exhibet, manifeſtum eſt. At vero, cum de *Præadamitis* quæſtio eſt, non reſpicitur tantum ad animantia humanam ſpeciem referentia, ſed ad creaturas verè rationales, a Deo ad imaginem ſuam conditas. *Merſennus* ad *Dæmonas* Homunculos hos retulit. *Hunc* (dicit) *Paracelſi* homunculum *eundem eſſe exiſtimo cum Diabolis, qui ſe*

Paracelſ. Philoſoph. Magn. Tract. de homuncul. p. 159.
Voet. Diſp. Select. Vol. 1. pag. 738.

Paracelſ. Tract. Cit. pag. 177.

ad inſtar infantinm ali curant, quos aliqui mont de gloire *vocant*; Alii adhuc aliter eos explicarunt,ſed parum forte ad Autoris mentem. Prout veniâ certè digni ſunt quotquot Doctoris hujus perplexiſſimi & intricatiſſimi, quique (Eraſmo teſte) *vix quicquam præter ænigmata fudit*,vel (ut alius) *a pluribus oppugnatus*,quam *intellectus* fuit, genuinum ſenſum haud dextrè aſſecuti forſan ſunt. Sufficit mihi ex iis, quæ dixi, ſat perſpicue eluceſcere, eum figmenti *Præ-Adamitici* fautorem non fuiſſe; quod tribui ipſi a *Viro* ſatis *Docto*, antehac obſervaveram.

Eraſm. in Ep. Parac. Th. magnet. præf.

Tycho Brahé. cit. Hofmann. Lexic. Univerſ. Tom. 2. pag. 97. 8.

IX. *Peirerii* vero πρῶτον ψεῦδος, quodque primum in errorem ipſum induxit, eſt, quod ſupponat, de aliâ plane hominum creatione *Moſem* loqui cap. Geneſios *primo*, quam *ſecundo*; exiſtimetque, ſermonem *illic* eſſe de *Gentilium*, hic de *Judæorum*, ex Adamo & Evâ progenitorum, formatione. Quæ quidem hypotheſis ſi vera eſſet, ſequeretur utique, plurimos homines, ſpeciatim Gentiles, ante *Adamum* vixiſſe & devixiſſe. Sed fuêre pridem, qui abſurdiſſimæ hujus Novatoris opinioni tam curatè & ſolidè nervos & poplites inciderunt, ut ad eorum oppoſitiones ne hiſcere quidem auſus fuerit: Quos inter primas tenet Celeberr. D. *Mareſius*, in Refutat. *Fabul. Præ-adamitica*.

X. Inſiſtendum ergo communi Chriſtianorum ſententiæ eſt, ſtatuentium, Adamum & Evam abſolutè πρωτοκτίστους fuiſſe, neque ullum unquam hominem creationem eorum anteceſſiſſe: quod multis iterum adſtrui poſſet argumentis, niſi ante me Præſtantiſſimi Viri *Heideggerus*, *Turretinus* & *Burmannus* abunde id præſtitiſſent. Ne tamen nihil videar dicere,quod huc pertineat, pauca hæc ſubnectam:

Heidigg. Hiſt. Patriarch. part. 1. Exercit. IV. §. 38.

XI. Si tot *ante* Adamum homines extiterint,ut totus fere orbis iis repletus fere fuerit, *dicat* mihi velim *Peirerius*. 1. Quorſum novâ eâque quidem miraculoſâ *Adami* creatione opus tum fuerit? ordinariâ enim viâ multiplicari genus humanum ſufficienter tum potuiſſet; Neque enim miraculis agere quicquam Deum credibile eſt, niſi mediis naturalibus & ordinariis deficientibus. *Dicat*. 2. Quomodo Adam *primus* omnium animalium ὀνομοθέτης eſſe potuerit, ut deſcribi eum Gen. 2. 9. certum eſt? Neque enim perceptibile videtur, quomodo abhinc tot ſeculâ tot poterint homines fuiſſe, qui, conceſſâ ſibi dominandi in omnia animantia poteſtate, Gen. 1. 28. eorum tamen diſtincta nomina non cognoviſſent. *Dicat* 3. Quomodo verum eſſe poſſit, Deum

Burman. Lex & Teſt. pag. 27

Turret. Inſtit. Theolog. Elenct. Part. 1. pag. 490. &c.

Digitized by Google

Deum *ex uno ſanguine univerſum hominum genus condidiſſe*, quod Act. 17. 28. 29. aſſeritur? Neque enim Gentiles ſexto *die* ex Adamo creatos fuiſſe, concedere poteſt, cum eos ante Adamum conditos ſtatuat, & iterum Adamum infinitis ſeculis poſt illos. At quomodo illi, qui tanto temporis intervallo Adamum præceſſerunt, ejus tamen caro & ſanguis eſſe potuerunt? *Dicat*. 4. Quomodo Adamus, Evâ necdum creatâ, *ſolus* fuiſſe dici poſſit, cum, ex ipſius hypotheſi, & tum & multo tempore ante infiniti fere utriuſque ſexus homines extiterint? *Dicat*. 5. Quo jure aſſeruerit Apoſtolus Rom. 5. 12. non per alium quendam, ſed per Adamum *peccatum* & *mortem* in mundum introiiſſe. Si enim verum id ſit, ut verum eſt, *tum* vel ſtatuendum, ante Adamum homines nullos fuiſſe, *vel* in hoc abſurdum ἀθεολογώτατον concedendum, homines illos, qui *ante* Adamum extitêre, ἀναμαρτήτους mortiſque expertes fuiſſe.

XII. *Dicit* quidem, morte peccatoque *naturalibus* Præ-adamitas obnoxios fuiſſe, non *Legalibus*: At quam inſubide! muſteum nimirum commentum fundamento haud diſſimili fulciri oportebat. *Dicat*, ubi meminerit Scriptura peccati *naturalis*, quod non fuerit ſimul *legale*, ubi mortis *naturalis*, quæ non ſimul ſit *legalis*? niſi *Socinianorum* arare vitulâ æquum ducat, qui mortem *natura conſequens* eſſe pertendunt? Eſtne omne peccatum ἀνομία & *receſſio* a *lege*. 1 Joh. 3. 4.? Quomodo ergo eſſe poteſt non legale? Eſtne ſermo Legis *morte morieris?* Gen. 2. 17. Unde igitur mors ulla *non-legalis*?

XIII. Non neſcio, palmarium *Peirerii* argumentum ex eodem cap. 5. *ad Romanos* depromi, ſed neque illi multis inhærere animus eſt, ne actum agam; ſunt enim, qui ſat feliciter id de ponte dejecerunt. Reponendum duntaxat aliquid eſt ad argutiolas quaſdam alias, quibus, eo quod primo obtutu probabilitate qualicunque ſe commendent, ludere incautos ſtuduit. Sic itaque ait: *Ovium Paſtor* fuit *Habel*, at quâ cuſtodiâ opus erat, ſi homines nulli tunc fuerint, qui ovibus illis inſidiarentur? Quaſi vero feræ rapaces tum non fuerint, contrà quas minus vigilandum fuerit, quam contra homines. Neque negatur a nobis, tempore *Habelis* alios homines fuiſſe; ſed quid hoc ad rem? Ergo homines illi *ante* Adamum fuêre? qualis illa illatio? forſan & ipſe Habel *ante* parentem Adamum fuit.

XIV. *Pergit*: Agriculturam tum ipſe Adamus tum filii ejus

exercuerunt; at inſtrumenta varia vocationi iſti obeundæ neceſſaria erant, & unde illa Adamo, ſi *ante* ipſum alii non fuerint, qui ea præparârint? Sed quis dixerit, eandem tum plane colendorum agrorum rationem fuiſſe, quæ jam in uſu eſt, adeoque tot admuniculis, aratro, plauſtro, vomere &c. opus fuiſſe? Vel eſto, proceſſerit eodem modo agricultura, ac jam, quidni ipſe *Adamus*, cum Filiis & Filiabus, potuerit ea confeciſſe? Neque enim dubitandum, cum Deus terram colendam protoplaſto commendaret, quin proſpexerit ſimul ipſi de neceſſariis mediis, fini iſti inſervientibus, ſaltem de induſtriâ & arte conficiendi ea; maxime, quum ex Judæorum quorundam mente, improbabile non ſit, Adamum omnium artium, etiam mechanicarum, inventorem extitiſſe.

Menaſſ. Ben-Iſrael de Fragilit. Humanâ. part. 1. §. 4.

XV. *Addit:* Metuit *Cain* fratricida, dixitque, *omnis, qui invenerit me, me occidet.* Quos vero metuit miſer, ſi alii homines non fuerint? Aſt an non alia divinæ vindictæ inſtrumenta eſſe potuêre, quam homines? Neque, ut mox dictum, negatur, alios homines tum fuiſſe, negatur tantum *præadamitas* fuiſſe, id eſt, homines, qui tempore & ætate *Adamum* anteceſſerunt. Excruciavit procul dubio *Cainum* propria conſcientia, domeſticus tortor; cum inſolens non ſit, homines κακοέργους tutiſſima quæque, quin ipſas ſubinde umbras, extimeſcere, Pſ. 53. 6. *Suum quemque facinus* (inquit Cicero) *ſuum* ſcelus, *ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat, hæ ſunt impiorum* furiæ, flammæ, *hæ faces.* *Et* Papinius *Statius* de Oedipode.

Cicer. in Piſon.

Stat. Thebaid. 1. vers 47.

Illum indulgentem tenebris imaque receſſu
Sedis, inaſpectos Cælo, radiiſque Penates
Servantem, tamen aſſiduis circumvolat alis
Sæva dies animi, ſcelerumque in pectore Diræ.
Tunc vacuos orbes, crudum ac miſerabile vitæ
Supplicium oſtentat Cælo, *manibuſque cruentis*
P*ulſat inane ſolum.*

XVI. *Concludit* tandem: *Cain*, ædificavit urbem, quam vocavit *Hannoch*, at quomodo *ſolus* vel cum paucis fratribus toti parandæ civitati par erat? Sed quid plus abſurdi in hoc, quam quod *Romulus* & *Remus*, ſolâ paſtoritâ manu freti, Terrarum Dominam Gentiumque *Romam* condere agreſſi ſint? Præſertim cum vox

עיר

Digitized by Google

צִיר, quæ in originali occurrit, non ſemper majorem & ampliorem urbem, ſed & pagum vel *vicum* nonnunquam ſignificet. Obſervat *Mercerus* in Gen. 4. 17. quosdam inter *Hebræorum Magiſtros* eſſe, *qui dicunt, ſermonem eo loco eſſe per imperfectum, quod nunquam abſolvere Caino urbem illam licuerit, ſed toto vitæ ſuæ tempore in eâ ædificandâ occupatum eum eſſe debuiſſe, vagatum eſſe, & tum iterum ad ædificationem rediiſſe, nunquam vero eam perfeciſſe.* Quodſi verum ſit, non videtur multorum adjuvantium auxilio indiguiſſe. Cl. Rivetus nodum ſic expedit: Non *talem a Caino initio fuiſſe conditam urbem, quæ murorum ambitu & ædificiorum ſtructura & numero commendaretur, ſed, prout ſemper exigua ſunt rerum initia, talem, quæ etſi communi nomine inſigniatur* urbium, *nondum* pagi *aut* municipii *conditionem excederet*: quod vox originalis, ut dictum eſt, ferre etiam poteſt. Sed non opus eſt eo refugere. Certum eſt, cum Urbis illius fundamenta jacerentur, vehementer modo multiplicatam Adami Evæque progeniem fuiſſe. Incepit enim illam Cain non niſi poſt *Habelis* obitum; at quomodo non potuit tanto annorum ſpatio humanum genus eo ſaltem excreviſſe, ut adeſſe potuerint ſufficientes urbeculæ condendæ auxiliatores? Nec quiſquam dubius hic hærebit, qui perpenderit probè, A°. M. 130. plus quam *decem* familias ex Adamo & Evâ enatas & conſtitutas eſſe potuiſſe, ut *D. Mareſius* annotavit. Accedente inſuper numeroſiſſimæ multiplicationis exemplo filiorum Jacobi in Ægypto: qui cum LXX. capitibus tantum conſtarent, cum Ægyptum primum intraſſent, ſpatio 210. annorum, in tantam excreverunt turbam, ut, ductore Moſe, ex Ægypto prodierint *ſexcenta* Virorum millia qui armati procedebant, præter imbellem Infantum mulierumque gregem numeroſiſſimum. Neque mirum id erat, quoniam vel præmaturi connubii vel P*olygamiæ* ſubſidio ſatis adhuc juvenes Jacobi filii liberos non tantum ſed & nepotes, imo pro-nepotes nonnunquam habuerunt. Oſtendit id hiſce verbis Doctiſſ. Baillius: *Miramur* (inquit) Judæ *in eâ ætate* (43. nempe annorum) *duos fuiſſe Nepotes, imo quaſi pronepotes, nam eorum Pater* Pharez, *Tamaris Judæ nurus Filius, adeoque* Judæ *loco nepotis erat, non tam* (inquam) Judæ *in quadrageſimo tertio pronepotes miramur, quam* Benjamini *anno vigeſimo tertio ætatis ſuæ decem filios. Nam* Benjamin *moriente* Rachele *matre in ipſius partu, biennio ante venditionem* Joſephi, *hoc eſt, vigeſimo quarto, ante* Joſephi *triceſimum nonum, ipſum annum deſcenſus Jacobi,*

Mercer. in Geneſ. 4. 17.

Auguſt. de Civit. D. lib. 15. c. 8.

Rivet. in Gen. Exercit. 44.

Simſon. Chron. Catholic. p. 1. pag. 3.

Mareſ. Tr. Cit. pag. 75.

Auguſt. quæſt. in Geneſ. Lib. 1. qu. 1.

Baill. Chronolog. Lib. 1. cap. 3 & 4. pag. 18. 40.

cum omnibus ſuis in Ægyptum, Benjamin (*inquam*) *tum temporis licet decem liberorum* Pater *celebretur*, *plures tamen viginti quatuor annis habere non potuit.*

XVII. Quis, obſecro, non exclamabat fere, cum P*raadamitarum* hic artifex in ſcenam primum prodiret,

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu!

At quam multa præſumſit, tam pauca effecit homo haud plane alias indoctus, ſed vanus & inconſtans. Jacet enim jam alto involutus ſilentio abortivus ejus fœtus; ſic ut non immeritò Vir quidam celebris hoc ipſum Epitaphio decorârit, ſcito ſane & feſtivo:

Dieteric. Antiqq. Biblic. pag. 68.

Siſte Viator gradum, *& hic quære. Quæris, quis hic tumulatus?* UTIS. *Quo* Patre? P*hantaſo. Quâ matre? Moriâ. Ubi natus? In cerebro non*, *ut Minerva Jovis*, *ſed*, *ut Morpheus*, *ſomni. Quâ nutrice? Vanitate. Quantus tempore? Æviternus opinione*, *ſed revera vix quinque luſtra egreſſus. Quid rerum geſſit in mundo? Riſit*, *ſugillavit*, *errores abortiit*, *cucurbitas pinxit*, *ventos venatus eſt. Quid ſuſtinuit? Mirè miras fictiones*, *imputationes*, *retroactiones*:

Si vos oſſilegi aliquando hic invenietis nihil, *ne miremini*, *quia hic ſepultus eſt*

PRÆ-ADAMITA UTIS.

Quidni & ÆLIA LÆLIA CRISPIS addidit? Cujus inſcriptio (ut oblectationis ergo id infarciam) legitur prope *Bononiam*, primo ab urbe lapide, in villulâ *Marci Antonii de la Volta*, Patricii Bononienſis. Hæc enim an *Niobe*, juxta Raphaëlem Regium, an *aqua pluvia*, juxta Marium Michaelem Angelum, an *anima* vel *materia prima*, juxta Richardum Vitum, an *Idea*, juxta Johannem Turrium Brugenſem, an P*hiloſophorum lapis*, juxta Nicolaum Barnaudum, an *Eunuchus*, juxta alios, fuerit, quis certius dixerit, quam quid P*ra-adamita* UTIS fuerit? Saltem tam facetè paſſim deſcribitur, ut aqua cuivis hæreat, qui ad eam attenderit. Neque (dicitur) *Vir* fuit, neque *Mulier*, neque *Androgyna*, neque P*uella*, neque *Juvenis*, neque *Anus*, neque *Caſta*, neque *Meretrix*, neque P*udica*,

SED OMNIA.

Sublata neque *fame*, neque *ferro*, neque *veneno*,

SED OMNIBUS.

Neque *Cælo*, neque *aquis*, neque *terris* jacet,

SED

Digitized by Google

SED UBIQUE.

Lælia Criſpis alias in cavo acuto: neque *Vir*, neque *amator*, neque *flens*, neque *ridens*, *ſcit*, *neſcit*, cui poſuerit. Hoc eſt *ſepulchrum* intus cadaver non habens; Hoc eſt *cadaver* ſepulchrum extra non habens. Sed *cadaver* idem eſt, & *ſepulchrum* ſibi. Quæ (inquam) in *Præ-adamitam*, ut delineatus mox eſt, examuſſim etiam cadunt, id eſt, in chimæram ſomniantiſque cerebri figmentum. Conſulat, cui vacat, de *Triſmegiſtico* hoc *Ænigmate* Tractatum peculiarem *Richardi Viti*, ſub titulo Ælia Lælia Criſpis, ubi multa digna & jucunda lectu inveniet.

XVIII. Utcunque autem non ſine inſigni ſeductionis multorum periculo inſulſa hæc de hominibus *Ante-Adamicis* opinio a *Peirerio* extruſa ſit, hoc præſertim tempore, quo innumeri cum Athenienſibus ſunt, *εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαιροῦντες, ἢ λέγειν τι* Act. 17.
καὶ ἀκούειν καινότερον, *nulli alii rei intenti, niſi ut dicant & audiant aliquid novi*: Singularia tamen quædam circa illam acciderunt, 21.
quæ per gratioſam Dei providentiam contagii imminentis diſcrimen notabiliter anteverterunt. Ut. 1. Quod doctiſſimus illius Parens, mox ab enixo hoc fœtu, ad Pontificiorum caſtra receſſerit: quod ſtatim naſutioribus indicio erat, non tam ipſum ſinceræ conſcientiæ vel manifeſtandæ veritatis impulſu, quam propriis ſuis reculis ſtudendi conſulendique deſiderio in ſcriptione ſuâ actum fuiſſe. 2. Quod ſermone ſcripſerit non vulgari & vernaculo, ſed exotico, latino; adeoque tali, quæ plebeculæ parum peritæ, in novitates qualeſcunque ſatis alias proclivi, haud notus ita erat, ac hominibus ſagacioribus, extra periculi aleam magis conſtitutis. 3. Quod intenſiſſimum ſuum in præfractam *Judæorum* Gentem affectum nimis paſſim liberaliter apertèque profeſſus ſit; quod utique viris quibusvis cordatis nequicquam aliud quam juſtiſſimam imprimere ſuſpicionem potuit, ulteriorem eum adhuc, quam ad Papatum, apoſtaſiam cogitaſſe; adeoque vertumnoſi hominis cogitatis & conſiliis ſtandum parum fuiſſe 4. Quod denique, dum *præ-adamiticam* ſuam opinionem firmare ſtuderet, univerſæ ſimul Scripturæ, imprimis Libris Moſaicis, apertum ſatis bellum indixerit. Videſis maculas hiſce illive acervatim adſperſas in *Syſtemate* ejus *lib.* 4. *cap.* 1. 2. Quæ quidem agendi ratio deterrendis magis omnibus (Libertinos & Atheos excipio) quam multis in partes ſuas pertrahendis, convenire videbatur. Quam ob cauſam procul dubio etiam ne

ullum

Hoornb. Vet. & Nov. part. 2. cap. 12.

ullum quidem hactenus, quantum mihi conſtat, Scriptorem in hoc monſtroſiſſimo ſuo dogmate ὁμέψηφον offendit. quinimo ipſemet tandem, non (ut quidam obtenderunt) multis magniſque pœnis præmiiſque propoſitis, ſed confutationum evidentiâ convictus, ad ſaniorem mentem rediit. *Variis* (verba ſunt Doctiſſ. Spizelii) *oppoſitionum reſponſionumque telis confoſſus, graviterque a nonnullis exagitatus, vir tantæ rei, h. e. motæ a ſe controverſiæ proſequendæ, duroque adeo exercitio impar, Librum ſuum, quem de* Præadamitis *ediderat, ejuravit, &, quam cum ipſo lacte imbiberat Religionem, cum aliâ commutavit.* Unus forte eſt *Iſaacus Voſſius*, qui utcunque alienus a commento *Præadamitico* videri velit, opinione ſuâ de *Ætate Mundi* morienti errori animam quadantenus reddidit, dum 1. *Gentium antiquitatem multis annorum centuriis ante Adami creationem aſſerens, apertè profitetur, ſi non ante Adamum, tamen ante illud tempus, quo Chriſtiani pene omnes,* Proteſtantes ac Pontificii, *ſecundum Hebraica Biblia, Adamum & orbem creatum credunt, aliquot annorum millia fluxiſſe.* Verba ſunt *Baillii* ſupra laudati. 2. Diluvium *verbis* quidem *Univerſale* vocat, at tam *anguſtum* facit, ut vix centeſimam Orbis Terrarum *partem* occupaſſe dici poſſit. Contra expreſſima Scripturæ loca, Gen. 8. 9. & 7. 19. Quæ & ipſa Peirerii hypotheſis fuit, cui figmentum ſuum inædificavit. *Quamobrem* (inquit Moſes) *emiſit* (Noë) *columbam a ſe, ut videret, an eſſet levata aquis ſuperficies terræ. Sed cum non inveniret columba hæc quietis locum plantæ pedis ſui, reverſa eſt ad eum in Arcam, quia erant aquæ in ſuperficie* totius *terræ*; עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ. Et paulo antei cap. 7. 19. *Tandem invaleſcentibus aquis quam plurimum ſuper terram, operti ſunt* omnes *Montes* altiſſimi, *qui ſunt ſub* univerſo *Cœlo* תַּחַת כָּל־הַשָּׁמָיִם. Videſis quæ in hanc rem habet Clar. D. *Heideggerus*, Hiſtor. Patriarch. Exercit. XVIII. §. 21. 22.

Spizel. Tract. cit. p. 827.

Voſſ. de Æt. Mundi pag. 16.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO VI.

DE

POTU ZELOTYPIÆ.

BREVIARIUM.

Zelotypiæ *vox* [*Hebræis* קִנְאָה] *quandoque in* bonum *quandoque in* malum *uſurpata. Quis propriè* Zelotypus *dicendus?* Veterum Germanorum *obfirmatus contra* Zelotypiam *animus.* Zelotypia *atrox animæ tormentum. Ipſi piiſſimi ab eâ ſæpe non immunes. Funeſta ejus, ni cohibeatur, incommoda.* Honsdorfius *notatus.* Potus *Zelotypiæ,* Oblatio, Munus *Zelotypiarum*, *Oblatio* recordationis, Lex *Zelotypiarum unum & idem.* Andreæ Acoluthi *laus. Narrationis* Moſaicæ *de hoc potu analyſis.* Exploratio *per eum cur neceſſaria? Locus Numer. 5. 12. illuſtratus. Delationis* ſuſpectæ mulieris, *juxta Hebræos, prærequiſita. Cur tam vilia & abjecta omnia, quæ in proceſſu hoc adhibebantur?* Oleum & Thus *cur non admixta? Antiquorum* Velationes *quibus caſibus uſurpatæ? Cur Gentiles, in omni alias cultu* velati, *in* Saturni, Honoris & Herculis *veneratione* revelati *ſupplicaverint?* Mulieres *in Vet. Eccleſiâ non niſi* velatæ *ad* Cœnam *admiſſæ.* Chryſoſtomus *elucidatus. Locus 1 Cor. 11. 10. illuſtratus.* Velandarum *mulierum diſcrepantes olim mores. Mos* nudandorum *a femellis collorum & pectorum caſtigatus.* Veſtis Coa *quid, & unde ſic dicta? Ejus inventrix.* Rivetus *vindicatus. Verba Geneſ. 38. 14, 15. illuſtrata.* Bochartus *laudatus. Meſſalinæ* galerus *quid? Etiam* Sponſi *antiquitus* velati, *& quare? Cur* flammeus *velorum color in nuptiis olim adhibitus?* Reges & Principes, *tempore Captivitatis Babylonicæ, recens creati, cur* velati? Junilius, Valeſius & Flaccus

Illyricus *notati.* *Locis Marc.* 14. *ult.* & *Iob.* 24. 15. *lux affuſa.* Veſtes Ludices *quæ*? *Romanorum* Feciales *qui*, & *unde ſic dicti? Cur mulieri ſuſpectæ* velum *ablatum? Aquæ epotandæ cur* amaræ *dictæ*? *Vnde deſumptæ illæ* aquæ? *Qualis* Liber, *cujus meminit Moſes*, & *quid ei inſcriptum*? Junius *leviter tactus. Cur propriis maledictionibus velut ſubſcribere mulier coacta*? *Mulier ſeriò* a Sacerdote admonenda, *antequam ad epotandam* aquam *adigeretur. Quænam mulieres ab* exploratione *hac immunes? Solennis Explorationis* locus & tempus. Ventris tumor & femoris conciſio *quid*? Acoluthus, Druſius, Freidlibius *notati. An mors* conciſionem & tumorem *hunc ſemper ſecuta ſit*? *Mulieris* femur *cur ſpeciatim hic affectum,* & *non aliud corporis ejus membrum*? Aben-Ezræ *aliorumque Hebræorum,* & *inter Chriſtianos* Franciſci Moncæji, *de Aquâ, poſt cultum Vituli aurei ab Iſraëlitis epotâ,* φλυαρίαι. *Vnde* vis hæc Aquis *amaris*? Legis *hujus exploratoriæ fines varii. Frequentem ejus apud Hebræos uſum fuiſſe cur minus probabile? Adulterii, juxta Talmundicos, exploratio duplex, ex* officio *una pro* arbitrio *altera.* Joſeph & Maria *aquis hiſce non potionati. Vox* παραδειγματίζειν *quid? Cur haud ſimilis Lex in* mulierum, *quam in* maritorum *favorem lata*? *Peccarintne ſemper Viri Iſraelitæ*; *cum Legis hujus beneficio uterentur*? Junius *cum ſe ipſo commiſſus.* Libellus repudii & Legis hujus *uſus ut differant*? *Quid phraſis illa*, Maritus abſque culpâ erit? *Cur* & *quando ceſſare* Lex *hæc cœperit*? *Locus Iob.* 8. 6. *illuſtratus.* Burmannus & Lichtfootus *confutati. Periocha illa an genuina an* ὑποβολιμαῖος? *Quid Chriſtus* terræ *inſcripſerit, quidque inſcriptione illâ intenderit*? Guinæenſium *poculum adjuratorium.* Aquæ Asbamææ. *Infantum in Rhenum* ſubmerſio *cur olim inſtituta*? *Rhenus cur* ἐλεγχίγαμος *dictus*? Stygius *fons.* Tuccia *veſtalis Virgo.* . *Autoris*

ἐπι-

ἐπίχρισις. Busbequii *narratio memorabilis.* Rupæ *de* Vidima & *Rodigis de* Avila *famoſum* duellum. *Probatio* Vulgaris, *juxta Canoniſtas, quæ? Quibus Gentibus uſurpata?* Popponis, *Scotorum Apoſtoli, miracula.* Miraculorum χάρισμα *ceſſare quando cæperit?* Camerarius *laudatus.*

I. Z*Elotypiæ* vox, de quâ hic, componitur ex ζῆλος & τύπος, quaſi *figuram zeli* dixeris. Græci talem animi motum per eam intelligunt, quo metuimus, ne de amatæ rei poſſeſſione deturbemur. Hebræi dicunt קִנְאַת Zach. 1. 14. Prov. 14. 30. a קִנֵּא *Zelotypus fuit*; quod non raro etiam in *bonam* ſumitur *partem*, ut Num. 25. 11. cum Phinees *zelaſſe* dicitur *Zelotypiam* קִנְאָה Dei; licet in *malum* plerumque ſonet, ut Proverb. 14. 30. & præcipue *Numeror.* 5. 14. quò nos hic reſpicimus; ubi, juxta vulgarem uſum, ad negotia conjugalia accommodatur. Atque hoc ſenſu *Zelotypia* nihil aliud eſt, quam invidentiæ ſpecies, ne quis formâ, quam amamus, fruatur. Cicero *obtrectationem* vocitavit, *ubi nos in metu ponit ſuſpicio alienæ tractationis.* Eſtque neque, amor neque amoris pars, neque ex amore oritur, ſed ex ſuſpectâ amicæ fide. Et quis dixerit, quam facile ea invadat etiam animos ſæpe heroicos? Non vulgaria ſunt, quæ de Germanorum continentiâ, eorumque contra *Zelotypiam* obfirmato pectore, narrat Poggius Brandolinus: *Publica duo* (inquit) *Balnea* Badenſia *ſunt, ubi innuptæ puellæ, pueri quoque deſcendunt; adoleſcentes & fœminas videre eſt, omnibus nates oſtentantes. Sæpe Fœminæ nudæ nudo viro obviam ire; Nulla inhoneſti ſuſpicio; maſculi campeſtribus fœminæ linteis induuntur veſtibus, crurumtenus à latere ſciſſis, neque collum neque brachia vel lacertos tegunt. Cernunt viri uxores tractari, cernunt alteri colloqui. Eſt quidem ipſis ſolatium; nihil admirantur, omnia bonâ mente fieri putant:* NEQUE EST EX IIS, QUI ZELOTYPUS *eſſet. Sic* ille. At abierunt jam fortunata illa tempora; neque vidit ea procul dubio Iſraëlitarum ætas; verum, ut tunc, ita & jam ob nullam non cauſam ſurrepit ſæpe invidentiæ hæc ſpecies:

Ariſtot. 2. Rhetoric. 10.

Cardan. de Anim. lib. 3.

Cicer. Tuſc. Quæſt. lib. 4.

Pogg. Florentin. in Ep. ad Aretin.

Digitized by Google

Ouen. Epigramm.

Unuſquiſque ſibi vult Phyllida ſolus habere;
Crede mihi, non eſt hic amor, invidia eſt.

Chryſoſt. Homil. de S. Suſanna.

De ipſo *Joſepho* Chryſoſtomus: *Merito* (inquit) *tamen* Joſepho *tanquam* homini *venit in ſuſpicionem. Aliunde eſſe credebat, quod de ſe non eſſe ſciebat, & ipſum alium de adulterio ſuſpicabatur.*

Lud. Vives de Fœm. Chriſt.

August. c. Adimant. cap. 11. Oper. Tom. 6.

II. Tortorem interea atrociſſimum in viſceribus ſuis experiuntur, quos affectus hic vexat. *Perturbatio* eſt (inquit Luduvic. Vives) *truculentiſſima & plane immitis tyrannis.* Et Papias: *Zelotypus eſt ſuſpicioſus, ab omnibus timens, uxorem æmulans præ animæ ægritudine, qua timet, ne adſit alteri, quod cum nemine commune habere velit.* Et patheticè *Auguſtinus*: Zelotypia *maxime & propriè inter conjugia eſt, quando dolet maritus & ſuſpicatur, uxorem non eſſe conſtantis fidei: & ubi certus eſt, ad iram, ultionem & vindictam accenditur, modo juſtè modo injuſte: Ubi vero* non conſtat, *metu exanimatur, & ſuſpicione ſive verâ ſive falſâ conficitur.* In more quippe iſtiusmodi homini eſt, ſeris & peſſulis fores ſuas anxie obdere, ut *Papus* ille *Ben-Juda* faciebat, de quo forſan alibi; catenis cuncta occludere, nihil non ſollicitiſſimè obſervare, ne injuriæ quicquam ab amicâ ejuſque ſibi accidat ſocio, cum cruciatu mentis caſtitatem cuſtodienti uxoris,

Terror ubique, tremor, tremor undique, & undique terror.

Et ille apud Propertium:

Propert. Lib. 2.

Omnia me terrent, timidus ſum, ignoſce timori,
Et miſer in tunicâ ſuſpicor eſſe virum.
Me lædit, ſi multa tibi dabit oſcula mater.

Quod ſæpe tamen neceſſarium non eſt, ſemper ſaltem fruſtraneum. Facetè Juvenalis:

Juvenal. Satyr. 6.

Pone ſeram, cohibe, ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? cauta eſt, & ab illis incipit uxor.

Si enim pudica uxor ſit, quid metuit ſibi maritellus? ſi impudica, laterem lavat; ut enim idem Propertius,

nihil invita triſtis cuſtodia prodeſt,
Quam peccare pudet, Cynthia, *tuta ſat eſt.*

Camerar. Hor. ſubciſ. Cent. 1. cap. 51. & Centur. 2. c. 34.

Jupiter per impluvium aërem deſcendit ad *Danaen*, turri utut æneæ incluſam, quam Pater ſepimento inexpugnabili vallaverat: Infida certè caſtitatis cuſtos neceſſitas eſt; ea demum mulier pudica dicenda, cui licuit peccare, & noluit. Et quæ non ex *vexatione* hac, niſi tempeſtivè vel leniatur vel cohibeatur, inter conjuges fere incommoda, altercationes, imò cædes! De

Mer-

Digitized by Google

Mercatore quodam *Baſilaenſi* opulentiſſimo refert *Honsdorſius*, quod *honeſtiſſimam habens uxorem, inſtigante Satanâ, in Zelotypiam incidit: Cum enim tibialium ligamina byſſina abjeciſſet, uxor ea arrepta famulo, qui forte adſtabat, objecit; qui, nihil mali ſuſpicatus, ea grato animo accepit, tibiiſque ſuis adaptavit.* At quid fit? *Protinus herus peſſima quæque de uxore ſua ſuſpicari cæpit, Satanâque augente ſuſpiciones, ipſo die Dominico, cum familia ſacra concioni intereſſet, ſtricto enſe in uxorem irruit, adulterii arguit, inſontemque, nulla excuſatione audita, interfecit.* Sed necdum finita tragædia: *Vix patratâ hac cæde, Mercator pœnitentia ductus, graviſſimos dolores animo concipit, vitæque longioris pertæſus, in ſcedula perſcribit:* ſe ex Satanæ inſtigatione, falſis motum ſuſpicionibus, uxorem innoxiam occidiſſe, *hacque ad ſiniſtrum brachium alligatâ, in plateam præcipitem ſe dedit.* Mitto *Henrici* VIII. Angliæ Regis, exemplum, qui non, niſi a truculentiſſimo hoc tortore impulſus, uxorem ſuam *Catharinam Hawardam* capitis affecit ſupplicio, eo quod *Franciſco Deermanno*, ante Regis amores, deſponſata, &, Regi nupta, cum *Thoma Colpeppero*, juſto familiarius, ut imaginabatur ſibi maritus credulus, verſata eſſet. Quæ de *Procri*, Erechthei Athenienſium Regis filiâ, addit *Honsdorſius*, idem evincunt; utcunque enim hæc a marito *Cephalo* ob adulterii ſuſpicionem ſagittis (ut *Autor* ille vult) confoſſa non ſit, ſed quod feram eam eſſe opinatus ſit; interceſſit tamen inter utrumque non levis *Zelotypiæ* excruciatio: *Cephalus* enim ad *Procrin* ſub Negotiatoris accedens formâ, ejuſque erga ſe fidem explorans, ingentibus muneribus pudicitiam ejus ſollicitavit, adeo quidem ut pretii magnitudine tandem ſuccubuerit, *Cephaluſque*, receptâ priſtinâ formâ, perfidiam ei exprobârit?

Honſdorf. Theatr. Hiſt pag. 554.

Corput. Tribunal. Div. p. 1. pag. 75.

Serv. in Virgil. Æneid. 6.

III. In perturbationis ergo hujus remedium, qualecunque ſaltem ejus levamen, *Potum hunc Zelotypiæ* Deus inſtituit; Alii dicunt *Aquam Zelotypiæ*. Deus vocat מִנְחַת הַקְּנָאֹת, *Oblationem ſive munus Zelotypiarum, vel* מִנְחַת זִכָּרוֹן *Oblationem Recordationis* vel etiam תּוֹרַת הַקְּנָאֹת, *Legem Zelotypiarum.* Quid de *Lege* hac ſit, fuſè ediſſerit *Moſes*, Num. 5. verſ. 12. ad finem uſque Capitis. Ceremonias, rituſque in executione ejus obſervari ſolitos, referunt *Johannes Seldenus, Paulus Fagius, Guiljelmus Zepperus, Joſephus, Munſterus:* quos ſecutus nuperrime eſt *M. An-*

Selden. Uxor. Heb. lib. 3. cap. 13

Fag. in Num. 5. 15.

Zepper. de Legib. Moſaic. lib. 4. cap. 18. Joſeph. Antiquit. lib. 3. cap. 10. Munſter. in Num. 5.

M. Andreas Acoluthus, Vir ſane πολυγλωττότατος, cujus *Philologema* de *Aquis Amaris* ut ut hoc ipſo anno 1682. demum prodierit, tam tempeſtivè tamen in manus meas incidit, ut qualescunque hoſce meos Conatus, quos me ante Tractatus illius conſpectum jam plane abſolviſſe exiſtimaveram, doctiſſimis ejus cogitatis elucidare & interpolare quadantenus potuerim. Quamobrem mirari quemquam nolim, ſi me vitulo ejus araſſe nonnunquam deprehendat. Premo quippe intrepidé ipſiſſima Viri illius Eruditi veſtigia, qui, ſe Clariſſ. *D. Wagenſeilii* operâ, in ſtudiorum hoc genere, impensè adjutum eſſe, nullâ fere paginâ diſſimulat. Eruit Scriptor ille diligentiſſimus, quæ ad Hiſtoriam hanc pertinent, ex abditiſſimis *Talmudicorum* ſcriniis, in quæ tam profunde, ac is fecit, penetrare, ut cujusvis genii otiique non eſt, ita nec mei:

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Quædam ergo hic, fateor, offendes ex inſigni iſtoc *Antiquitatis Orientalis* ταμείῳ deprompta, ſed quæ ita tamen ordinata videbis, ut nullus dubitem, quin animadverſurus ſimul ſis, etiam *Craſi* illius theſauro hic illic teruncíolum unum alterumve adjectum a me eſſe; adeoque ut *Acoluthiana* meis, ita & mea *Acoluthianis* lucis quantulumcunque affudiſſe.

Becan. de Analog. V. & N. Teſt. cap. 12.

IV. Continet Moſaica de *Lege* hac narratio *tres* partes. *Prima* exhibet hypotheſin ſive caſum. verſſ. 12. 13. 14. *Secunda* jus a Deo inſtitutum, ac eo in caſu obſervandum. verſſ. 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26. *Tertia* eventum verſſ. 27, 28, 29, 30, 31. Quæ ut diſtinctius percipias, appingere non pigebit e Jeſuitâ *Becano* totam *Legis* hujus analyſin, quam perquam conciſè non tantum, ſed & concinnè ac perſpicuè propoſuit hunc in modum: 1. Vir ſuſpectam uxorem ducebat ad ſacerdotem coram Tabernaculo. 2. Offerebat ibi *oblationem Zelotypiæ*, nempe *farinam hordeaceam*, ſine *oleo* & *thure*. 3. Sacerdos accipiebat *Aquam Sanctam* in vaſe fictili, & in eam immittebat pauxillum *terræ de pavimento* Tabernaculi, & iſta *Aqua*, terrâ permiſta, vocabatur *amariſſima*. 4. Super hanc *Aquam* proferebat *maledictiones*. 5. Diſcooperiebat *caput mulieris*, & in manibus ejus ponebat *Oblationem Zelotypiæ*, id eſt, farinam hordeaceam. 6. Tum ſimiliter proferebat maledictiones ſuper mulierem, dicens: *Si innocens es, non nocebit tibi Aqua amariſſima, in quam maledi-*

ledicta congeſſi; *ſin rea*, *ſubjacebis hiſce maledictionibus* : *Dominus Deus*, *in cujus conſpectu ſtas*, *putreſcere faciat femur tuum*, *& tumens uterus tuus diſrumpatur*. 7. Mulier reſpondebat, *Amen*, *Amen*, 8. Sacerdos has ſecundas maledictiones ſcribebat *in* L*ibro*; mox ſcripturam abluebat aquâ, quam habebat in vaſe fictili. 9. *Farinam hordeaceam* accipiebat e manu mulieris, & partem illius adolebat, partem ſibi reſervabat. 10. *Aquam* denique *maledictam* dabat mulieri bibendam, &, ſi rea erat, ſtatim, *femore putreſcente* & *utero intumeſcente*, diſrumpebatur.

V. Hiſce iam prælibatis, Quæritur: *An opus quidem pompoſâ hujusmodi Adulterii exploratione fuerit*, cum (ut verba textus præ ſe ferunt) *ante eam inſtitutam, jam præſupponi modo crimen videretur?* Sic enim habent: *Si ullius uxor, declinans a marito, omnino feſellerit eum, in eum peccans.* verſ. 12. At quid examine opus erat in re manifeſtâ ſatis & compertâ? *Reſp.* Non ſupponit textus certitudinem criminis *in ſe*, ſed in *opinione mariti* tantum *Zelotypi*; adeo ut, quando dicitur, *ſi ullius mariti uxor declinaverit ab eo*, *ipſumque feſellerit*, nihil aliud id ſit, quam ſi ex *mariti ſuſpicione* uxor id fecerit: ſic enim ipſe Deus in ſequentibus ſe explicat, vers. nempe 14. dum ait: *Si invaſerit*, ipſum affectus Zelotypiæ, ita ut ſit Zelotypus uxoris ſuæ, *quamvis ipſa non ſit facta immunda.* Expedit eodem modo nodum Calvinus: *Hæc enim conditio* (inquit) *ſi transgreſſa fuerit mulier*, *non ſignificat*, *mulierem in adulterio fuiſſe deprehenſam*, *ſed refertur ad* opinionem *mariti*; *ideoque reſolvi debent verba: Siquis* exiſtimet, *uxorem ſuam coiiſſe cum alieno nec aliter poſſit levari ab anxietate*, *quâ torquetur*, *judicium*, *quod hominibus ablatum eſt*, *ad Deum ipſum deferat*. *Calvin. Oper. Tom. 1. pag. m. 1089.*

VI. Quæritur 2. *An integrum marito Zelotypo fuerit*, *quam primum adulterii ſuſpicio ipſum invaderet*, *mox*, *id eſt*, *ante omnia alia correctionis media tentata*, *uxorem ſuam ad Sacerdotem deferre?* Reſp. Non videtur, ſi vel æquitatem vel *Hebræorum* mores, obſervari ſolitos, conſideremus. Quâ enim pietate fieri potuit, ut vir, qui cum uxore *una* erat *caro*, illamque ut ſe ipſum, amare tenebatur, ſtatim eam infandæ hujuſmodi ignominiæ palam exponeret? *Si praxin* ſpectemus, dicere uxori maritus debebat, לא תסתתרי בהדי פלוני *Ne clam ſis*, vel latenter converſeris *apud Virum iſtum N.* id eſt, ne amplius *Zelotypiæ* cauſam præbeto *Buxtorf. Lex Rabbin. pag. 1061.*

Acoluth. de Aquis Amar. pag. 121. 165. 162.

Selden. Uxor. Heb. Lib. 3. c. 13.

beto (quæ *Præmonitio* קינוי Hebræis nuncupabatur) atque tam diu expectare tenebatur, antequam eam deferret, uſque dum tantillo temporis ſpatio cum viro peregrino ſe abſcondiſſet, quo ovum aſſari & commedi poſſet; ovum ſcil. Gallinæ, quod citius quibuſcunque aliis coqui & aſſari poſſe vulgo putant. Proinde locus huic delationi nullus erat, ſi aut teſtes idonei ſive *præmonitionis* ſive *occultationis* plane deeſſent, aut commiſſi adulterii unicus tantum teſtis adeſſet.

VII. Quæritur 3. *Cur tam vilia & abjecta omnia fuerint, quæ in* Exploratione *hâc occurrerunt*; ſimplex *farina hordeacea*, ſine *olei* vel *thuris* admiſtione; *terra de pavimento* ſumpta, &c? Reſp. *In genere* pertinebant hæc ad *humiliationis* indicium, quâ mulier ſiſtere ſe coram Domino debebat. In *ſpecie* adhibebatur *farina hordeacea*, non *triticea*, juxta Talmudicos, quia mulier divertendo opus fecerat beſtiâ dignum, atque adeo quod pro *cibo* beſtiis, ipſi pro *oblatione* eſſe oportebat; vel, ut *Abarbanel*, juſſit Deus, ut hujuſmodi mulieris oblatio conſtaret ex farinâ *hordeacea*, ad demonſtrandam turpitudinem facti ejus, quæ egiſſet quod *beſtiæ* ſolent, quæ uni non ſunt alligatæ. Plures rationes allegat doctiſſimus *Muiſius*, hic non omittendas: *Iſaacus Karus* (inquit) *iſtius* hordeaceæ *oblationis alias quaſdam cauſas adfert, quarum hæ præcipuæ mihi videntur* פנים שהחטה מבומה, &c. *quoniam* hordeo *adulteræ mulieris* impudentia *deſignaretur.* Hordeum *enim, utpote apertum ac nudum magis, impudentiæ, triticum vero, utpote magis tectum, modeſtæ ac pudentis mulieris eſt ſymbolum. Deinde quod, ut modico tempore hordeum eſt ſub terra, ſic mulier adultera minus ſæpe domi agat, ſed foras libenter prodeat, & in plateas* (ut eſt Prov. 7.) *amans ſpectaculum ſui corporis virorum oculis præbere. Tum autem* hordeo, *utpote frigido ac temperandi caloris vim habente, admonitam vult eam mulierem, temperandum fuiſſe ardorem illum concupiſcentiæ, quo incenſa peccaſſet in maritum.* Simpliciſſima eſt ratio *Grotii*, *Hordeum* adhibitum fuiſſe, quia in omni *Mincha* uſitatum id erat. *Oleum* non affundebatur, quod ſymbolum eſſet lenitatis & miſericordiæ, *Zelotypia* vero eſſet perquam dura & crudelis, *tum* ex parte adulteræ, *tum* ex parte mariti, qui miſerè eâ excruciabatur, *tum* ex parte pænæ, adulteræ, ſi rea eſſet, irrogandæ. Addunt nonnulli, *Oleum* lucem ſignificare, mulierem vero hanc, quod fecit, in *tenebris* perpetraſſe; juxta loc. Job. 24. 15. *Oculus adul-*

Muis Var. Sacror. in Num. 5. 15.

Grot. in Num. 5. 15.

Digitized by Google

adulteri obſervat caliginem, dicens non videbit me oculus. Ut & *oleum* nulli alii liquori permiſceri, hanc vero mulierem alieno viro ſe miſcuiſſe. *Oleum* denique omnibus aliis liquoribus ſupernatare, mulierem autem hanc non *ſupra*, ſed, ob commiſſum ſcelus, *infra* omnes alias mulieres eſſe. Unde & *thus* admiſceri Deus noluit, quod ſymbolum eſſet bonæ famæ & devotionis, *Zelotypia* vero nil niſi infamiam, & contumeliam referret. Alii dicunt, quia hæc oblatio non fiebat ad deprecandam peccatorum remiſſionem, & Dei gratiam impetrandam, quæ duo per *thus oleumque* repræſentabantur; ſed e contra ſignificabat per eam mulier, maledictioni ſubjici ſe velle, ſi *adulterii* convinceretur. *Oleum* & *Thus* (inquit Junius) *non adjiciebantur, quia* oleum *ſignum donorum ſpiritualium & lætitia eſt*: Thus *ſignum* εὐωδίας *ſive grati odoris; neutrum vero huic oblationi conveniebat, quam & triſtitia & imperfectio & odor rei ingratus affecerant, quod dicit Moſes, quia munus Zelotypiarum eſt.* Imò adeo anxiè cavendum Sacerdoti erat, ne *Thus* vel *Oleum* farinæ admiſceret, ut, ſi *alterutrum* modo adjeciſſet, ex Lege vapularet ſemel, ſi *utrumque* bis; ut qui *bis* peccârat in ipſum Legis terminonem. *Terra* etiam de *pavimento* Aquæ immittebatur, ut indicaretur, adulteram vilem eſſe, & inſtar lutoſi pulveris, ipſis pedibus conculcandi.

Freidlib. Theol. Exeget. Tom. 1. pag. 234.

Jun. Oper. Theol. Tom. 1. pag. 425.

VIII. Quæritur 4. *Cur capiti mulieris* velum *fuerit auferendum?* Hoc ut intelligatur, haud abs re erit, ſi per *Digreſciunculam*, de *Velorum* & *Velationum* apud Antiquos uſu nonnulla hic infarciam. De *Velis*, inquam, & *Velationibus*, non de Veterum Pileis, Biretis, Petaſis aliiſque generis tegminibus, quibus pro temporum caſuumque diverſitate utebantur nonnunquam, nonnunquam non utebantur; de quibus prolixè *Lipſius*, *Turnebus*, *Gyraldus*, *Salmuthus*, &c. Neque enim operiendi capitis illa inſtrumenta *velorum* nomine proprie veniebant, cum plane alium habuerint uſum, ut ex ſeqq. patebit; *hæcque* variis occaſionibus adhiberi ſolita fuerint, in quibus *illa* locum non habebant. Utebantur itaque *Velis* Antiqui. 1. In caſu *Adumbrationis* vel *præfigurationis*: Ita Moſes, cum de monte deſcendiſſet, loquebatur Iſraëlitis *Velamine* faciei ſuæ impoſito. Exod. 34. 33. Non tantum, ne populus, quum *faciem coruſcantem* haberet, ab ejus conſpectu deterreretur, ſed imprimis ut indicio *velum* illud eſſet, nondum tum datum Iſraëli fuiſſe retectâ facie gloriam Domini introſpicere. 2 Cor. 3. 18. *ſed velo* & *velamine* indigere, nimirum *velamine* figurarum & typorum,

Lipſ. Amphith. cap. 19.
Turneb. Adverſ. lib. 8. cap. 4.
Gyrald. Hiſt. Deor. Syntagm. 1.
Salmuth. ad Pancirol. p. 1 pag. 175.

Flacc. Illyr. Clav. Sacr. Script. p. 2. pag. 343.

rum, Ceremoniarumque, quæ ab eo tum tempore ἐπὶ τὸν τράχηλον ſuper Iſraëlis cervicem ponebantur. 2. In caſu *cultus* & *devotionis*, ne ſe inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus. Unde Virgilius:

Herbert. de Relig. Gent. cap. 10. pag. 96.

Virgil. Æneid. 3.

Purpureo velare comas *adopertus amictu,*
Ne qua inter Sanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.

Lucretius:

Lucret. Lib. 5.

Nec pietas ulla eſt, velatum *ſæpe videri,*
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante Deûm delubra.

Plaut. Amphit. Act. 5. Scen. 1. & Act. 3. Scen. 1. Curt. lib. 4. Juvenal. Satyr. 6. Serv. ad Æneid. 8. Plutarch. Problem. cap. 10. 11. Plin. lib. 28. cap. 11. & lib. 2. cap. 45. Apul. Metamorph lib. 14. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 8. & Annal. lib. 3. cap. 6. Saubert. de Sacrific. Roman. cap. 12.

Item Plautus: *Invocat Deos immortales, ut ſibi auxilium ferant, manibus puris, capite* oporto. Et alibi: *Quis hic eſt, qui* operto *capite Æſculapium ſalutat?* Et Curtius: *Ille in candidâ verbenas manu præferens*, capite velato, *praibat preces Regis.* Mitto *Gallos* & *Archigallos*, Magnæ Matris, id eſt, *Cybeles Sacerdotes*, qui non niſi *vultu* candido, byſſi *velamine operto*, incedebant. Quin referendum huc etiam, juxta nonnullos, geſtaminis illud genus eſt, quod *Apex* dicebatur, quo Gentilium Sacerdotes tecti, ſacra peragebant. De hoc Juvenalis:

Et tollens Apicem *generoſo vertice flamen.*

Alii *Titulum* vocitarunt; quem Numa fuiſſe vult Pallium, quo Sacerdotes caput tectabant, ad Sacrificia accedentes. Virgilius:

Et caput ante aras Phrygio velatus *amictu.*

Neque tamen, ut notarunt alii, Gentiles in omni cultu ſuo *velationem* obſervarunt: In *Saturni* enim, *Opis*, *Honoris* & *Herculis* præprimis veneratione, *invelati* ſupplicabant; ſtantes capite non *operto*, ſed *aperto*, corpus dextrorſum in orbem circumagentes, procumbentes etiam, dextrâ ori admotâ, oſculum labris prementes, tum deinde ſedentes. Hæc *Græcis* imprimis a *Varrone* adſcribuntur. Verba ejus ſunt: *Illic Græco ritu*, capite aperto, *res divina fit, quia primo a* Pelaſgis, *poſt ab Hercule, ita eam a principio factitatam putant.* Cujus rationem apud Macrobium reddit *Cornelius Gallus*, dum dicit: *Cuſtoditur in eodem loco, ut omnes* aperto capite *ſacra faciant; hoc fit, ne quis in Dei cultu habitum ejus imitetur, nam ibi* operto *eſt capite.*

Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 13. cap. 22.

Velabant aliâs non ſe ipſos tantum Veteres religionis ergo, ſed & ſuos, eorumque, quos colebant, imagines. Quo Alexandri locus pertinet: *In hoc* (inquit) *voto quicquid ex ſuibus, ovibus & agnis inter Calendas martias & Idus Majas apud quemque natum editumque fuiſſet,*

voto

voto contineri dixerunt; pueros quoque & puellas, qui inter hæc tempora editi fuiſſent, haud dubio voto comprehendi. Sed quia immolare eos turpe ducerent, hoc piaculari ſacro expiarunt, ut adultos velarent, *velatoſque extra fines exigerent, qui* Vernæ *dicti ſunt; Quo piaculo liberi religione putabantur.* Adde hoc Severi: *Quia eſſet Gallorum ruſticis hæc* Sulp. Se- *conſuetudo, ſimulacra Dæmonum candido tecta* velamine, *miſerâ per* ver. De *agros ſuos circumferre dementiâ.* Antiqua etiam Eccleſia mulie- Vit. Mart. res non niſi *velatas* ad Cænam admittebat. *Quomodo* (inquiebat Hoornb. S. Matronæ Baſſianus) *cum ſis mulier, ad Sacramenta acceſſiſti* nu- Vet. & N. do capite? *& in pacis ſalutatione oſculum ſatis ſecurè præbuiſti fratri-* lib. 1. cap. *bus*? Cui illa reſpondit: *ſimulans imbecillitatem, non omnino aufe-* 18. *rens tegmen; quod erat in capite, ita ad Sacramentorum accedebam communionem, caritatis autem nunquam oſculum apud fratres recuſabam: neque enim hominum vultibus, ſed hominibus Angelicam imitantibus impatibilitatem, me ipſum offerre exiſtimabam.* Ad quæ tandem Baſſianus: *De cætero, o Filia, oportet te* vittam tuo capiti *imponere, propter legem naturæ.* Meminerunt quidem *ablati* in S. *Magde-* Cænâ *veli* Magdeburgenſes ex *Chryſoſtomo*, cujus hæc verba *burg. Cent.* ſunt: ὅταν ἀκούσῃς, δεηθῶμεν πάντες κοινῇ, ὅταν ἴδῃς ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίτυρα, τότε νόμισον διαστέλλεσθαι τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν, *V. cap. 6.* καὶ κατιέναι τοὺς ἀγγέλους: *Quando audis: Precemur pariter om-* *pag. m. 371.* *nes; dum vides* ſublata vela; *tum cogita, Cælum ipſum ſurſum reſerari, Angeloſque deſcendere.* Sed ea noſtris, quæ diximus, non *Chryſoſt. in Epheſ. 1. Homil. 3. circa fin.* obſtant. Neque enim loquitur Chryſoſtomus de *velo faciebus impoſito*, de quo nos, ſed de tali, quod inter Menſam Sacram & Communicaturos medium olim pendebat, hoſque ab illâ ſeparabat, περιπέτασμα vel *cortinam* proprie dixeris. Prout locum *velatum* in Theatro, e quo egrediebantur hiſtriones, *cortinam* Veteres nuncupabant. Virgilius,

Magni cortina *theatri.* *Virgil. in Ætna.*

Aulæa ſive *vela* de pellibus, quæ extrinſecus Tabernaculum tegebant, *cortinæ* etiam dictæ ſunt. Ut & græcum Chryſoſtomi vocabulum Interpres, juxta Editionem Veronenſem, per *Cortinas* vertit, *Iſidor. lib. 19.* *quæ in oſtiis ſunt*, non per *vela*, quæ *vultus* cooperiebant. Quin ſic ipſi ſe explicant *Magdeburgenſes*, dum *ſublatum* in Cænâ *velum* dicunt, *ut omnia publice, & in conſpectu omnium agerentur.* Quò nihil facere poterat *veli* a *faciebus* ablatio. Notiſſimus eſt integer *Tertulliani* liber *de Velandis Virginibus*: ubi inter alia ſic quoad cultum: *Tertull. de Veland.* *Quantam* (inquit) *caſtigationem merebuntur illæ, quæ inter Pſalmos* *Virg. F.*

vel quacunque Dei mentione retectæ *perſeverant*? Et alio loco: *Oro te, ſive mater ſis, ſive ſoror, ſive filia virgo, ſecundum annorum nomina dixerim*, vela *caput*. Neque ſolus ita *Tertullianus*, συμφώνους habet multos alios Patres, *Chryſoſtomum*, *Ambroſium*, *Clementem* & *Baſilium*; quorum hic exertim: *Abjecto ſervitutis Chriſti jugo capita* velaminibus *impudicè retegentes*, *Deum & ejus Angelos deſpicientes.* Spectat cultum imprimis publicum, in quo Deus Angelique ſingulariter adſunt, de quo mox fuſius. De Judæis quis dubitet, quin orantes *velamine* uſi ſint, idque hanc præcipue ob cauſam, ut demonſtrarent, ſe reverentes & pudefactos coram Deo eſſe, indignoſque qui eum reſpicerent. *Nicodemus in Scholam abiit & velavit ſe, & oravit.* Ita ſemper Viri. *Feminæ* e contra, utut *velatæ* prodirent in plateas, amovebant *velamina*, facieſque nudatas exponebant, etiam in ipſo cultu; quod ideo offendiculo non erat; quia ſeorſim & a viris ſeclusæ ſedebant, ſic ut conſpici ab his non poſſent; adeo ut *velaminis* ceſſaret cauſa, quæ erat, ne viderentur cum luxuriæ periculo a viris. Imo & noſtris temporibus in cultu *velatio* quædam obtinet, quando in Templis inter orandum vittis, manibus aut manicis oculos noſtros contegimus. Ut & Apoſtolus mulierum *velationem* ad ſacros conventus retulit. Ὀφείλει (ait) ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους: *Debet mulier habere* poteſtatem *ſuper caput ſuum, propter Angelos.* In Græco eſt ἐξουσία, quod *velum* notat, ut obſervatum eſt Ambroſio, adſtipulantibus Græcorum Scholiis, *quod* (ut inquit Eraſmus) *velamen mulieri impoſitum, cogat illam oculos demittere, ſignificetque ſub alieno imperio eam eſſe.* Atque in ipſo quidem cultu θεείστρῳ hoc opus ipſi erat, *tum* ut oſtenderet, ſe non animo immorigero erga maritum, ſed ſubdito ei juſteque compoſito coram Deo comparere, *tum* ut facie *velo* obducta nemini laſciviæ, per formarum muliebrium adſpectum facile excitandæ, anſam ſubminiſtraret. Requirebatur id ſingulariter, ut additur, διὰ τοὺς ἀγγέλους, *propter Angelos*; non *malos*, id eſt, impuros Spiritus (ut quidam ſomniarunt) illis enim nihil magis volupe eſt, quam uxores maritorum poteſtati ſubducere, liteſque æternas inter conjuges excitare; ut &, ſi poſſint, libidinum incentivis Eccleſiam in lupanar convertere. Sed propter *Bonos*: ſive per illos intelligas Euangelii miniſtros, *Angelorum* enim nomine-

Chryſoſt. in Matth. 5. & 17.
Ambroſ. de Virgin. lib. 1.
Baſil. Serm. de Ebriet.
Salmaſ. Ep. de Comâ
1 Cor. 11. 10.
Dieter. Lexic. N.T. p. 305.
Eraſm. in 1 Cor. 11. 10.
Salmuth. ad Pancir. Part. 1. tit. 44.
Leich. Critic. Sacr. pag. 110.
Lichtf. in 1 Cor. 11. 10.

ne nonnunquam hi veniunt, Malach.2.7. Apoc.3.1. Eccleſ.5.6. neque incongruum eſt, etiam propter reverentiam ipſis debitam, ſummâ cum modeſtiâ & decore, in Sacris Conventibus præſto eſſe. Sive *Spiritus* cæleſtes, qui, prout ubique fidelium perſonis ſingulariter adſtant, ita procul dubio in eorum *κοινωνίαις* & ſacris cœtibus præſentes ſunt. Etiam Judæi communibus calculis ſentiunt, beatos Angelos congregationibus ſuis intereſſe, & una ſecum Deum celebrare, dicentes: *Coronam dant tibi*, Domine, *id eſt, celebrant te Angeli, turba illa ſuperna cum populo tuo Iſraël, hic inferne congregato, omneſque ſimul ter tibi a Propheta tuo dictum ingeminant & inclamant illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum.* Hoc itaque poſito, innuere vult Apoſtolus, ſiquidem, dum inter Sanctos in ſanctis officiis occupamur, *Angelos* præſentes & teſtes habeamus eorum, quæ a nobis fiunt, quantâ non reverentiâ decet nos in adſpectu eorum verſari? adeoque quam non neceſſarium eſt, ut *mulieres* non niſi inſigni verecundiæ, pudoris, ſubjectioniſque ſub viro apparatu, quo *velum* hoc capiti impoſitum maxime faciebat, negotiis iis interſint? 3. In caſu *pudicitiæ & caſtitatis demonſtrandæ.* Apud *Arabes & Carthaginenſes* (verba ſunt Polydori Virgilii) *fœmina non modo religionis ſed & honeſtatis cauſa caput & faciem* velabant, *quod* velamen *pro galeâ illis eſſet.* Ita Rebecca, Iſaaco obviam ſibi veniente, caput *velabat.* Gen. 24.65. *Penelope* (referente Homero) cum e Gynecæo deſcenderet in eum locum, ubi proci agebant, ſubtilibus *velis* genas ſuas texit, adeo ut ipſa cæteros poſſet adſpicere, ab aliis vero adſpici non poſſet.

Lud. Capell. Spicil. pag. 94.

Urſin. Analect. Sacr. part. 1. pag. 374.

Polydor. Virgil. de Rer. Invent. lib. 4. cap. 13.

'Αντα παρειάων σχομένη λίπαρα κρήδεμνα.

Homer. Odyſſ. 18.

Quin tanti id olim fecit C. *Sulpitius* (ut teſtis eſt *Valerius*) ut repudium miſerit uxori nullam aliam ab cauſam, quam quod *capite invelato* foras prodiiſſet; cum veſte a capite deductâ matronas incedere minimè fas tum eſſet. *Orientalium* populorum virgines & puellæ non tantum domi ſe continebant, ſed, cum ad officia qualiacunque, neceſſario obeunda, prodirent, *honeſtatis* ergo non incedebant abſque faciei *velamine*, imo totius corporis pallio, quod caput earum uſque ad coxas tegebat, a quo duo foramina ad oculos patebant; tegebant enim caput peplo & faciem reticulo, quod erat contextum ex tenuiſſimo filo aut ſerico, minutis maculis & plagulis interſtincto. Et quid non *Tertullianus* mox lauda-

Valer. in lib. 6. cap. 3.

Giggej. Theſ. Ling. Arab. tom. 1. pag. 799.

Alexand. ab Alexand. Gen. Dier. lib. 5. cap. 24.

laudatus? Quantâ non invehitur vehementiâ in ſui temporis conſuetudinem, juxta quam mulieres inuptæ, abſque *velo*, publico ſe exponebant; vocat tales *capita nundinatitia*, earumque mores *impudentiam oſtentatitiæ virginitatis*. Atque hinc procul dubio etiam eſt, (obiter enim hoc notandum) quod meliorem Theologorum partem in morem, etiam inter noſtrates puellulas non tantum, ſed & maritatas mulieres plus juſto uſitatum, detonare nonnunquam audias, juxta quem pectoribus colloque apertis prodire in publicum non erubeſcunt; neque in publicum tantum, ſed in ipſum Ecleſiæ cœtum; quaſi, quod de *Theatro* olim quidam indignabunde dixit, ipſum etiam Templum in *impudicitiæ* vertendum ſit *conſiſtorium*. Vel, ſi opertis partibus iſtis quædam procedant, adumbratas eas quadantenus tantum exhibent *vento* quaſi *textili* & *nebulâ lineâ*, ut argute quidam vocat; *de induſtria potius*, *quam verecundia*, & *quaſi vereri videantur*, *ne non tranſluceant*: Διαφανῆ χιτώνια, id eſt, *tranſlucentes ſinus*, vocat Ariſtophanes. Prout & *Tertulliani* tempore eodem artificio luſêre *Carthaginenſes* Virgines, in facierum ſuarum occultatione, etiam dum orarent, fimbriam aut villum aut quodlibet filum cerebro ſuo ſuperponentes, & *ita tectas ſeſe eſſe opinantes. Neque tecta* (inquit Magnus Doctor) *neque nuda incedentes*, *aliæ modice linteolis*, *credo*, *ne caput premant*, *nec ad aures uſque cerebrotenus operiuntur*. Opponitque illis Gentilium mulierum exempla: *Judicabunt vos* (dicit) *Arabicæ fœminæ Ethnicæ*, *quæ non caput ſed faciem quoque ita totam tegunt*, *ut uno oculo liberato*, *contentæ ſint*, *dimidiâ frui luce*, *quam totam faciem proſtituere*. Romanæ mulieres *veſtem Coam* hunc in finem adhibebant, *aëream* Nazianzeno, *vitream* Varroni dictam. Quo digitum intenderunt varii eorum Prophetæ. Martialis:

Tertull. lib. cit. — *Tertull. ibid.* — *Martial. Ep. lib. 8.*

Fœmineum lucet ſic per bombycina *corpus*,
Calculus in nitidâ ſic numeratur aquâ.

Tibullus: *Tibull. 2. 4. & Eleg. 6*

Coa *puellis*
Veſtis, & *e rubro lucida concha mari.*

Vel.

Illa gerat veſtes tenues, *quas fœmina* Coa
Texuit.

Et Horatius: *Horat. Sat. 2.*

Cois *tibi pene videre eſt*
Ut nudam.

Dedit

Dedit veſti huic nomen inſula *Cos*, ſita ad mare Ægæum, Rhodo proxima, a bombycum multitudine celeberrima, Hippocratis Patria. Alii a *Ceâ* vel *Ciâ* dictam volunt, inſulâ Atticâ, prope Euboeam. Ita *Plinius* cum Varrone: *Telas* (inquit) *aranearum modo texunt, ad veſtem luxumque fœminarum, quæ bombycina appellarunt. Prima eas redordiri rurſuſque texere invenit in Ceo mulier Pamphila, Latoi filia, non fraudanda gloriâ excogitatæ rationis, ut denudet fœminas veſtis.* Plin. lib. 4. Sed jure abire ſe ab hiſce oſtendit *Ariſtoteles*, dum dixit: Πρώτη λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ παμφίλη, Λατῴου θυγάτηρ. Ariſt. de Hiſtor. Anim. lib. 5. c. 19. Nam neque ullibi occurrit notio *Cea* vel *Cia* veſtis, ſed ſemper *Coa*; neque Pamphila, Latoi filia, in Inſulâ *Ceâ* ſed *Coâ* nata fuit. Accedit, quod ipſe *Plinius* alibi, ſui oblitus, bombyces, ex quarum telis *Coa* veſtis texitur, non in *Ceâ*, ſed in inſulâ *Co* naſci aſſeruerit. Plin. lib. 11. cap. 23. Sed rideturne *μεθοδεία* hâc Deus a fæmellis Chriſticolis, quam ipſæ quippe Gentes, ut dictum eſt, præſertim quæ moratiores erant, manifeſtiſſimè improbarunt? Audi *Senecam*, inter *luxuriæ ſpolia* eam recenſentem: *Video* (inquit) *ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſint, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus aut denique pudor poteſt, quibus ſumtis, mulier parum liquido nudam ſe non eſſe jurabit.* Senec. de Benefic. lib. 7. cap. 9. Oculos ſane luxuriæ proxenetas eſſe, quis inficias eat, præſertim ubi blanditur occaſio, illæque adſpectui proſtituuntur partes, quæ ad libidinem inflammandam aptæ natæ ſunt? Ἀνδρομανεῖς fœminas tales dixit *Euripides*; eo quod impudicâ corporum ſuorum denudatione ad turpis amoris & libidinum furores viros adigerent. Expertus id inſigni ſuo damno eſt David, experti infiniti alii. Quinimò merum *nudationis* periculum ipſis Gentium mulieribus tam inviſum fuit, ut morituræ ſollicitiſſimè contra eam caverint. De *Lucretiâ* Ovidius:

Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honeſtè,
Reſpicit: hæc moriens cura cadentis erat.

Quid itaque mulieres Chriſtianas non decet, quas ornari Apoſtolus vult *amictu honeſto cum verecundiâ & ſobrietate.* 1 Tim. 2. 9? Lacædemones tamen hoc diſcrimine *velandi* morem obſervabant, ut puellas ſuas diſcoopertas, maritatas *velatas* & obnuptas educerent, hâc adjectâ ratione (ut teſtis eſt Plutarchus) ὅτι τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑ- Plutarch. in Apophth. Laconic.

ρεῖν

ῥεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας ζώζειν τοὺς ἔχοντας; *Quod* puellas *quidem oporteat viros invenire, mulieres autem viros retinere.* Conformiter Judæorum, quoad puellas innuptas, conſuetudini, de quâ Doctiſſimus Lichtfootus: *Jam vero* (ait) *quamvis* velationem *facierum muliebrium in plateis & requirerent canones magiſtrorum, & conſuetudo Gentis comprobaret, permiſſum eſt tamen fœminis facies nudare, ornare, venuſtare in ordine ad honeſtum matrimonium.* Et Paulo poſt: *Nudet* (mulier) *faciem, ſi velit, velet ſi velit, prius faciat, ut venuſta appareat, poſterius ut honeſta: poteſtatem liberam penes ſe habet, ut deſponſationem ſuam promoveat nuptiaſque, ut ob virum eſſet, cum propter virum fuerit creata.* Ita Rabbini. At quam parum conſentaneè tum verbo Dei, tum puellarum verecundiæ & caſtitati! Ergone ob ſpem Matrimonii ipſa etiam

Lichtf. in 1 Cor. 11. 10.

Scorta placent, fractique enervi corpore greſſus,
Et laxi crines, & tot nova nomina veſtis,
Quæque virum quærunt?

Petr. Arbit. in Carm. Secu.

Haud viſum id certè *Hieronymo* fuit, qui hoc ſimilive modo nuptias ambientes verbis hiſce graviſſimis increpavit: *Fuge* (inquit) *laſciviam puellarum, quæ ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adſtrictas habent manicas, veſtimenta ſine rugâ, ſoccoſque criſpantes, ut ſub nomine virginali* vendibilius *pereant.* Imò hi prætextus ſi valeant, quidni ſpurci Babyloniorum revocentur mores, qui nudatas plane mulierculas, miniſtrandi ergo, in conviviis ſuis adhibebant. Sic de iis Curtius: *Harum licet in conviviis principio modeſtus ſit habitus, tamen deinde ſumma quæque amicula exſuunt, paulatimque pudorem profanant. Ad ultimum ima corporum velamenta projiciunt, nec meretricum hoc dedecus eſt, ſed matronarum virorumque, apud quos comitas habetur vulgati corporis vilitas.* Forſan enim & hæ auſpicatum matrimonium proſtitutione ſuâ intendebant. Reſtringit, fateor, Clariſſimus *Rivetus* velationem, apud *Syros* uſurpatam, ad Sponſas vel *nuptas* mulieres, exemtis ab illius obligatione iis, quæ virgines & *innuptæ* erant: Sed præterquam, quod Vir ille Magnus diſtinguat inter capitis qualequale *integumentum* & *Velum* proprie dictum, *hocque* licet *peculiare* Sponſis & uxoribus dicat, *illud* tamen omnibus mulieribus *commune* faciat; minime etiam prætexit ludicrum illum & virgineo pudore indignum *Lacedæmoniorum* & *Judæorum* finem, ob quem, ut dictum eſt, puellas ſuas *aperto* capite

Hieronym. ad Demetr. de Servand. Virg.

Curt. lib. 5.

Rivet. in Geneſ. Exercit. 112.

capite incedere permittebant; ſcilicet ut ad honeſtum matrimonium commendatiores fierent, ſolutoque capillitio ac effuſis & calamiſtratis crinibus procorum animos illicerent; abſit. Quinimo laudat e contra *Tertullianum*, Lacædomoniorum hunc morem finemque acerrime perſtringentem, ut in verbis paulo præcedentibus videre eſt. Virgines alias ordinario in nuptiis & extra nuptias apud Hebræos *velabantur*; quin adeo rigidi hac in re modeſtiores eorum erant, ut inverecunda nimis mulier ipſis haberetur, quæ in publico tantum neret, ita ut ornatu ſuo, ſeu manuum brachiorumque venuſtate, tranſeuntes illiceret. Expreſſus Canon eſt in Miſchna: *Quodnam eſt ſtatutum Judæorum? Si qua exeat* nudato capite, *&* fila ducat *in plateis, & confabuletur cum quolibet*, &c. *ea abſque dote dimittitur.* Obſtare, ſcio, videtur, quod *Thamar*, cum ſe *Juda* proſtituere vellet, *theriſtrum* aſſumpſerit, Geneſ. 38. 14. verſuque mox ſequente pro ratione videatur allegari, quare meretricem eam eſſe ſuſpicatus ſit Juda, *quod vultum ſuum operuiſſet*; ita Hieronymus & Tertullianus, multique alii; ſed non bene: quippe texit ſe *Thamar*, non ut *meretricem* peplo ſuo referret, ſed ut tecta & ignota prætereuntibus maneret, imprimis quidem *Judæ*, cui inſidias ſtruebat. Dicit enim exertè Moſes: *Judas non agnoſcebat eam.* Habebat eam ergo pro meretrice, non quod *velatam* videret, ſed quia de facie non agnita in trivio ſedebat, quod alienum erat ab honeſtâ muliere. Si enim ſciviſſet, eam nurum ſuam fuiſſe, utique utut *velatam* pro meritrice eam non habuiſſet: at de muliere peregrinâ, ut ſibi videbatur, eâque in publico loco conſidente, judicare vix aliud quid poterat. Ad rem Magnus *Bochartus*, qui varias adferens vocis כעטיה Cantic. 1. 7. expoſitiones, inter alia dicit: *Alii* כעטיה *ut* operta, *ſeu* velata, *id eſt*, *meretrix*; *quia meretrices* velantur. *Et* velari *meretrices probant ex Hiſtoria Thamaris*, *Gen.* 38. 14, 15. *verum hæc fruſtra adducuntur*, *cum non ſit meretricum proprium* velari, *ſed* revelari *potius. Eſ.* 46. 3. *Ezech.* 16. 36. 37. *Nahum.* 3. 5. *Neque more* meretricis *Thamar ſe theriſtro obtexerit, ſed* (NB.) *ne agnoſceretur.* Neque ſolus ita *Bochartus*; conſentiunt *Chryſoſtomus*, *Vatablus*, *Mercerus*, *Iunius*, *Rivetus*, *Piſcator*; qui poſtremus multa conjungit, e quibus *Thamarem* meretricem fuiſſe *Iuda* collegit: veſtitus mutationem, faciei obtectionem, ſeſſionem ad bivium, mercedis pactionem, pignoris poſtulationem & acceptionem. *Mercerus* ad verſ. 15. *Ego rationem putârim afferri a*

Eſ. 47. 3. *Ezech.* 16. 37. *Nah.* 3. 5.

Selden. Uxor. Heb. lib. 3. *cap.* 17.

B. Carpzov. Not. in Schickard. de jur. Reg. p. 357.

Merc. in Gen. 38. 14. 15.

Hieronym. ad Helvid.

Tertull. de Cult. Virg. cap. 12

Rivet. in Geneſ. Exercit. 154.

Bochart. Hierozoic. part. 1. *lib.* 2. *cap.* 46.

Chryſoſt. in Geneſ. Homil. 61.

Piſcat. in Geneſ. 38. 14.

Moſe, cur eam non agnoverit [Juda] *cum quo tot annis cum duobus filiis verſatus eſſet, ſed eam pro* meretrice *habuerit, quia faciem texerat, &, ut dictum eſt, peplo involverat*, ne ab illo præſertim, *aut* à quoquam agnoſceretur, *quo illi facilius imponeret.* Ne dicam eſſe, qui illud *abſcondit ſe*, cum LXX. per *ornavit ſe* vertunt. Neque tamen negari ſimpliciter poteſt, fuiſſe antiquitus quædam, quibus ipſa proſtibula ſe tegebant. Ita de *Meſſalina*, Imperatoris *Claudii* uxore, ſequioris ſexus propudio, Juvenalis, quod mæchata noctu ſit,

Mercer. in Geneſ. 38. 15.

Vatabl. in loc.

Juven. Sat. 6.

Nigrum flavo crinem abſcondente galero.

In quæ verba Farnabius: *Meretricio flavo galero ſeu galericulo è crine flavo, qui meretricum color eſt, factitio & adſcititio nigrum crinem matronalem abſcondente, ut publica meretrix videretur.* Sed tegmen hoc *Thamaris* tale fuiſſe, quis dixerit? imo quis contrarium non dixerit? cum *flavus* procul dubio *color* ætate, quâ *Thamar* vixit, meretricem, *niger* honeſtam matronam, ex more gentis haud repræſentaverit? *Juvenalis* enim ad Romanorum reſpexit tempora, non ad antiquiſſima Græcorum, nedum ad ante-moſaica, ſub quibus *Thamaris* hoc accidit. Præterquam quod hic *Meſſalinæ* apparatus propriè *velatio* non fuerit, ſed capillitii tantum mutatio quædam ex *nigro* colore, ut minus grato, in *multo* gratiorem, ut procis ſuis pulchrior videretur! Græcis φενάκη vel πηνίκη, Suetonio *capillamentum* dicitur. 4. In caſu *nuptiarum* & *initi matrimonii*: Velabantur Judæis aliiſque non tantum mulieres *ſponſæ* ſed & *ſponſi*, ac quidem verecundiæ cauſâ; eratque theriſtrum eorum ex ſindone aliâve materiâ confectum, non ſine monilibus, lemniſcis aliiſve id genus, pro utentium lubitu, hinc inde pendulis. *Veli* (inquit Ambroſius.) *mentionem facit, quo & ſponſus & ſponſæ tum temporis a Sacerdote in eccleſia* tegebantur, *ut ea ceremoniâ ſignificaretur, utrumque conjugii vinculo conjunctum & conjugatum eſſe.* Pagani deſponſæ virginis faciem *velo flammeo*, id eſt, *rubra* & tenui infulâ contegebant, eum in finem, ut pudoris læſionem velata ſubindicaret. Quare & *nuptiæ* ab *obnubendo* dictæ. *Velum* autem id *lutei* coloris erat, ut, ſiquid in facie virginis animadverteretur pudoris, is e *velo* color, non è genis emicare videretur,

Sueton. in Caligul.

Salmuth. ad Pancir. part. 1. tit. 59.

Roſin. Antiqq. Roman. lib. 5. cap. 37.

Claudian. de Rapt. Proſerp. lib. 2.

Vultibus addunt
Flammea *ſollicitum præ velatura pudorem.*

Lu-

Luteum illum colorem *flammeum* fuiſſe, docet Lucanus:

Lucan. lib. 2.

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem,
Lutea *demiſſos velarunt* flammea *vultus.*

Et Claudianus;

Ipſa caput diſtinguit acu, ſubſtringit amictus,
Flammea *virgineis accommodat ipſa capillis.*

Claudian. Carm. Honor. & Mariæ.

Flammeus color ille erat, quod indicium *boni ominis* eſſet, idcirco quod eo aſſidue *Flaminica* uteretur, cui divortium facere non licebat, ut obſervavit *Briſſonius.* 5. In caſu *triſtitiæ* & *luctus*; de quo in hunc modum Druſius; *Labrum* obvelabant *lugentes, ſed proverbialiter poſitum videtur. Mich.* 3. 7. *pro in* luctu *&* mœrore *eſſe.* Licet alii aliter verba illa capiunt. Vid. Job. 10. 15. Thren. 2. 10. Eſth. 6. 12. Facit huc illud Perſii:

Briſſon. de Nuptiar. Rit. pag. m. 222.

Druſ. Prov. Hebr. lib. 3. claſſ. 2.

Obſtipo capite & figentes lumina terram,
Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt.

Tertull. de Veland. Virgin. cap. 17.

Forſan lux gravis eſt mærentibus; adeoque, ne eam adſpiciant, *oculos operiunt*, vel ſe ab aliis conſpici & digito monſtrari ægre ferunt, Jer. 14. 3. 5. 2 Sam. 19. 4. *Iſocrates*, Ἐπειδὴ ἤλθομεν εἰς ἀκρόπολιν συγκαλυψάμενος ἔκλαιε. Hoc eſt, *capite velato* vel tecto *plorabat.* Dum mactaretur *Iphigenia*, pictor, qui ſacrificium illud repræſentabat, *Agamemnoni* caput olim *operuit*, quia flentem exhibebat; non quod, ut multi hactenus exiſtimarunt; triſtitiam ejus penicillo exprimere impar fuerit. 6. In caſu *inaugurandi Principis*; Hinc Saubertus: *Contra apud Hebræos* Reges *&* Principes *recens creati velabantur.* Schebat Jehuda: *Wan der Naſchi geht, da iſt ſein* panim *verdekkt met einem ſeiden Thuch, das man ihm das* panim *net ſieht.* Et porro; *Als dann bringen ſie den Naſchi alderoberſt auff dem Migdal, und ſein* panim *iſt verdekkt.* In quæ verba notandum, non de omnibus inter Hebræos Regibus & Principibus verum id eſſe, ſed de *Regulis* ſive *vice-Regibus* tantum, qui tempore exilii Babylonici eligebantur & inaugurabantur. Refert hæc ipſa, quo *Saubertus* ſpectavit, hunc in modum Buxtorfius, & ex ipſo Schickardus: *Appropinquans* (Regulus) *excipiebatur hymno, alternis a præcentore & comitibus decantato. Ingreſſus ſtatuebatur in Turricula*, velatus *adhuc, ac porrecto volumine Pentateuchi, legebat aliqua.* Et paulo ante: *Pridie parabatur ipſi cathedra in Synagoga,* Sab-

Perſ. Satyr. 3.

Kirchman. de Funer. Rom. lib. 2. cap. 16.

Iſocrat. in Trapez.

Saubert. de Sacrif. Vet. cap. 12 pag. 276.

Buxtorf Theſaur. Gram. circ fin.

Schickard. de Jure Reg. Hebr. cap. 1. §. 4.

Sabbato mane comitabantur enim illuc præcedentem, *atque* facie *tota velatum*. Quorſum vero *velatio* hæc tenderit, difficile dictu eſt. Indicarunt eâ forſan Principes, ſe pudore ſuffuſos quadantenus fuiſſe, quod non in *primarios* populi *Reges*, prout prædeceſſoribus ſuis ante Captivitatem contigerat, ſed in *Pro-reges* vel *Sub-reges* tantum eligerentur. 7. In caſu *terroris* & *metus*; ſic Cæſar Julius, ut animadvertit, undique ſe in Senatu ſtrictis enſibus & pugionibus peti, togâ *caput obvolvit*, inquit Suetonius; adinſtar *Pompeji*, de quo Lucanus:

Sueton. in Jul. cap. 82.

Ubi vidit cominus enſes,
Involvit vultus.

Proculdubio ob imminentis caſus horrorem, ne terroris metuſque pictura, vultui ſuo impreſſa, ab interficientibus conſpiceretur. Ita etiam qui hoſtibus in prælio reſiſtere ultra olim renuebant, ſed turpiter terga vertebant, *obvelato capite* in pedes ſe dabant. Plautus:

Plaut. in Moſtellar.

Capite obvoluto *ut fugiat cum ſummo metu*,

Imò non deſunt, qui Romanorum in ſacris *velationes*, ad hunc ipſum *metum* retulerunt. Sic διαῤῥήδην Capellus: *At in ſacris Ethnicis Romani præſertim tecto erant capite, tum Sacerdotes & Pontifices, qui vel pileo vel apice, infulis & vittis utebantur, tum populus, qui ſacris intererant & illis participabant, rejectâ in caput veſtis laciniâ,* obnubilato *adſtabant* capite: *quo habitu non ingenuam & liberalem erga Numen reverentiam teſtabantur*, *ſed* triſtem *potius &* ſervilem *Idolorum ſuorum* metum, *qui eſt a* δεισιδαιμονίᾳ, *prodebant*. Reduci huc etiam video a *Flacco Illyrico*, & poſt illum, a Doctiſſimo *Valeſio*, Veteris Eccleſiæ morem, juxta quem *Catechumenos* competentes non niſi *tecto capite* & *velatâ facie* per publicum incedere permittebant: *cum typum*, inquiunt, *gererent Adæ a Paradiſo expulſi*. Mutuati id ſunt a *Junilio*, Epiſcopo Africano, cujus hæc ipſa verba ſunt: *D. Da præteritorum Typum*? M. *ut eſt Catechumenorum humilitas*; *typum enim gerunt Adæ Paradiſo excluſi*, *& ex conſcientiâ delictorum Divinum* metuentis *adſpectum, propter quod & per publicum* capitibus tectis *incedunt*. At neſcio, an momentum ratio hæc habeat; cum ſupponat, quod falſiſſimum, meo judicio, eſt (ut alibi demonſtrabo) non *futurarum* tantum, ſed & *præteritarum* rerum *typos* eſſe. Ne dicam, non niſi ſtramineam conſequentiam videri: Adam, Paradiſo ejectus, Divinum *metuit* adſpectum, ergo Competentes præ *timore* non debent niſi *velati* incedere.

Capell. Spicileg. pag. 88.

Flacc. Illyr. Clav. S. Script. part. 2. p. m. 215.

Valeſ. in not. ad Euſ. pag. 253.

Junil. de Partib. leg. lib. 2. c. 16.

Digitized by Google

cedere. 8. In caſu *honoris ſummis Imperatoribus Regibuſque exhibendi*; qui ut infando olim turgere ſolebant faſtu, ita divinum penè cultum ab accedentibus ad ſe exigebant, Sic *Caligula*, teſte *Dione*, aliique; ſaltem ex adulatoribus eorum vix deerant, qui cum ipſis offerrent. De *Vitellio* Suetonius: *Idem miri in adulando ingenii primus* Cajum Cæſarem *adorari ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam* velato capite, *circumvertenſque ſe, deinde procumbens.* Faciebat id *Vitellius*, quin plus forſan feciſſet, ſi licuiſſet, tum honoris ergo, tum ex metu, ut necem ſi non intentatam, conceptam ſaltem, artificio hoc effugeret: 9. In caſu *atrocioris flagitii*, cujus ipſos pudebat artifices. Marcus de *Petro* cap. 14. verſ. ult. Ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, id eſt, *operto capite flebat*? Ἐπιβάλλειν enim ſæpe eſt *veſtem injicere.* Idem enim Marcus cap. 11. 7. de Aſini pullo, cui inequitabat Salvator: ἐπέβαλον αὐτῷ τὰ ἱμάτια, *injecerunt ei pallia.* Suffuſus nempe ita pudore erat *Petrus*, ob triplicatum turpiſſimæ abnegationis crimen, ut *obvelaret faciem*, non tantum ad liberius lachrymandum, ut vulgo tenetur, ſed quod *aperto capite* in publicum prodire erubeſceret. Job. 24. 15. *Oculus adulteri obſervat crepuſculum, dicens non videbit me oculus & ubi lateat facies ſua adhibet.* Ita Coccejus. Munſterus, *in latibulo ponit faciem*, [hoc eſt, involvit ſe, ne agnoſcatur. Grotius, *operiet vultum ſuum*] *capite involuto incedet.* Significantius adhuc Druſius: *Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens, non videbit me oculus, &* operiet vultum *ſuum*; ac juxta illum Belgæ: *Ook neemt de ooge des overſpeelders de ſchemeringe waar, ſeggende, geen oge en ſal my ſien, ende hy legt een* dekzel *op het aangeſigte.* סֵתֶר enim (Græci dicunt σκεπαστήριον) eſt opertorium, tegumentum, a סָתַר *latere, abſcondere ſe*: סִתְרָא לְהוֹן מוֹאָב הֲוֵי *Moab fuit latibulum ipſis.* Eſ. 16. 4. Pertinet huc etiam quod alicubi habet *Erhardus*: *Ludices veſtes* (inquit) *a ludis, id eſt, Theatris vocatas quidam exiſtimant. Cum enim egrediebantur de ludi proſtibulo juvenes, harum* velamento *tegebant caput & faciem, quia ſolebant erubeſcere, qui lupanar introiſſent.* Et eſto, ut quidam volunt, catachreſticè vocabulum hoc ſumendum eſſe; indicat tamen dictionis ille modus agendi quandam rationem adulteris & ſcortatoribus olim uſurpatam; quod ad id, quod adſtruere hic intendimus, omnino ſufficit. 10. In caſu *luxus & mollitiei oſtentandæ*; hinc ille apud Plautum, in *Græcos*:

Dio Caſſ. in Vit. Calig.

Sueton. Vitell. cap. 2.

Theophyl. in Marc. 14.

Coccej.

Munſter.

Grot. in Job. 24. 15.

Druſ. Annot. in Job.

Buxtorf. lex. Rabb. pag. 1560.

Erhard. in Symbol. pag. 547.

Merc. in Job. c. 24. 15

Plaut. Curcul.

Tum iſti Græci palliati, capite operto *qui ambulant.* [*Senec. Epiſt.* 115.] Et de *Mæcenate* Seneca, quod in *tribunali*, in *Roſtris*, *in omni publico ſic apparuerit*, *ut pallio* velaret *caput*; mollitiem ejus denotans. 11. In caſu *Legationis*, cum quidam vel ad ineundam pacem vel indicendum bellum mitterentur; [*Liv. Dec.* 1. *lib.* 1.] Φηλιάλεις ſive *Feciales* dicebantur, a *faciendo*, ut autor eſt *Feſtus*; quod belli paciſque faciendæ penes eos jus eſſet. Derivant alii a *ferendo*, plures a *feriendo*, nonnulli a *fando*, legentes tum non *feciales* vel *fetiales* ſed *fatiales*; quod eſſent viri Φατοὶ, id eſt, celebres. [*Varr. de Vit. Popul. Rom. lib.* 2.] *Varro* de Populo Romano, quod *nullum bellum niſi pium geri putarint*; & *priuſquam indicerent bellum iis, a quibus injurias factas ſciebant*, feciales *Legatos res repetitum miſerint quatuor*, *quos* Oratores *vocabant*. [*Servius ad Æneid.* 8.] Hi Legati, cum quod in mandatis habebant, denunciarent, *aperto* non ſtabant capite, ſed *operto*, & lanæ *filo velati*. Ecce locum Boxhornii: [*Boxhorn. de Romanor. Imperi Diſp.* 4. §. 5.] *Priores quod attinet* (inquit) *ubi ad fines Latinorum venit* (Fetialis) *capite* velato [filum lanæ *velamen erat*] *Audi Jupiter, inquit, audite fines populi priſci Latinorum, audiat fas. Ego ſum publicus nuncius populi Romani, juſte pieque Legatus venio*, *verbiſque meis fides ſit.* [*Dion. Halicarnaſſ. lib.* 1.] 12. In caſu debitæ parentibus *reverentiæ* exhibendæ. Hinc apud Romanos filii parentes *velatis capitibus* efferebant, utpote quibus hi venerandi eſſent tanquam Dii. 13. In caſu *Oblationis*, [*Valer. m. lib.* 5. *cap.* 6.] non quæ ad cultum, Deo Diiſve exhibendum, proprie pertinebat, ſed quâ heröes quidam pro bono publico DIS manibus ſe devovebant; quorum multa apud *Valerium* M. exempla extant. Celebres præcipuè hoc nomine ſunt *Decii*, Romani fortiſſimi, [*Liv. Decad.* 1. *lib.* 8. & 10.] *Pater* bello Latino, *Filius* bello, Hetruſc. *Nepos* bello, quod pro Tarentinis *Pyrrhus* geſſit. De *Decio Mure* Livius: *Pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit*, & velato capite, *manu ſubter togam ad mentum exertâ ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem ſic dicere:* [*Flor. lib.* 1. *c. cap.* 14] *Jane: Juppiter: Mars Pater Quirine: Bellona:* Lares: *Divi novenſiles: Dii indigentes: Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque, Diique manes, Vos precor: veneror: veniam peto feroque: Uti Populo Quiritium vim victoriamque proſperetis: Hoſteſque Populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Rep. Quiritium, Exercitu, legionibus, auxiliis Populi Romani Quiritium: Legiones auxiliaque hoſtium mecum Diis manibus devoveo.* Hæc devovendi formula ipſis erat; ſed, ut liquet, devovendus *caput* ſuum *operiebat*. 14. In caſu denique *damnationis* & ignominiæ. Sic capitis rei apud Perſas, Romanos, Judæos, Athenienſes *velati*. De *Hamane* teſtatur Scriptura

tura

Digitized by Google

tura, morti jam dicato, quod *caput* ipſi *opertum* ſit a Satellitibus. Eſth. 7. 8. Et quid Chriſto, a Judæis condemnato, accidit, Marc. 14. 65? Καὶ ἤρξαντο τινὲς ἐμπτεύειν αὐτῷ, καὶ περικαλύπτειν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. *Et ceperunt quidam conſpuere in eum & velare faciem ejus.* Notum etiam eſt ferale Romanorum carmen: *I lictor, obnubito, & infelici arbore ſuſpendito.* Atque hæc quidem de Antiquorum *Velis*. Quæ certè cum adhiberentur etiam, ut ex dictis liquet, ad reorum ignominiam tum indicandam tum augendam, non ſine ratione *quæritur*, quomodo hoc in caſu plane contrarium mulieri ſuſpectæ evenire voluerit Deus, id eſt, non imponi, ſed e contra auferri ipſi *velum*, utut totus hic proceſſus *ignominiæ* pleniſſimus eſſet? Dicendum proinde: non ablatum mulieri *velum* fuiſſe ignominiæ ergo, ut quidam ſenſerunt; *tum* quod ex more communi id ei imponi potius ideo debuiſſet, ut jam viſum eſt; *tum* quod hoc pacto, (ut inquit Calvinus) *damnata modo fuiſſet ante cauſam cognitam, quod omni æquitati repugnaſſet.* Sed has ob cauſas: *Calvin. in Num. 5. 15.* (1) Ut mulier ſuſpecta per ſe, ſine autore jam jam juratura, ſui quaſi juris conſtitueretur; quare *velum*, ſubjectionis ſignum, in ejus capite non erat relinquendum. (2) Ut apertè, omnibus ſpectantibus animadverteretur, quâ fide, quâve audaciâ atque conſtantiâ in periculum examinis iſtius deſcenderet; quod e re erat ut manifeſtaretur. (3) Ut animo contremiſceret, & terrore illo ad majorem in jurando reverentiam excitaretur. Quo & pertinuiſſe videtur, quod non *velum* tantum ipſi detraheretur, ſed & veſtes ejus cordetenus dilacerarentur, nudato uſque ad crines capite, ſincinni, ſiqui erant, abſconderentur, & fune, ſiquidem comparari poſſet, Ægyptio (quo Ægypti Miracula in animum ei facilius reducerentur) veſtes ei laceræ ſupra mammillas circumcingerentur. (4) Ut convinceretur, ſiquidem ab adulterii ſuſpicione purgare ſe non poſſet, omni mariti tutelâ privandam, imo eâ indignam ſe deinceps fore: cujus tutelæ obſignaculum *velamen* hoc capitis ipſi hactenus fuerat. Cedebat quidem aliquatenus in mulieris ignominiam univerſa hæc tractatio, ac ſpeciatim quoque capitis hæc detectio; dicit enim ipſis verbis Apoſtolus, *omnis mulier prophetans aut orans non* velato *capite, deturpat caput ſuum.* 1. Cor. 11. 5. At non quæritur hic, quid cum proceſſu hoc conjunctum qualitercunque ſit, vel fuerit, ſed quid ipſe Deus, Legis hujus Autor, primariò eo intenderit.

VIII. Quæ-

VIII. Quæritur 5. *Cur aqua, mulieri epotandæ, amaræ dictæ?* Reſp. In originali habetur מֵי הַמָּרִים, quod ſonat *aquas amararum*, ſcil. rerum. *Pellicanus* vertit per *Aquas amariſſimas*; ſicque vocatas putat, quia ad hoc paratæ erant, ut obeſſent reæ, & innocenti etiam mulieri amariſſimæ forent. Sed non videtur id convenire cum verſu 28. ubi potum hunc mulieri innocuæ nihil nociturum eſſe, expreſsè aſſeritur; niſi quis per *moleſtiam* hanc dolorem juſtum, ex contumelioſiſſimo hoc proceſſu ab ipſâ inſonte muliere conceptum, indicatum velit. Hebræi volunt, abſinthium vel ſimile quid, quod *amaritudinem* adfert, poculo huic, inſtar lixivii, immixtum fuiſſe; quò e Chriſtianis etiam inclinat *Freidlibius*. Sic ut fuerit adinſtar potus *amari*, qui omnibus fere, qui ad capitale ſupplicium educebantur, ad alienandam mentem, exhiberi olim ſolebat. Ita *Sixtinus Amama* ex Maimonide: *Poſtquam vero confeſſus eſt, potionant eum grano thuris in calice thuris, ut tollatur ab eo intellectus & inebrietur.* Nec non *Coccejus* ex eodem: *Ei, qui ducitur ad mortem, prabetur granum thuris in poculo vini, ut alienetur ipſius mens.* Prout de Virginibus *Maximâ* & *Donatilla* in perſecutione *Valeriani*, ante ſupplicium *felle* potatis, in Martyrologiis legere etiam eſt. Sunt tamen, qui in alia hic eunt, quos inter eſt Cl. *Acoluthus*, qui multis opinionem illam impugnat. Nos *amaras* dictas aquas putamus, ſive ob cauſam *efficientem*, quod vir irritatus ſuſpicione amarâ adulterii, explorari uxorem ſic vellet; ſive ab *effectu*, quod ſontem mulierem, poſt ſumptionem earum, *amariſſime* cruciarent, & excarnificarent. conf. 24. 27. Saltem *Thus* immixtum iis eſſe non debuit, quia Lex id expreſsè prohibebat. De aliis harum *Aquarum* inſcriptionibus videſis *Aculuthum* jam laudatum.

Pellican. in Num. 5. — *Freidlib. loc. cit.* — *Amam. Anti-barb. Biblic. pag. 937.* — *Coccej. Sanpedr. cap. 6. obſ. 3* — *Acoluth. Loc. cit. pag. 53. 54. 55.*

IX. Quæritur 6. *Unde deſumptæ Aquæ hæ fuerint?* Reſp. *Calvinus* vult, propendere eo ſaltem videtur, partem eas fuiſſe aquæ, cui cinis *Vaccæ rubræ* adſpergebatur, ex quâ ſolennis purgatio fiebat. At recedit ab eo *Junius*, qui hauſtas eas vult e *Labro æneo* de quo Exod. 30. 17. Nec ſine gravi ratione: *Quodſi enim* (inquit) *Aqua Expiationum hic fuiſſet adhibita, jam ſecundum quendam modum fœmina fuiſſet damnata adulterii, tanquam expianda.* Paria cum hoc facit *Seldenus*: Sacerdos *præter mulieris nomen, omnia adjurationis vocabula inſcribebat, & dimidium aquæ ſextarium ex* æneo labro, *quod, ex ſpeculis mulierum conflatum, juxta Altare locum*

Calvin. loc. cit. — *Juni. in Num. 5.* — *Selden. Uxor. Heb. lib. 3. c. 15.*

locum habuit, deſumptum eſt, &c. Unde aquas haſce מֵי כִּיּוֹר id eſt, *aquas Labri* quidam vocitarunt.

X. Quæritur 7. *Quid de* libro, *cujus hic meminit Moſes, ſentiendum, & quid inſcriptum ei fuerit?* Reſp. Hebræi quicquid inſcribitur סֵפֶר vocant; verum opus hic non erat *libro* proprie dicto, ſed ſufficiebat ſcedula vel chartula quædam. Hinc *Philo* χαρτίδιον tantum dixit. Injiciebat quippe Sacerdos, teſte Hottingero, *librum* hunc *Zelotypiæ*, סֵפֶר קִנְאָה, in ipſum poculum, quod epotandum mulieri dabatur; quis vero de juſto quodam volumine id intelligat? Sunt, qui nomen יהוה bis impictum ei voluerunt. *Joſephus* id ſemel inſcriptum putat. Alii, preter maledictionis verba, nomenque Tetragrammaton, nomen mulieris ſuſpectæ addunt. Sic *Seldenus* mox laudatus. *Ex mundiſſima enim*, inquit, *dein membrana atramento ſine chalchanto, ut facilius abſtergeretur, confecto, præter mulieris nomen, omnia adjurationis verba ſive vocabula inſcribebat* Textus non meminit nominis יהוה, neque mulieris, ſed ſimpliciter maledictionum, vſ. 23. *Et ſcribebat maledictiones illas Sacerdos in libro:* Quæ procul dubio haud aliç fuerunt, quam quç verſſ. 21. 22. immediate prçcedentibus, referuntur: *Det te Jehova in maledictionem & adjurationem in medio populi tui, quum dederit Iehova femur tuum cadens & uterum tuum tumeſcentem, ingrediantur que aquæ maledictæ iſtæ in interiora tua, ut tumeſcere faciant uterum, & cadere faciant femur.* Voluitque ſic Deus omnibus modis veritatem judicii ſui ſancitam eſſe: *Sermone* adjurationis, *Opere* epotationis, & rei geſtæ *Scripto*. At miraris, quid *ſcripto* opus fuerit, cum Deus mox iterum deleri maledictiones *illas* voluerit? Putat id factum Junius, quia *iniquum fuiſſet, hujuſmodi cauſarum turpium recordationem ſervari in diuturnitatem*. Sed dubito, an bene: cum e contra adultera uſque in tempora ſequentia in maledictionis exemplar & rigidiſſimi vindicati adulterii ſignum ponenda eſſet. vid. verſ. 27. unde & ipſa hæc potio, ut dictum ſupra, מִנְחַת זִכָּרוֹן *oblatio Recordationum* nuncupabatur. Imo vero ipſe Vir Magnus aſſerit verbis non multo poſt ſequentibus, *nomen mulieris adulteræ in proverbium execrationis abiturum* eſſe; at quî poterat hoc fieri, ſi *recordatio ejus non ſervaretur in diuturnitatem?* Statuendum ergo potius, delendas mox iterum aquas illas fuiſſe, ſicut antea ſcriptæ erant, ut indicaretur, tam parum obfuturas illas mulieri eſſe, ſi innocens foret, ac ſi ſcriptę nunquam fuiſſent.

Hottinger. Theſaur. Philolog. lib. 2. cap. 2. p. mi. 531.

Jun. in Num. 5. 23.

XI. Quæritur 8. *cur mulier maledictionibus propriis aſſentiri debuerit, & ipſa quaſi iis ſubſcribere?* Hoc enim requirebatur, juxta

Digitized by Google

Verſ. 22. *Dicet mulier illa Amen, Amen*: Nam vox Hebraica אָמֵן uſum eum habet, ut confirmet quæ ante dicta ſunt. *Reſp.* Requiſitum id procul dubio, ut juſtitiæ ſubeundæ pœnæ, ſi rea eſſet mulier, ipſa teſtimonium perhiberet. Aggravabatque id inſigniter miſeriam peccatricis, quod dum teſtabatur conſcientia ejus verè adulteram ſe eſſe, proprio ore Dei iram teneretur in ſe provocare. Ac monere ita voluit Deus mulieres, ut à qualicunque re, quæ maritum in adulterii ſuſpicionem poſſet inducere, quam ſollicitiſſimè ſibi caverent. Optime Pellicanus: *Dura admodum neceſsitas imprecandi ſibi tanta mala, ſi ream conſcientiam crimen redarguat. Et nihilo minus durum eſt, aſtare tribunali juſtitiæ Divinæ, & coram populo ſic traduci: ſed una turbatur, ut multis præcaveatur, ut diſcant amare maritos, & ab offenſione eorum in verbo, facto, ſignis & ſuſpicionibus cavere multâ diligentiâ.*

Acoluth. Tract. lit. pag. 299.

Pellican. loc. in

XII. Quæritur 9. *An non monere Sacerdos mulierem debuerit, ut ultro fateretur crimen, priuſquam aquas epotandas ipſi exhiberet?* Reſp. Omnino; huc enim faciebat *maledictionis* propoſitio. Imo & ante eam ipſam varia adhibebantur media, quæ eo tendebant, ut, interventu propriæ confeſſionis, *aquarum* hæc bibitio anteverteretur: ſic enim rurſus Seldenus; *Comparentem ibi mulierem* (ſcil. coram LXX. *Viris*) *terrere primo nitebatur Synedrium, ne aquas amaras biberet, crimen, cujus ſuſpicione laborabat, confiteri ſuadebat; monebat, ut recoleret exempla Judæ & Thamaris, Rubenis & concubinæ patris ſui, aliaque ejuſmodi, ne gravis nimis ipſi confeſsio videretur. Si confiteretur, aut potionem detrectaret, ejiciebatur, ſed ſine dote. Quodſi innocentem ſe aſſereret, ex conclavi* ſaxeo (Liskath Hagaſith *appellitant, locus erat Templo conjunctus, ubi Synedrium illud habebatur*) *eductam circumducebant, tentantes, an defatigata atque anxia Deum confiteretur.*

Selden. Tract. citat. pag. 402 403.

XIII. Quæritur 10. *An omnes mulieres, quarum* zelotypi *mariti erant, explorationi huic obnoxiæ fuerint?* Reſp. Negant id Hebræi, variaſque, autore eodem *Seldeno*, a Lege hâc excipiunt: ut 1. *Sponſam* & *fratriam*, cujus nuptiæ a leviro exſpectabantur; quia Lex dicit, *quando mulier declinavit ſub marito*; at ſponſa & fratria ante nuptias non erant *ſub marito*. 2. *Hermophroditi* uxorem; neque enim & illa ὕπανδρος habebatur, cum maritus iſtiuſmodi nec vir eſſet nec fœmina, ſed utrumque. 3. Uxorem cæci; quia Lex ait, & abſconditum fuerit ab *oculis ejus*, nempe mariti; at cæcus non habet oculos. 4. Uxorem, cui *invita* ſtuprum illatum erat. 5. Mulierem *claudam*, *alterâ manu mutilam*, *ſurdam* & *mutam*; eo quod in

in Lege habeatur, *ſtare eam faciet ſacerdos*; quod in claudam non cadit: oblatio *ſuper manibus* ejus ponenda: at fieri id nemini poterat, qui alterâ manu careret; *Dicet Sacerdos ad mulierem*; at quid diceret ſurdæ, quæ auditu caret? Et *dicet mulier Amen, Amen*, quod alienum a mutâ eſt. 6. Uxorem *claudi*, *mutili*, *ſurdi*, vel *mariti*, *qui ipſe ab omni illicito congreſſu immunis non eſſet*. Hinc Canon: *Niſi ubi ipſa integra eſſet, ut ille ut ipſa, locus aquis amaris minime fuit*. 7. *Nuptam*, quæ *vel* ante maritales amplexus occultata erat, *vel* quâcum maritus ante deductionem concubuiſſet, *vel* cujus maritus intermortuus eſſet, dum in judicium hoc nomine uxor deduceretur. 8. Uxorem denique *Eunuchi*, extremè *melancholici*, *furioſi*. Hæc *Magiſtrorum* erant gloſſemata hac de re, ſed *Moſes* eorum non meminit. *Conf. Miſchna cap. 4. Sotæ.*

XIV. Quæritur 11. *Quo* loco *propinari potus hic debuerit*, & *quo tempore*? Reſp. Quamdiu Iſraël in Deſerto verſabatur, fieri id debebat coram *Tabernaculo*; ſed poſt ingreſſum in Terram promiſſam & Templum ædificatum, *Hieroſolymam* proceſſus hic tranſlatus eſt; quò uterque conjux conferre ſe debebat, ut ibi in Synedrio magno LXX. Virorum pro more res procederet; coram quo, ſi culpam confiteri mulier renueret, *ad portam Atrii* exterioris *Orientalem* collocabatur, atque ornamento omni muliebri ſpoliabatur, veſtibuſque nigris induebatur. *In portâ Nicanoris* (inquit Doctiſſ. Lichtfoot) *potum dederunt uxori ſuſpectæ, aquas amaras.* Nunquam vero nocte ſed ſemper interdiu hæc fiebant, licet nullus alias dies eſſet, qui huic negotio plane non conveniret. Nullas vero res ad Synedrium Magnum *noctu* deferre, fas erat. *Toſtat. in Num. 5. verſ. 16.* *Lichtf. Cent. Chorograph. cap. 30.* *A Lapid in Numer. 5. 22.*

XV. Quæritur 12. *Quale genus pœnæ fuerit, quod mulieri adulteræ intumeſceret venter* & *concideret femur*? Reſp. Si polluta erat mulier (dicunt Hebræi) ſtatim facies ejus expalleſcebat, oculi proruebant, venter intumeſcebat, & femur concidebat, eâdemque horâ, quâ ipſa, moriebatur adulter quoque, qui cum eâ rem habuerat, accidebatque ipſi juxta omnia, quæ illi acciderant, ita ut intumeſceret venter ejus & concideret femur. Eodem verborum ordine pœna hæc mulieris in textu non occurrit: Verſu 21. præcedit *concidentia femoris*, verſibus vero 22. & 27. *tumor ventris*; in quo Magiſtri μυςηριῶδες τι quærunt; at *quærunt* tantum, non inveniunt. Sunt tamen Eruditi, qui fidenter affirmant, pœnam hanc non *a ventris tumore*, qui

præponitur verſ. 22. 27. ſed *concidentia femoris* initium ſuum ſumpſiſſe, ſaltem hanc illum nictu oculi præceſſiſſe, ob hanc rationem; quod *femore* peccandi initium fecerit adultera, dum adulterio ipſo
Acoluth. de Aquis Amar. pag. 347. ſuos diſpanderat pedes. Sic, cum omnibus Rabbinis, *Acoluthus*, ſed haud ſatis ſolidè. Quis enim Deo legem fixit, ut corporis, quo peccatũ eſt, afflictionem ab eo præciſe membro incipiat, quod in peccando primum fuit? Mitto, quod ſi Deus ſe ipſum ordini illi adſtrinxiſſet, tum a *femore* pænæ initiũ faciendum non fuiſſe, ſed ab *oculis*, animorũ feneſtris, potius, per quas primũ fere intrat laſcivus amor.

Mars videt *hanc* viſamque *cupit*, *potiturque cupitâ*.

Hinc Græcorum ἐποφθαλμιᾶν, id eſt, *libidinoſo adſpectu* aliquem intueri, & ἐποφθαλμιάσωσις, *oculus* vel *aſpectus* libidinoſus.

Oculi ſunt in amore duces.

Juſto interea benignius expoſuiſſe plagam hanc videtur *Druſius*, quem ſecutus eſt *Freidlibius*, dum ait: *Et tumeſcet uterus ejus & cadet femur ejus, hoc eſt, locus matricis ejus corrumpetur, nec erit amplius apta ad coitum, quia enim abuſa membro illo, punietur in eo.* Vix enim, dum plus non dicit, concedere videtur, mortem ipſam *tumorem* hunc uteri inſecutam eſſe, ſed meram tantum ſterilitatem, ſive ad concipiendum fœtum vel admittendum virum ineptitudinem; cum nihil certius ſit, quoniam omne mulieris adulterium lethali pænâ plectendum neceſſario erat, quin & hoc ipſum, quod tam inſigni gravabatur perjurio, capitali judicio fuerit vindicandum. Dicunt Judæi, quod *diſrupta perierit* mulier, id eſt, mortua ſit. Addunt quidam, coram ipſo Sacerdote *mortuam* concidiſſe; licet alii id negent. Dubio ſaltem procul non multo poſt poculum hoc exhauſtum adulteram miſeria hæc invaſit, ne temporis tractu contingeret, ut ſpectatores alii potius qualicunque morbo, quam extraordinario & mirando Dei judicio, obitum ejus adſcriberent.
Miſchn. cap. 3. Sota. Appingendus eſt locus e *Miſchna*, ubi ſic Magiſtri: *Nondum finem fecerat* mulier *bibendi &* continuo *vultus livorem contrahebat, oculi protuberabant, totaque venis replebatur. Dicebant igitur:* Ejicite eam foras; Ejicite eam foras, *ne Atrium polluat.* Neque mirum eſt, adulteræ uterum non tantum intumuiſſe, quin ventrem totum forte diſruptum eſſe, ſed & *femur* ejus *concidiſſe*; hoc enim membrum erat, quod explendę turpi ipſius libidini maxime inſervierat. Hinc *Veneri* à Gentibus *femur* olim ſacrificatum, quod vis ejus valde operoſa eſſet in *Veneris* exercitio. Et Poëtæ, rem obſcœnam circumſcribentes, vix ullius membri frequentiorem mentionem faciunt, quam *femoris*. Ovidius:

Nec

Digitized by Google

Nec femori *committe* femur....

Laſcivum femori *ſuppoſuitque femur.*

Ovid. lib. 1. Amor. El. 4. & lib. 2. El. 4.

Catullus:

Ruſe, velit tenerum ſuppoſuiſſe femur.

Catull. C. 68.

Tibullus:

Femori *conſeruiſſe* femur.

Tibull. lib. 1. Eleg. 8

Quæ *Hebræorum Magiſtri* hic habent prætereo, quippe luculenter ſatis ab aliis exhibita. Deplorandum proinde in modum peribat mulier hæc perjura & adultera; e contra vero, ſi *inſons* eſſet, nihil hæc potio ipſi oberat, quin proderat potius. Retinebatur enim eo in caſu, uti dicunt, non tantum a Marito, ſed, ſi morbo aliquo laboraret, liberabatur ab eo, ita ut gravida fieret, & maſculum pareret; neque id ſemel tantum vel tantâ cum difficultate, ut ante, ſed ſæpius; &, licet haud plane ſublatis doloribus (quod communis interminatio in ſexum muliebrem non fert) valde tamen imminutis. Nam in Hebræo eſt *concipiet conceptionem*, id eſt, fœcunda erit in conceptione; habent enim ἔμφασιν in linguâ Hebræâ iſtiusmodi repetitiones, ut notum eſt. Abſit tamen, ut eo hoc ſenſu quis capiat, quaſi mulier innocua citrà viri congreſſum conceptura vel paritura unquam fuiſſet, & imprimis quidem primis, poſt ſumtas haſce aquas, vicibus, ut nugati quidam ſunt: obſtat enim illi figmento diſertè ipſe textus, cum habet, *& ſemine ſeminabitur.* Multa quoque, alia huc facientia, referuntur a Talmudicis, ſed uſque adeo futilia & ridicula, ut religio nobis ſit, recenſendis iis pretioſas horas impendere. Unum tamen eſt, vix omittendum. Sunt inter Judæos, qui, magno ſuo doctore *Aben-Eſra* prælucente, Aquæ, quam Moſes Iſraëlitis, cum Vitulum aureum fabricaſſent & coluiſſent, bibendam præbuit, cuique pulverem ejuſdem *Vituli*, jam liquefacti & combuſti, inſparſerat, eundem pene adſcribunt effectum, quem *aqua* hæ *amara* in muliere adulterâ ſortiebantur; aſſerentes quippe, eam illis, qui flagitii idololatrici vere rei erant, ſimilem inflationem & languorem intuliſſe, innocentibus vero planè innoxiam fuiſſe. Addunt alii, poſt epotam illam Aquam, eos qui ſe idololatriâ maculârant, ignominioſis *ulceribus* fuiſſe percuſſos, alii *barbarum rubedine* notatos; quibus mediantibus ſontes ab inſontibus diſcerni, ſimulque in *illos*, ſine *horum* periculo & noxâ, animadverti per *Moſem* poterat; quinimò ipſiſſimam hanc aquam vitulinam ad potum hunc *Zelotypiæ* conficiendum traductam poſtea fuiſſe. Verum, ut

Salian. in Annal. V. T. Tom. 2. pag. 165.

Viſor. Citat. Rivet. in Ex. 32.

Bochart. Hierozoic. p. 1. lib. 2. cap. 34.

 dico,

dico, aniles fabulas hæc ſapiunt. Quis enim credat, ſiquidem *Aquæ* illius potio talem inter Iſraëlitas ſontes & inſontes diſcretionem fecerit, Deum illuſtre ejuſmodi miraculum filios ſuos celare ſemper voluiſſe? præſertim cum id manifeſtatum ad juſtitiam ejus contra reos aſſerendam, factumque *Moſis* & Levitarum, mox inſecutum, juſtificandum, accommodatiſſimum eſſe potuiſſet? Imo vero ſi *Aquæ* hæ *amaræ* e Labro æneo deſumptæ fuerint (ut ſupra oſtendimus) quâ veri ſpecie quis dixerit, eas aquæ, quæ ex pulvere vitulino compoſita erat, partem unquam fuiſſe? niſi ſtatuere velit, eandem illam Aquam in *Labro æneo* continuo aſſervatam, uſuique a Moſe indicato, per neſcio quot non ſecula deſtinatam fuiſſe? Quod certè abſurdo non caret.

Moncæj. Aar. Purg. lib. 2. cap. 8.

XVI. Quæritur 13. *Unde vis hæc* Aquis amaris, *quod intumeſcere fecerint uterum & concidere femur?* Reſp. Minimè naturalis ea fuit: facultas enim naturalis tantum unum quid agit, ſaltem minime oppoſita. Ignis non poteſt ſimul calefacere & frigefacere; Aqua non poteſt & humectare & exſiccare. Hæ vero *aquæ* utrumvis efficiebant, quod oberat & proderat, prius *ſonti*, poſterius *inſonti* mulieri. Ergo relativa vel *miraculoſa* potius vis hæc fuit, quatenus nempe potio hæc ad vim illam divinam Spiritus, judicium facientis ac exequentis, ex interminatione & promiſſione Dei ordinata erat.

XVII. Quæritur 14. *Quænam* Legis *hujus ratio, quiſnam finis fuerit?* Reſp. Oſtendere eâ Deus voluit. 1. Fidei & caſtitatis conjugalis præſidem & vindicem ſe eſſe. 2. Teſtem ſe eſſe & protectorem innocentiæ, ne ſcil. zelotypia, ſi nullus foret innocentiæ teſtis, lites, rixas, homicidia in matrimonio gigneret. 3. Se ſcelera etiam occulta videre, manifeſtare, punire. 4. Adulterium graviſſimum crimen eſſe, publica pœnâ & confuſione plectendum; ut uxores, ſi non caſtitatis amore, ſaltem pœnæ & confuſionis hujus metu in officio continerentur. 5. Maritis denique in uxores, quas ſuſpectas habent, non ſæviendum, ſed Deo rem totam commendandam eſſe, conjugum perfidiam ſatis atrociter tandem vindicaturo. Lege (inquit Zepperus) *imperatus fuit Zelotypiæ potus, quo ſolemnibus aquis amaris & diris execrationibus mulieris pudicitia explorabatur, ut nimirum conjuges læto, ſereno & minime ſuſpicioſo inter ſe viverent animo, mariti in uxores, quas adulterii ſuſpectas haberent, non ſævirent,* *uxo-*

Zepper. de Legib. Moſaic. lib. 4. cap. 18.

Digitized by Google

uxores vero in officio continerentur, & ab impudicitiâ retraherentur tam gravis pœnæ metu. Ut paucis abſolvam: maritis, voraci *Zelotypiæ* carcinomate laborantibus, Lex hæc medelam attulit, eorum in ſuſpectas uxores ſævitiam, verbis factiſque declaratam, compeſcuit; ne his temere auderent adſpergere vel objicere adulterium, neve a litibus rixiſque mutuis ad earum cædes progrederentur, ut minimum levis Zelotypiæ ductu *repudii* libellum temere iis offerent.

XVIII. Quæritur 15. *An probabile ſit*, Legem *hanc ſæpius in Veteri Teſtamento executioni mandatam fuiſſe*? Reſp. Verbum ſaltem Dei ne ullius quidem exempli mentionem facit; ut neque in genere veroſimile eſt, Iſraëlitas multoties eâ uſos eſſe. Nam vel conſtabat ipſis uxorum ſuarum adulterium, vel non conſtabat. Si *prius*, poculo hoc *exploratorio* opus non habebant; ſi *poſterius*, libello *repudii* libere ſe ab iis poterant. Quodſi non certo ipſis crimen conſtaret, ſed validâ tamen & inſuperabili ejus ſuſpicione vexarentur, ad eundem *Libellum repudii* recurrere poterant. Et quanto quidem conſultius ipſis paſſim non erat, diſſimulatâ potius ſuſpicione ſuâ, abſque magno ſtrepitu, uxores illas dimittere, quam coram populo univerſo eas non tantum proſtituere, ſed, quoad ſe ipſos etiam, adinſtar capitum κερασφόρων, contumelioſum hominibus ludibrium debere? Adde, quod neque temerè mariti quivis Zelotypi cum querelis ſuis contra uxores ſuſpectas in judicium a L x x. Viris admitterentur, ſed non niſi, cum juſtis ſuſpicionis ſuæ documentis muniti, comparerent. Adeo ut Potio hæc extremum quaſi, detegendæ vel culpæ vel innocentiæ, medium fuerit; quodque procul dubio adhiberi ſolitum non erat, niſi cum omnia alia media vel deeſſent, vel fruſtra eſſent. Fuit enim quaſi jurisjurandi ſolemnioris ſpecies, quâ credibile eſt, deterritos ſæpe maritos in Iſraële, ob rei tam gravitatem quam moleſtiam a proceſſu hoc fuiſſe. Eo magis, quod in Scholis Judaicis ſub judice lis adhuc ſit, num ex officio olim obligatus quidem fuerit maritus, ad perſequendum hac in cauſâ uxorem ſuam ad extremum, an vero connivere & remittere etiam culpam potuerit, ſi voluiſſet; exiſtentibus, qui hic dicunt חובה, quod *ex officio* erat, *Lichtf.*
& qui רשות, quod *pro arbitrio*; ut loquuntur *Magiſtri.* *Hor. Hebr.*
Prout hanc ipſam ob cauſam ordinatum etiam a Deo videtur, *in Matth. cap. 19. 8.*
ut non ad *Senatum* mox, ſed prius ad *Sacerdotem* mulier ſuſpecta adduceretur, quoviſque adeo a Sacerdote tentaretur modo, num

pax

pax aliqua inter maritum & uxorem ſuam conciliari poſſet. Sic *Iſaacus Karus*, citatus Muiſio: *Propterea quod Aaron paci & concordiæ fovendæ ſumme ſemper ſtuduit, deditque operam quacunque ratione potuit, conciliandæ gratiæ virum inter & uxorem, ubi quid rixæ ortum eſſet, idcirco ejuſmodi cauſæ judicium poſteris ejus, nimirum* Sacerdotibus *relictum eſt*. Probabile etiam eſt, maluiſſe ſæpe ipſas mulieres adulteras culpam ſuam ultrò confiteri, ordinariumque ſubire ſupplicium, quam & explorari & puniri ac perire viâ adeo execrandâ, ignominioſâ & doloroſâ. De ipſis uxoribus *inſontibus* teſtatur id *Ramban* hiſce verbis: *Nam etiam* innocentes *mulieres pleræque, & quæ bene ſibi ſunt conſciæ, omnibus ſuis facultatibus actionem illam redimerent, quinimo mortem jucundiorem haberent, quam publicam illam ignominiam, quâ caput mulieris diſcooperiebatur, capilli detondebantur, veſtimenta uſque ad pectus dilacerabantur atque ita ligata in Sanctuario in conſpectu omnium virorum & mulierum totius Synedri Magni ſiſtebatur.* Neque tamen fruſtra plane Inſtitutum hoc fuiſſe putandum eſt, utut non ita cerebro uſurpatum; quoniam integrum tamen maritis ſemper erat, beneficio ejus uti, modo juſtis inſtructi documentis moleſtias, quæ medio huic *exploratorio* connexæ erant, ſubire non detrectarent. Munire itaque ſe ipſas, *Legis* hujus intuitu, omnes mulieres debebant contra qualeſcunque clandeſtinas adulterii technas, ignorantes quippe, an non ullo unquam tempore extraordinario Dei hoc judicio detegendæ eſſent; vel, modo maritis ſuis ita ratum id videretur, ſi culpa vacuæ non eſſent, ſtricto eapropter jure contra ſe procedendum. Cum itaque tam rarus juxta *Legem* hanc in V.T. proceſſus fuerit, futile utique figmentum eſt, quod *Proteugelium Jacobi*, de *Joſepho* & *Maria*, aquis hiſce *amaris* etiam potionatis, habet, illo ob *ſacrilegium*, hâc ob *adulterii ſuſpicionem*. Ubi enim *viris* potus hic *Zelotypiæ* unquam ordinatus, ſolis *fæminis* præſcriptus? vel ubi potationis hujus cauſam *ſacrilegium* fuiſſe uſlibi dicitur? Et quodſi *Maria* tam ſolemni fuiſſet explorata & expurgata modo, cur Euangeliſtæ & Apoſtoli tantam rem, quæ tot Judæorum occurſura erat incredulitati, blaſphemaque eorum ora, quibus *Mariæ* filium, Salvatorem noſtrum, מַמְזֵר *Spurium* paſſim vocant, obturatura, taciturnitatis ſilentio præteriiſſent? Scio eſſe, qui ex voce παραδειγματίζειν, quâ utitur Matthæus, extundere aliquid volunt pro hac Fabulâ, ſed fruſtra ſunt. Nam, præterquam quod hoc *Ioſepho* tantum applicetur reſpectu *Mariæ*, non huic

Muis Var. Sacr. ad Num. 5. 25.

Maimonid. More Neboch. part. 3. cap. 49.

Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. pag. 32.

Digitized by Google

huic ratione *Ioſephi*, vox illa tam dubiæ ſignificationis eſt, ut ſummis Interpretibus, in genuino ejus ſenſu præſertim hoc loco eruendo, aqua hæreat. Sunt, qui per *domum ducere* explicant, quibus idem tum eſt quod *traducere*; nam cum Latine dicamus *uxorem domum ducere*, ita etiam Latine dici poſſe videtur, *uxorem traducere*

Atque parum parvas latus traduxit in ædes.

Sic ut nihil aliud fuerit, *Noluit eam* παραδειγματίζειν *Ioſephus*, noluit eam *domum ad ſe traducere*. Alii *punire* interpretantur. Sic paſſim ſcriptores Attici. Plurimi per *proſtituere* vel *ignominiâ afficere*; quod Chryſoſtomus in hunc locum per ἐκπομπεύειν & ἀτιμάζειν vertit. Vulgaris Græca verſio per φανεροῦν & πομπεύειν. Theophylactus in Hebr. cap. 6. verſ. 6. per θριαμβεύειν καταισχύνειν. Omnium interpretationes collegit D. *Acoluthus*, non ſine adjectâ eruditâ ſuâ ἐπικρίσει Sed quomodocunque vocabulum id ſumere, directe negat velis Matthæus, *Ioſephum* Mariam *proſtituere* voluiſſe; quis ergo eam ad poculum *Zelotypiæ* ebibendum adegit? & ſi quem alium feciſſe id putes, unde id conſtat? vel quis qualiſve is fuit?

Acoluth. de Aq. Amar. pag. 206. &c.

XIX. Quæritur 16. *Cur in favorem* maritorum *Lex hæc lata ſit*, & *non ſimilis quædam in favorem* uxorum? *Reſp.* ob ſequentes rationes: (1) Ne per Legem hujuſmodi, contra viros etiam latam, authoritas eorum imminui videretur. (2) Quia multo magis læditur conjugium per *mulieris* quam per *viri* adulterium. Per illud enim incerta redditur proles, viro ſubſtituitur fœtus alienus, cum ſummâ ejus injuria; confuſio ſanguinis familiarumque introducitur; quod non contingit per *viri* adulterium. Unde neque vir uxoratus, ſi fornicaretur cum ſolutâ, obnoxius erat Legi *de lapidandis adulteris*; ſed obnoxia ei erat mulier, ſi virum habens, cum alio, ſive uxorato ſive ſoluto, fornicata eſſet; una enim cum adultero lapidabatur, Deut. 22. 22. Quin & hinc derivatum videtur, quod neque idem jus uxori adverſus maritum adulterum concedant Jura publica, ac marito in uxorem adulteram. Sic *Ambroſius*, ſeu quiſquis autor, ſub ejus nomine, ſit Commentarii in 1 Cor. 7. *Non ſubjecit (inquit)* Apoſtolus, *dicens de viro ſicut de muliere, quod hi diſceſſerit manere ſic, quia viro licet ducere uxorem, ſi dimiſerit uxorem peccantem, quia non ita lege conſtringitur* vir, *ſicut* mulier. *Caput enim mulieris vir eſt.* Publico *judicio*, ut ſtatuerunt Severus & Antoninus, *non habent* mulieres

Ambroſ. in 1 Cor. 7. L. Publico 1 Cod. ad legem Iul. de Adult.

Digitized by Google

***adulterii accuſationem**, quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint.* Adducuntque Legem Juliam, *quæ, cum* maſculis *jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet*, *non idem* fæminis *privilegium detulit*. Repetit & *Romuli* legem Agellius, quæ ſic habet: *In adulterio ſiquidem uxorem tuam deprehendiſſes, ſine judicio impune necares, illa te, ſi adulterares, digito non audet attingere.* Non excutio jam, an ex juſto & æquo a Legislatoribus ſic decreta hæc ſint, indico tantum, quænam eis ita ſtatuendi occaſio forte fuerit. *In foro* alias *poli* mariti adulterium nequaquam levius eſt, quam quod ab *uxore* committitur, licet in foro *ſoli*, ſive judicio humano, ob varia, quæ ex *hoc* conſequuntur incommoda, quæ ex *illo* non conſequuntur, aliter nonnunquam videatur ordinatum. Piè Auguſtinus: *Indignantur mariti, ſi audiant, adulteros viros pendere ſimiles pœnas adulteris fœminis, cum tanto gravius eos puniri oportuit, quanto magis ad ipſos pertinet, & virtute vincere & exemplo regere fœminas.* Periniquum *quippe eſt* (inquit Ulpianus) *ut vir ab uxore pudicitiam exigat, quam ipſe non exhibet.* Et Seneca: *Improbus eſt, qui ab* uxore *pudicitiam exigit*, ipſe *aliarum corruptor uxorum.* Neque injuſta *Syra* apud Plautum querela videtur:

Gell. Noct. Attic lib. 10. cap. 23.

Auguſtin. de Adult. Conjug. lib. 2. cap. 8. ad Pollent.

Ulpian. cit. Matthæo de Criminib.

Senec. Ep. 49.

Plaut. in Mercator.

Ecaſtor lege durâ vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miſeræ, quam viri:
Nam ſi vir ſcortum duxit clam uxorem ſuam,
Id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro.
Uxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras.
Viro ſit cauſa, exigitur matrimonio.
Utinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt, viro!
Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro,
Qui minus vir unâ uxore contentus ſiet?

3. Ne temerariarum ſuſpicionum (in quas proniores fere, ob ſexus infirmitatem, fæminæ ſunt, quam viri) fibula uxoribus laxaretur. 4. Quia propenſiores eo tempore multæ *ex mulieribus* in adulterium erant, quam mariti, ob ſingulare opprobrium, quod *illis* præ *hiſce* imminebat, ſi ſine liberis diſcederent. Unde & contigit forte, ſaltem contingere facile potuit, ut per ipſiſſimum adulterium conceptionem ſectari mulieres quædam non erubuerint. Ob quam cauſam proclivior fere maritorum zelotypia in eas etiam uxores tunc erat, quæ liberis carebant, quam quæ iis non carebant. Conferatur *Thamaris* exemplum Gen. 38. 16. 26.

XX. Quæ

Digitized by Google

XX. Quæritur 17. *Peccaverintne ſemper Iſraelitæ, cum* Legis *hujus privilegio contra uxores ſuas uterentur*? Reſp. Non dubitandum multis videtur, quin L*ex* hæc naturâ ſuâ *permiſſiva* magis fuerit, quam *præceptiva*, ut leges de *libello Repudii*, ob σκληροκαρδίαν & pertinaciam populi tantum latæ. Ad has eam referunt *Eſtius*, *Ameſius*, *Freidlibius*, *Spanhemius*, *Buxtorfius*, *Lichtfootus*, &c. Putat *Junius* in utrumvis eventum *inſontem maritum ſic effici*, *& peccato liberari. Nam ſi verè fœmina adulterata eſt, affectu zelotypiæ vir percitus & privatam injuriam & labem publicam fuerit perſecutus, quâ diſſimulatâ non eſſet vacuus crimine. Sin autem fœmina non fuerit adulterata, tamen eo ipſo purgabatur vir a malo graviſſimo zelotypiæ, & de fœminæ innocentia confirmatus Dei teſtimonio, ad colendam uxorem, familiam cum ea ſine malo affectu curandam, & ſocietatem hominum propagandam ſanctè revocabatur; idque eo magis, quo* indignius *innocentem fœminam metu* Z*elotypiæ offendiſſet*. At, ne alia ad verba illa reponam, neſcio, an probe conſiſtant, maritum *innocentem mulierem indignè offendiſſe*, & tamen peccati expertem fuiſſe: an enim propriæ uxoris, imo carnis, *offenſio indigna* ἀναμάρτητος eſſe potuit! Ego non dubito, quin peccaverint plerumque mariti Iſraelitici, cum *Lege* hac contra uxores, quas innocentes eſſe eventus docebat, uterentur, ſi *principium*, quod eo ipſos impellebat, reſpiciatur, id eſt, ipſa eorum zelotypia: vix enim probabile eſt, quin perturbatio illa animi juſto paſſim immoderatior & impotentior fuerit, quæ ipſos ad ignominioſum tale contra eas remedium adhibendum, adigebat. Alias *Legis* hujus uſum, ut ſic, illicitum fuiſſe, minimè putem aſſerendum, hæ nimirum conditiones ſi ſubeſſent: Quod 1. juſtam adulterii ſuſpicionem mulieres dediſſent, id eſt, talem, quę *debitis* niteretur *rationibus*, & coram Judicibus *juſtis documentis* probaretur. 2. Quod omnia convincendarũ earum de commiſſo crimine media prętentata eſſent. 3. Quod nulla aliâ via maritia zelotypiâ ſua, jure conceptâ, liberari poſſent. 4. Quod perturbationis *Zelotypicæ* continuatio tum pietati tum tranquillitati eorum notabiliter obeſſet. 5. Quod cum Reip. bono conſiſtere non poſſet, niſi mulierum vel culpa vel innocentia manifeſta fieret. Obſervatum olim eſt a *Paulo* J.C. in Legem *Juliam* de Adulteriis, *eum qui deprehenſam in adulterio uxorem non ſtatim dimiſiſſet, reum lenocinii poſtulari oportere.* Cujus hanc rationem reddit *Briſſonius*; quod *aut lenonem eſſe aut plane ferreum neceſſe ſit, cui ſcienti prudentique ſine doxore tanta injuria infertur* Quod an, καὶ ἀναλογίαν ſaltem, viro

Eſt in Difficilior. loc. Script. p. 77.
Ameſ de conſc. lib. 5. cap. 40.
Freidlib. loc. cit.
Jun. in Numer. 5. 5. 12.
Paul. Tit. 27.
Briſſon. ad Leg. Iul. pag. m. 115.

cuivis, non *temere* ſed jure zelotypo, applicari etiam non debeat, judicent velim prudentiores. Videntur ſane hominem exuiſſe, quotquot tam atrocis contumeliæ, quali conjugem dehoneſtat adultera mulier, ἀναίσθητοι eſſe poſſunt: pręſertim ſi Rei quoque Publicæ interſit, ne res peſſimi exempli ad alios, vel alias quoque abeat. Quare & accidit nonnunquam, ut, ſi viro officio ſuo hic fungi non liceret, ipſiſſimus Magiſtratus vices ejus, ſuppleret: quia e bono communi erat, ut, quemadmodum matronarum pudicitia & honor, ſic maritorum etiam exiſtimatio & gloria ſarta tecta ſervarentur. Ratio vero, ob quam mariti, juxta *ſanctionem* hanc procedentes, non ſemper peccabant, hæc eſt: quia *Legis* hujus uſus remedium fuit in juſtiſſimos fines, ut ex ante dictis liquet, ab ipſo Deo inſtitutum, ac ſpeciatim quidem in Virorũ tum ſecuritatem tum tranquillitatem, ut ejus nimirum beneficio a tortore illo atrociſſimo, *Zelotypià* ſuâ, tempeſtive levarentur & liberarentur. Appoſitè *Varenius*, citatus *Acolutho*, librum enim ejus videre hactenus non licuit. *Non omnis* (inquit) *Spiritus* Zelotypiæ, *nec malus in uxorem affectus, ſed, hoc jam poſito, legalis hic purgandi, & uxorem adulterii ſuſpicione, & maritum a Spiritu Zelotypiæ, modus probatur, per quam Maritus malo bene utitur, male uſurus, ſi ex illâ fornicationis præſumptione rueret in vindictam privatam, & uxoris ſuſpectæ carnificinam.* Neque obſtat, quod legem quoque de *Libello repudii* Deus præſcripſerit, idque eundem pene in finem, ut ſcil: mariti, cum *turpe aliquid in uxoribus ſuis offenderent*, contubernio eorum obligati non amplius eſſent; qui mariti tamen nunquam non peccabant, cum juxta *Legem* illam procederent. Quis enim diſparem plane rationem inter duas haſce *Leges* eſſe, non animadvertit? Peccabant ſemper, qui uxoribus ſuis *Libellum repudii* dabant, *Tum* quod nunquam gravem ſatis ob cauſam id facerent, quæ ſolum *adulterium* eſſe debebat; hoc enim ſi ſubeſſet, non peccabant; *Tum* quod notoriè contra inſtitutionem Matrimonii, quæ Legis naturalis fuit, *repudio* ſuo impingerent; quorum neutrum de iis verum fuit, qui ex *Lege Zelotypiæ* contra uxores ſuos agebant. Eſt quidem, quod, ſiquidem ea eſſet mulier, matrimonii vinculum inter illam & maritum ſuum etiam ſolveretur; at id mariti culpâ non fiebat, ſed mulieris; non illius malitioſâ & injuſtâ deſertione, ſed mortis interventu, extraordinario Dei judicio immiſſæ, quamque hæc infando ſuo adulterio ſatis ſuperque merita erat. Quod ſecus ſane in *Repudio* ſe habebat,

Wagenſeil in Lib. 50. tab. pag. 586.

Acoluth. de Aquis Amar. cap. 3. pag. m. 377.

Voet. Politic. Eccleſ. part. 1. lib. 3

Acoluth. de Aquis Amar. p. 216. 217. &c.

Digitized by Google

bat; quę enim hic ſolutio intercedebat, non tam uxoris fiebat culpa, quam mariti indignatione præpropera & duritie præfracta; non pœna Dei extraordinaria, ſed mariti deſertione malitioſa; quam miſera uxor, utcunque forſan haud plane ſemper excuſabilis eſſet, nunquam tamen tam gravem merita erat. Accedit, quod Legiſlator diſertè declararit, Legem de *Repduio* merè permiſſivā eſſe, quod nullibi de noſtrâ hac fecit. Taceo uſus quoſdam publicos non contemnendos, quos *Legis* hujus executio habuit: cedebat quippe, ut ante dictum, in levitatis fœmineæ repagulum non tantum, ſed & in vindicatricis Dei juſtitiæ, contra qualeſcunque conjugalis thori violatrices, exemplarem, & pro temporum illorum ratione ſummè neceſſariam demonſtrationem: quod de *Libelli repudii* ordinatione dici non potuit; quæ Genti Iſraeliticæ ſtupendam & invincibilem, qua laborabat, σκληροκαρδίαν indignabunde & contumelioſé tantum exprobrabat. Faciebat quidem qualitercunque etiam ad Reip. tranquillitatem *Repudii Libellus*; ut nempe, hoc miſſo, rixæ & altercationes in familiis præverterentur, ex parte ſaltem imminuerentur. Sed hoc maritum a peccato abſolvere non poterat, quia rixarum illarum prima & primaria cauſa deſerta & repudiata uxor non erat, ſed ipſius e contra mariti faſtidioſa moroſitas, quâ conjugis ſuæ infirmitatem ferre, eique ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τιμὴν ἀπονέμειν detrectabat.

XXI. *Dicis*, quomodo *innocens* potuit haberi mulier, ſi, ut ſupponitur, ſuſpicio adulterii debite contra illam coram Judicibus probaretur? *Reſp.* Optime; eo quod libera eſſet ab ipſo adulterii flagitio, utut haud plane libera à talibus quibuſdam circumſtantiis, per quas juſtæ ſuſpicionis cauſa marito ſuo fuerat; ut, quod ſe ad breve tempus cum viro peregrino abſcondiſſet, ac, à marito contra occultationem illam monita, ſuperſedere eâ renuiſſet (quod pro legitimâ ſuſpicionis cauſâ Judæi habere ſolebant) vel qualibuſcunque aliis rationibus, quarum examen judiciumque penes LXX. Viros ſtabat, quæ majoris momenti erant, maritum ad *Zelotypiam* irritaſſet. Præſumebatur quippe mulier, ſi, à marito ſuo monita occultare ſe tamen cum viro alieno vellet, haud fruſtra id facere, ſed ob baſia, amplexus, vel qualeſcunque alias libidinoſas contrectationes, quæ licet ipſum adulterium non fafacerent, ejus tamen ante ludia plerumque erant.

Viſus & alloquium tactus, poſt oſcula factum.

Delibatur enim & ipſis oſculis fœminarum quadantenus pudicitia:

Oſcula *qui ſumpſit, ſi non & cætera ſumſit,*
Hæc quoque, quæ data ſunt, perdere dignus erat.

Et

Et ex præparatoriis præparatum non ſine ſpecie ſæpe arguitur. Hinc *Baldus*, Jureconſultorum Princeps, non minus ob *oſcula*, quam ob ipſum *adulterium*, dotem mulierem amittere, arbitratus eſt. Et refert *Vivius*, ex ſolo *oſculo* apud Neapolitanos *adulterii* accuſatum & damnatum aliquem fuiſſe. Licet ſint, qui ſententiam illam, ut rigidiorem, non admittunt: multum enim refert, quid Gentis cujuſdam mores hic ferant, quid non ferant. Quicquid ſit, nihil ſaltem videri potuit æquius, quam mulierem, propriâ ſuâ culpâ marito judicibusque ſuſpectam, ignominioſam potius tractationem hanc experiri, quam vel viri innoxii animam, vel bonum publicum, quod privato ſemper anteferendum eſt, vel utrumque nonnunquam ſimul, inſuperabili perturbationi & diſpendio obnoxium fieri. Nolim tamen huc trahi *noviſſima* Capitis hujus verba: *Maritus abſque culpa erit*; vel (vertente Calvino) *innocens erit Vir ille ab iniquitate*, quaſi iis maritus ſemper & plane a peccato abſolveretur, abſit; de hoc enim verba illa non loquuntur, ſed de *immunitate a pœnâ* tantum. *Vir ille innocens erit ab iniquitate* nihil aliud eſt, quam (ſi Magiſtris credimus) Vir ille immunis erit a *Leprâ*, quam marito iniquè ſuſpicaci immittendam fuiſſe cenſent; vel ut calumniator & falſus uxoris ſuæ accuſator, non punietur. Prout, cum additur *mulier illa iniquitatem ſuam feret*, nihil aliud ex ſtylo Scripturæ innuitur, quam mulier feret *pœnam* iniquitatis ſuæ. conf. Levit. 5. 1. Iterum Varenius: *Quatenus ergo utebatur* [maritus] *hoc modo* Legali, *non alio*, *inſons erat ab iniquitate*; *ſic ut uxori traducta vel hujus parentibus non daretur* actio injuriarum *in maritum*: *Etſi* malus *ille* affectus & odium *in uxorem ſuſpectam non careret omni iniquitate*.

Bald. cap. tuæ de Procurat.
Vivius in Decis.
Calvin. in Loc.
Acoluth. Tract. citat. p. 378.

XXII. Quæritur 18. *Quando*, & *quas ob cauſas ceſſare* Lex *hæc cæperit*? Reſp. juxta ſententiam communem, ſeculo excidium ſecundi Templi proximè antecedente, id eſt, ab Orbe condito xxxix°. Cauſas, ob quas in diſſuetudinem abierit, Hebræi ex eodem hoc Capite deducunt. Verſu enim 27. dicitur: *Et erit mulier in maledictionem in medio populi ſui*; unde eliciunt, obtinere *Legem* hanc tam diu duntaxat debuiſſe, quam diu populus Dei moribus ſatis integris eſſet, minime poſtquam multis ſe flagitiis inquinaſſet, ut tempore dicto accidit. Verſu 31. habetur: *Et vir erit innocens ab iniquitate, mulier vero portabit iniquitatem ſuam.* At quando uxor *portat iniquitatem* ſuam? tum ſolummodo, inquiunt, cùm vir innocens eſt ab iniquitate. Summa huc redit:

quod

Digitized by Google

quod, creſcente adulterorum numero, obligare & obſervari
Lex hæc deſierit. Quod ſic probant: Hoſ. 4. 14. (inquiunt) habetur, *Non viſitabo, dicit Dominus, ſuper filias veſtras, quod fornicatæ ſunt, & ſuper ſponſas veſtras, quod machatæ ſunt, quia & ipſi* (mariti) *cum ſcortis ſeparati ſunt, & cum meretricibus ſacrificant.*
Ex quo multiplicati ſunt homicidæ (habent Talmudici) *ceſſavit decapitatio Vaccæ; ex quo multiplicati ſunt* adulteri, *ceſſarunt* aquæ amaræ. Item Maimonides: *Ex quo multiplicati ſunt adulteri palam ſub Templo ſecundo, diſſolvit Synedrium explorationem adulteræ* per aquas amaras, *ſuper hoc quod ſcriptum eſt: Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ, &c.* Nos rationes illas Autoribus ſuis relinquimus. De facto conſtat, Inſtitutum hoc in Gente Judæâ planè intercidiſſe; adeoque multo minus ad nos Chriſtianos jam pertinere, niſi forſan juxta analogiam quandam, ut omnes Leges Ceremoniales: docente nos Deo ſevero hoc proceſſu, quam pura & ſancta eſſentia ſua ſit, quam inimica omni impuritati & adulterio, quam attenta & ſevera, ad occultiſſima etiam peccata tempore ſuo revelanda, & rigidiſſime vindicanda.

Sotah. Fol. 47. ap. Lichtf. in Joh. 8.3.

XXIII. Quæritur. 19. *An Servator, cum, adductâ adulterâ a Judæis muliere, Joh.* 8.6. deorſum incurvatus, bis in terram ſcripſit, *ad Legem hanc* Zelotypiæ *reſpexerit*? Reſp. 1. Eruditorum non pauci ſunt, qui periocham illam pro ὑποβολιμαίῳ habent, nec ut partem Euangelii Johannis agnoſcunt, ut fusè oſtendit Cl. Seldenus, *Uxor Hebraic. lib. 3. cap.* 11. Inter eos, qui illam admittunt, volunt quidam, mulierem hanc fuiſſe *Suſannam* quandam, *Manaſſis Hieroſolymitani*, ſenio confecti, conjugem, fæminam ſanctiſſimam, quæ *Claudiam* & divum *Jacobum* in Hiſpaniam ſecuta, remanſit ibi, donec ſenex facta ad Dominum remigravit. Næniæ hiberæ! quibus neque Scriptura, neque ullus probatus Autor fidem facit. Quid *ſcriptione* hac in terrâ intenderit Chriſtus, de eo varii varia. Putavit *Ambroſius*, indicaſſe eâ Chriſtum, Phariſæos impios in *terrâ* ſcribendos eſſe, non in *Cælo*; &, quia *bis* ſcripſit, ſignificaſſe utroque Teſtamento tam *Veteri* quam *Novo* eſſe condemnatos. *Auguſtinus* factam eam putat, ut Chriſtus ſe legiſlatorem eſſe ſignificaret, qui olim *digito* in lapidibus Legem ſcripſerat, propter Judæorum duritiem; nunc vero in *terrâ*, quæ fructifera eſt, characteres efformabat, quia fructus ex Judæis quærebat. Vel, ut ſe humiliando, quod *capitis inclinatione* indicabat, humilem ſuam incarnationem demonſtraret. *Beda*, ut Chriſtus,

Hieronym. lib. 2 adverſ Pelag.
Hemming in Loc.
Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3.
Beza in Loc.
Ambroſ. Ep. 76.
Auguſt. in Johan. Tract. 33.

ſtus, juxta morem humanæ conſuetudinis, alio vultum intendens, liberum tentatoribus ſuis abitum concederet. *Gomari* conſideratio eſt, Chriſtum adverſariorum ſuorum inſidioſè tentantium contemtum inclinatione ac ſilentio ſuo indicaſſe, *ſcriptione* autem *in terra* ſimiliter eos reſponſione indignos habuiſſe, aliudque agendo quæſtionis eorum neglectum demonſtraſſe. *Oſtendentem* (ut ait Grotius) *nihil habere ſe quod adjiceret, neque ſuâ intereſſe, quid agerent.* Addit *Zegerus*: Inclinaſſe ſe Jeſum, *ut inſtrueret Accuſantes, ut demiſſo ſupercilio animoque ſupino in ſeſe ipſi deſcenderent, ſicque propriis excuſſis conſpectiſque facinoribus, quam ipſi pro his gravem commeruiſſent ſententiam, adverterent.* Scripſit Chriſtus in templi pavimento lapidibus conſtrato; at quomodo litteras ibi pingere potuit? Hic dum in ſicco eſt *Caſſianus*, ad miraculum recurrit, aſſectante ipſum *Carthuſiano*; quaſi materia ceſſerit Chriſto, vel Hic humoris aut pulveris aliquid ſuperſparſerit pavimento, in quo ſcripſit. At non opus hic fuit miraculo; quid is enim Chriſtus in pulvere pavimenti potuit ſcripſiſſe, vel digito madefacto, per lapidem ducto, litteras efformaſſe? 3. Rem ipſam quod attinet, affirmat, quod quæſitum de eâ eſt, Clariſſ. *D. Burmannus*, ſed neſcio, quo fundamento. Dicit *hiſtoriam illam perquam ſimilem Legi huic eſſe, idque latius demonſtrari poſſe.* &c. At vellem, Vir Doctus demonſtrationem illam exhibuiſſet. Ego magnam illam ſimilitudinem hactenus non video. Eſt quidem, quod *Lex* loquatur de muliere *adultera*, ac ſic etiam hæc pericocha; *Lex* loquatur de *ſcriptione*, ac pariter etiam periocha, & ſi quid aliud addi forte poſſit: ſed indene tanta inter hanc & illam convenientia mox elucet? Certè, ſi juſta inſtituatur comparatio, ut lux meridiana pateſcet, in multo pluribus magnam inter haſce diſparitatem intercedere, quam ſimilitudinem. Lex enim loquitur de adultera *ſuſpecta*, periocha de *convicta* & ἐπαυτοφόρῳ in crimine deprehenſa; Lex de ſcriptione in *libello*, periocha de ſcriptione in *terrâ*; Lex de muliere vel rea vel *innocuâ*, periocha tantum *de reâ*: Ne quid addam de variis juxta *Legis* hujus executionem ceremoniis obſervandis, de quibus ne γρυ quidem in periocha apparet. Quantum aſſequi licet, Viri Clariſſimi conjectura eſt, Dominum Jeſum eadem verba *in terra* ſcripſiſſe, quæ Sacerdos, juxta *Legem* hanc, ſcribere in libello tenebatur, id eſt, verba *maledictionis*, verſibus 21. 22. comprehenſa. Sed revera conjectura tantum eſt, nullo fundamento fulta. Tacet Johannes, quid Chriſtus

Gomar. in Ioh. 8. v. 1. 2. 3. &c.

Grot. in Loc.

Zeger. in Iohan. 8.

Barrad. Harmon. Evangel. Tom. III. Lib. 2. cap. 12.

Burman. de Leg. & Teſtimon. pag. 660.

Freidlib. Theolog. Exeget. part. 2. pag. 163.

Grot. in Ioh. 8. 4. 5. 6.

Digitized by Google

Chriſtus ſcripſerit, unde tuto id ignoratur. Quia ne probabile quidem eſt, ſi ſcriptionis effectum conſideremus, eam maledictiones dictas continuiſſe. Redarguebantur *Scribæ & Phariſæi in conſcientiâ, & ſingulatim alii poſt alios exiverunt*; id eſt, confuſi ſunt plane hoſtes Chriſti, qui tentandi ergo ad ipſum acceſſerant: at quid confundi hi verbis hiſce execrationis multum poterant, quæ non in ſe, ſed in mulierem adulteram directa eſſe, palam erat. Non puto ergo a communi Theologorum ſententiâ recedendum hic eſſe, qui verba, quæ Chriſtus ſcripſit, eadem fuiſſe exiſtimant cum iis, quæ elocutus mox erat: *Qui veſtrum ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat. verſ.* 7. In eadem eunt *Lyranus*, & *Barradius*, cujus poſterioris verba digna ſunt, quæ hic adſcribantur. *Arbitror* (inquit) *Chriſtum, cum primo ſe inclinavit, verba illa ſcripſiſſe, quæ poſtea protulit*: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primum lapidem mittat. *Puto etiam, Phariſæos & Scribas non intellexiſſe, vel non advertiſſe. Cum vero illi urgerent, reor aliquas notas digito effinxiſſe, quæ Accuſatoribus ſcelera commiſſa in memoriam revocarent, vel eadem verba ſcribendo repetiviſſe:* Qui ſine peccato &c. *Vimque illis indidiſſe, ut crimina* Phariſæorum *& Scribarum indicarent. Vel, ſi non dedit vim verbis, divinitus alio modo flagitia menti accuſatorum objeciſſe. In hanc ſententiam me ducit inopinatum & admirandum Phariſæorum & Scribarum factum. Nonne admirabile valde eſt,* Phariſæos *& Scribas inopinato obmutuiſſe, & a* Chriſto *diſceſſiſſe fœminam, quam adduxerant, quamque morte dignam ex Lege noverant, dereliquiſſe, neque de illa ſupplicium meritum ſumpſiſſe? quænam cauſa fuit admirabilis & inopinati hujus facti? Sane aliquam reddere oportet. Ea vero hæc eſt: In notis illis ſive litteris, quas* Chriſtus *efformavit, crimina accuſatoribus, quæ patraverant, indicavit, conſcientia ſtimulati, pudore ſuffuſi ac territi, alius poſt alium, omnes abſceſſerunt*. Et paulo poſt: *Sed quid opus fuit*, ſcribere *peccata? Reſpondeo, voluiſſe Dominum famæ illorum hominum conſulere; ideoque noluiſſe ore palam, ſed digito occulte unicuique crimina patefacere*. Hactenus Barradius. Obtendit Doctiſſ. *Lichtfootus*, quadraſſe etiam verba *execrationis* in Chriſti hoſtes, eo quod *Lex* exploratoria non teneret, ſi mariti ipſi, qui eam urgebant, adulterii rei eſſent, juxta illud Maimonidis: *Siquis illicite unquam coierit cum aliqua*, aquæ amaræ *non explorant ejus uxorem*. Quaſi innuiſſet Chriſtus: ſi & vos pari teneamini crimine, ipſiſſima veſtra opinio & tradi-

Lyran. in Joh. 8. 3. 4.

Barrad. Harmon. Tom. 3. *pag.* 35. 36.

Lichtf. Hor. Hebr. in Joh. 8. 6.

traditio Gentis, & proceſſus judicii Divini in hac cauſâ determinare litem poſſunt, & me abſolvere ab accuſatione, ſi ego eam non condemnem, cum impuriſſimi ejus accuſatores damnandi ſint. At ſpeciem veri hæc haberent, ſi Chriſto cum ipſiſſimo adductæ mulieris marito res fuiſſet; is enim jus non habuiſſet, ipſemet quippe adulterii reus, juxta *Legem* hanc contra uxorem ſuam procedendi. Sed quis probabit, ipſum mulieris maritum, eumque quidem ſolum, hic produiſſe? e contra promiſcue Scribarum & Phariſæorum turba Mulierem hanc adduxerat; & quomodo hos omnes adulterii ſuſpectos habere potuit Servator? Et, ſi non omnes, quomodo indefinitè & indiſcriminatim omnibus iis oggeſſit: *Qui veſtrum ſine peccato eſt, mittat primus in illam lapidem.* Addit alia adhuc *Lichtfootus*, ut Chriſtum *in Legem* hanc digitum intendiſſe demonſtret, ſed uſque adeo diluta, & coacta, ut reſponſionem vix mereantur. *Inclinavit* (inquit) *ſe Sacerdos* explorationem inſtituens; ita etiam fecit Chriſtus; *ſcripſit*, ita etiam Chriſtus; *pronunciavit adjurationis verba*, ſic etiam Chriſtus, &c. ſed quam diſpari ratione, ſi vera omnia ſint, quæ hic ſupponuntur, cuncta hæc non præſtitit Dominus? Quibus expenſis, multo evidentius disconvenientiam inter has magnam offendas, quam convenientiam, ut ex dictis liquet. Generatim in *Viro* hoc *Doctiſſimo* eruditioribus diſplicet, quod Commentationes ſuas ad Judæorum ritus moreſque, non parum ſæpe a verbo Dei abeuntes, plus juſto inflectat: Quod in aliis etiam Talmudicarum rerum ruſpatoribus notavit & culpavit Doctiſſ. *Calovius*, ut hæc verba indicant: *Nimis facile* (inquit) *Hebræi noſtri Rabbinis, fimbrias ſuas undique extendentibus, fidem adhibent; hinc non mirum, eruditos cætera Viros a genuino ſenſu S. Scripturæ nonnunquam abduci.* Proinde, ſi ullibi, in *Rabbinorum* certè myſteriis evolvendis, neceſſe eſt, *Epicharmeum* hoc ſæpe recolere: Νάφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *Sobrius eſto, & memento diffidere, hi enim nervi ſunt prudentiæ.*

Calov. Bibl. Illuſt. Tom. 1. fol. 747.

XXIV. Quæritur 20. *Quid de multis aliis* innocentiæ explorationibus, *variis Gentibus uſitatis, ſtatuendum?* Reſp. Quin Veri Dei ſimia Diabolus in multis ſit, nemo eſt, qui ambigat. Sicuti ergo *Ille*, in pudicitiæ probationem *Legem* hanc ordinavit, ita *hic* vaniſſima ejus ſimulachra ſpecieſque quaſdam mancipiis ſuis obtruſit. Videri de iis poſſunt Scriptores nominatiſſimi *Hottingerus, Camerarius, Boxhornius, Delrio, Voetius, Jongtyſius, &c.* qui

Hotting. Hiſt. Eccleſ. part. III. pag. 560.

Camerar. op. Subciſiv. part. 2. cap. 18. 19.

qui plurima *Purgationum* tum per Aquam, ſive frigidam, ſive ferventem, tum per Duellum exempla ſcripta nobis reliquerunt; quæ non repeto. Adde tantum hæc pauca. *Guinaeenſes*, Populus Africanus, in uſu habent poculum quoddam adjuratorium, *Enchion benou* dictum, ex iisdemque confectum oleribus, quibus Incantatorem ſuum (*Feitiſſo* vocant) excipere ſolent. Huic hanc adſcribunt efficaciam, ut, quotuſquiſque eo exhauſto pejerare auſus ſit, mox a *Feitiſſo* illo interimatur, illæſus e contra maneat, ſi inſons ſit, & legitimè juraverit. De *Aquis Aſbaſmæis*, ex *Philoſtrato*, habet Bochartus: *Eſt* (inquit) *circa Tyana Aqua, Jovi* (*ut perhibent*) *ſacra, quam* Albamæam *vocant. Fons ejus frigidus ſane ſcatet; ebullit autem non ſecus atque igne calefactus lebes, hanc puris & juramenti fidem ſervantibus adſpectu placidam & guſtu dulcem eſſe perhibent, perjuris vero & infidis palam adverſari. Epota namque oculos pedeſque ac manus pejerantis invadit* ὑδέροις καὶ φθόαις *aqua intercute & tabe* totum *corpus inquinans. Neque illinc diſcedendi facultas datur, ſed ibidem permanentes coram aqua ipſa, ſuam deplorant calamitatem, palam quod pejerarunt, profitentes.* Submergebant etiam miſellulos infantes ſuos in rapidiſſimo *Rheni* Fluvio ipſæ olim matres, hoc fine, ut explorarent, an notha proles an genuina eſſet. Fœtum tenellum jam vix natum & clypeo impoſitum, ad Rhenum ferebant, ejuſque fluctibus committebant; ſi undis abriperetur, adulterinum, ſi innataret, vere ſuum judicabant. Hinc *Claudianus*.

Boxhorn. Hist. Belg. pag. 65.
Voet. Diſp. Select. p. 3. pag. 1194.
Jongtys. Spec. Zelotyp. pag. 36.
Bochart. Phaleg. lib. 1. cap. 28. ex Philoſtr. in Vit. Appollonii. lib. 1. c. 4.
Julian. in Ep. ad Maxim.
Geuſ. de Vict. Human. part. 2. pag. 265.
Plaut. Amphit. 5. 1.

Et quos naſcentes explorat *gurgite Rhenus.*

Nazianzenus:

Ἐς νόθον εὐγενέος Ῥήνου κριθέντα ῥεέθροις.

Nonnus in Baſſaricis:

Ῥῆνος ἀσημάντοιο θεμιστοπόλος τοκετοῖο.

Quare & ἐλεγχίγαμος veluti *conjugii Judex* & vindex *Rhenus* dictus:

Κεκριμένον λούτροισιν ἐλεγχιγάμου ποταμοῖο.

Expreſſit explorandi hunc morem *Antonius* quidam *Calcaterra* hoc carmine:

Audaces rapido dubios in gurgite partus.
Explorant Celtæ, donec dijudicat unda:
Hæ nunquam capiunt gentes nova pignora matrum,
Quam prius imponat Clypeo: tum flumina monſtrant,

An genus obliquum fuerit: Poſt mater ad undas
Ægre jam tendit, natos viſura recentes,
Et ſuſpenſa timet cenſoris flumina Rheni.

Voſſ. de Vit. Sermon. lib. 1. c. 9.

Et vidi (inquit alicubi Lipſius) *qui* Rheni *etymon hinc petendum aſſeverant, quaſi* purgatores; *purus quidem ſermone noſtro* Reyn *dicitur*, quod non multum differt a vulgato *Rhijn*. Sunt tamen, qui aliam *Immerſionis* hujus cauſam reddunt, ad *præclaram* infantum *educationem* eam referentes: Ita Paulus Hachenbergius: *Huc* (dicit) *accedit* præclara educatio, *quâ liberi a parvulis labori & duritiei tradebantur, ut Cæſar lib.* VI. *teſtatur. Jam primum enim puer, ubi de matre ceciderat, ad Fluvium deferebatur, qui infantiam* exploraret, *& ad* futuræ militiæ labores *induraret. Cujus rei meminit, præter Galenum, Nazianzenum, Nonnum,* Claudianus

Hachenb. de Nuptiis German. Diſp. 5. §. 13.

Et quos naſcentes, &c.

Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. p. m. 302.

De *Tucciâ* Veſtali Virgine refert Valerius, quod *inceſti criminis rea, conſcientia certa ſinceritatis ſuæ, ſpem ſalutis ancipiti argumento auſa ſit petere. Arrepto enim cribro*, Veſta, *inquit*, ſi ſacris tuis caſtas ſemper admovi manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, & in Ædem tuam perferam. *Audaciter & temere jactis votis Sacerdotis, rerum ipſa natura ceſſit.* Et quid Fons Epheſinus, *Styx* dictus? Quieta hujus unda medias vix tibias attingebat; cum vero *adulterii* vel corruptionis *ſuſpecta* in eum deſcenderent, jurisjurandi formulam collo ſuſpenſam geſtantes, *puræ* ſi eſſent, ſtabat immota aqua, ſin *corruptæ*, intumeſcebat ad collum uſque, dum tabellam, in quâ jusjurandum ſcriptum erat, contegeret. De probatione hac Polyhiſtor Huetius: *Ex Lege Zelotypiæ* (inquit) *quæ traditur in Libro Numerorum, prodiit* Stygis *fabula, cujus numen Dii jurare timent & fallere; & varii diverſarum Gentium ritus, quibus aquâ vel igne occultorum facinorum veritas exploratur.*

Achill. Stat. de Clitiphon. lib. 8. S. de Vries, Obſervat. Curioſ. lib. 2. p. 1414. Huet. Demonſtrat. Euang. pag. 231. part. 1. Edit. in Octavo. Stat. lib. 8.

Sic Styx perjuria *Divum*
Arguit.

Teſte Statio. Et Homerus:

Homer. Odyſſ. lib. 5.

Ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος
Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.
Sciat hoc nunc Terra & Cœlum latum deſuper,
Et defluens Stygis aqua: quod maximum
Jus-jurandum graviſſimumque eſt beatis Deis.

Mitto

Mitto fontes *Acidinos*, Sardiniæ *Scaturigines*, Aquas juxta *Brieti* Templum in *Bythinia*, Lacus ſeu Crateres breves & profundos, ſemperque luridos in arâ *Palicorum*, &c. Quibus haud impares effectus tributos olim fuiſſe, Hiſtoriæ teſtantur. Extitêre etiam, qui per *Panem hordeaceum* vel *Caſeum*, ſuſpecto criminis comedendum, explorare innocentiam vel culpam ejus tentarunt; hiſce præmiſſis precibus: P*ræſta, quæſumus, Domine, per ſanctum & memorabile nomen tuum, ut qui reus eſt hujus criminis ad appoſitam ei, pro oſtenſione veritatis, creaturam panis ſanctificati, vel caſei, faux ei claudatur, guttur ejus ſtranguletur, & in nomine tuo ante illud ejiciatur, quam devoretur, ſed Spiritus Diabolicus in hoc negotio ad ſubvertendum judicium nihil prævaleat.* Et hæc *quidem* (ut annotavit in hunc morem Molinæus) *fiunt aſtute & non ſine prudentia, & etiamnum a quibuſdam factitantur. Hæc enim vis eſt conſcientiæ trementis & animi anxii, ut cibi meatum arctet, & fauces ſic obſideat, ut ægre admittant Caſeum pingem & lentum ac viſcoſum, panemque calidum, cujus materia tenax eſt & non friabilis. Ideoque oportet, ut panis ſit hordeaceus, cujus polenta eſt lentior, & materia adverſus manducationem contumax. Sed Religio aſtutiæ obtenditur.* Ne de ipſâ *Canâ* dicam, quam in innocentiæ ſubſidium quidam etiam advocarunt. Ita Magdeburgenſes: P*erceptionem corporis & ſanguinis Domini* (ajunt) *ſuam innocentiam* Fredericum Moguntinum *in Eccleſia comprobaſſe, ſupra diximus.* Notum etiam eſt *Gregorii* VII. Pontificis factum, (ſuper quo acriter inter ſe digladiantur *Hotomannus* & *Delrio*) hic, ut innocentiam ſuam, de Pontificali dignitate Simoniâ aliiſve iniquis artibus & prenſationibus non occupatâ, Imperatori *Henrico* probatam redderet, Hoſtiam ſumſit, hac adjectâ imprecatione: *ſi intentati criminis reus eſſet, Deus eopſe, quo* (ut loquebatur,) *corpus Chriſti comedebat; momento vitæ ſuæ filum abrumperet.* Quæ cum dixiſſet, alteram Hoſtiæ partem Imperatori *Henrico* porrexit, in ſuæ etiam a flagitiis, quibus gravabatur, immunitatis teſtimonium degluriendam. Fuit hic idem ille *Gregorius*, qui, anathemate in Imperatorem *Henricum*, fruſtra ſupplicem, pronunciato, ſurrogato ei *Rudolpho*, dixit:

Petra dedit Petro, P*etrus diadema Rodolpho.*

De his ſimilibuſque quid tenendum ſit, ſcire ſi aveas, paucis id habe concluſionibus. *Dico* 1. non minimam exemplorum, quæ adduci ſolent, partem merè chimericam, fabuloſam & commentitiam

eſſe,

Alex. ab Alexand. Genial. Dier lib. 5. c. 10.

Pithæi Gloſſ. in capit. Carol. & Ludov.

Molin. Vat. lib. 2. cap. 22.

Magdeburg. Tom. 3. cent. 11. cap. 7. &

eſſe, indicantibus id ſatis ſuperque omnibus abſurdis ac contradictoriis, quæ connexa & innexa plerumque habent. *Dico* 2. De omnibus tamen ex æquo aſſerendum id non eſſe; cum proculdubio etiam ſint, quæ, ut a probatis Autoribus referuntur, certo evenerunt. Adeo ut viderint ſæpe antegreſſa tempora quibus aquæ neque profunditas, neque fervor, neque candens ferrum noxam ullam intulit, cum innocentiæ ſuæ teſtimonium inde peterent. Quid enim, Deo juſtè permittente, non valet, infernalis Serpens, ut in erroribus ſuperſtitionibuſque ſuos detineat non tantum, ſed &, confirmet? Scimus miranda a *Magis* in Ægypto patrata. *Dico* 3. Deum extraordinariâ ſæpe potentiâ filios ſuos, qui cæleſtem Veritatem ſanguine ſuo obſignarunt, flammis jam dicatos, ab ignis non tantum noxâ ſed & ſenſu gratioſe præſervaſſe.
Dan. 3. Juvenum, in fornacem *Babylonicum* conjectorum, ac ſine ullâ læſione inde egreſſorum, exemplum plus quam notum eſt. Sic Deus, canente Paulino,

Paulin. de S. Felic.

Fecit tepidos pueris orantibus ignes,
Humidaque in mediis dedit indumenta caminis.

Et quid de *Polycarpo*, Smyrnenſium Antiſtite, (ne de *Fructuoſo*, *Augurio*, *Eulogio*, aliiſque dicam) *Euſebius*? Τὸ πῦρ (inquit) καμάρας

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. 4. cap. 15. p. m. 134.

εἶδος ποιῆσαν, ὥσπερ ὀθόνης πλοίου ὑπὸ πνεύματος πληρουμένης, κύκλῳ περιετείχισε τὸ σῶμα τοῦ μάρτυρος. καὶ ἦν εἰς μέσον οὐχ ὡς σὰρξ καιομένη, ἀλλ' ὡς χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἐν καμίνῳ πυρούμενος. καὶ γὰρ εὐωδίας τοσαύτης ἀντιλαβόμεθα, ὡς λιβανωτοῦ πνέοντος, ἢ ἄλλου τῶν τιμίων ἀρωμάτων. *Ignis fornicis ſpeciem præbens, tanquam velum, navis Ventorum flatu ſinuatum, circum corpus martyris ſtetit. Quod quidem, in medio poſitum, non ut caro aſſa videbatur, ſed velut aurum aut argentum, quod in fornace excoquitur. Quippe odorem ſuaviſſimum, quaſi thuris alteriuſve pretioſi aromatis, naribus noſtris inhalantem, hauriebamus.*

Prudent. περὶ στεφάν. Hymn. 6.

Dico 4. Multa quoque eorum, quæ obtenduntur ut miraculoſa, humanâ induſtriâ effici potuiſſe, quin effecta nonnunquam eſſe. Sumamus ſolam *candentis ferri* vel *ignis* contrectationem, ſine ullâ corporis noxâ vel læſione: hanc naturaliter poſſibilem eſſe, Scriptores omni exceptione majores jam dudum demonſtrarunt, indicatis etiam mediis, quibus fieri eam poſſe exiſtimant. Memoratu dignum eſt, quod refert *Augerius Busbequius*, Scriptor fide digniſſimus: *Deſcendit is* (loquitur de Turcico quodam Monacho

Jonſton. Thaumatograph. claſſ. 2. cap. 5. Lemn. de Occ. Nat. Mirac. lib. 2. cap. 34.

&

& peregrinatore) *in aream domus & paulò poſt revertit, ſublato vaſti ponderis ſaxo, quo ſibi in nudatum pectus aliquot ictus inflixit, quibus pene bos percelli potuiſſet. Hinc manum injecit ferro, quod in foculo, ad eum uſum accenſo, candens factum erat. Id ori inſertum omnem in partem aliquandiu verſat, non ſine ſalivæ ſtridore. Erat ferrum illud oblongum, ſed altero capite craſſius & quadriangulum, quod ore recepit, vi ignis ſic fervefactum, ut a carbone ardente nihil differret.* Ita, ut *oculatus* teſtis, præſtantiſſimus ille Legatus. Addit aliud exemplum ut *auritus*: Narratum ſibi eoſe tempore a memorato mox Monacho dicit: *Cœnobiarcham ſuum conſueviſſe in locum, qui Cœnobio proximus erat, extendere pallium, in eoque ſedentem, qua viſum, ſuaviter circumvectari. Eundem excoriato excenteratoque verveci nudum alligari ſolitum, ut priores pedes brachiis, poſteriores cruribus ejus aptarentur; ita conjectum in ferventem* furnum *manere, donec percocto vervece, ut jucunde edi poſſet, illæſus ipſe promiſſe juberet.* *Albert. de Strumis lib. 1. cap. 4. Busbeq. Ep. 4. pag. m. 330. 331*

Dico 5. Eventibus itaque hujusmodi, quod E. G. aquarum fundus nos non abſorbeat, ferrum candens illæſos nos relinquat, &c. innocentiam vel propriam vel alienam committere velle, nihil aliud eſſe, quam craſſam & ſuperſtitioſam Dei tentationem, partim ab Ethnicis, partim a Judæis, ex *Legis* hujus abuſu, ad Chriſtianos devolutam. Audiatur in hanc rem Theologus Pontificius *Guilhelmus Eſtius*, cui eo magis deferri hic par eſt, quo proniores paſſim Romanæ Eccleſiæ ſatellites ſunt, ad qualeſcunque etiam nugaciſſimas ſuperſtitiones palliandas & propugnandas; prout hac ipſâ ex Lege *Bellarminus* aliique *Aquam* ſuam *Luſtralem* quoque derivarunt. Sic ergo ille, piè quidem & Chriſtianè: *Ex Miraculo, per quod cooperabatur Deus huic Legi, non ſequitur licitum fuiſſe, quia Deus miraculo non approbabat factum Viri, ſed veritati perhibebat teſtimonium, quod videlicet mulier eſſet vel nocens vel culpâ obnoxia. At neque hinc patrocinium facti ſui aſſumere debent, qui utuntur indicio Ferri candentis, aut Aquæ ferventis, de quo in Canonibus Sacris. Iſtud enim fuit a Deo inſtitutum, illa vero cum nec natura valeant, nec divina inſtitutione nitantur, ad* ſuperſtitiones *releganda ſunt. Neque vero miraculum dici poteſt, quia ſpecialis eſt miraculorum gratia, non omnibus innocentiam ſuam probare volentibus, communis. Pertinet autem ad peccatum* tentationis Dei, *per miraculum velle probare, quæ occulta* ſunt, *quorum judicium Deus ſibi ſoli reſervavit, niſi quis impulſu Divino propter magnam cauſam tale quid faciat.* Quæ verba, cedro alias digniſſima, utinam *Eſt. Tractat. citat. p. 77. Bellarmin. de Cultu Sanct. lib. 3. cap. 7.*

Vir

Vir Doctus fabuloſâ ſuâ de *Brixio*, Epiſcopo Turonenſi, narratione, immediatè ſubjectâ, nunquam commaculaſſet! *Sic Brixius* (inquit) *Epiſcopus Turonenſis* (forſan impulſu putat divino, at unde id liquet?) *ut ſe a ſuſpicione fœdi criminis apud populum purgaret, in ſinu veſtis ſuæ portavit ardentes prunas, uſque ad ſepulchrum S. Martini; nec tamen prodere voluit patrem, contentus ſe ipſum purgaſſe.* Et certè (ut bene laudatus Molinæus) *in jure dicundo agendum eſt probationibus & teſtibus, non vero expectanda miracula, quæ Deus raro facit in gratiam* proborum, *& aliquando conceſſit* impiis. Factum enim non ſemel eſt, ut pars innocens ſuccubuerit miſere, incolumi manente & triumphante, quæ verè rea eſſet. Singulare id tantum doceat exemplum in exploratione per *Duellum*, quæ *Vulgaris* apud Canoniſtas *Probatio* appellatur, quâque accuſatus criminis alicujus, cum deeſſent documenta idonea, ſubeſſetque tamen ſuſpicio, cogebatur litem dirimere, inito cum Accuſatore ſuo certamine; aut, ſi imparem ſe ei ſentiret, alium pro ſe ſubſtituere. Accidit, teſte *Gregorio*, ut furti nonnemo inſimulatus coactus fuerit monomachiam hujuſmodi cum Accuſatore ſuo ſubire. At quid fit? caditne accuſator, qui falſiſſimè crimen impegerat? nihil minus: occiditur accuſatus, qui verè inſons erat: poſt mortem enim ejus, res furto ablata apud alios inventa eſt. Vel nolle etiam quandoque Deus poteſt, hac ſimilive ratione tentatus, quiſnam ſons vel inſons ſit, certaminis eventu indicare; quâ enim lege ad id tenetur? Patuit id in duobus e Nobilitatis flore Viris, tempore *Alphonſi*, Caſtiliæ Regis, de quibus hæc habet *Petrus Meſias*: Quidam Nobilis, militiâ clarus, nomine *Rupas de Vidima* coram Rege profeſſus erat, quem Nobilem *Rodigem de Avila* proditorie agere, quod in armis inſignia gereret Portugalliæ, cum vaſallus eſſet Regis Caſtiliæ, ſeque hoc probaturum & teſtibus & armorum concurſu, aut alio quocunque probandi medio, ad quod Regis obſtringeretur mandato. Simulac iſta reſcivit *Rodiges de Avila*, qui tum temporis aberat, Regi ſcripſit, ſe non teneri, ſemet reſponſo quo purgare, cum *Rupas* in proprium conſpiraſſet Regem, deque e medio tollendo conſilia iniſſet, quod ſe duello probaturum dicebat, ſi modo Adverſario congrediendi conceſſa fuiſſet a Rege facultas, & quidem ſalvo addito conductu, quia crimen læſæ Majeſtatis commiſerat. Quæ

Molin. loc. citat.

Rivet. In VI. Præc.

Gregor. Decr. lib. 5. tit. 35.

Petr. Meſſ. Var. Lect. lib. 2. cap. 10.

ut

Digitized by Google

ut Regi innotuêre, dubius fuit ac animi pendulus, quid hoc in negotio faceret. Tandem conſultum viſum, utrumque ad certamen ſingulare admittere. Locus, tempus more ſolenni indicuntur, concurritur magno cum ardore, non aliter ac ſi Leonum foret congreſſus; toto die æquis pugnatur viribus, Marte ancipiti, adeo ut non obſervare liceret, utram in partem fortuna ſe eſſet inclinatura. Itaque noctis adventus eos ſeparavit, quos ardor ingens, cum fortitudine & armorum peritia junctus, ſeparare ne quiverat. Altero iterum die priori hic congreſſus par fuit, parque animus, ita ut nondum conſpiceretur, cui victoria faveret. Tertio tandem die in locum ſolitum advenerunt. eodem, quo ante, animo, ſed majoribus, quam ante, viribus; eſtque decertatum tanta cum pertinacia, ne forte ejus diei anceps eſſet exitus, ut uterque in admirationem Regem, omniumque animos ſpectatorum in ſtuporem ac miſericordiam raperet, metuentium triſtem ac damnoſiſſimum tam fortium virorum interitum. Atque ita, viribus nondum flacceſcentibus, deſiderata Regi ac populo veſpertina advenit hora; quâ ſejuncti, quamvis inviti, ad Regem fuêre adducti, qui utrumque abſolvit; *Deo quaſi monſtrante*, ut dicebat, *innocentiam utriuſque, cum triduana illa pugna, neuter alterum aliquo armorum ſuperaſſet genere*: Sic bonus ille Rex. At revera diſplicuiſſe potius ſibi explorandæ culpæ vel innocentiæ illum modum Deus oſtendit, atque adeo alterutrius caſu ſignificare noluit, uter eorum pro ſonte vel inſonte habendus eſſet.

XXV. Quæ cum ita ſint, mirum ſane eſt, nullo non tempore tantum tamen hominum extitiſſe numerum, quibus lubrico hujuſmodi experimentorum fundamento vel doctrinæ veritatem vel perſonarum culpam innocentiamque inædificare, viſum fuit: Quos enim non populos eo uſque dementavit Satanas, ψεύςης ϰ̀ ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς, ut probationem hanc per *Duellum* acceptarint non tantum, ſed ſummo etiam in pretio habuerint. *Longobardis* conſuetudo fuit, ut, quotieſcunque deeſſet probatio Judici, per *Duellum* fidem partes facerent. Qui alium *Cuculum* vocaſſet, ſi ob convitium illud accuſaretur, tenebatur negotium aut componere, aut per *Duellum* probare. A *Longobardis* monomachiarum uſus ad alios tranſiit: In Daniâ *Frotho* III. Rex legem tulit, *ut omnes* ſingulari certamine *lites decernerentur & finirentur*. Simile apud *Moſcovitas*, *Ruttenos*, *Hungaros*, *Umbricos*, *Alemannos*, *Iſlandos*, quin ipſos *Anglos* obtinuit.

L. 1. leg. longobard. tit. de malefic. c. final.

Buſæus Diſp. Polit. 9. §. 21.

Bodin. de Rep. lib. 4. pag. m. 743.

Th. Smith. de Repabl. Anglic. lib. 2. cap. 6. & 8. injuſtiſſimè licet, imo impiiſſimè. Ipſe enim *Rhotarius* legem hanc, ſeu *conſuetudinem* potius, *Longobardorum*, utut, quoniam inveteratiſſima eſſet, difficulter abrogandam, *Impiam* dixit. *Quia* (inquit) *incerti ſumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam ſine juſtâ causâ cauſam ſuam perdere: ſed propter conſuetudinem Gentis noſtræ Longobardorum, legem* Impiam *vetare non poſſumus.* Quare & *Quintilianus* de certaminis hoc genere in ipſo bello: *Vos oro, qui illud pugnæ genus exigebatis, utrum tandem eventum concepiſtis animo? Viciſſet Juvenis ſenem, ſceleratus pium, quantum Reip. detrimenti, quantum lachrymarum, quantum luctus, amiſſo duce haberet, & fractis militum animis, & inclinatâ in poſterum ſpe?* Neque enim ulla Dei promiſſio eſt, quæ innocenti parti victoriam ſemper adjudicet; imo, ut mox dictum, juſtior pars vinci aliquando poteſt, & revera vincitur, quia naturâ ita comparatum eſt, ut non qui melior, ſed qui fortior eſt, ordinario prævaleat. Et quid *Ferrum candens?* Quantum non illi etiam fidei olim tributum? In nemine id maneſeſtius eſt, quam in *Danorum* Gente, quæ maximam partem ad Chriſtianam traducta dicitur fidem, hoc *in Poppone* ſuo miraculo permota, quod *ferrum candens* geſtare ſuſtinuiſſet, & illæſus geſtitaſſet. Hiſtoria ejus ſic habet: *Clericus quidam*, Poppo *nomine, in convivio cum* Danis *diſputat de Cultu veri Dei, quod nimirum unus eſſet verus Deus in Eſſentia, Trinus vero in Perſonis.* Dani *contra aſſerebant*, Chriſtum *quidem eſſe Deum, ſuos tamen Deos & potentia & antiquitate ipſum antecellere. Res tandem ad* Heraldum *Regem refertur, ut is litem eorum dirimat.* Poppo *geſtatione* candentis ferri *fidem ſuam probare jubetur, quod in conſpectu ingentis multitudinis illæſus præſtitit.* Sic *Magdeburgenſes* Et aliquanto poſt: *Crantzius præterea & hujus miraculi meminit, cum jam ob celebritatem prioris miraculi, ad Epiſcopatum Slevicenſem evectus eſſet* Poppo, *iterum ad* Danos *excurrit, ibique denuo ſuam fidem novo quodam miraculo probare conatus eſt. Veſte cerâ copioſâ prius illitâ, in medio populi circo eam accendit, ipſe vero nullum ſe ignis calorem ſentiſcere teſtatus eſt, licet ipſa* veſtis *corpori circumdata, in favillas redacta eſſet; quo miraculo multa millia ex* Danis *Chriſto ſe addixerunt, &* Popponis *nomen in hunc uſque diem celebre apud eos habetur.* Si verum ſit, *donum Miraculorum* ad tempus uſque, quo *Dania* Chriſtianiſmo initiata eſt, quod ſub initium Seculi octavi accidit, perduraſſe, forte fides quædam huic narrationi eſſet adhibenda; at hoc opus, hic labor eſt. Teſtantibus ſal-

Rhotac. Lib. 1. de Longobard. Legg.

Quintilian. Declamat. 317.

Magdeburg Centur. X. cap. 10.

Crantz. Hiſt. lib. 5. cap. 10.

Buchol. Chron. pag. 289.

Digitized by Google

ſaltem *Auguſtino* & *Chryſoſtomo*, qui ambo Seculo exceſſerunt quarto, ipſorum tempore χαρισμα id modo ceſſavit. Diſerta verba *Auguſtini* ſunt: *Cum enim Eccleſia* Catholica *per totum orbem diffuſa atque fundata ſit, nec* Miracula *illa in* noſtra tempora *durare permiſſa ſint; ne anima ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Ut & *Chryſoſtomi*: Nunc *ſignorum operatio* omnino levata *eſt; magis autem apud eos invenitur, qui falſi ſunt* Chriſtiani, *fieri ficta.* Et alibi: *Adeſt fides* juſtificans, *ſed ea, quæ* miraculorum *dicitur, jam deſiit.* Speciatim maxime dubiæ fidei ſunt operationes miraculoſæ, quæ ad Seculum 7, 8. & 9. vulgo referuntur, eo quod tum inclinarent magis umbræ, & appropinquaret ætatis mythologicæ μεσονύκτιον. Concludam quæ hactenus dixi Doctiſſimi *Camerarii* verbis, qui negotium hoc ſic determinat. *Et quæ juſta ſunt* (inquit) *& fundamenta ex divinis Litteris habent, rectè adhibentur ad eruendam* veritatem, *cum e contra illa, quæ ſuperſtitioſa cenſeri debent, & curioſitate quadam nimia ſponte excogitantur, merito rejicienda ſint. Non enim ea eſt hominum conditio & poteſtas atque authoritas, ut ſuo arbitratu ſacramentalia inſtituant. Nam, cum Deus ſit ſapientiſſimus, non opus habet, ut noſtro cogitatu ſive induſtria illi paremus inſtrumenta ſalutaria abſque ipſius mandato. Equidem hoc nullus artifex in ſua arte ferret, ſed ipſemet vellet ſua inſtrumenta ſibi deligere. Non eſt igitur ferenda eorum hominum audacia, qui Deo veluti* organa *præſcribere cupiunt, quibus ad noſtram ſalutem operetur.*

e Auguſt. de Ver. Religion. cap. 25.

Chryſoſt. in Matth. Hom. 49. & in cap. 17.

Camerar. Tract. Cit. part. 2. p. 66

EXERCITATIO VII.

DE

CANIS PRETIO.

BREVIARIUM.

Tractatio de Canibus *quibus propriè conveniat? Canum* fidelitas & φιλανθρωπία. *Equi* lachrymantes. *Græci cur* κύνα Canem *dixerint*? Socrates *cur non niſi per* Canem

Digitized by Google

juraverit? Canum *Vigilantia*. Ciceronis *argutè dictum*. Βλέπε κύνα *quid? Locus Eſ.* 56. 10. *explicatus & vindicatus. Canum* Sagacitas. *Guiljelmi I. Auraſionenſium Principis* Canis. *Canes, juxta nonnullos*, humanâ voce *locuti. Canes* pugnaces. Συμπάθεια *Canum. Mirus nonnullorum in* Canes *affectus. Canes* Melitæi *qui? Locus Matt.* 15. 27. *elucidatus. Mollitiei circa* Equos & Canes *incommoda.* Actæonis *fabula quomodo intelligenda?* Canis Pretium *quid? Eruditorum ſuper eo diſſenſus.* Junii & Piſcatoris παρερμηνεία *expenſa & rejecta. Locus Apoc.* 22. 15. *explicatus. Vox* πόρνος *quid? Ratio* generalior, *ob quam* Canis Pretium *a Sanctuario relegatum?* Ceremonialium & poſitivarum *Legum origo quæ?* Muiſii *modeſtia laudata. Rationes repudiati* Canis *pretii* ſpecialiores. Canis *animal ex Lege* immundum. *Item* vile & *contemptum.* Caput Canis. *Loco 2 Sam* 3. 8. *lux addita. Chriſtiani Turcis* Canes *dicti*. Ferre Canem *quid? Memorabile* κυνοφορίας *exemplum. Animal* obſcænum & *impudens* Canis. Κυνὸς ὄμματα ἔχειν *quid? Atri vel* prægnantis Canis *occurſus cur olim ominoſus?* Cynici *Philoſophi cur a* Cane *denominati?* Empiricus & *alius quidam* Vir Doctus *notati.* Turrelupini & Begnini *Hæretici qui? Cur* Cynici *dicti?* Plinius *notatus.* Impura *apud ipſos Paganos a Sacris remota. Animal* ingratum *quin* Ingrati *hominis emblema* Canis. Canes *DIS Gentium oblati.* Κάρχον θῦμα *quid?* Saubertus & Aldrovandus *ad partes vocati.* Canibus *ut Diis ſacrificatum.* Anubis *cur* Canino *capite pictus? An ipſe fuerit* Moſes? *Cur* latrator & deriſor *dictus? Quales res Deus Populo ſuo tum præceptas tum prohibitas maxime voluerit?* Marshami & Spenceri *errores notati. Principalis rituum* Moſaicorum *finis quis?* Canes *a quibusdam etiam Gentibus* ſacris *excluſi. Ex parte quoque ab ipſis Ægyptiis.* Alexander *ab* Alexandro *notatus.* Feles *unde* Gattæ *vel* Cattæ *dicti? Cur ab* Ægyptiis *culti? Rationum repudiati a Sacris* Canis Pretii *ſumma. Objectio diſcuſſa. Num* Canibus *ex Lege hac* contemtibilitas *primum adhæ-*

ſe-

ſerit? Lex Ceremonialis quouſque & quamdiu obligarit? Bona injuſtè parta an & quomodo a pauperibus recipienda? Locus Eſai. 23. 18. illuminatus. Merces meretricia quid? Meritorius Puer, קָדֵשׁ, κιναίδος quid? Nomenclaturæ ejus ratio Locus Job. 36. 14. illuſtratus. Meritorii ut multis Gentibus uſurpati, ita quibusdam tamen inviſi. Pederaſtiæ averſabilis fœditas. Plato & Anton. Matthæus pulſati. Matrimonium non tantum ad generationem, ſed in incontinentiæ remedium, etiam inſtitutum Pœdicones cur Feles dicti? An ſola mulier gravida coitum admittat, an alia etiam animantia? Zenobiæ, Ethelridæ, Anglorum Reginæ, Eduardi Confeſſoris prætenſa caſtitas exploſa. Pęderaſtię atrocitas unde derivanda? Meretorii cur Populo Dei eliminati? Sodomiæ flagitium a Pontificiis quibusdam toleratum, palliatum, celebratum. Joh. de la Caſa Sodomiæ encomium deteſtabile. Qui multis nihilominus dignitatibus a ſuis cumulatus. De Arte meretriciâ utriuſque Veneris Dialogus abominabilis. Henrici Cornelii Agrippæ de eo judicium. Initiati impuræ libidini quinam? Locus Hoſ. 4. 14. illuſtratus. Τελεσμένοι apud Græcos qui? Quid Spintriæ apud Romanos? Franciſci Pici gravis querela. Corinthiaca puellarum proſtitutio quæ? Non cuivis homini contingit adire Corinthum unde? Alexandri VI. urbiſque Romæ pæderaſtia a Sannazario & Joh. Baptiſta Mantuano perſtricta. Nobile a Sixto IV. lupanar Romæ erectum. Pontificum Romanorum e commercio meretricio quæſtus. Eccleſiæ Romanæ, ac inprimis Clericorum, laſciva facies. Veterum Germanorum rythmus eo pertinens. Beza contra Pontificiorum calumnias, pæderaſtiam ipſi impingentium, defenſus. Lactantii acerrima in Sodomitas invectiva. Votum Autoris.

I. DE Canum naturâ non eſt, quod multis agamus; neque enim fori Theologici id proprie eſt: relinquimus tractationem illam Phyſicis aliiſve, qui ex profeſſo Hiſtorias Animalium exararunt. Animus nihilominus eſt, pauca de iis delibare; ut pateſcere evidentius poſſit, quid fuerit Canis pretium, de quo Mo-

Moſes loquitur Deuterom. 23. 18. & cur adeo exoſum Deo id fuerit in V. Teſtamento. Verba ſunt: *Non inferes mercedem meretricis aut* pretium canis *in domum Dei tui in quocunque voto.* Sunt, qui לא תביא vertunt per *non offeres*; ſed res eodem redit.

II. Brutorum genus *Canes* ſunt multis dotibus inſigne: eſt quippe φιλανθρωπώτατον; vix enim invenias animal in homines pronius, vix hominibus fidelius. *Omne genus aliud* (inquit Lipſius) *efferatur & ſylvas ac ſolitudinem tolerat aut quærit, ſolum iſtud homini adhæret, atque adeo cum eo vivit, ut abſque eo non vivat.* Facit huc quod de *Pyrrho* narrat Plutarchus: Invenit is in itinere *Canem*, qui per integrum triduum domini ſui interfecti cadaver cuſtodiverat, & interim famem tulerat; poſteaque in luſtratione Exercitus anthorem cædis mordicus apprehendit, qui tormentis ſubjectus, cædem confeſſus eſt. De *Cane*, qui ſuo tempore vixit Lutetiæ Pariſiorum, refert Bochartus, ipſum Domini ſui, in S. Innocentii cæmiterio ſepulti, tumulo fere per triennium incubuiſſe, neque ullis inde blanditiis abduci potuiſſe; quin a nonnullis vi abſtractum, & ad aliam urbis partem tranſlatum, ibique aliquandiu detentum, quam primum ſui juris fuit, priſtinam ſtationem repetiiſſe, domini cadaveri, ut videbatur, tandem immoriturum, niſi vis major obſtitiſſet. *Reſque* (addit) *anno, quò hæc ſcribo, Æra ſcil Chriſtiana* 1660. *ideo viſa eſt mirabilior, quod in illo cæmiterio per hiemales menſes nix fuit altiſſima & frigus intenſiſſimum.* Neque abludit quod de *Cane* domeſtico *Davidis Paræi* narrat *Philippus Paræus*, magni Patris non degener filius. *Hic* enim *Matlo*, (inquit, id enim nominis ei dederat Georgius Paræus) *Herum ſuum defunctum manifeſto luctu mox proſecutus eſt, adeo ut, qui per plures annos fidus Paræanus* φύλαξ *fuit, ipſe feretro arcte accubuerit, donec publicis exequiis efferendum eſſet, ſub cujus ſarcophago, cum omnium admiratione, lento gradu mæſtoque vultu inceſſit ad ipſum uſque ſepulturæ locum, in ſacello Theologorum Templi Petrini; neque inde receſſit, donec Herum ſuum plane humatum ac terræ conditum cerneret.* Ipſi venatici *Canes*, alias ferociores, talem erga *Florentium* V. *Hollandiæ Comitem* exercuêre pietatem, ut fidem ſuperare videatur, quod Annales de iis habent. Comite enim inter venandum plus viginti vulneribus confoſſo, *Canes* teſtes aderant, mæſtique eum cuſtodiebant. Poſtea, amicis corpus urgentibus, ut *Alcmariam* id deferrent,

Lipſ. Epiſt. ad Belgas Cent. 1. *Eph.* 43.

Plutarch. in Pyrrho.

Bochart. Hierozoic. part. 1. *cap.* 56.

Philipp. Paræus de Vit. & Obit. David. Paræi.

Camerar. Horar. ſubſiciv. Cent. 1. *pag. m.* 124.

rent, in eandem conſcendebant navem, ab omni cibo potuque mordicus alieni; funus, in Templum illatum, proni venerabantur, ibique aſſiduo deſiderio Domini ſui, donec vi abſtraherentur, ægrè vitam ſuſtinebant. Quin *Canes* fuèrunt, qui charitate dominorum, in flammas ſeſe injecerunt, vivique conſumpti ſunt. Sic *Hieronis*, *Lyſimachi*, *Poli tragedi*, *Mantoris*, *Eupolidis Poëta* Canes, de quibus multis *Plinius, Solinus*, *Ælianus*, aliique. Adeo ut mirum non ſit, *Maſſaniſam*, Numidiæ Regem, eo quod parum fidei in *humanis* plus in *caninis* pectoribus poneret, ſalutem ſuam *canum* cuſtodiâ vallaviſſe. Scio, miranda etiam eſſe, quæ de *Equorum* fidelitate probati Autores narrant: adſcribit eis *Plinius*, quod amiſſos Dominos ſuos luxerint, alii quod deſiderio eorum ipſas lachrymâs fuderint. Virgilius: *Tiraquell. Not. in Alex. ab Alexand pag. 230.* *Ælian. Hiſt. Animal. lib. 7. cap. 40.* *Plin. lib. 8. cap. 42.* *Virgil. in Pallant. Funer.*

Poſitis inſignibus Æthon
It lachrymans, *guttiſque humectat grandibus ora.*

Et in Bucolicis:

nulla neque undam
Libavit *quadrupes, nec graminis attigit herbam.*

De Julii *Equis* Suetonius: *Proximis diebus* (inquit) equorum *greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos ſine cuſtode dimiſerat, comperiit pertinaciſſime pabulo abſtinere, ubertimque flere.* Præſagos forte parricidalium enſium, Domini ſui capiti jamjam imminentium, horumque doloroſo quaſi ſenſu perturbatos. Idem de *Aſturcone* ſuo narrat Cardanus. At quot numeris eos non ſuperant *Canes* noſtri, ut ex dictis liquet? Nunquam ſe *Equi* dominorum ſuorum amore ipſis flammis conſecrarunt; ne de pluribus aliis fidelitatis ſpeciminibus dicam, quibus neque equi, neque boves, neque vulpes, imò ne ipſi quidem Elephantes paria iiscum unquam fecerunt. Atque ob hanc ipſam forte φιλανθρωπίαν Græci *Canem* κύνα dixerunt quod *amaſium* ſignificat, qui blanditiis demulcere amicam ſolet, nec facile ſe divelli ab eâ ſinit. Eſt enim, quod *Canes*, etiamſi cædantur aliquando a dominis ſuis, tamen non diſcedant, quin potius ad illorum pedes advoluti, flebilibus eos oculis contueantur, quaſi pænam, cum culpæ agnitione, deprecantes. Et cur *Socratem* jurare nunquam voluiſſe, niſi per *Canem*, putes; vix probabilior ejus ratio dari poteſt, quam quod beſtiâ illâ nihil fidelitate excellentius, nihil charitate in Dominos ſuos tenacius eſſe, arbitratus ſit. *Sueton. in Julio. cap. 81.* *Jonſton. Thaumatograph. pag. 306.* *Scalig. adverſ. Cardan. Exercit. 202.* *Auguſtin de Ver. Relig. cap. 2.*

III. Ne-

III. Neque minus *Vigilantiæ* nomine illuſtres ſunt *Canes.* Ita Ovidius:

Ovid. Faſtor. lib. 4.

Jam vigiles *conticuère Canes.*

Et Horatius:

Horat. lib. 3. Od. 16.

Incluſam Danaën turris ahenea
Robuſtæque fores, & vigiles Canum
Triſtes excubiæ *munierant ſatis.*

Nec non Seneca:

Senec. Herc. furent. 9. 39.

Cuſtos opaca pervigil *regni* Canis.

Hinc *Canis* vocabulum a *Canendo* nonnullis derivatum. Varro: *Signum dant, cum* canere *dicuntur, quod hic item & nocticulus in cuſtodia, & venando ſignum voce dat*, Canis *dictus.* Scitè Cicero *Caninii* (cui nomen a *Cane* erat) conſulatum taxans, qui, ſeptem tantum horis dignitate eâ functus, ad reliquos abierat, *mira* (dixit) *fuit* Caninii *Conſulis* vigilantia, *quia toto ſuo conſulatu ſomnum non vidit.* Iterum Naſo:

Varro de linguâ Latin. lib. 4.

Georg. Michael. in Gaffarel. in Præf.

Et Canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat, quæ ſtandi cum lare cauſa fuit?
Servat uterque domum, Domino quoque fidus uterque,
Compita grata Deo, compita grata Cani:
Exagitant & lar, & turba Diana *fures*;
Pervigilantque Lares, pervigilantque Canes.

Ovid. Faſt. lib. 5.

Saubert. de Sacrif. Veter. cap. 14. p. 337.

Βλέπε κύνα dixerunt *Antiqui*; qui titulus fuit Satyræ cuidam apud *Varronem* inſcriptus, tractus *a Canibus*, ædium cuſtodibus, quibus catenâ revinctis, prope januam locus aſſignabatur, appoſito programmate, ne quis temere accedens noxam in ſe traheret, *Cave Canem.* Alii ex metu *Canum* rabioſorum vel acrium & mordacium natum id putant. Vulcani etiam Templo *Canis* adſtabat, quod derivatum quidam volunt a Calebo (quæ vox *Canem* notat) Terram Chananæam, cum aliis ſollicitè & vigilanter luſtrante. Neque obſtat his, quod Dei Spiritus miniſtros non *vigilantes* ſed ſomnolentos *canibus* aſſimilet, Eſ. 56. 10. *Speculatores ejus cæci, omnes neſciunt, omnes* Canes muti, *neſciunt latrare*: haud enim de omnibus *Canibus* ſermo ibi eſt, ſed de *mutis* tantum, id eſt, talibus, qui aliis ſtupidiores ſunt, vel ex accidenti ſomnolentiæ quendam παροξυσμὸν patiuntur. Ut venaticus ille *Canis* apud Plutarchum, *qui muros occupantium ſtrepitus non ſenſerat, ſive quod natura hebes eſſe, ſive interdiu defatigatus.* Ut & cum Canibus *latrare neſcius* idem mi-

Rhodigin. Lect. lib. 17. cap. 28.

Turneb. Adverſ. lib. 15. c. 4.

Plutarch. Arato.

Digitized by Google

miniſtri comparantur, quum *Canibus* alias latratu nihil familiarius nihil naturalius ſit. Exaggerat Propheta ſpeculatorum ſui temporis tantum ſocordiam & ignaviam, quod ne genuinorum quidem *Canum* vigilantiam exæquarent, ſed eorum e contra ſimiles eſſent, qui a naturali ſuâ ſollicitudine & curâ receſſerant. Vel etiam hinc forte Eſaiæ Paſtores *Canes muti* dicti, quod *tacendo* magis nocerent, quam *loquendo*; quoniam certius plerumque ab iis periculum imminere ſolet, qui quæ intra ſe coquunt conſilia, ſilentio involvunt. Sic *Bactrianorum* (teſte Curtio) verbum fuit, *Canem timidum vehe-* *Curt. lib. 7.* *mentius latrare, quam mordere, altiſſima quaque flumina minimo ſono labi.* Quod *Gallis* in parœmiam abiit: *Cave tibi a Cane muto & ab aquâ ſilente.* Oecumenius τὸ λαθροδήκτην dixit. Et certè non dormiunt *Gothofred. in Proverb. num. 29.* *Canes* ſiç *muti*, ſed e contra, ſomnum quaſi ſimulantes, pernicioſiſſime fere advigilant. De *Falſis Doctoribus* Epiſtola ad Epheſ. quæ nomen fert *Ignatii.* Οὓς δεῖ ὑμᾶς, ὡς θηρία ἐκκλίνειν; εἰσὶ γὰρ κύνες ἐνεοὶ, οὐ δυνάμενοι ὑλακτεῖν, λυσσῶντες, λαθροδῆκται. *Quos oportet vos, tanquam feras, declinare: ſunt enim canes muti, non valentes latrare, qui* clanculum *mordent.* Non vigilabant, fateor, etiam *Canes*, cum Galli olim *Capitolium* adſcendiſſent. At ſingulare exemplum id fuit, quod (ut notum eſt) regulam non facit.

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Ipſe *Livius*, narrationis hujus alias author, Canes *ſollicitum anima-* *Liv. lib. 5.* *lium* genus indigitavit. *Tanto ſilentio* (inquit) *in ſummum evaſère, ut non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne* Canes *quidem* ſollicitum animal *ad nocturnos ſtrepitus excitarent.*

IV. Et quam non *ſagax* ac prudens animal eſt *Canis*! Demonſtra- *Camerar.* vit id integro pene capite *Camerarius* in *Horis* ſuis *ſubſicivis*, quò *Le-* *Tract. cit.* *ctorem* remitto. Poſt ipſum teſtatur de *Cane* quodam in ſuâ viciniâ *Cent. 1. cap. 24.* *Manlius*, quod juxta ſacellum aliquod excubans, omnes, qui prætéribant, peregrinos cum rabie quaſi allatrârit, pepercerit vero *Manl.* oppidanis omnibus; imo attingi & contrectari ſe ab iiſdem paſſus *Collect.* ſit. Cum urbs etiam *Rhodiana* a *Turcis* occuparetur, continuo *Canes* *Tom. 1. pag. 67.* in *Turcas* irruebant, quinimo multos eorum, quorum compotes fieri poterant, dilaniabant, *Chriſtianis* e contra ſingulis, etiam maxime ignotis, humaniſſimè abblandientes. *Canes* Vulcani Templo appoſiti hominibus *piis* & integris etiam abblandiebantur, ferocientes & irruentes in eos, qui *improbi* eſſent. Simile de *Canibus*, Deo *Adrano* (quem tota Sicilia maxime olim venerabatur) ſacris, narrat *Ælianus*: Canes (inquit) *ei dæmoni ſacri fuere non pauciores, quam*

Ælian. Hiſt. Animal. lib. 2. cap. 20.

mille, qui quaſi ſecretam a Numine vim acceperint, cum indigenas & peregrinos, Templum de die ingredientes, blandè excipiant, noctuque etiam ebrios & titubantes, tanquam viæ duces & comites, ſuam quemque domum deducant; in protervos vero & petulantes acerbè inſiliant, veſtes eorum lacerent, quin & fures & prodones crudeliſſime diſcerpant. Cum

Baſilii Hexaëmer. p. 16.

„ quidam (verba ſunt Plutarchi) Templum Æſculapii intraſ-
„ ſet, argenteorum & aureorum donariorum, quæ mediocris
„ eſſent ponderis, ſummam arripuit, cumque iis abiit, feſel-
„ liſſe ſe putans. At quid fit? cuſtos *Canis*, nomine *Capparus*, cum
„ nemo ædituorum latrantem audiret, fugientem Sacrilegum
„ inſecutus eſt, & initio quidem ſaxis petitus, non abſtitit. Lu-
„ ce autem factâ, eminus eum ſecutus eſt tanto ſpatio, ut vi-
„ dere ſemper hominem poſſet, eum obſervans; cibum ab eo
„ projectum reſpuit, juxta dormientem excubavit, rurſus ſur-
„ gentem ſubſecutus eſt, obviis viatoribus abblandiens, illum
„ allatravit atque urſit. Hæc cum ii, qui ſacrilegum perſequeban-
„ tur, ex occurrentibus audiviſſent, ſimul colorem & magni-
„ tudinem *Canis* exponentibus, alacrius perrexerunt; depre-
„ henſumque ſacrilegum a Cromyone reduxerunt, *Cane* in re-
„ vertendo præeunte, lætitiâque exultante, ut qui ſibi capti
„ ſacrilegi laudem vindicaret.

Geſner. de quadrup. lib. 1. p. 171.

Plutarch. in 7. Sapient. conviv.

Huic geminum eſt, quod de Heſiodi *Cane* idem Plutarchus narrat: *Refert* (inquit) *Solon*, Heſiodum *apud Locros ſuper imminutâ hoſpitis filiæ pudicitiâ immerito ſuſpectum, a puellæ fratribus ex inſidiis trucidatum fuiſſe, ejuſque cadaver in mare dejectum, a Delphinorum grege ad Rhium & Molycriam deportatum, a Locris (qui tunc forte apud Rhium conventum ſolemnem agebant)* Heſiodi *recens interfecti cadaver agnitum, illos protinus (hominis gloriâ permotis) cædis auctores (*Cumenum *& Antiphum, Garyctoris Naupactii filios, ab* Heſiodi Cane *proditos) inveſtigaſſe; inventos in mare vivos præcipitaſſe, eorumque domos diruiſſe;* Heſiodum *autem ad Nemeſum ſepultum eſſe.* Ingens certe bruti animalis ſolertia! At hac major adhuc eſt, quam ex eodem *Plutarcho* alii referunt: *Canis*, inquiunt, *fuit, qui amphoræ oleariæ inſidiabatur, & cum parum plena non pertingeret, lapillos paulatim injecit, donec oleum adſurgeret, & ad os redundaret, ſic ut lambere linguâ poſſet.* Addit Lipſius: *Scio fuiſſe* Canem *cujus generis Mopſulum meum vidistis: atque is apud Principem virum agebat* (puto ipſum deſignare Guilielmum I. Auraſionenſium Principem) *qui bellum tunc & in Belgica noſtra caſtra habebat; ea adorti noctu animoſe IV. millia Hiſpanorum, certi & deſtinati,*

Lipſ. Ep. Centur. 1. ad Belg. pag. m. 46. 47. 48.

ſtinati, recta ad principis illius tentorium ire, & vivo eo an mortuo potiri. Et abſque hoc erat, feciſſent. Nam veniunt, fallunt vigiles aut opprimunt, nec longule ab ipſo jam tentorio, cum ille ſagax in vultum dormientis inſilit: ſcalpit pedibus, & excitat, qui, audito demum ſtrepitu, ægre ſe e manibus propinquantium eripuit. Dixi, putare me in *Principem Auriacum* digitum hiſce verbis intendiſſe *Lipſium*, neque ratio deeſt conjecturæ, cum in hunc uſque diem θάφος Laudatiſſimi Principis *Canem* hujuſmodi, pedibus ejus incubantem, repræſentet, de quo plane idem referunt. Hiſtoriam habet Strada: *Ea cauſa* (dicit) *nonnullis Hiſpanorum, ut erant albo præcipue integumento conſpicui, facilius interemptis. Quorum aliquos ſeorſim a ſociis auſos in tentorium uſque progredi Principis Orangii, ipſe a* Catellâ, *quæ eodem lecto cubabat, contentius adlatrante, unguibuſque faciem Heri vellicante expergefactus, accurſu militum oppreſſit.* De *vulpium* itaque induſtriâ aliqui, de *ſimiarum* ſagacitate alii crepent & clamitent; *Canes* certe ſunt, qui nullo non acumine & ſolertiâ palmam iis omnibus præripiunt. *Canes* ſunt, quibus vix altera vice quid præceperis, quod non firmiter hæreat; qui, teſtante *Plinio*, ſoli nomina ſua, ſoli vocem domeſticam agnoſcunt; qui itinera, utut longinqua, exacte meminerunt, currus trahere, pecuniam ad macellum, carnem e macello domum portare venuſte poſſunt; quinimo varia argumenta perſonaſque in ſcenâ nonnunquam repræſentarunt; ne quidem humanæ (ſi fides Hiſtoriis) loquelæ quandoque expertes. Ita Alexander ab Alexandro: *Quo tempore* Tarquinius *regno pulſus fuit, ſatis conſtat imminens exitium* canem locutum *fuiſſe.* Et iterum Plutarchus: *Cimon Athenienſis, cum contra* Cyprios *aut Ægyptios pararet milites, & jam in littore Maris conſtitiſſent copiæ, horrenda illi ſpecies oblata eſt: vidit enim* Canem *quendam laceſſitum latrare, & inter latrandum* verâ humana voce *uti.* Neque ſimplex hæc tantum ſolertia eorum fuit, ſed leonina ſæpe fortitudine ornata & armata; quare in Bellis præliiſque adhibiti etiam ſunt. *Colophonii* & *Cabaſthalenſes Canum* habuêre cohortes, quæ primæ in acie dimicabant, nunquamque pugnam detrectabant. *Henricus* VIII. Angliæ Rex, *Carolo* V. Imperatori contra Galliæ Regem, cum quadringentis militibus, totidem *Canes* in auxilium miſit.

Strad. de Bell. Belgic. lib. 7. ad Annum. 1572.

Aldrovand. de Quadrup. lib. 3. c. 1.

Ionſt. Thaumatograph. pag. 301.

Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. cap. 15.

Sext. Empiric lib. 1. Pyrrhon. Hypoth. cap. 24.

Solin. cap 20.

Camerat. l. cit.

Clauſtriſque profuſi
Caſpiadæ, queis turba Canum *non ſegnius acres*
Exſilit ad lunos, pugnaſque capeſcit heriles.

Valer. Flacc. Caſpius.

juraverit? Canum *Vigilantia.* Ciceronis *argutè dictum.* Βλέπε κύνα *quid? Locus Eſ.* 56. 10. *explicatus & vindicatus. Canum* Sagacitas. *Guiljelmi I. Auraſionenſium Principis* Canis. *Canes, juxta nonnullos*, humanâ voce *locuti. Canes* Capugnaces. Συμπάθεια *Canum. Mirus nonnullorum in* Canes *affectus. Canes* Melitæi *qui? Locus Matt.* 15. 27. *elucidatus. Mollitiei circa* Equos & Canes *incommoda.* Actæonis *fabula quomodo intelligenda?* Canis Pretium *quid? Eruditorum ſuper eo diſſenſus.* Junii & Piſcatoris παρερμηνεία *expenſa & rejecta. Locus Apoc.* 22. 15. *explicatus. Vox* πόρνος *quid? Ratio* generalior, *ob quam* Canis Pretium *a Sanctuario relegatum?* Ceremonialium & poſitivarum *Legum origo quæ?* Muiſii *modeſtia laudata. Rationes repudiati* Canis *pretii* ſpecialiores. Canis *animal ex Lege* immundum. *Item* vile & *contemptum.* Caput Canis. *Loco 2 Sam* 3. 8. *lux addita. Chriſtiani Turcis* Canes *dicti.* Ferre Canem *quid? Memorabile* κυνοφορίας *exemplum. Animal* obſcænum & *impudens* Canis. Κυνὸς ὄμματα ἔχειν *quid? Atri vel* prægnantis Canis *occurſus cur olim ominoſus?* Cynici *Philoſophi cur a* Cane *denominati?* Empiricus & *alius quidam* Vir Doctus *notati.* Turrelupini & Begnini *Hæretici qui? Cur* Cynici *dicti?* Plinius *notatus.* Impura *apud ipſos Paganos a Sacris remota. Animal* ingratum *quin* Ingrati *hominis emblema* Canis. Canes *DIS Gentium oblati.* Κάρχον θῦμα *quid?* Saubertus & Aldrovandus *ad partes vocati.* Canibus *ut Diis ſacrificatum.* Anubis *cur* Canino *capite pictus? An ipſe fuerit* Moſes? *Cur* latrator & deriſor *dictus? Quales res Deus Populo ſuo tum præceptas tum prohibitas maxime voluerit?* Marshami & Spenceri *errores notati. Principalis rituum* Moſaicorum *finis quis?* Canes *a quibusdam etiam Gentibus* ſacris *excluſi. Ex parte quoque ab ipſis Ægyptiis.* Alexander *ab* Alexandro *notatus.* Feles *unde* Gattæ *vel* Cattæ *dicti? Cur ab* Ægyptiis *culti? Rationum repudiati a Sacris* Canis Pretii *ſumma. Objectio diſcuſſa. Num* Canibus *ex Lege hac* contemtibilitas *primum adhæ-*

ſe-

ſerit? Lex Ceremonialis *quouſque & quamdiu obligarit? Bona* injuſtè *parta an & quomodo a pauperibus recipienda? Locus Eſai.* 23. 18. *illuminatus.* Merces meretricia *quid?* Meritorius *Puer*, קָדֵשׁ, κίναιδος *quid? Nomenclaturæ ejus ratio Locus Job.* 36. 14. *illuſtratus.* Meritorii *ut multis Gentibus uſurpati, ita quibusdam tamen inviſi.* Pederaſtiæ *averſabilis fœditas.* Plato & Anton. Matthæus *pulſati. Matrimonium non tantum ad generationem, ſed in* incontinentiæ remedium, *etiam inſtitutum* Pœdicones *cur* Feles *dicti? An ſola* mulier gravida *coitum admittat, an alia etiam animantia?* Zenobiæ, Ethelridæ, *Anglorum* Reginæ, Eduardi Confeſſoris *prætenſa* caſtitas *exploſa.* Pęderaſtię *atrocitas unde derivanda?* Meretorii *cur Populo Dei eliminati?* Sodomiæ *flagitium a Pontificiis quibusdam toleratum, palliatum, celebratum.* Joh. de la Caſa *Sodomiæ encomium deteſtabile. Qui multis nihilominus dignitatibus a ſuis cumulatus. De* Arte meretriciâ utriusque Veneris *Dialogus abominabilis.* Henrici Cornelii Agrippæ *de eo judicium.* Initiati impuræ *libidini quinam? Locus Hoſ.* 4. 14. *illuſtratus.* Τελεσμένοι *apud Græcos qui? Quid* Spintriæ *apud Romanos?* Franciſci Pici *gravis querela.* Corinthiaca *puellarum proſtitutio quæ?* Non cuivis homini contingit adire Corinthum *unde?* Alexandri VI. *urbiſque* Romæ *pæderaſtia a* Sannazario & Joh. Baptiſta Mantuano *perſtricta. Nobile a* Sixto IV. *lupanar Romæ erectum.* Pontificum Romanorum *e commercio* meretricio *quæſtus. Eccleſiæ Romanæ, ac inprimis* Clericorum, *laſciva facies. Veterum Germanorum* rythmus *eo pertinens.* Beza *contra Pontificiorum calumnias,* pæderaſtiam *ipſi impingentium, defenſus.* Lactantii *acerrima in* Sodomitas *invectiva. Votum* Autoris.

I. DE *Canum* naturâ non eſt, quod multis agamus; neque enim fori Theologici id proprie eſt: relinquimus tractationem illam Phyſicis aliiſve, qui ex profeſſo *Hiſtorias Animalium* exararunt. Animus nihilominus eſt, pauca de iis delibare; ut pateſcere evidentius poſſit, quid fuerit *Canis pretium*, de quo Mo-

Moſes loquitur Deuterom. 23. 18. & cur adeo exoſum Deo id fuerit in V. Teſtamento. Verba ſunt: *Non inferes mercedem meretricis aut* pretium canis *in domum Dei tui in quocunque voto.* Sunt, qui לֹא תָבִיא vertunt per *non offeres*; ſed res eodem redit.

II. Brutorum genus *Canes* ſunt multis dotibus inſigne: eſt quippe φιλανθρωπώτατον; vix enim invenias animal in homines pronius, vix hominibus fidelius. *Omne genus aliud* (inquit Lipſius) *efferatur & ſylvas ac ſolitudinem tolerat aut quærit, ſolum iſtud homini adhæret, atque adeo cum eo vivit, ut abſque eo non vivat.* Facit huc quod de *Pyrrho* narrat Plutarchus: Invenit is in itinere *Canem*, qui per integrum triduum domini ſui interfecti cadaver cuſtodiverat, & interim famem tulerat; poſteaque in luſtratione Exercitus authorem cædis mordicus apprehendit, qui tormentis ſubjectus, cædem confeſſus eſt. De *Cane*, qui ſuo tempore vixit Lutetiæ Pariſiorum, refert Bochartus, ipſum Domini ſui, in S. Innocentii cæmiterio ſepulti, tumulo fere per triennium incubuiſſe, neque ullis inde blanditiis abduci potuiſſe; quin a nonnullis vi abſtractum, & ad aliam urbis partem tranſlatum, ibique aliquandiu detentum, quam primum ſui juris fuit, priſtinam ſtationem repetiiſſe, domini cadaveri, ut videbatur, tandem immoriturum, niſi vis major obſtitiſſet. *Reſque* (addit) *anno, quò hæc ſcribo, Æra ſcil Chriſtianæ* 1660. *ideo viſa eſt mirabilior, quod in illo cæmiterio per hiemales menſes nix fuit altiſſima & frigus intenſiſſimum.* Neque abludit quod de *Cane* domeſtico *Davidis Paræi* narrat *Philippus Paræus*, magni Patris non degener filius. *Hic* enim *Mulo*, (inquit, id enim nominis ei dederat Georgius Paræus) *Herum ſuum defunctum manifeſto luctu mox proſecutus eſt, adeo ut, qui per plures annos fidus Paræanus* Φύλαξ *fuit, ipſe feretro arcte accubuerit, donec publicis exequiis efferendum eſſet, ſub cujus ſarcophago, cum omnium admiratione, lento gradu mæſtoque vultu inceſſit ad ipſum uſque ſepulturæ locum, in ſacello Theologorum Templi Petrini; neque inde receſſit, donec Herum ſuum plane humatum ac terræ conditum cerneret.* Ipſi venatici *Canes*, alias ferociores, talem erga *Florentium* V. *Hollandiæ Comitem* exercuêre pietatem, ut fidem ſuperare videatur, quod Annales de iis habent. Comite enim inter venandum plus viginti vulneribus confoſſo, *Canes* teſtes aderant, mæſtique eum cuſtodiebant. Poſtea, amicis corpus urgentibus, ut *Alcmariam* id deferrent,

Lipſ. Epiſt. ad Belgas Cent. I. Eph. 43.

Plutarch. in Pyrrho.

Bochart. Hierozoic. part. I. cap. 56.

Philipp. Paræus de Vit. & Obit. David. Paræi.

Camerar. Horar. ſubſeciv. Cent. I. pag. mi. 124.

Digitized by Google

rent, in eandem conſcendebant navem, ab omni cibo potuque mordicus alieni; funus, in Templum illatum, proni venerabantur, ibique aſſiduo deſiderio Domini ſui, donec vi abſtraherentur, ægrè vitam ſuſtinebant. Quin *Canes* fuêrunt, qui charitate dominorum, in flammas ſeſe injecerunt, vivique conſumpti ſunt. Sic *Hieronis*, *Lyſimachi*, *Poli tragedi*, *Mantoris*, *Eupolidis Poëta* Canes, de quibus multis *Plinius*, *Solinus*, *Ælianus*, aliique. Adeo ut mirum non ſit, *Maſſaniſam*, Numidiæ Regem, eo quod parum fidei in *humanis* plus in *caninis* pectoribus poneret, ſalutem ſuam *canum* cuſtodiâ vallaviſſe. Scio, miranda etiam eſſe, quæ de *Equorum* fidelitate probati Autores narrant: adſcribit eis *Plinius*, quod amiſſos Dominos ſuos luxerint, alii quod deſiderio eorum ipſas lachrymâs fuderint. Virgilius:

Tiraquell. Not. in Alex. ab Alexand. pag. 230.

Ælian. Hiſt. Animal. lib. 7. cap. 40.

Plin. lib. 8. cap. 42.

Virgil. in Pallant. Funer.

> *Poſitis inſignibus Æthon*
> *It* lachrymans, *guttiſque humectat grandibus ora.*

Et in Bucolicis:

> *nulla neque undam*
> Libavit *quadrupes, nec graminis attigit herbam.*

De Julii *Equis* Suetonius: *Proximis diebus* (inquit) equorum *greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos ſine cuſtode dimiſerat, comperiit pertinaciſſime pabulo abſtinere, ubertimque flere.* Præſagos forte parricidalium enſium, Domini ſui capiti jamjam imminentium, horumque doloroſo quaſi ſenſu perturbatos. Idem de *Aſturcone* ſuo narrat Cardanus. At quot numeris eos non ſuperant *Canes* noſtri, ut ex dictis liquet? Nunquam ſe *Equi* dominorum ſuorum amore ipſis flammis conſecrarunt; ne de pluribus aliis fidelitatis ſpeciminibus dicam, quibus neque equi, neque boves, neque vulpes, imò ne ipſi quidem Elephantes paria iiscum unquam fecerunt. Atque ob hanc ipſam forte φιλανθρωπίαν Græci *Canem* κύνα dixerunt quod *amaſium* ſignificat, qui blanditiis demulcere amicam ſolet, nec facile ſe divelli ab eâ ſinit. Eſt enim, quod *Canes*, etiamſi cædantur aliquando a dominis ſuis, tamen non diſcedant, quin potius ad illorum pedes advoluti, flebilibus eos oculis contueantur, quaſi pœnam, cum culpæ agnitione, deprecantes. Et cur *Socratem* jurare nunquam voluiſſe, niſi per *Canem*, putes; vix probabilior ejus ratio dari poteſt, quam quod beſtiâ illâ nihil fidelitate excellentius, nihil charitate in Dominos ſuos tenacius eſſe, arbitratus ſit.

Sueton. in Julio. cap. 81.

Jonſton. Thaumatograph. pag. 306.

Scalig. adverſ. Cardan. Exercit. 202.

Auguſtin de Ver. Relig. cap. 2.

III. Ne-

III. Neque minus *Vigilantiæ* nomine illuſtres ſunt *Canes.* Ita Ovidius:

Ovid. Faſtor. lib. 4.

Jam vigiles *conticuêre Canes.*

Et Horatius:

Horat. lib. 3. Od. 16.

Incluſam Danaën turris ahenea
Robuſtaque fores, & vigiles Canum
Triſtes excubiæ *munierant ſatis.*

Nec non Seneca:

Senec. Herc. furent. 9. 39.

Cuſtos opaca pervigil *regni* Canis.

Hinc *Canis* vocabulum a *Canendo* nonnullis derivatum. Varro: *Signum dant, cum* canere *dicuntur, quod hic item & nocticulus in cuſtodia, & venando ſignum voce dat*, Canis *dictus.* Scitè Cicero *Caninii* (cui nomen a *Cane* erat) conſulatum taxans, qui, ſeptem tantum horis dignitate eâ functus, ad reliquos abierat, *mira* (dixit) *fuit* Caninii *Conſulis* vigilantia, *quia toto ſuo conſulatu ſomnum non vidit.* Iterum Naſo:

Varro de linguâ Latin. lib. 4.

Georg. Michael. in Gaffarel. in Præf.

Et Canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat, quæ ſtandi cum lare cauſa fuit?
Servat uterque domum, Domino quoque fidus uterque,
Compita grata Deo, compita grata Cani:
Exagitant & lar, & turba Diania *fures;*
Pervigilantque Lares, pervigilantque Canes.

Ovid. Faſt. lib. 5. Saubert. de Sacrif. Veter. cap. 14. p. 337.

Βλέπε κύνα dixerunt *Antiqui*; qui titulus fuit Satyræ cuidam apud *Varronem* inſcriptus, tractus *a Canibus*, ædium cuſtodibus, quibus catenâ revinctis, prope januam locus aſſignabatur, appoſito programmate, ne quis temere accedens noxam in ſe traheret, *Cave Canem.* Alii ex metu *Canum* rabioſorum vel acrium & mordacium natum id putant. Vulcani etiam Templo *Canis* adſtabat, quod derivatum quidam volunt a Calebo (quæ vox *Canem* notat) Terram Chananæam, cum aliis ſollicitè & vigilanter luſtrante. Neque obſtat his, quod Dei Spiritus miniſtros non *vigilantes* ſed ſomnolentos *canibus* aſſimilet, Eſ. 56. 10. *Speculatores ejus cæci, omnes neſciunt, omnes* Canes muti, *neſciunt latrare*: haud enim de omnibus *Canibus* ſermo ibi eſt, ſed de *mutis* tantum, id eſt, talibus, qui aliis ſtupidiores ſunt, vel ex accidenti ſomnolentiæ quendam παροξυσμὸν patiuntur. Ut venaticus ille *Canis* apud Plutarchum, *qui muros occupantium ſtrepitus non ſenſerat, ſive quod natura hebes eſſe, ſive interdiu defatigatus.* Ut & cum Canibus *latrare neſciis* idem mi-

Rhodigin. Lect. lib. 17. cap. 28.

Turneb. Adverſ. lib. 15. c. 4.

Plutarch. Arato.

miniſtri comparantur, quum *Canibus* alias latratu nihil familiarius nihil naturalius ſit. Exaggerat Propheta ſpeculatorum ſui temporis tantum ſocordiam & ignaviam, quod ne genuinorum quidem *Canum* vigilantiam exæquarent, ſed eorum e contra ſimiles eſſent, qui a naturali ſuâ ſollicitudine & curâ receſſerant. Vel etiam hinc forte Eſaiæ Paſtores *Canes muti* dicti, quod *tacendo* magis nocerent, quam *loquendo*; quoniam certius plerumque ab iis periculum imminere ſolet, qui quæ intra ſe coquunt conſilia, ſilentio involvunt. Sic *Bactrianorum* (teſte Curtio) verbum fuit, *Canem timidum vehementius latrare, quam mordere, altiſsima quaque flumina minimo ſono labi*. Quod *Gallus* in parœmiam abiit: *Cave tibi a Cane muto & ab aquâ ſilente.* Oecumenius τὸ λαθροδήκτην dixit. Et certè non dormiunt *Canes* ſic *muti*, ſed e contra, ſomnum quaſi ſimulantes, pernicioſiſſime fere advigilant. De *Falſis Doctoribus* Epiſtola ad Epheſ. quæ nomen fert *Ignatii*. Οὓς δεῖ ὑμᾶς, ὡς θηρία ἐκκλίνειν; εἰσὶ γὰρ κύνες ἐνεοὶ, οὐ δυνάμενοι ὑλακτεῖν, λυσσῶντες, λαθροδῆκται *Quos oportet vos, tanquam feras, declinare: ſunt enim canes muti, non valentes latrare, qui* clanculum *mordent.* Non vigilabant, fateor, etiam *Canes*, cum Galli olim *Capitolium* adſcendiſſent. At ſingulare exemplum id fuit, quod (ut notum eſt) regulam non facit.

Curt. lib. 7.

Gothofred. in Proverb. num. 29.

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Ipſe *Livius*, narrationis hujus alias author, Canes *ſollicitum animalium* genus indigitavit. *Tanto ſilentio* (inquit) *in ſummum evaſère, ut non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne* Canes *quidem* ſollicitum animal *ad nocturnos ſtrepitus excitarent.*

Liv. lib. 5.

IV. Et quam non *ſagax* ac prudens animal eſt *Canis*! Demonſtravit id integro pene capite *Camerarius* in *Horis* ſuis *ſubſicivis*, quò *Lectorem* remitto. Poſt ipſum teſtatur de *Cane* quodam in ſuâ viciniâ, *Manlius*, quod juxta ſacellum aliquod excubans, omnes, qui prætenbant, peregrinos cum rabie quaſi allatrârit, pepercerit vero oppidanis omnibus; imo attingi & contrectari ſe ab iisdem paſſus ſit. Cum urbs etiam *Rhodiana* a *Turcis* occuparetur, continuo *Canes* in *Turcas* irruebant, quinimo multos eorum, quorum compotes fieri poterant, dilaniabant, *Chriſtianis* e contra ſingulis, etiam maxime ignotis, humaniſſimè abblandientes. *Canes* Vulcani Templo appoſiti hominibus *piis* & integris etiam abblandiebantur, ferocientes & irruentes in eos, qui *improbi* eſſent. Simile de *Canibus*, Deo *Adrano* (quem tota Sicilia maxime olim venerabatur) ſacris, narrat *Ælianus*: Canes (inquit) *ei dæmoni ſacri fuere non pauciores, quam*

Camerar. Tract. cit. Cent. 1. cap. 24.

Manl. Collect. Tom. 1. pag. 67.

Ælian. Hiſt. Animal. lib. 2. cap. 20. *mille, qui quaſi ſecretam a Numine vim acceperint, cum indigenas & peregrinos, Templum de die ingredientes, blandè excipiant, noctuque etiam ebrios & titubantes, tanquam via duces & comites, ſuam quemque domum deducant; in protervos vero & petulantes acerbè inſiliant, veſtes eorum lacerent, quin & fures & prodones crudeliſſime diſcerpant.* Cum *Baſilii Hexaëmer. p. 16.* „ quidam (verba ſunt Plutarchi) Templum Æſculapii intraſ„ ſet, argenteorum & aureorum donariorum, quæ mediocris „ eſſent ponderis, ſummam arripuit, cumque iis abiit, fefel„ liſſe ſe putans. At quid fit? cuſtos *Canis*, nomine *Capparus*, cum *Geſner. de quadrup. lib. 1. p. 171.* „ nemo æditụorum latrantem audiret, fugientem Sacrilegum „ inſecutus eſt, & initio quidem ſaxis petitus, non abſtitit. Lu„ ce autem factâ, eminus eum ſecutus eſt tanto ſpatio, ut vi„ dere ſemper hominem poſſet, eum obſervans; cibum ab eo „ projectum reſpuit, juxta dormientem excubavit, rurſus ſur„ gentem ſubſecutus eſt, obviis viatoribus abblandiens, illum *Plutarch. in 7. Sapient. conviv.* „ allatravit atque urſit. Hæc cum ii, qui ſacrilegum perſequeban„ tur, ex occurrentibus audiviſſent, ſimul colorem & magni„ tudinem *Canis* exponentibus, alacrius perrexerunt; depre„ henſumque ſacrilegum a Cromyone reduxerunt, *Cane* in re„ vertendo præeunte, lætitiâque exultante, ut qui ſibi capti „ ſacrilegi laudem vindicaret. Huic geminum eſt, quod de Heſiodi *Cane* idem Plutarchus narrat: *Refert* (inquit) *Solon*, Heſiodum *apud Locros ſuper imminutâ hoſpitis filiæ pudicitiâ immerito ſuſpectum, a puellæ fratribus ex inſidiis trucidatum fuiſſe, ejuſque cadaver in mare dejectum, a Delphinorum grege ad Rhium & Molycriam deportatum, a Locris (qui tunc forte apud Rhium conventum ſolemnem agebant)* Heſiodi *recens interfecti cadaver agnitum, illos protinus (hominis gloriâ permotos) cædis auctores (Ctimenum & Antiphum, Garyctoris Naupactii filios, ab* Heſiodi *Cane proditos) inveſtigaſſe; inventos in mare vivos præcipitaſſe, eorumque domos diruiſſe;* Heſiodum *autem ad Nemejum ſepultum eſſe.* Ingens certe bruti animalis ſolertia! At hac major adhuc eſt, quam ex eodem *Plutarcho* alii referunt: *Canis*, inquiunt, *fuit, qui amphoræ aleariæ inſidiabatur, & cum parum plena non pertingeret, lapillos paulatim injecit, donec oleum adſurgeret, & ad os redundaret, ſic ut lambere linguâ poſſet.* Addit Lipſius: *Scio fuiſſe* Canem *cujus generis Mopſulum meum videtis: atque is apud Principem virum agebat* (puto ipſum deſignare Guilielmum I. Auraſionenſium Principem) *qui bellum tunc & in Belgica noſtra caſtra habebat; ea adorti noctu animoſe* IV. *millia Hiſpanorum, certi & de-*

Lipſ. Ep. Centur. 1. ad Belg. pag. m. 46. 47. 48.

ſtinati,

ſtinati, recta ad principis illius tentorium ire, & vivo eo an mortuo potiri. Et abſque hoc erat, feciſſent. Nam veniunt, fallunt vigiles aut opprimunt, nec longule ab ipſo jam tentorio, cum ille ſagax in vultum dormientis inſilit: ſcalpit pedibus, & excitat, qui, audito demum ſtrepitu, ægre ſe e manibus propinquantium eripuit. Dixi, putare me in *Principem Auriacum* digitum hiſce verbis intendiſſe *Lipſium*, neque ratio deeſt conjecturæ, cum in hunc uſque diem θάφος Laudatiſſimi Principis *Canem* hujuſmodi, pedibus ejus incubantem, repræſentet, de quo plane idem referunt. Hiſtoriam habet Strada: *Ea cauſa* (dicit) *nonnullis Hiſpanorum, ut erant albo præcipue integumento conſpicui, facilius interemptis. Quorum aliquos ſeorſim a ſociis auſos in tentorium uſque progredi Principis Orangii, ipſe a* Catellâ, *quæ eodem lecto cubabat, contentius adlatrante, unguibuſque faciem Heri vellicante expergefactus, accurſu militum oppreſſit.*

Strad. de Bell. Belgic. lib. 7. ad Annum. 1572.

De *vulpium* itaque induſtriâ aliqui, de *ſimiarum* ſagacitate alii crepent & clamitent; *Canes* certe ſunt, qui nullo non acumine & ſolertiâ palmam iis omnibus præripiunt. *Canes* ſunt, quibus vix altera vice quid præceperis, quod non firmiter hæreat; qui, teſtante *Plinio*, ſoli nomina ſua, ſoli vocem domeſticam agnoſcunt; qui itinera, utut longinqua, exacte meminerunt, currus trahere, pecuniam ad macellum, carnem e macello domum portare venuſte poſſunt; quinimo varia argumenta perſonaſque in ſcenâ nonnunquam repræſentarunt; ne quidem humanæ (ſi fides Hiſtoriis) loquelæ quandoque expertes. Ita Alexander ab Alexandro: *Quo tempore* Tarquinius *regno pulſus fuit, ſatis conſtat imminens exitium* canem locutum *fuiſſe.* Et iterum Plutarchus: *Cimon Athenienſis, cum contra* Cyprios *aut Ægyptios pararet milites, & jam in littore Maris conſtitiſſent copiæ, horrenda illi ſpecies oblata eſt: vidit enim* Canem *quendam laceſſitum latrare, & inter latrandum* verâ humana voce *uti.* Neque ſimplex hæc tantum ſolertia eorum fuit, ſed leonina ſæpe fortitudine ornata & armata; quare in Bellis præliiſque adhibiti etiam ſunt. *Colophonii* & *Cabaſthalenſes Canum* habuêre cohortes, quæ primæ in acie dimicabant, nunquamque pugnam detrectabant. *Henricus* VIII. Angliæ Rex, *Carolo* V. Imperatori contra Galliæ Regem, cum quadringentis militibus, totidem *Canes* in auxilium miſit.

Aldrovand. de Quadrup. lib. 3. c. 1.

Ionſt. Thaumatograph. pag. 301.

Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. cap. 15.

Sext. Empiric lib. 1. Pyrrhon. Hypoth. cap. 24.

Solin. cap. 20.

Camerat. l. cit.

Clauſtriſque profuſi
Caſpiadæ, queis turba Canum *non ſegnius acres*
Exſilit ad litus, pugnaſque capeſcit heriles.

Valer. Flacc. Caſpiis.

Sic Valerius Flaccus. De iiſdem Olaus Magnus: *His* (loquitur de Perſarum & Muſcovitarũ Equis) Canes *ſaltu & morſu, prout aſſueti, quoad nares inſidiantur, quo evenit, ut illi formidine ſubito ſe in poſteriores pedes erigentes, Equitem abjiciant, illico interimendum vel captivandum.*

Olaus M. lib. 11. 12. V. Tandem egregiâ συμπαθείᾳ conſpicui ſunt Canes, erga eos præſertim, quos coram ſe demiſſos vident; quod erecti non tantum ſed & clementis animi indicium eſt; Prout *Leonum* eſt

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Lipſ. loco cit. Exemplum hujus, ex Oviedo, exhibent *Lipſius* & *Camerarius* non minus facetum, quam memorabile. *Extat* (inquit Camerarius) in Oviedi Indiæ Hiſtoria memorabilis & lepida res, quoniam bene cecidit, talis videlicet: Didaco Salazari Canis quidam erat moloſſus, acer & Barbaris imprimis infeſtus, *Bezerillum* vocabant. Nocte, quæ diem, quo Cacicum Mabodomacum prælio Hiſpani vicerunt, ſecuta eſt, Salazar Canem adverſus anum Indicam, quæ inter captivos erat, emittere conſtituit. Id ut commodius faceret, Epiſtolam tradidit vetulæ, perferendam ad Gubernatorem, qui duobus inde forte miliaribus aberat, ſed eo conſilio, ut ſimulatque a ſuorum conſpectu ablata eſſet, *Canem* in eam ſolveret; & cum læta abiret, ſperans ſe hujus Epiſtolæ beneficio libertatem conſecuturam, vixque inde lapidis jactu abeſſet, Salazar *Canem* emittit; is vetulam facile aſſequitur; miſera anus, ubi moloſſum furibundum recta ad ſe tendere videt, humi reſidens, his eum idiomatis ſui verbis mulcere cœpit: *Domine* Canis, *Domine* Canis, *ego fero iſtas litteras ad Gubernatorem*, obſignatam ei Epiſtolam oſtendens, & addens, *ne ſævias in me*, *Domine* Canis. Hic *Canis*, velut ſupplices illas & adjectas preces ſenſiſſet, protinus mitigato impetu ſubſtitit, &, ſublato altero crure, ut *Canes* ad parietem ſolent, eam perminxit & abiit. Sic ille.

Camerar. cent. 1. Cap. 38.

Ovied. Hiſt. Indic. lib. 16. cap. 1.

VI. Ergo ex dictis manifeſtum eſt, animal eſſe *Canem* vario reſpectu non vulgare, homini multis modis commodum & utile, adeoque laude ſuâ minimè defraudandum. Quare & nunquam non inventi ſunt, qui ſummis quin nimiis in deliciis illud habuerunt. Quidam *ſepulturæ* honore id dignati ſunt. Sic Pollux de *Cane Gargittio*: Καὶ ἔχει μνῆμα ἐν Ἰβηρίᾳ. *Et ſepulchrum habet in Iberia. Adrianus* Imperator (docente *Spartano*) tum huic tum Equis ſuis ſpecialia monumenta ordinavit. Xantippi *Canis* ſepultus eſt, teſte Plutarcho, & ſepulchri ejus locus Κυνοσῆμα, *Cynotaphium* nominatus

Pollux. lib. 5. cap. 5.

Plutarch. in Themiſtocl.

tus. *Poliarchus Athenienſis* eo pervenit luxuriæ, ut tum gallos tum Canes ſuos mortuos, quibus delectatus fuiſſet, efferret publice, amicos ſuos convocaret ad funus, ſplendide eos ſepeliret, columnas denique in eorum erigeret monumentis, quibus epitaphia eorum inſculpi curavit. Hancque in Canes pietatem inter μικρολογίας notas quidam recenſuerunt, ut *Theophraſtus* apud Kirchmannum; Καὶ κυνα ρίου δὲ τελευτήσαντος, αὐτῷ μνῆμα ποιῆσαι, καὶ στηλίδιον ποιήσας ἐπιγράψαι: Κλάδος Μελιταῖος. *Cumque* (inquit) *parvulus aliquis* Canis *fuerit mortuus*, *monumentum ei faciet*, *adſcriptis in columella hiſce verbis*: Soboles Melitenſis. Nam, prout Ovidius olim *Pſittacum*, Lesbia *paſſerem*, ita alii Canes ſuos defleverunt. *Alexander Magnus*, prout (Plutarcho teſte) *Bucephali* ſui obitum *tam graviter tulit*, *ac ſi familiarium aliquem aut amicorum amiſiſſet*, ita *Canis Perita*, cum eum, a ſe educatum, adeoque chariſſimum perdidiſſet, nomen urbi cuidam poſuit. Cynopolitani ob *Canem* mortuum totum corpus radebant, cujus teſtis eſt *Diodorus Siculus* hiſce verbis: Ἀλλὰ μήν γε καὶ καθ' ἣν ἂν οἰκίαν εὑρεθῇ κύων τετελευτηκὼς ξυρῶνται πάντες, οἱ κατ' οἰκίαν ὄντες ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ποιοῦνται πένθος. *Lipſius*, præterquam quod *Saphyro*, *Mopſulo* & *Mopſo* ſuo ſingularia encomia ſcripſerit, de ſe ipſo puero narrat, quod *Genettam*, Patris *Canem*, fœminã jam ægram, *cotidie viſitarit*, *cibos ei obtulerit*, *adſtiterit vel accubuerit*, *imo allachrymaverit*. Etiam Scotis & Pictis *Canis* interceptus calamitoſiſſimi belli cauſa fuit. Quin eo uſque nonnullorum proceſſit mollities, ut plus curæ & beneficentiæ in *Canes* ſuos, quam in homines ſæpe contulerint. Juvenalis,

Morte viri cupiunt animam ſervare catellæ.

Genuæ in Palatio (prout ex Pſammernio narrat *Dietericus*) eoque quidem Principis *de Anria*, in horto ante portam Mediolanum verſus, legitur Epitaphium *Canis*, cui nomen fuit *Roldan*, in cujus alimentum annuum inſumpti quingenti floreni; adhæc ſimul duo in ejus ſervitium conducti fuerunt famuli, qui cotidie in argenteis vaſis, ad eſum paratis, cibum ipſi apportabant. Pari fere modo, ac *Caligula* Equum ſuum, quem *Incitatum* vocabat, olim recepit: hunc ad cænam invitabat, ita ut ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum in poculis aureis, ac per ſalutem ejus & fortunam juraret; ſeque eum conſulem facturum eſſe polliceretur. Reducendi huc etiam κυνίδια Μελιταῖα catel-

Ælian. Var. Hiſtor. lib. 8. cap. 4.

Kirchmann. de funerib. Roman. in Append. cap. 6.

Plutarch. in Alexand. pag. m. 493.

Diodor. lib. 1.

Lipſ. Loco cita. pag. 52.

Buchan. Rer. Scotic. lib. 4.

Dieteric. Antiqq. Biblic. pag. 436. Ed. in fol.

Sim. de Vries Obſerv. Curioſ. part. 2. pag. 104.

Dio in Caligul. §. 3.

Athen. lib. 12.

Epictet. apud Arrian. lib. 1. cap. 22.

catelli melitæi, matronarum noſtratium oblectamenta, quæ haud minus delicate haberi ab ipſis ſolent. *Paulus Æmilius* (teſte Cicerone) contra *Perſem*, Macedoniæ Regem, pugnaturus, filiam ſuam triſticulam vidit & collachrymantem: cui dum Pater, *Quid rei eſt? cur fles filia?* reſpondit illa: Quia *Perſes meus mortuus eſt*. Quod pro omnine habuit Æmilius, de vincendo a ſe *Perſe*: cui eventus etiam reſpondit. At quis *Perſes* hic erat, quem lacrymis ſuis dignata eſt Æmilii filia? *Canis melitæus*, qui in deliciis ipſi fuerat. *Luſorem Catellum* vocat *Juvenalis*:

Cicer. de Divinat. lib. 1.

Juvenal. ſat. 9.

> *Cum matre, & caſulis & cum luſore catello.*

Grot. in Matth. 15. 27.

Spectaſſe huc nonnulli Euangeliſtam etiam volunt, Matth. 15. v. 27. Ubi dicit Cananæa: *Etiam Domine: etenim* Catelli (τὰ κυνάρια) *veſcuntur micis, quæ cadunt e menſâ dominorum ſuorum.* At perperam, quia vox κυναρίων notorie in contemtum ibi adducitur, quaſi *viliſſimos* Canes dixeris, quos inter *catulos melitæos* numerandos eſſe, nemo dicet. Eo etiam nugacis ſuperſtitionis hodiedum procedunt *Muhammedani*, ut, ne propinquorum ſuorum ſuffragiis & ſubſidiis quicquam deſit, *Canibus* ſuis non tantum ſtipem largiri, ſed aſſatas etiam delicatiſſimaſque carnes præbere, in more habeant. Inventi tandem ſunt, qui (quod omnes inſaniæ modos excedit) in *Canum* viſceribus, qui *Sepulchrales* ideo vocabantur, contumulari honorificum habuerunt. *Hyrcanii* eum in finem *publicos* alebant *Canes*, a quibus, poſt mortem ſuam, dilacerari & comedi ſe volebant. Hinc Poëta

Bochart. Hierozoic. part. 2. Cap. 56.

Hoornb. Syllab. Controv. lib. 3. p. 169.

Sil. Ital. de Bello Punic. lib. 13.

> *Regia cum lucem poſuerunt membra probatum eſt*
> *Hyrcanis adhibere* Canes.

At de his ſatis; cum

> *Cætera de genere hoc adeo ſint multa, loquacem ut*
> *Delaſſare queant Fabium.*

Unum tantum addendum: quibuſdam non bene ſatis ceſſiſſe caninum hunc luxum. Sicuti enim *Diomedes*, Thraciæ Rex, qui Equos ſuos humana carne alere ſolitus erat, ipſe tandem *equorum* ſuorum eſca factus eſt, ita nec deſunt, qui dum ſtolidè nimis *Canes* ſuos depereunt, & juſto ſumptuoſius habent, quandoque reculis ſuis parum conſulunt, ſed ſe ipſos fere perdunt & ſuos. Nota eſt *Actæonis* fabula, de qua prolixé Ovidius: hic putat *Actæonem* a Dianâ, eo quod nuda ab ipſo viſa eſſet, in cervum fuiſſe commutatum, ac ſic a propriis ſuis Canibus diſcerptum.

In-

Inſcius Actæon *vidit ſine veſte Dianam*;
Præda ſuis Canibus *non minus ille fuit.*

At alii non Actæonis *corpus*, ſed *facultates* a *Canibus* ejus dilaniatas eſſe exiſtimant. Eſt *Fulgentii* aliquis locus, citatus *Hofmanno*, ubi inquit: *Anaximenes, qui de picturis antiquis diſſeruit, ait lib.* 2. Actæonem *venationem dilexiſſe, qui, cum ad maturam perveniſſet ætatem, conſideratis venationum periculis, id eſt, quaſi nudam artis ſuæ rationem videns, timidus factus eſt: affectum tamen Canum non depoſuit, ſed eos inaniter paſcendo, omnem ſubſtantiam tandem perdidit;* atque hoc ſenſu *a propriis Canibus eſt devoratus.*

Natal. Com. Mytholog. lib. 6. cap. 24.

Hofman. Lexicon. univerſ. part. 2. p. 16.

VII. Quæ cum ita ſint, quam plurimis nempe tam impenſe amatos ac æſtimatos eſſe *Canes*, idque ob inſignes in iis emicantes dotes, non ſine ratione quæſieris, quâ de cauſâ eo uſque tamen inviſum animalium id genus Deo olim fuerit, ut ne quidem ἄλλαγμα ſive *pretium* eorum in Sanctuarium ſuum inferri permiſerit? Sic enim expreſſis verbis cavit ſummus Legiſlator: *Ne inferto mercedem ſcorti aut* pretium Canis *in domum Jehovæ Dei tui, pro ullo voto; nam abominationi Jehovæ Deo tuo ſunt pariter ambo iſta.* Et ſane nodus hic eſt non plane negligendus.

Deut. 23. 18.

VIII. Quem ergo ut rite expediamus, prænotandum eſt, variare admodum circa *Legis* hujus mentem Interpretum ſententias: Sunt qui *improprie*, ſunt qui *proprie* accepta verba volunt. *Priores* in diverſa iterum eunt: quidam per *Canis pretium* intelligendum putant quæſtum qualemcunque ex re inpurâ & turpi redundantem. Ita *Pellicanus*, *Coccejus*, *Freidlibius*; quidam pecuniam, quæ accipitur ab illis, qui locabant *Canes* venaticos & cuſtodes ovium ad impрægnationem canicularum; ſic *Joſephus*; Alii *Canem primogenitum*; ideoque ejus *pretium* Deo offerendum non fuiſſe, quod *immundorum* animalium *primogenita* pariter immunda eſſent; ita *Lyranus* & *Abulenſis*; quidam denique *puerum meritorium*, de quo verſu præcedente locutus erat Moſes; quia cum *ſcorto* conjungitur, & meritorii cum *Cane* impudentiâ & obſcænitate certant. Ita Junius, Piſcator, Muiſius: Pretium Canis, *id eſt* (inquit Piſcator) *puer meritorius. Metaphora: qualis Apoc.* 22. 15. *confirmatur autem hæc expoſitio ex collatione verſus præcedentis; nam ut ibi cum meretrice meritorius, ita hic cum ſcorto* Canis, *tanquam* ὁμογενὲς *quicquam conjungitur. Eſt a. genitivus ſubjecti* pretium Canis, *id eſt, quod datum eſt* Cani pro *nefario concubitu.*

Pellican. in loc.
Freidlib. in loc.
Ioſeph. Antiqq. lib. 4. cap. 8.
Lyra & Abulenſ. in loc.
Piſcat. in loc.
Coccej. Lexicon. p. 376.
Muiſ. Var. in Loc.

IX. Utut vero noſtrum non ſit, cunctas haſce ἑρμηνείας ſigilla-

ſigillatim ad incudem hic revocare, in eorum tamen poſtremam, quæ *Junii*, *Piſcatoris* & *Muſſu* eſt, verbulum videtur annotandum. Vix concipio, quam ob cauſam Viri illi Magni ad locutionem catachreſticam tam ſollicitè hic confugerint; cum a proprio verborum ſenſu, citra evidentem neceſſitatem, non ſit recedendum, quæ certè hic nulla apparet; neque enim quæritur, an ſenſus aliquis metaphoricus verbis hiſce aptari poſſit, ſed an quicquam ſit, quod neceſſarium id faciat, fideique analogia, textus circumſtantiæ, vel alia Scripturæ loca id requirant. Hæc vero cum id non requirant, cur, obſecro, ex prædicto axiomate nativæ vocum ſignificationi non inhæretur? Eo magis, quod, ſi ullibi, in ferendis ſaltem legibus, indubium ſit, Legislatorem Deum tropis & figuris nonneceſſariis uti noluiſſe, ne nempe vis *Legis* præſcriptæ, ſiquæ forſan æquivocatio vel ambiguitas ei ſubſit, luxari elidique quadantenus videatur. Neque ſtringit, quæ obtenditur, ratio; nam quænam conſequentia eſt, verſu *decimo ſeptimo* locutus eſt Moſes de *puero meritorio*, ergo verſu *decimo octavo* iterum de eo loquitur. Imò e contra dixerim, quia verſu præcedente de *meritorio* locutus eſt *Moſes*, ideo hoc præſenti, ne temerè ταυτόλογος ſit, de eo non iterum loquitur. *Si dicant*, loquitur iterum de *ſcorto*, de quo verſu præcedente locutus erat, ergo iterum de *meritorio*. Regero, falſum id eſſe; non loquitur iterum de *ſcorto*, ſed de *ſcorti mercede*, quę ſane idem non ſunt; ſubque *ſcorti* mercede mercedem *meritorii* etiam complectitur, quippe ex conſimili impuritate carnali reſultantem; adeo ut opus non ſit, *Canem* iterum per *meritorium* explicari, *Caniſque pretium* per pretium meritorii. Verſu *decimo ſeptimo* locutus erat Moſes de *perſonis*, quas morari Deus inter Iſraëlitas nolebat; hoc *decimo-octavo* non loquitur de *perſonis* ſed de *rebus*, ſcorti mercede & *Canis Pretio*; neque innuit, quid in Iſraëlis populo *tolerari* vellet Deus, ſed quid in *Sanctuarium* ſuum inferri voluerit, vel non inferri. Denique quid hoc eſt, conjungitur *Canis* cum *ſcorto*, ut antea meritorius cum ſcorto, ergo *Canis* nihil aliud eſt, quam *meritorius*? probetur illa ſequela, & vicerint *Viri* Eruditiſſimi. Verum eſt, Apoc. 22. 15. per *canes* adulteros & ſcortatores, *pueros* etiam *meritorios* ab aliquibus intelligi, ſed neſcio quo fundamento. Specialis enim mentio eodem verſu *ſcortatorum* ſit; at quid tum opus, ut per *Canes* iterum ſcortatores intelligantur? præſertim cum vox πόρνοι, qui per *ſcortatores* vertitur, proprie

Cinæ-

Cinædos ſive meritorios notet. Ita Xenophon: *Τὴν ὥραν ἐάν τίς ἀργυρίου πωλῇ τῷ βουλομένῳ, πόρνον αὐτὸν ἀποκαλοῦσι.* Id eſt, *Qui ætatis florem mercede proſtituerit* hunc *πόρνον appellant.* Quin & *ſcorti* vox *meritorium* notat. *Torrentius* in Suetonii Vitellium: Scorta *ergo* (inquit) *vocantur etiam pueri* meritorii. Liv. lib. 39. Philippum Pœnum carum ac nobile ſcortum. *Sex. Aurelius de Domitiano*, Injuriâ verborum, quâ ſe *ſcortum* vocari dolebat, accenſus Antonius. *Sueton. Tiber. cap.* XLIII. *ubi de* Spintriis. *Ex quibus omnibus locis adverſus Laurentii Vallæ diſcrimen* Scorta *vocari* pueros *non* meritorios *tantum, qui mercede ſe proſtituunt, verum etiam eos, quos catamitos ac concubinos honeſtius appellabant.* Adde, quod ſi *Canes* per meritorios forent explicandi, ita textus habere ſe deberet: Extra erunt *Canes*, id eſt, *meritorii*, & *πόρνοι*, id eſt, *meritorii*, quo vix quicquam abſurdius. Unde neque immerito a *Zegero*, *Freidlibio*, *Belgis*, pluribuſque aliis rejecta eſt hæc interpretatio. Doctiſſimus *Muiſius* per *Canem* non brutum animal, ſed *cynædum* ſive puerum *meritorium* intelligendum hic eſſe, hoc etiam argumento evincere ſtudet, quod poſtea dicatur, *quia abominatio eſt utrumque.* Id eſt (inquit) *non meretrix modo, ſed etiam ejus merces, neque Cinædus modo, ſed etiam ejus pretium; cur enim hoc de pecude Cane permutata diceretur?* At ratio hæc haud minus elumbis eſt, quam *Piſcatorianæ* ſunt. Præſupponit enim Vir Doctus, quod in quæſtione eſt, de *pecude Cane permutatâ* dici id non poſſe. Imo vero pateſcet infra, de pecude Cane permutata, aliove qualicunque *ex Canis* venditione lucro reſultante, intelligi non tantum id poſſe, ſed etiam debere. Non negandum quidem, etiam Cinædi ſive *meritorii* pretium Deo abominationi fuiſſe, ſed comprehendendum id potius ſub *mercede ſcorti*, ex conſimili quippe, ut dictum eſt, carnali impuritate reſultans, non vero Cinædus per *Canem* ideo intelligendus. Quidni enim illud, *utrumque Deo abominationi eſt*, referri peræque poteſt ad *mercedem ſcorti* & *pretium* Canis, quam ad mercedem ſcorti & *pretium cinædi* vel meritorii. Dicere enim velle, id fieri, quia per *Canem* cynędus intelligi debet, neque *brutum animal* intelligi poteſt, mera petitio principii eſt, ut jam diximus.

Xenophon. Memorab. lib. 1.

Torrent. in Sueton. Vitell. cap. 3. *pag.* 349.

Muis Tract. citat.

X. Simpliciſſime ergo per *Canis pretium*, Hebr. מְחִיר כֶּלֶב Græc. *ἄλλαγμα κυνός*, omne illud videtur intelligendum, quod pro Cane accipitur, cum is vel venditur vel cum re quapiam aliâ vel animali commutatur. Non oboli (inquam) tantum ſive

pecunia, quam dat emptor & accipit venditor, ſed & qualecunque ἀντάλλαγμα: ut ſi quis *bovem* vel *agnum* pro *Cane* accepiſſet, etiam ex Lege hac integrum ipſi non erat, bovem vel *agnum* ſacrum facere, & in Sanctuarium inferre: Sic vocem intelligunt *Iſidorus Clarius*, *Lutherus*, *Fagius*, *Vatablus*, *Druſius*, *Calvinus*, *Zepperus*, *Munſterus*, *Caſtalio*, *Frantzius*, *Bochartus*, *Ravanellus*, &c.

XI. Difficultati autem propoſitæ, cur nempe, cum *Canis* animal ſit tot nominibus commendandum, ejus tamen *pretium* Sanctuario ſuo arceri voluerit Deus, hoc ſolo reſponſo ſatisfieri poſſet: Statuiſſe ſic Deum pro liberrimo ſuo arbitratu; *habitat quippe in Cælis, & quicquid vult, facit.* Pſ. 115. 4. Lex enim hæc, ut conſtat, mere *poſitiva* & *ceremonialis* eſt, non moralis; manifeſtumque eſt, omnes iſtiusmodi Leges ſoli ſupremi Legislatoris beneplacito nixas eſſe, ex eoque unice fluere. Neque credo, quemquam tentaturum nedum effecturum unquam eſſe, ut omnium *ceremoniarum* vel a parte *Dei*, vel a parte *rei*, ſingularia & appoſita fundamenta producat. Quis enim dicet mihi, quâ de cauſâ permiſerit Deus, tanquam animalia munda, comedi, quæ biſidata erant fiſſurâ ungularum, ungulam ſciſſam habebant, & ruminis cibum revocabant; iis vero veſci non permiſerit, quæ ſic conſtituta non erant? Nec non, cur hæc & illa reptilium & aquatilium ad uſum admiſerit, reliqua vero non admiſerit? Immittet ſe certè in periculoſum inanium ſpeculationum labyrinthum, quisquis ruſpari & exactè determinare omnia hęc pręſumſerit. Non deſunt, ſcio, qui periculum ejus fecerunt, ſed temerè quidem, ne dicam aliquando ridicule. Non, quod non juſtæ ſemper rationes placitis Dei *ceremonialibus* ſubſuerint; quis enim tam excors, ne dicam impius, ut Deum λογικώτατον quicquam ſine ratione ſtatuiſſe vel præcepiſſe exiſtimet? Sed quod *ſingulas* illas, quæ penes Deum *rationes* ſemper ſunt, non adeo liquido nobis revelârit, ut vel ipſi eas pro lubitu expiſcari, vel aliis eas cum certitudine explicare valeamus. Tenendum hic quod Juriſconſulti alias monent, Legum quidem animam *rationem* eſſe, ſed haud ſuperſtitioſe in eam ſemper eſſe inquirendum. Modeſtè Doctiſſimus Muiſius, mox ad partes vocatus, cum circa variarum circumſtantiarum, in *Zelotypiæ potu* occurentium, rationem aquam ſibi hærere offenderet, ſic tandem concludit: *Haud dubiè conditor harum Legum Deus nihil temere ſtatuit, quanquam interdum* rationem *mortalibus conſtare noluit, quo magis, ut videtur, illorum obſequium probaret, ſi legi-bus*

Thom. 1. 2. q. 102. *art.* 6.

Bochart. Hierozoic. part. 2. *lib.* 2. *cap.* 33.

Muis Var. Sacr. in Numer. 5. 17.

bus optemperarent, quarum cauſas ignorarunt. Accedit quod ſummus atque immortalis Deus voluit aliquod arcanum ſuum eſſe, quod nunquam cogitatio aſſequeretur humana, ut homines quantum inter Deum ſeque diſtaret, melius intelligerent. De ipſâ Lege morali Nazianzenus: *Vult* (inquit) *Deus Legem Tabulis ſolidis lapideiſque utrimque inſcribi propter manifeſtum ejus atque occultum*: hoc *quidem multis & humi repentibus hominibus*, illud *vero paucis & in ſublime evadentibus. Ita* nempe (verbis loquor Auguſtini) *ipſa quoque* obſcuritas *Divinorum ſalubriumque dictorum Divina eloquentia miſcenda fuit, in quâ proficere* noſter *intellectus non ſolum* inventione *ſed etiam* exercitatione *poſſet*. Imo inter Gentes fuêre, quæ non quoad *materiam* tantum, ſed & ipſum *idioma* Legiſlatorum ſanctiones perſcribi voluerunt involutius, ut majori admirationi eſſent, humiliorique obſequio ab hominibus ſuſpicerentur. Hinc *Tabulæ Decemvirales* dicendi genere *exoleto* & *autoritate venerando exaratæ* fuerunt, ut teſtis eſt *Cicero*.

Nazianz. Orat. 7.

Auguſt. de Doctrin. Chriſt. lib. 4. cap. 6.

Cicer. 3. de Legib.

XII, Neque deſunt tamen rationes quædam *probabiles* ſaltem (haud enim in hoc diſputationis genere *demonſtrationes* vel requiri debere, vel dari poſſe exiſtimo) ob quas Deum de *Canis* hoc *pretio* eo, quo dictum eſt, modo & non aliter diſpoſuiſſe credibile eſt. Earum præcipuæ hæ ſunt, 1. Quod *Canis* ipſe inter animalia *immunda* ex Lege reputaretur. Eſ. 66. 3. Quodſi ergo Deus adferri noluerit animal ipſum, quidni & omne illud, quod ei ſuſtituebatur, idque ideo quidem, quia ei ſubſtituebatur? 2. Quod *Canis*, utut animal fidiſſimum, vigilantiſſimum, ſagaciſſimum, *viliſſimum* tamen & abjectiſſimum ſemper habitum ſit. Hinc nomen vituperii eſt Canis: *Sumne ego*, dicebat Abner, *caput Canis?* 2 Sam. 3. 8. *Convitium proverbiale eſt* (inquit Druſius) *in hominem* vilem & abjectum, *nam quos parvi æſtimamus, eos* Canum *cuſtodiæ præficimus.* Noſtrates dicunt *een Honds-jongen*. Indignamur nos ſæpe, cum Turcas ab hominibus Chriſtianis *Canum* convitio proſcindi audimus, ſed (utcunque peſſime id fiat) ceſſabit tamen illa indignatio, ſi nihil Turcis vulgatius eſſe conſideremus, quam ipſis Chriſtianis ſtigma illud per contemtum inurere. *Corripuere me* (ait Luduvicus Romanus) *Mahometani, correpto actutum compedes indidère. Quidam me hiſce verbis compellavit*: Canis *Chriſtiane*, Canis *nate*. Confer Scripturæ loca, 1 Sam. 24. 15. 2 Sam. 3. 8. 2 Reg. 8. 13. 2 Sam. 6. 9, 10, 11. Hectori *Helena* apud *Homerum*.

Voet. Politic. Eccleſ. part. 1. lib. 4 pag. 668.

Bullinger. in Apoc. 22 15.

Druſ. Prov. Hebr. Claſſ. 2. lib. 3. ad. 86.

Luduvic. Roman. 2. Navig. pag. 4.

Homer. Iliad. ζ. *vers* 356.

Δᾶερ, ἔπεί σε μάλιστα πόνος φρένας ἀμφιβέβηκεν.
Εἵνεκ᾽ ἐμεῖο κυνὸς.

O Levir, quoniam animum tuum labor maximus invaſit propter me, quæ ſum Canis.

Et quid *Ferre Canem* aliud quam ignominiæ argumentum olim fuit?

Gunther. lib. 5. Ligur. v. 195. Lomejer de Luſtrat. Vet. Gentil. cap. 23. pag. 217.

Quippe vetus mos eſt, ut ſiquis, Rege remoto,
Sanguine vel flammâ, vel ſeditionis apertæ
Turbine, ſeu crebris regnum turbare rapinis
Audeat, ante gravem quam fuſo ſanguine pœnam
Excipiat, ſi liber erit de more vetuſto,
Impoſitum ſcapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura Canem *confinia* ferre;
Sin alius, Sellam.

Urſin. Analect. Sacr. p. 12. Lipſ. Epp. Cent. 3. ad Belgas. Otto. Friſingenſ. lib. cap. 29. Cluver. Epitom. Hiſtor. pag. m. 529. Terent. Eunuch. 4. 7. 35. Cicer. in Piſon. Turneb. Adverſ. lib. 5. cap. 6.

In quæ verba Urſinus: *Nobiles* (dicit) *antequam capitali ſupplicio adficerentur, exautborabantur prius, ut & armigeri & ſervi eorum. Illis* Canis *dabatur geſtandus publice, His* Sella. *Quenam! non dubium, quin familiarica dicta. Ein Gemach-ſtuel.* Belgæ dicerent, *een Kak-ſtoel.* Exemplum hujus κυνοφορίας extat apud *Ottonem Friſingenſem:* Memorat is, a *Frederico Barbaroſſa* Imperatore condemnatum fuiſſe *Hermannum* quendam Rheni Comitem, decemque ejuſdem ſocios Comiteſque alios, quod, ſe in *Italiâ* abſente, prædationibus & incendiis pacem publicam turbaſſent, ut per integrum milliare Germanicum *Canem* portarent. *Sellam ferre* pro ignaviæ, *Canem* pro contumaciæ indicio habebatur. Terentianus ille: *Communiam ego caput tuum hodie. G. ain vero* Canis? Cicero in Piſonem: His *tu*, *Clodiane* Canis, *inſignibus conſulatum declarari putas?* Galli quoscunque flocci faciunt *Canaille* vocant. Talmudicis כולב *Idiota* eſt vilis ut *Canis*. In Talorum denique apud Romanos ludo feliciſſimi jactus *Venus* ſive *Baſilicus*, infelliciſſimi, ob vilitatem, *Canis* vel *canicula* nuncupabantur. Hinc *Canis damnoſus*:

Propert. lib. 4. Ele. 9. Perſ. Satyr. 3.

Semper damnoſi *ſubſiluêre* Canes.

Ita Propertius. Nec non Perſius:

Scire erat in voto damnoſa Canicula *quantum*
Raderet.

Quamobrem *Canis* vel atri vel prægnantis occurſus ominoſus etiam habebatur. Ita ille apud Terentium.

Introiit in ædes ater alienus Canis.

Terent. Phorm. Act. 4. Scen. 4.

Vel ſi amicis ambulantibus *Canis* intercederet. Plutarchus: *Fratres una ambulantes non debent lapidem in medio admittere, quin & Canem per medios diſcurrere* ominis ſiniſtri *habetur*: Refert id quidem, & merito, *Auguſtinus* inter *vanas* obſervationes, dum ait, *His adjunguntur millia* inaniſſimarum obſervationum: *ſi membrum aliquod ſalierit, ſi junctim ambulantibus amicis Lapis, aut* Canis, *aut puer medius intervenerit.* Sed indicat tamen, quam nullo loco qualecunque cum *Canibus* commercium habitum olim fuerit. Et hincne etiam Vetus forte dictum pullulavit: *Canem intercurrentem amicitias dirimere?* quò hoc *Horatianum* quidam referunt:

Plutarch. περὶ φιλαδελφ. cap. 36.

August. de Doctr. Christ. lib. 2. cap. 20.

Urſin. Anaclet. Sacr. Lib. 1. p. m. 276.

> *Abſentem qui rodit amicum,*
> *Qui non defendit alio culpante: ſolutos*
> *Qui captat riſus hominum, famamque dicacis.*
> *Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere*
> *Qui nequit, hic* Niger *eſt, hunc tu, Romane, caveto.*

Horat. Satyr. lib. 1. Satyr. 4.

Belgæ non *nigris Canibus* ſed *felibus* id applicant, ruptis enim inter familiares conſuetudinis vinculis, dicunt: *Daar zijn ſwarte Katten tuſſchen beyden gekomen.* 3. Quod impuriſſimum atque impudentiſſimum animal ſit *Canis*, Deus autem puriſiſſimus. 1 Joh. 1. 5. Hab. 1. 13. Impuros *Canes* paſſim vocat Scriptura. Mat. 7. 6. Apoc. 22. 15. 2 Pet. 2. 22. 1 Sam. 17. 22. Eccleſ. 9. 1. 1 Sam. 24. 14. Hinc conjugunt Hebræi *Canem* & porcum ob utriuſque *impuritatem*: quin maledictum pronunciant, *qui Canem* & *porcum* alunt. Addunt, propter utriuſque nocumenta, prohibuiſſe ſapientes, ullibi nutrire *Porcos* & *Canem*, niſi *catena ligatum.* Etiam impudentes *Canum* nomine veniunt. Κυναίδος λίαν ἀναιδής, in quo *non eſt plus pudoris, quam in Cane.* Ὁ ἀναιδὴς (inquit Baſilius) κύων προσαγορεύεται, ὡς Νάβαλ ὁ Καρμήλιος: *qui* impudens *eſt* Canis *appellatur, ut Nabal* Carmelius. Homerus *Agamemnona* impudentem nominare volens, eum κυνὸς ὄμματα ἔχειν dixit, id eſt, *Canis oculos habere.* Ἀναιδῆ καὶ ῥαδίως ἀποστελλόμενα, μυῖα καὶ κύνες, inquit Ælianus: *Impudentia ſunt animalia, quæ vix ſummoventur, Muſca* & *Canis.* Unde & vox κυνάμυια vel κυνόμυια *maxime impudentem* ſonat, qui pudorem tanquam ſudorem noxium a facie abſtergit. *Cynicis* a *Cane*

Lichtf. in Matth. 8. 30.

Baſil. in Pſ. 41.

Homer. Il. α.

Ælian. Hiſt. Animal. lib. 7. cap. 19.

Sext. Empir. lib. 1. cap. 14.

nomen quoque adhæſit, non (ut fallitur Empiricus) *quod nomine hoc commendari ſe voluerint*; ſed quod *impudentiſſimi* eſſent, alioſque *Philoſophos* vitio eo ſuperarent; quin (autore Lactantio) *in propatulo cum conjugibus ſuis* aliiſque *coire mos ipſis eſſet.* Cujus exemplum exhibet Apulejus: *Duxit* (inquit) *Cynicus puellam in Porticum. Ibidem loco celebri, coram*, luce clariſſimâ, *accubuit; coramque Virginem imminuiſſet, paratam pari conſtantia, ni Zeno procinctu palliaſtri circumſtantis coronæ obtutu magiſtrum in ſecreto defendiſſet.* A *mordacitate* ἐπιγραφὴν hanc deduxit Diogenes, ipſe *Cynicus*; rogatus enim, cur *Canis* appellaretur, reſpondit: *Quia iis, qui dant, blandior; qui non dant oblatro; malos autem mordeo.* Quicquid ſit, neutiquam ſaltem probabile eſt, Chriſtum, de *Canibus* Lazari *ulcera lingentibus* loquentem, ad Philoſophos hos *Caninos* digitum intendiſſe, ut Nonnemo nuper ſcripſit; quia denominatio illa nunquam in laudem, ſed ſemper in vituperium inſcripta *Cynicis* fuit, ipſo, ut jam dictum eſt, *Diogene* non abnuente. Verba Viri illius Docti ſunt: *Conſolantes ſunt* Canes: *non Divitis ..... Sed tales qui cum mendico* πρὸς τὸν πυλῶνα *verſabantur. Hi autem vel* civiles *erant vel* religioſi. *Civiles erant Oratores, qui* Canibus *etiam comparati a Demoſthene* ..... Philoſophi *quoque, quorum pars* κυνικοὶ *cognominati. Antiſthenes* Philoſophus Cynicus ἁπλοκύων dictus fuit, id eſt, *prorſus* Canis, quod erubeſcere neſciret. *Turrelupini* in Veteri Eccleſia etiam *Cynici* vocabantur, eo quod adeo errarent *impudenter*, ut nihil pudere quemquam eorum debere aſſererent, quæ a naturâ acceperant: *Begardis* & *Beguinis* ſive *Beguinis* hæreticis haud abſimiles, qui non tantum docuêre, ad tantam hominem in hac vitâ pervenire poſſe perfectionem, ut amplius proficere nequeat, ſed & perfecto iſtiusmodi licitum eſſe quicquid, utut turpiſſimum ſit, *natura ipſi ſuggerit.* Atque adeo peccari quidem, ſiquidem mulieri oſculum quis figat, eo quod natura eo non impellat, non vero peccari, ſi fornicetur, carnaliterque cum eâ ſe miſceat, quod natura eo impellat. Hominum certe genus *Cynicorum* vel impudentiſſimorum potius *Canum* inſcriptione ipſis *Turrelupinis* non minus dignum. Videntur tamen fuiſſe, qui non tam ob *impuritatem* contemſerunt Canes, quam ob *puritatem* eos celebrarunt. Sic Plinius: *Catulos* (inquit) *lactentes adeo* puros *exiſtimabant ad cibum, ut etiam placandis Numinibus Hoſtiarum vice, uterentur his*: Sed neſcio, quo ſcotomate percuſſi fuerint, qui ſic ſenſerunt. Hoccine enim animal a *puritate* credi-

Auguſt. de C. D. lib. 14. cap. 10.

Apulej. Floridor. 2.

Lomeier. in Luc. 16. vs. 21. p. 99.

Bellarm. Chronol. part. 2.

Hotting. Hiſtor. E. part. 3. pag. 952.

Roſſ. de Mundi Relig. pag. m. 305.

Funcc. Chron. lib. 10. ad An. 1322.

Plin. lib. 29. cap. 4.

crediderís commendandum, quod, dum vel gulæ vel libidini indulget, nihil non patrat in propatulo, quod nihil tam fœdum aut odore tam ingratum offendit, quo non veſcatur; quod putridâ cadaverum carne maximè delectatur; quod ulcerum ſaniem lingit, σκαλοφαγεῖ, reſorbetque quod evomuit? *De* Canum *libidine* (inquit Voſſius) *domeſtici animalis res eſt notiſſima. Et quam fœda illud eſt libidinis argumentum, quod* (*ut ab* Æliano *proditum eſt lib. 7. de Animal. cap.* 19.) *Romæ maritus uxorem accuſarit adulterii, inque judicio adulter propalam* Canis *diceretur. Notum & illud nec matribus parcere.* Alienumne ergo videri cuiquam poteſt, quod Deus puriſſimum & incontaminatiſſimum ſuum cultum impuriſſimi & obſcæniſſimi hujus animalis ἀλλάγματι pollui noluerit? Præſertim cum ne inter ipſos Ethnicos defuiſſe conſtet, qui ſacris ſuis miſceri noluerunt, quæ vel ſpecietenus tantum impura eſſent, vel a perſonis tantum rebuſve impuris derivata eſſe exiſtimarent. Ita de *Alexandro Severo* Lampridius, *quod Leonum vectigal & meretricum & exoletorum in ſacrum ærarium inferri vetuerit, ſed ſumtibus ad inſtaurationem Theatri, Circi, & Amphitheatri deputaverit.* 4. Quod turpiſſimam, mediantibus *Canibus*, idololatriam multæ Gentes committerent, idque *duplici* quidem ratione: Sacrificabant enim *primo* Canes ut victimas. Hinc Καρικὸν θῦμα, *Victima Carica*, quæ per *Canem* fiebat. Ita Romani in *Robigalibus*, priuſquam frumenta vaginis exirent, ut nempe Caniculæ ſydereæ æſtum effugerent, *Canem* mactitabant. Ovidius:

Voſſ. de Idol. latr. Gent. lib. 3 cap. 62.

Torrent. in Sueton. Caligul. cap. 40.

Plin. lib. 18. cap. 3.

Gathak. Adverſ. cap. 18.

Eſt Canis (*Icarium dicunt*) *quo ſydere moto,*
Toſta ſitit Tellus, præripiturque ſeges.
Pro Cane *ſydereo* Canis, *hic imponitur aræ,*
Et quare fiat, nil niſi nomen habet.

Ovid. 4. Faſtor.

Canis hic *fœmina* eſſe debebat & *rufa*, ut fruges *flaveſcentes* ad maturitatem perducerentur. De *Lupercalibus* Plutarchus: *Quodſi inſtituta ſint* lupercalia, *ad agendas* lupæ *gratias, pro nutrito & ſervato Romulo, haud abſurde* Canis *mactatur, animal* lupis *inimicum.* Bœotii pro hirco, in ſatione & ovium tonſurâ, Pani Lycæo, Minervæ, Marti *Catulos* immolarunt. Etiam *Hecati* ſacrificatus eſt. *Canis*, tum quod (teſte Sauberto) *Canis* latratus carmina ſolvat καὶ φάσματα; tum quod a ſpectris terreatur, facile ea videat, ab ipſaque terreatur Luna, quam adlatrat; vocabatur hæc mactatio κυνοκτασία, & Hecate inde κυνοσφάγος.

Plutarch. in Romulo.

Bellus Roma Reſtitut. lib. 2. c. 6.

Saubert. de Sacrif. Vetet. Roman. cap. 23.

Exta Canis *Hecati vidit libare Sapæos.* Et

Aldrovand. de Quadrup. lib. 1. pag. m. 524.

Et quæ non, huc facientia, compilavit *Aldrovandus*, quorum exiguam partem non pigebit adſcribere: *Preterea* (inquit) *ad arcendam a ſegetibus rubiginem, Deo Rubigini* Canem *immolarunt*; *Unde* Ovidius *in Faſtis*:

Flamen in antiqua lucum Rubiginis *ibat*,
Exta Canis *flammis exta daturus ovis*.

Apud Thracas tum alibi tum imprimis in Zerintho Samothraciæ antro nihil fere lubentius, quam Canis, *immolabatur. In Inſulis etiam nuper repertis, ut recitat* Petrus Martyr, *propter inopiam puſionum & puellarum* Canibus *litant. Amplius Turcæ ſingulis annis Canes mactare decreverunt, in monumentum illorum* Canum, *qui totum latus cadaveris* Mahometis *devorarunt. Imo & quotannis Canes apud Romanos palo ſambuceo affigebantur, in memoriam neglectarum excubiarum obſidionis Capitolii: Inſuper* Romani *Genetiæ*, Græci *Proſerpinæ* Canem *ſacrum fecerunt. Et Pauſanias ſcriptis mandavit, Colophonios* Catellum nigrum *Triviæ olim ſacrificaſſe. Lacedæmonii propter animalis audaciam*, Canem *Marti conſecrarunt, nam eorum Ephebi inter ſe præliaturi, priusquam certamen inirent*, Catulum Canis *Marti, tanquam Deo fortiſſimo, victimam ex cicuribus validiſſimam immolare neceſſarium eſſe duxerunt.* Sacrificabant *ſecundo* Pagani Canes non tantum, *ut victimas*, ſed iisdem etiam ut *Diis ſuis* litabant. Sic imprimis Ægyptii. *Ægyptiorum enim morem* (inquit Cicero) *quis ignorat, quorum imbutæ mentes pravitatum erroribus, quamvis carnificinam potius ſubierint, quam Ibin, aut aſpidem, aut felem, aut* Canem, *aut crocodilum violent.* Hinc *Anubis*, unus ex ſummis eorum Diis, *caninum* caput referebat. Fuit hic *Anubis*, juxta nonnullos *Mercurius*. Ita Apulejus: *Ille ſuperûm* Commentator *& Inferûm, nunc atrâ nunc aureâ facie ſublimis, attollens* Canis *cervices* Anubis *lævâ caduceum ferens, dextra palmam virentem quatiens.* Et Servius: *Quia* Canino capite *fingitur* Anubis, *hunc volunt eſſe* Mercurium, *ideo, quia nihil eſt* Cane *ſagacius.* Juxta alios ipſe *Moſes*. Sic nuperrime Huetius: *Sane* (inquit) *quod idem eſſe fertur, ac Mercurius, quod ſuperos & inferos adire, quod facie ambiguâ eſſe, quod virgam circumplexos angues gerere, hæc* Moſem *aperte indicant. Sphæram vero præterea huic* tribui *crediderim, quod Cæli ac Terræ Originem* Moſes *docuerit.* Canino Capite *cur pingatur, hæ cauſæ ſunt in promptu, vel ejus nimirum* vigilantia & ſapientia, *quibus virtutibus* Moſes *imprimis enituit, vel quod, ut eum nonnunquam cum Joſua ejus miniſtro, ſic cum* Calebo *ejus Legato, poſterior ætas confudit.*

Cicero Tuſcul. Quæſt. l. 5.
Euſeb. de Præparat. Evangelic. lib. 2. cap. 1.
Apulej. Metamorp. 11.
Huet. Demonſtrat. Evang. Tom. 1. p. m. 121.

dit. Caleb *autem* Canem *ſignificare quis neſcit*? Adhuc alii *Oſiridis* Filium eum fecerunt, qui *Canem*, tanquam armorum inſigne, dicitur geſtitaſſe; ex quo factum eſt, quod Ægyptii *Canem* venerati ſint, Anubinque *Canino capite* effinxerint. Addit Lipſius: *Ægyptii* Anubin *ſuum* Canis *ſpecie ſingebant, quia videlicet utriuſque Regionis ille Deus & ſupera & infera permeabat.* Imo *Canum Civitas eſt* (inquit Strabo) in quâ *Anubis* colitur, *& honor & ſacer quidem cultus* Canibus *conſtitutus eſt.* Haud uno fere nomine hic *Anubis* apud Autores venit, quod notandum, ut, quando de eo ſermo hic illic ſit, conſtare legentibus poſſit: Dicitur quibusdam Ἀργειφόντης, Χθόνιος, Κελοφόρος, Ἡγεμόνιος, Ἐνόδιος, Ἱερογραμματεὺς, Μηλοσσόος, Προπυλαῖος, *Hermanubis*; *Hermes* enim, *Mercurius*, *Thoyth*, *Anubis*, apud Ægyptios idem fuêre. *Hermanubis* ab *Hermete*, ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, *interpretari*, quod *Deorum nuncius* fuerit. *Non ita quidem* (ut bene obſervavit Vives) *quod dicta eorum interpretatus ſit, ſed quod diligentiſſime & optima fide peregerit, quæ erant mandata; quod eſt munus ſermonis perferre ab animis ad animos ſenſa, quæ aliter pateſieri & enarrari nequeunt.* Quibusdam dicitur *Caniformis*; quibusdam *Canis ſemihomo*; quibusdam generaliter *Canis*, & *Canis Latrator*, vel *Anubis Latrans*: Ita Prudentius,

Plutarch. lib. de Iſid. & Oſiride.

Lipſ. loc. cit. pag. 42.

Strab. Geograph. Lib. 17.

Lud. Viv. in Auguſt. de Civit. D. lib. 7. c. 14.

> Latrantem *throno cæli præponit* Anubin.

Prudent. in Apoth.

Nec non Alcimus Avitus,

> *Curſus*
> *Teſtor, Nile, tuos, & divæ vocis* Anubin
> *Cum validus* latrat;

Et Virgilius cum Propertio:

> *Omnigenumque Deûm monſtra &* latrator Anubis.
> *Auſa Jovi noſtro* latrantem *apponere* Anubin.

Virgil. 8. Æneid.

Propert. lib. 3. Eleg. 11.

Quibusdam denique *Anubis Deriſor.* Juvenalis:

> *Ergo hic præcipuum ſummumque meretur honorem,*
> *Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo*
> *Plangentis populi currit* Deriſor Anubis.

Iuvenal. Satyr. 6.

Quum igitur Deus cujusvis idololatriæ infeſtiſſimus hoſtis eſſet, Genteſque, & imprimis Ægyptii, per *Canes* haud uno modo ſe polluerent,

Digitized by Google

luerent, quis ipſum etiam, hanc ipſam ob cauſam Populo, ſuo *Canibus* ejusque *pretio* interdicere voluiſſe, non crediderit? Ut nempe, ſe ne minimam quidem ab *Iſraële* ſuo cum *Ægyptiis*, a quibus nuper egreſſus erat, communionem coli velle, manifeſtum faceret. Notatu dignum eſt, quod ex Hebræorum Magiſtris obſervatur, Deum, in plurimarum Legum ceremonialium conſtitutione, ea quidem præcipue Iſraëlitis ſuis tum prohibita tum præcepta voluiſſe, quorum oppoſitum apud Gentes, eis vicinas, maximè receptum erat. Hinc *Panem fermentatum* & *mel* offerri nefas duxit, quia Idololatræ non niſi fermentatum offerebant, neque alias, quam res dulces, ad oblationes ſuas eligebant. *Sale* in omnibus ſacrificiis utendum conſtituit, quod Gentes eodem in ſacrificiis ſuis abſtinerent. *Sanguinis* eſum rigidè prohibuit, quia *Zabu* eodem, utut proprio judicio impuro, non abſtinebant. *Ovium* mactatio apud Iſraëlitas & gratior & frequentior fuit, quia ab offerendis iis *Ægyptii* vehementer abhorrebant, contenti, ſi modo *Arietis* ſignum cæleſte, Numinis inſtar, venerarentur. *Sanctum Sanctorum* ad *Occidentem* locatum Deus voluit, quod Solicolæ adoraturi ad *Orientem* ſe converterent. Addunt Talmudici, *comam* a lateribus tondere hoc ſolum nomine illicitum fuiſſe, quod Gentiles partem Capillitii ſui DIS fictitiis alere conſuêſſent. *De Græcis* Pollux: Ἔφερον δέ τινες ἐκ πλαγίου κόμην, ἢ κάτοπιν, ἢ ὑπὲρ τὸ μέτωπον, ποταμοῖς ἢ θεοῖς. Καὶ ὀνομάζετο πλοχμὸς, ἢ σκόλλυς, ἢ σειρὰ τριχῶν. Hinc cum, ut dictum eſt, Ægyptii, aliæque Gentes *Canes* ſacris ſuis fere miſcuerint, quid mirari opus, Deum contrarium ejus a populo ſuo fieri, adeoque *Canes* eorumque *pretium* a Sanctuario ſuo arceri voluiſſe? Quapropter decumana *Joh. Spenceri*, *Marshami*, aliorumque, qui eos ſequuntur, hallucinatio eſt, dum ſtatuunt, Deum, cum Legem laturus eſſet per Moſem, ut duræ cervicis Gentem Hebraicam, receptorumque rituum tenaciſſimam, ab idololatriâ aliiſque pravis moribus, quos in Ægypto imbiberat, ſenſim abduceret, non omnes Ægyptios ritus abrogaſſe; at multos e contra paullum emendatos, quâdam veluti συγκαταβάσει toleraſſe, imo in ſacrorum ſuorum album transſcripſiſſe; adeoque ritus Hebræorum Ceremoniales, in Lege præſcriptos, a *Syris* & *Ægyptiis* originem ſuam traxiſſe, correctos ſolum in *Judæorum* cultu, cum ab aliis *Gentibus* ſine emendatione uſurparentur. Quodſi enim hoc verum ſit,

Maimonid. More Nebochim. part. 3. cap. 45.

Heinſ. in N. T. pag. m. 748.

Spencer. de Urim & Thummim. paſſim.

Marsham. Canon Chronic. pag. 154. & ſeqq.

Digitized by Google

ſit, cadit certe noſtra hæc ratiocinatio; ea nempe Deum ſuis prohibita *imprimis* voluiſſe, quibus Gentes ac ſpeciatim *Ægyptii* maxime inhærebant. Quinimo Deum non tam arcere a ſuo Sanctuario *pretium Canis* tum oportuiſſet, quam e contra oblationem ejus liberaliter Iſraëlitis permittere. Quidni enim e re eorum magis tum fuiſſet, ad ipſorum animos a craſſâ, quam Ægyptii *Canibus* committebant, idololatriâ felicius abalienandos, ſi levis hæc de *Canis pretio*, offerendo minutia potius permiſſa iis fuiſſet quam quod tam ſeverè eâ Deus ipſis ea interdixerit? Inter tamen tam nova ac inſolens *Spenceri*, &c. hæc hypotheſis non eſt, ac videri quibusdam forſan poſſet; candido enim lapillo eam etiam ſignaſſe e Patribus *Chryſoſtomum* & Cyrillum *Alexandrinum*, negari non poteſt: ſicut in ipſo *Grotio* eam etiam perſtrinxiſſe *Calovium*, *Carpzovius* autor eſt. Et jure quidem cum falſiſſima, futilis, imo periculoſiſſima ſit, ut Viri quidam docti nuper demonſtrarunt. Ego hoc unum tantum addam, quod me ſummopere inter alia offendit. Huic nempe hypotheſi abſurdæ (prout error errorem trahit) aliam adhuc multo abſurdiorem ſubſtruendam eſſe, in hoc ſitam: quod *primaria* inſtitutionis rituum Moſaicorum ratio ſtatuenda ſit pertinaciæ Populi, moribus receptis nimium adhærentis, correctio, *ſecundaria* demum rerum ſpiritualium σκιαγραφία & adumbratio. Quod non niſi cum magno Veritatis Euangelicæ diſpendio dici poteſt; cum futuri olim Meſſiæ ejuſque perſonæ, officiorum & beneficiorum præfigiratio Legum Ceremonialium *principalis* finis ſit, nequaquam *minus principalis* & acceſſorius. Ut in multis Scripturæ locis videre eſt. Gal. 3. 24. Coloſſ. 2. 17. Heb. 8. 5. & 10. 11. &c.

Chryſoſt. in Matth. Homil. 6.
Cyrill. Alexand. Lib. 16. de Adorat. in Spiritu & Verit.
Carpz. in Schickard. de Iur. Reg. Hebr. cor. cap. 1. Theorem. 2. pag. 44.

XIII. Eſtque hoc minus iterum ut θαύμαστὸν ἢ habendum, quod *Canis pretium* tam exoſum Deo fuerit, quia etiam Gentes quædam, haud diſſimili ratione, ſicut omnem impuritatem (de quâ mox) ita in ſpecie *Canes*, vel quicquid *Canarium* erat, in cultu ſuo averſatæ ſunt. *Lacedæmonii* animalium hoc genus, ob inſignem ſuam impuritatem, omnibus ſuis Templis arcuerunt. Ita Alexander ab Alexandro: *Fuitque obſervatum* (inquit) *ut ab hujuſmodi Sacris* (quæ in *Herculis* fiebant Templo) *nedum ſervi & liberti ſed &* Canis *arceatur, ſicut ab arce Athenienſium, ubi Minerva, & a Delo, ubi Dianæ Templum fuit, arcebatur.* Neque æditiuum alteriuſve diligentiæ id tribuebatur, teſte *Plinio*, ſed Religioni. Imò apud ipſos Ægyptios cultus honore ex parte tandem excidit *Canis*,

Alexand. ab Alex. Gen. Dier. l. 2. cap. 24.
Plin. lib. 10. cap. 29.

eo quod *Apidis* a *Cambyſe* mactati & projecti, carnes ſolus inter omnia animalia dentibus ſuis violaſſet. Verba *Plutarchi* ſunt: Πάλαι μὲν τὰς μεγίστας ἐν Αἰγύπτῳ τιμὰς ὁ κύων ἔσχεν, ἐπεὶ δὲ Καμβύσου τὸν Ἆπιν ἀνελόντος, καὶ ῥίψαντος, οὐδὲν προσῆλθεν, οὐδ᾽ ἐγεύσατο τοῦ σώματος, ἀλλά ἡ μόνος ὁ κύων ἀπώλεσε τὸ πρῶτος εἶναι, καὶ μάλιστα τιμᾶσθαι τῶν ἑτέρων ζώων. *Antiquitus* Canem *violare Ægyptiis religio erat, ſummiſque id animal honoribus adficiebant, ſed poſtquam* Apidis, a Cambyſe *necati & projecti corpus, nullum extra* Canem *animal adiit vel guſtavit, primos inter animalia honores* Canis *perdidit*, &c. Quod eò tamen uſque proceſſiſſe non putem, ut ipſiſſimo *Canis* contactu Sacerdotibus ſuis interdictum voluerint, ut de iis id refert Alexander ab Alexand. dum ait: *Quod ab Ægyptiis æque obſervatum eſt, ut ſemel tantum Sacerdoti nubere fas ſit, cum reliqui pro voluntate & facultatibus plures capiant: Frumentum quoque, farinam, & carnem crudam*, Canem, *Capram, vel equum tangere vetabatur.* Non enim per meram contumeliam id ita ſtatuerunt Ægyptii, ſed aliam etiam ob cauſam, quam idem adducit Plutarchus, & ex ipſo Tiraquellus: *Canis* (inquit) *Templis omnibus idcirco arcetur, quod pugnax eſt animal, & imprimis ferox, ut tutum ſupplicibus perfugium præbeant. Veriſimile igitur eſt Jovis Sacerdotem, tanquam animatam & ſacram quandam effigiem ac ſimulachrum, ad quod omnibus tanquam ad aram confugere liceat, egenis ac ſupplicibus repoſitum eſſe, unde nec deterreri nec arceri omnino poſſint.* Dixit hinc etiam, Canem *primos* inter animalia *honores perdidiſſe*, non *omnes.* Obſervandum itaque, qualeſcunque unquam dotes *Canes* habuerint, poſſediſſe eas ſemper in ordine tantum ad *homines*, quibus inſervire iis poterant, minime in ordine ad Deum, ejuſque cultum, qui alias plane virtutes poſtulat. Et quot certè non homines ſunt, qui iiſdem dotibus non minus excellunt, quam *Canes*, quorum tamen vel venditorum vel, commutatorum *pretium* Deo in ſacris ſuis acceptum nunquam fuit? 5. Et ultimo: Quidni addam, quod *ingratiſſimum* quoque animal ſit *Canis*: utcunque enim ablandiri benefactori ſuo ſæpe videatur, cum offa ei objicitur, non tamen laceſſitus ei minus allatrabit vel magis parcet, quam quibusvis aliis. Hinc *Ingrati* emblema *Canem* fecerunt Veteres:

Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωντι.

Paſce Canes, *qui te lanient, catuloſque luporum.*

De Actæonis *Canibus*, qui proprium Dominum dilacerarunt, ſic Natalis Comes: *Per hanc Fabulam nos ad beneficia in Viros bonos*

con-

Plutarch. de Iſid. & Oſir. Oper. Tom. 2. pag. 368.

Alexand. ab Alex. Gen. Dier. Lib. 6. c. 12.

Tiraquell. in Not. ad dict. Alexandri loc.

Theocrit. in Hodæpor.

Nat. Com. Mytholog. lib. 6. c. 24.

Digitized by Google

conferenda, adhortabantur Antiqui, ac retrahebant a bene merendo de ingratis *& immemoribus acceptorum hominibus.* Licet ſint, ut mox diximus, qui fabulam illam aliter explicant. Dictio *Theocriti* ironica eſt, q. d. Beneficium in homines *ingratos* confer, ut tibi noceant, ſaltem graves poſtea ſint. At vero *Ingratum ſi dixeris omnia dixeris.* Neque vix cuiquam magis infeſtus eſt Deus, quam qui, beneficiorum obliti, mala pro bonis rependunt; atque hinc *Canibus*, & quicquid *Canarium* eſt, forſan etiam infenſior. Prov.17.13. Eccleſ.9.15. Rom.1.18. Ezech.16.43. Coloſſ.2.7.

XIV. *Quæris*, ſi Deus ob rationes adductas *Canis pretium* Sanctuario ſuo arcuerit, cur inferri in illud etiam non vetuerit aliorum animalium ἀντάλλαγματα? E. G. *Aſinorum*, *Porcorum*, *Felium*, &c. Nam & *Aſini Porcique* ex Lege immundi fuêre; *Feles* etiam Gentes, quin & ipſi Ægyptii venerabantur. *Alii Ægyptiorum* Bovem, *qui* Apis *dicitur* (teſte Pſeudo-Clemente Romanô) *colendum tradidere*, *alii* Hircum, *alii* Gattas: ubi per *Gattas* (inquit Voſſius) *plane intellige aluros ſive* Feles. Sic enim loquebantur tum temporis, *Gattas* vel *Cattas*, feles appellantes. Callimachi *Scholiaſtes* αἰλούρους ſive *Feles* κάττας ἰδιωτικῶς nominaſſe Veteres dicit. Ipſa *Bubaſtis* ſive Diana, Ægyptiis ſingulariter ſacra, ut *Felis* iis repræſentabatur & adorabatur. Unde Ovidius:

> Fele *ſoror Phœbi, nivea Saturnia vacca.*
> *Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.*

Cultuſque *Felium* rationem hanc depromit *Diodorus*, quod *Feles* contra aſpidum aliorumque Serpentum morſus utiles eſſent. Καὶ τὸν μὲν αἴλουρον πρός τε τὰς ἀσπίδας, θανάσιμα δακνούσας εὔθετον ὑπάρχειν, καὶ τἄλλα δάκετα τῶν ἑρπετῶν. Non radebãt quidem Ægyptii in morte *Felis* corpus univerſum, quod, ut ſupra dictum, in *Canis* morte faciebant, radebant tamen ſupercilia; quinimo demortuos *feles*, ſale conditos, Bubaſtin, quæ *Ægypti inferioris* civitas fuit, deferebant. Teſtis horum eſt *Herodotus*, dum ait: Ἀπαγόνται δὲ οἱ αἴλουροι ἀποθανόντες ἐς ἱρὰς στέγας, ἔνθα θάπτονται, ταριχευθέντες ἐν Βουβάστι πόλι. Neque ſoli Ægyptii, ſed & *Arabes felem*, eumque quidem *aureum*, venerati ſunt. At *reſpondeo* rationes, quas, de *Canis pretio* non offerendo, allegavimus, non *ſeorſim* ſed *conjunctim* ſumendas eſſe. Non *tantum* ob immunditiem, Legalem, nam & hæc verè in *Aſinis* & *Porcis* locum habuit, non tantum ob *impuritatem*, nam & *Porci* verè impuri ſunt, neque tantum ob *idololatriam* per *Canes* commiſſam, hæc enim per *Feles* etiam

Herodot. lib. 10.
Clem. Romanus Recog. lib. 5.
Voſſ. Tract. cit. l. 3. cap. 74.
Evagr. l. 6. cap. 24.
Ouzel. in Minucii Octav. p.m. 264.
Ovid. Metamorph. lib. 5.
Diodor. Sicul. Biblioth. Hiſt. lib. 1.
Herodot. in Euterp.

committebatur, eos a Sanctuario ſuo removit Legiſlator, ut & *pretium* eorum, ſed ob omnes illas rationes ſimul, in faſciculum quaſi collectas, quæ in cunctis aliis animalibus, ut *in Canibus*, nunquam concurrerunt. Accedente præprimis horum *vilitate* & *contemptibilitate* non vulgari, quæ eodem quoque, quo in *Canes*, gradu in *Aſinos*, *porcos*, *ſeleſque* non cadit. Appoſitè Doctiſſ. Gathakerus: *Quod Doctores Hebræi* (inquit) *non de* pretio *tantum*, *quod pro* Cane *venali datum eſt*, *ſed de permutatione quoque*, *ſic enim Chaldæus puta ubi* Canis *ove permutatur*, *inquit* Jarus, *intelligunt. Quia* Canis *nimirum lege Moſaicâ immundus habebatur. Verum Porcus & Aſinus & alia haud pauca ſunt animalia pro immundis habita, de quibus tamen nihil hujuſmodi ſancitur. Aliam itaque rationem adjecit, Abraham Eſdra, quia* Canis *nomen* (NB) *per* contemtum *ſolet adhiberi.*

Garhak. Adverſat. cap. 38.

XV. *Inſtas*, dubium eſſe, an Lex hæc Canum contemptibilitate & vilitate quidem, putatur quin e contra hæc potius ex Lege hac orta non ſit, *Canibuſque* deinceps adhæſerit; At *Regero*: ſiquidem Jobus *ante* legem vixerit, ut multorum non uſque adeo improbabilis opinio eſt, manifeſtum certe eſt, contemptibilitatem hanc ante Legem locum modo habuiſſe, quoniam ſuo modo tempore Vir ille piiſſimus exertim ejus meminit. Ita enim Libri ſui cap. 30. 1. *Nunc autem rident me minores me tempore, qui ſprevissem parentes eorum apponere* Canibus *meis*. Adde, quod ſi *Canum* hic contemtus ex *Lege* hac derivatus eſſet, utique locum tantum inter Iſraëlitas habuiſſet, quippe quibus Lex hæc nota tantum fuit. At ex dictis conſtat, non minus apud Gentes, quam apud Iſraelitas, contemtim ſemper habitos. Canes fuiſſe.

Spanhem. Hiſtor. Iob. cap. 9.

XVI. Adhuc *dicis*: Ergone etiamnum Lex hæc durat, cum rationes, quibus nixa eſt, tenere adhuc videantur; non enim minus impuri, contemptibiles, ingrati &c. jam *Canes* ſunt, quam tempore Iſraëlitarum fuerunt? *Reſp.* 1. Diximus ſuprà, Legem hanc, non moralem, ſed *ceremonialem* eſſe, quæ tota, moriente Chriſto, mortua eſt. 2. Subſunt ei etiam rationes. quæ non amplius durant. E. G. Immunditíes *Canum* legalis; Populi ex Ægypto, ubi gravis per *Canes* idololatria committebatur, recens egreſſus, neceſſitaſque, ne quoad minimam quidem ſpeciem Iſraëlitæ cum Ægyptiis paria facere viderentur. 3. Ut mox dictum eſt, non divellendæ ſunt rationes hujus Legis, ſed conjungendæ; quare, ſi cunctæ illæ non amplius durent, neque Lex ipſa

Digitized by Google

ipſa durare amplius dicenda eſt. 4. Mitto *Sanctuarii externi* hoc tempore totalem abolitionem; cujus univerſus apparatus, ob conditionem Populi infantilem & pœdagogicam, ſingularem puritatem, etiam *externam*, ſub V. T. requirebat; quali cultus N. Teſtamenti, quippe ſpiritualior, opus non habet; niſi ad ἀσθενῆ ϗ πτωχὰ ϛοιχεῖα, *infirma & egena mundi elementa* converti rurſus velimus. Gal. 4. 9.

XVII. Nihilominus quod in *ſpecie* de Canis *pretio* a Sanctuario removendo, ordinatum hic voluit Deus, *quoad genus* ad omnia bona Deo indigna, id eſt, qualeſcunque facultates & opes, vel vi vel dolo malo acquiſitas, referri etiam debet. Atque hoc tum reſpectu Dei hæc conſtitutio non tantum ad Iſraëlitas pertinere cenſenda eſt, ſed ad nos etiam Chriſtianos; quibus quippe non magis conceſſum eſt, facultates ullas, indigne partas, Deo pauperibuſve dicare, quam antiquo illi populo conceſſum id fuit. Quâ occaſione quæri tum iterum poteſt: *An, prout bona qualiacunque illicita Deo pauperibuſve offerre nefas eſt, ita etiam ab offerentibus ea accipere pauperibus illicitum ſemper ſit?* Ratio dubitandi eſt, quod *furum* videantur eſſe ſocii, quotquot bonorum, injuſtè partorum, partem aliquam accedere ad ſe ſinunt. *Reſp.* 1. Si pauperes bonorum iſtorum conditionem plane ignorent, minimè *illicitum* eis eſſe, illa accipere: De *occultis* enim *non judicat Eccleſia*; quod analogice huc applicandum. Neque inquiri in bonorum illorum conditionem a recipientibus opus eſt; ubi enim Deus id mandavit? E contra apud Judæos nummi, promiſcue in Gazophylacium injecti, citra ullam accipiebantur inquiſitionem, *Deique dona* nuncupabantur. 2 Reg. 12. 9. Marc. 12. 41. Luc. 21. 4. Nummer. 18. 11. 14. Levit. 10. 14. 15. 1 Cor. 10. 27. (2) Quodſi ſciant quidem *pauperes*, eos, a quibus aliquid accipiunt, opes habere quaſdam illicitas, ſed haud minus ſciant, eos etiam alias quaſdam poſſidere, quæ iniquè partæ non ſunt; iterum licitum eſt, oblata ab iis bona accipere; quia quod accipiunt pro eorum bonorum parte haberi tum debet, non quæ *illegitime* ſed quæ *legitimè* comparata ſunt. Neque refert, quod falli in ſuâ illâ opinione recipientes poſſint; poſſunt enim & non falli; quo caſu ampliandi potius favores ſunt, quam contrahendi (3) Imo vero utut exploratum *pauperibus* ſit, ipſiſſima illa bona, quæ accipiunt, malè parta eſſe, poſſunt tamen ſine ſcrupulo ea accipere, hiſce conditionibus poſitis (a) ſi reſipuerint ſe-

riò

rio a quibus ea accipiunt, atque adeo deteſtentur ex animo injuſtum, quem, in corradendis iis, obſervarunt modum, paratique ad omnem male quæſitorum reſtitutionem ſint, cujus ipſo facto præſtandæ, occaſio hactenus forte non fuit, eo quod ignoti fuerint, quibus proxime ea debebantur; qui ſi latere perſeverent, palam eſt, ipſi Deo reſtitutionem illam deberi, vel *pauperibus* Dei loco. (b) Si, licet illegitime in *foro poli*, legitime tamen in *foro ſoli*, offerentes bona ſua poſſederint. (c) Si, confirmandis & quaſi privilegiandis aliorum peccatis, bona illa neque inſervierint unquam, neque etiamnum inſerviant. (d) Si ipſi recipientes vere converſi ſint; *Immundis* enim alias *omnia immunda*. (e) Si periculum ſcandali abſit; *Omnia* enim *licent* quidem, *ſed non omnia ædificant*. (4) Neque tamen *pro* furum *ſocus* pauperes iſtiuſmodi habendi ſunt: ne quicquam enim accipiunt, niſi quod Dei ipſius ordinatione debitum ſibi fuit; ad injuſtam bonorum illorum acquiſitionem nihil contulerunt operæ; calculo ſuo eam nunquam approbarunt; donatores eorum in peccatis ſuis nec confirmant nec confirmarunt; nec denique, niſi rationabili neceſſitate adacti (ad hos enim digitus tantum intenditur) bonorum eorum participes fiunt. Omnes certe piſtores, ſartores, ſutores, qui vel pro labore vel pro mercibus ſuis ab iis, qui illegitime ſua conquiſiverunt bona, nummos aliquos accipiunt, de poſſeſſionibus eorum qualitercunque participant, quos tamen nemo ut *furum ſocios* exagitabit. (5) Quinimo pauperi cuidam eſurienti licitum aliquando eſſe poteſt, etiam ab ipſo quodam prædone vel ſicario panis quoddam fruſtulum tum petere tum accipere, tametſi panem illum alii cuidam domino vi furtoque ereptum eſſe, pro exploratiſſimo habeat, ipſique de dicti prædonis reſipiſcentiâ ne quicquam quidem conſtet. Sicarii enim vel prædonis cujuſdam qualicunque opellâ uti, ſemper & *intrinſece* peccatum non eſt, licet connexam forte prævaricationem aliquam *per accidens* habeat. Illam vero, cum non eleemoſynæ ipſi, neque eſurientis receptioni, ſed ſoli donantis acquiſitioni & largitioni inhæreat, miſero recipienti imputandam eſſe, quis dixerit? Bene ὁ πάνυ Voetius ad Quæſtionem, *Num quis neceſſitate compulſus bona conſcientia mutuum petere poſſit a Trapezita?* reſpondet Affirmative. *Petit enim* (inquit) *mutuum, illique conſentit & illius occaſionem dat, quod licet; quamvis ſciat Trapezitam abſque injuſtitia non daturum. Patitur hoc malum, quod corrigere non poteſt,*

Eſ. 23. 18.

Voet. Diſpp. Select. part. IV. pag. 586.

poteſt, & utitur non tam peccato alieno (ut aliquando Practici loquuntur) quam opere & auxilio alieno, cum peccato ἀχωρίστως conjuncto, non per ſe, ſed per accidens. Et alibi: *Peccatum donantis non tranſit in donum; non magis quam peccatum jurantis per falſos Deos tranſit in rem juramento confirmatam, aut in eum, cujus gratia juramentum præſtatur.* Quodſi enim peccatum vitiumve donantium in bonorum vel acquiſitione vel datione adeo polluere dona illa poſſit, ut omnia pro planè ἀδώροις habenda ſint, ſequeretur utique inde, operis aut actionis alicujus tranſeuntis inquinationem ſpiritualem tam perpetuò inhærere fundis, domibus, nummis quibusvis male acquiſitis, ut nunquam eorum hæreditas vel uſus tranſire legitimè ad alios, imò ne ad ipſos quidem pauperes, poſſet; quod abſurdiſſimum ſane eſſet. (6) Neque contrarium ex præſenti, hac *Lege* urgeri poteſt, cum ea non determinet, quid huic vel illi pauperi accipere vel non accipere apud Iſraëlitas licuerit, ſed quid, per modum voti, offerendum Deo fuerit, vel non offerendum. Quod vox תביא *introducere* etiam indicat: prout Vatablus aliique per *offerre* eam interpretati quoque ſunt.

Id. Politic. Eccleſ. part. 1. lib. 4. p. 618. Udeman. in Matt. 25. pag. 550. 574.

XVIII. *Ultimo* quæritur: An tam abſolute Iſraëlitis illicitum fuerit, *Canis pretium* Sanctuario inferre, ut nunquam impune facere id potuerint? Scrupulus hic inde oritur, quod in textu Moſaico *pretium Canis* & *merces meretricia* conjungantur; de qua poſteriore tamen aſſeritur, Eſa. 23. 18. quod Deo oblata fuerit: *Tandem* (inquit Propheta) *quaſtus ejus* (Tyri) *ſanctificatus Jehova*, proprie *mercedes ejus*, תננה; quæ eadem vox eſt, quæ Deuter 23. 18. occurrit. Quodſi ergo *hæc* dicari Deo potuerit, cur non etiam *illud*? *Reſp.* 1. Non valet illa argumentatio: Quæ in textu hoc vel illo conjunguntur, eorum eadem ſemper eſt ratio. Ecce id in uno Apoſtolorum decreto Act. 15. 28. 29. Conjunguntur ibi *idolotytha*, *ſanguis*, *ſuffocatum* & *ſcortatio*; quis tamen eandem *hujus*, quam *illorum* rationem eſſe dixerit? Cum abſtinentia a *ſcortatione* obligationis ſit abſolutæ & perpetuæ, abſtinentia a *tribus aliis* temporariæ tantum, & in caſu offenſionis & ſcandali. 2. Repetendum hic, quod ſemel iterumque monuimus, interdictum hoc de *Canis pretio* Sanctuario non inferendo, ad Leges non Morales, ſed ceremoniales & *poſitivas*, a liberrimo Dei arbitratu dependentes, referendum eſſe. Unde conſequi tum neceſſe eſt, etiam tamdiu contrarium ejus facere illicitum tantum fuiſſe, quamdiu

diu

diu ſummo Legiſlatori Deo ſic & non aliter ordinare viſum eſſet: adeoque ſtante Lege Ceremoniali nunquam ſine peccato oblationem hanc fieri potuiſſe: hâc vero abrogatâ, prout quoad infinita alia Ceremonialia, ſic quoad hoc etiam, peccati rationem plane evanuiſſe. 3. Verum eſt, vocem אתנן tam apud *Moſem* quam apud *Eſaiam* occurrere, ſed diſpari ſenſu: Moſes eâ indicat *pretium*, quod datur ſcorto ſive meretrici *proprie* dictæ, ob impuræ veneris exercitium; Eſaias *quæſtui* mercatorum Tyri eam applicat, quem mercibus ſuis undique ſibi comparabant; vocatque eum *meretricium*, non quod ex meretricandi commercio redundaret, ſed, ut *Vatablus* & *Grotius* videntur innuere, quod ubique fere, modo etiam nonnunquam inculpabili, eum quærerent, prout *meretrices* ubique & apud quosvis rem facere ſtudent; vel, quod magis arridet, quod pravis & fraudulentis quibuſvis artibus, in mercaturâ fere uſurpatis, acquireretur; ſicut, obſervante *D. Coccejo*, vocabulum generale eſt אתנן, quo omnis μισθὸς τῆς ἀδικίας, *vel quicquid homo accipit & gratum habet, ut viciſſim placeat hominibus, & eis ſe proſtituat, quodque aliis quis dat, ut ſibi placeant, & cupiditatibus ſuis obſecundent*, exprimi ſolet. At (*inquis*) ſi vox ita ſumatur, quomodo de tali quæſtu tum Eſaias, quod *Domino Jehovæ ſanctificandus* eſſet, & quomodo cum ſupra dictis id convenit, ubi aſſeruimus, bona qualiacunque illegitime parta Deo abominationi eſſe? Reſp. *Forerius* μυςηριώδές τι hic quærit, dum dicit: *Eâdem voce hic uti voluit Jeſaias, quâ uſus fuerat Moſes Deuter.* 23. 18. *Quando prohibuit*, ne merces meretricis inferretur in domum Dei, *non ſolum, ut de quâ mercede loqueretur inſinuaret, verum etiam propter* myſterium, *ut ſcil. adeſſe ſignificaret, qui ſanctificaret omnia immunda, & regnum Dei* meretricibus *& peccatoribus pateſaceret.* Calvinus de *quæſtu* interpretatur, non qui a Tyriis *inconverſis* illegitime, ſed ab iiſdem *converſis* legitime comparatus eſſet: *Nec enim intelligit* (inquit) *Propheta, merces Tyri Deo ſacras fore, ubi ita ſcortari perget; ſed deſignat tempus, quod ejus mutationem & converſionem ſequetur. Tunc non cumulabit ſibi opes nec coacervabit illicitis artibus, ſed operas ſuas Deo locabit, & negotiationis ſuæ fructum in ſublevanda piorum inopia expendet. Quod autem* turpi nomine *uſus eſt*, præteritum *tempus ſpectavit: ſignificans fore, ut dediſceret pravas illas artes, atque ingenium mutaret.* Sic illi. Ego diſtinguendum puto inter bonorum male acquiſitorum poſſeſſores pios & impios, converſos & inconverſos: De

Vatabl. & Grot. in loc.

Coccej. Lexic. pag. 977.

Forer. in Eſ. 23. 18.

Calvin. in eund. loc.

impiis

impiis & inconverſis abſolute verum eſt, omnia eorum bona male parta Deo abominationi eſſe, nec oſterri ipſi debere; at ſecus ſtatuendum de *piis* & vere *converſis*. Imo dico, cuncta horum bona, etiam injuſtiſſime antehac acquiſita, modo juſtæ eorum reſtitutioni (ut mox etiam diximus) omni animo & conatu incubuerint, nemini niſi ſoli Deo ſanctificari debere; quoniam dum neque ſua ſunt, neque redire ad eos poſſunt, quibus erepta ſunt, nullius quam Dei, vel pauperum ejus loco, eſſe poſſunt. Nam abjicienda vel Vulcano dicanda eſſe, nemo, credo, judicabit. Refert huc *D. Voetius* exemplum Zachæi Luc. 19. 8. & *Magni illius prædonis* (ſic loquitur) *Nebucadnezaris*, cui conſuluit Daniel, ut *peccata ſua abrumperet juſtitiâ & benignitate* erga pauperes. *Dan.* 4. 27.

Voet. Polit. Eccleſ. part. 1. lib. 4. pag. 668. 669.

XIX. Atque hæc quidem de *Canis pretio*, in Dei Sanctuarium non inferendo. Quum autem in Tractatione hac *Pueri meritorii* mentio injecta nonnunquam ſit, verbo etiam, quis qualiſve is fuerit, eſt expediendum. Sed *verbo* tantum quia materia hæc delicatior diffuſiorem tractationem non fert, ne odor nobis nares ſpurcet, & pudicæ aures offendantur. *Meritorii* vox non tantum occurrit hoc loco, ſed variis etiã aliis, ut 1 Reg. 14. 24. 2 Reg. 23. 7. Job. 36. 14. *Hebraicè* eſt קָדֵשׁ a Rad. קָדַשׁ *ſanctum eſſe vel fieri.* LXX. habent τελέσφορος, τελεσκόμενος, Κιναίδος, ἀσελγὴς πόρνος, *maſculum ſcortum.* Latini dicunt *Cynædus*, a κυνὸς, quod *Caninæ* impudentiæ ſit: vel, ſi per ſimplex i ſcribatur, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὴν αἰδῶ, ſive αἰδοῖα, aut τὰ κῶλα, quod moveat verenda. Ponitur vox Hebræa pro qualibuſcunque etiam hominibus inſigniter flagitioſis. Ita Job. 36. 14. *Moritur cum juventa illa anima eorum & vita cum* Meritoriis, Coccejus vertit inter *impudicos*; Mercerus cum Chaldæo, *inter* ſive *ſicut ſcortatores*; Diodatus *effæminatos*; per eoſque intelligi putat Sodomitas, & eorum everſionem, quæ fuit piis priſcis notiſſima. In genere notandum, a Radice קָדַשׁ *ſanctum eſſe*, derivari quidem τοὺς קְדֵשִׁים *meritorios* hoſce & proſtibula maſcula, ſed non niſi per meram ἀντίφρασιν, ut *bellum.* קָדֵשׁ (inquit celebris Interpres) εὐφήμως *dicitur* proſtibulum, *vel ut minimè ſanctum, vel ut illuſtre & inſigne ob impuritatem, vel ut victima publica libidinis.* Perverſa vero & poſticâ hoc venere uten-

utentes *pædicones* nuncupabantur; quandoque etiam *feles*, ita Auſonius; ut Plautus lenones *feles virginales* dixit.

> *Tune*, *hic* ſelles, virginalis *liberos*
> *Parentibus ſubjectos habebis*?

Plaut. in Rudent. Act. 3. Scen. 4.

Feles enim ſcimus eſſe furaces & rapaces; unde *feles librariæ*, librorum fures. Neque Auſonius *feles* tantum dixit, ſed *pullarias*, a puerorum ſubreptione: pueros quippe antiqui *pullos* dicebant; Græci *feles pullarias* παιδοπίςας. Hinc Plauto *manus pullaria*, a tentandis palpandiſque pueris, qualis erat *pædiconum* proterva manus, qui *pullariam facere* inde dicebantur. Hinc *Marcus* ab Auſonio deſcriptus:

Auſon. Epig. 73. m. 69.

> *Quis Marcus?* felis *nuper* pullaria *dictus*:
> *Corrupit totum qui puerile decus*:
> *Perverſæ veneris* poſtico *vulnere foſſor*,
> *Lucili vatis ſubulo*, pulli*premo*.

Idem Epigr. 70. Scalig. in Varron.

Subulo, id eſt, pertuſor, & veluti *ſubulâ* perforans: *Subula* autem pars ea eſt, quæ nominari non poteſt. Adhuc de nefandâ hac venere Auſonius:

> *Et quam* Nolanis *capitalis luxus inuſſit.*

Turneb. Adverſ. lib. 3. cap. 19.

In quæ verba Turnebus: *Satis indicat in illo ænigmate*, In *triclinio* Coa, *in cubiculo* Nola, *objici Clodiæ oris obſcænitatem, & omnem infandam libidinem, qua notati ſunt* Nolani; *ut cum libidinoſa & laſciva eſſet in convivio, & quædam Venus* Coa, *in cubiculo a nulla obſcænitate abhorreret.*

XIX. Proſtituebant ſe olim *meritorii* ad nefariam venerem ut proſtibula muliebria, accepto pretio & mercede. Fuit hoc infandum Sodomæorum & Gomorrhæorum ſcelus, ut & multarum aliarum Gentium, imprimis Cananæarum. Gen. 19. &c. Levit. 18. 22. & 20. 13. 1 Cor. 6. 9. Roman. 1. 26. 27. Imo *in tantum* teſtatur Hieronymus, *Græcos & Romanos vitio hoc olim laboraſſe, ut & Clariſſimi Philoſophorum Græciæ* publicos *haberent* concubinos. *Ac Adrianus Philoſophiæ artibus eruditus Antinoum conſecrarit in Deum. Inter ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum* pueros *ſtetiſſe*, publicæ libidini *expoſitos*. Agathocles, Siciliæ Rex, pulcherrimus dum eſſet, vitam ſtupri patientiâ diu exegit, ſive, ut κοινὸς πόρνος *ſcortum promiſcuum*, cuique expoſitus fuit. De *Nerone* Suetonius: *Puerum* Sporum, exſectis teſtibus, *etiam in muliebrem formam transfigurare*

Euſeb. de Præpar. Evangelic. lib. 6. c. 10.

Hieronym. in Eſ. 2. 6.

Sueton. in Neron. cap. 28.

rare conatus eſt, cum dote, & flammeo *per ſolenne nuptiarum celeberrimo officio ad ſe deductum pro* uxore *habuit.* Et Tacitus: *Ipſe* (inquit) *per licita atque illicita fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret: niſi paucos poſt dies uni ex illo* Contaminatorum *grege, cui* Pythagoræ *nomen fuit, in modum ſolemnium conjugiorum denupſiſſet.* Julius etiam Cæſar non diſſimulanter criminis hujus a *Catullo* inſimulatus, tam leviter id habuit, ut hunc ipſum *Catullum*, ſatisfacientem ſibi, id eſt, coram teſtibus nonnullis, pænitere ſe, quod tam acri Imperatorem Epigrammate exagitaſſet, profitentem, *eadem die Cœna ſua adhibuerit*, *hoſpitioque* Patris *ejus* (ut loquitur Suetonius) *ſicut conſueverat, uti perſeveraverit.* Quid quod concubitus marium cum maribus (ut ex Clemente & Theodoreto refert Grotius) Deorum etiam exemplis defenderentur; in quorum numerum merito relati *Ganymedes.* Ut & *a Græcia Philoſophis eo videtur laboratum, ut rei turpi honeſtum nomen imponeretur.* Sic ſcorta meritoria *maſcula.* Meminit etiam *muliebrium* Arnobius, quæ tamen *meritoria dixit*: In civitatibus *maximis atque potentioribus populis ſacra publicè fiunt* ſcortis meritoriis. Et paulo poſt, *ſcortis* meritoriis in *vulgarem libidinem proſtitutis*; per quæ non intelligit *Cinædos*, ſed *meretrices*, ut obſervavit *Elmenhorſtius.*

Tacit. Annal. lib. 15. *Sueton. in Iulio. cap. 73.* *Grot. de Verit. Relig. Chriſt. lib. 2.* *Arnob. cont. Gentes. lib. 1.* *Elmenhorſt. in not. in Arnob. pag. m. 15.*

XX. Fuerunt tamen in *Paganiſmo*, qui abominabile hoc flagitium tum animo tum praxi ſuâ ſerio condemnarunt: ſic *Lacedæmonii*, ſic *Romani*: qui licet antehac ſubinde ejus rei eſſent, poſtmodum tamen ſumma id ſeveritate vindicarunt. *Dicerem* Cenſorium (inquit Valerius) *virum nimis acerbum extitiſſe, niſi P. Attilium Philiſcum, in pueritia corpore quæſtum a Domino facere coactum, tam ſeverum poſtea patrem cernerem. Filiam enim ſuam, quod ea ſe ſtupri crimine coinquinaverat, interemit. Libidinoſi* Centurionis *ſupplicium* (pergit) *M. Lætorii Mergi, Tribuni Militaris, æque ſimilis fœdus exitus ſequitur: cui Cominius Tribun. Plebis diem ad Populum dixit, quod* cornicularium ſuum *ſtupri cauſa appellaſſet.* De Adoleſcente Athenienſi refert *Sabellicus*, quod, cum *Demetrii* Regis intemperiem in balneis declinare non poſſet, in ferventis aquæ lacum ſe projecit, vitam aſpernatus, ut pudicitiam tueretur: Quin *Spurina* Adoleſcens, cum egregia ſua forma decoroque aſpectu, viros mulieresque ad libidinem concitaret, faciem & pulchritudinem oris vulneribus deformavit. Ipſe *Ovidius*, inſignis alias meretricarius, παιδεραςίαν tamen aſpernatus eſt.

Liv. lib. 8. *Valer. m. lib. 6. cap. 1.* *Sabell. lib. 5. cap. 6.*

Ovid. de Arte Amand. lib. 2.

Odi concubitus. ......

Hoc eſt, cur pueri tangar amore minus.

In hoc forte non pejor, quam *Juvenalis*, qui parum ſibi hic conſtat. *Tum* enim perſtringit illam ſpurcitiem, ut Satyr. 9. *Tum* eam iterum commendat: *Iuvenal. Satyr. 6.*

Nonne putas melius, *quod tecum* puſio *dormit.*
Puſio, *qui noctu non litigat? exigit a te*
Nulla jacens, illic munuſcula ......

Rectiſſime ergo Auguſtus, Julii exemplo, multatum ſcelus hoc voluit, cum *Legem Juliam* præſcriberet; Quem ſecuti poſtea ſunt Imperatores Chriſtianiſſimi, *Conſtantinus* & *Conſtantius* decreto laudabiliſſimo, quo infamibus *pædiconibus* infamiam & capitalia irrogantes ſupplicia, auferre malum hoc de terrâ conati ſunt. Quid enim horribilius monſtroſâ hac venere, peccato hoc *muto*? ſic dicto, quod de eo apertè loqui, etiam in ſermonibus, nefas ſit. Vocat id Lactantius *Adulterium contra naturam*; Clemens παρὰ φύσιν βδελυκτὴν μίξιν, & παρὰ φύσιν κακόν. Hoc maculatos idem Lactantius dicit *impios & parricidas, qui ſexum ſuum profane & petulanter illudunt.* Antonius Matthæus, Jure-Conſultorum noſtratium facile Princeps, fœditatem ejus abominandam hinc præcipue amplificat. *Quod nefariis iſtis libidinibus tot homines occidantur, tantum ſeminis nefarie profundatur*; ſecutus *Platonem*, cujus hæc ſanctio fuit: *Abſtinendum a* maribus *jubeo, nam qui iſtis utuntur, genus humanum dedita operâ interficiunt, in lapidem ſeminantes, ubi radices agere, quod ſeritur nunquam poteſt.* Aſt ſpecioſè ſic magis loquuntur Viri illi Magni, quam ſolidè. Utcunque enim deteſtandum in modum peccent, qui genitalem ſanguinem profanè delapidant, ratio tamen, qua adſtuere id conantur, nervum non habet. Quodſi enim ſic argumentari par ſit, omnes quoque conjugum congreſſus improlifici damnari neceſſe eſt; ut ſenum cum uxoribus vetulis, omniumque eorum, qui cum gravidâ conſueſcunt: quod perabſurdum eſſe, nemo inficias ibit; cum matrimonium non tantum ad generationem prolis, ſed in incontinentiæ medelam inſtitutum etiam ſit. Optimè laudatus mox Lactantius: *Neque ob aliam cauſam* (inquit) *Deus, cum cæteras animantes ſuſcepto fœtu, maribus repugnare voluiſſet, ſolam omnium* mulierem *patientem Viri fecit, ſcilicet ne, fæminis repugnantibus, libido cogeret Viros aliud appetere, eoque facto caſtitatis gloriam non tenerent.* Quæ *Lactantii* conſideratio, de

Inn. in Deut. 23. Lib. 3. Cod. Theod. ad Leg. Iul. de Adulter. Leg. 31. Cod. Inſt. de Adulter. Salmuth. ad Panciroll. p. 1. Tit. 47. pag. m. 221. Lactant. Divin. Inſtit. cap. 23. Matth. de Crimin. pag. 461. Plat. de Leg. lib. 8. Lactant. de vero Cult. lib. 6. cap. 23.

de ſolâ muliere gravidâ virum non reſpuente, an abſolute vera ſit, jam non excutio. Innuere videtur *Plinius*, etiam alia animalia ejuſdem eſſe genii: *Præter mulierem* (ait) *pauca animalia coitum novere gravida, in quibus paucis* ſus & equa *communiter numerantur*. Ariſtoteles ſolius *Equæ* mentionem facit. Μόναι τῶν ζώων ὀχείας ἐπιδέχονται κυοῦντα γυνὴ καὶ ἵππος. Rationem tantum allego, quâ, non ob ſolam prolis multiplicationem, ſed & in incontinentiæ repagulum, matrimonium inſtitutum eſſe, manifeſtum fiat. Quam obrem neque unquam tam laudabile mihi viſum fuit *Zenobiæ* illud, Palmyrenorum Reginæ, fæminæ alias eruditiſſimæ non tantum, ſed & variis ſcriptis claræ, inſtitutum, utut tanquam inſignis Caſtitas a multis deprædicatum, *quo*, ne *Virum ſuum quidem ſciret, niſi tentatis conceptionibus. Nam cum ſemel concubuiſſet expectatis menſtruis, continebat ſe, ſi prægnans eſſet, ſin minus iterum poteſtatem quærendis liberis dabat*. Neque quod de *Ethelrida*, Annæ ſeptimi Anglorum Orientalium Regis filiæ, *Eduardique Confeſſoris* abſtinentiâ refertur; quorum *illa* duobus utut ſucceſſivè nupta viris, neutrius congreſſum unquam admiſit, *hic* Edithæ, uxori alias lectiſſimæ, τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν obſtinatè ſemper negavit. Alii proinde ſceleris hujus atrocitatem ac tetritatem hinc melius derivarunt, quod de induſtriâ in eo univerſa impugnetur natura, liteturque puræ libidini, ne ullo quidem naturali, etiam inordinatiſſimo motu, hominem eo inſtigante: quinimo omnium pecorum brutiſſimus impetus abſurdiſſimæ libidinis ſtimulis exſuperetur, quæ quippe omnia a monſtroſo hoc congreſſu abſtinere communi experientiâ exploratiſſimum eſt. Et certe, ut ad *Platonem* redeam, ſi infeſtus is ita fuerit huic nequitiæ (ut præ ſe ferre verbis citatis videtur) quanto quidem prudentius inutili peperciſſet verboſitati, quâ *Phædrum* ſuum non tam deterrere ab eâ conatus olim eſt, quam, ſub prætextu limitationis quaſi infandæ impuritatis, eo ipſum propellere. Verba ejus videri poſſunt apud *Euſebium Neo-Cæſarienſem, de Præparat. Euangelic. lib.* 13. *cap.* 20. *pag. m.* 708. 709. indigna, quæ huc tranſcribantur. Ad rem *Philo*: Πλατωνικὸν ὅλον σχεδὸν (inquit) ἐστὶ περὶ ἔρωτος, οὐκ ἀνδρῶν ἐπὶ γυναιξὶν ἐπιμανέντων, ἢ γυναικῶν ἀνδράσιν· αὗται μὲν γὰρ ἐπιθυμίαι ὑπομένουσι νόμοις φύσεως, ἀλλὰ ἀνδρῶν ἄρσεσιν ἡλικίᾳ μόνον διαφέρουσι. *Platonicum Convivium totum fere in amoribus conſumitur*,

Plin. lib. 1 *cap.* 7.

Ariſtot. de Generat. Animal. lib. 4. *cap.* 5.

Trebell. Pollio in 30. *Tyrann.*

Baker. Chronolog. Regg. Angl pag. 20. 61.

Velthuſ de Natural. Pudor. p. 69

Philo lib. de Vit. Contemplat.

Digitized by Google

tur, non virorum modo in mulieres, mulierum in viros inſanientium; tales enim cupiditates lege naturæ explentur, ſed virorum in ſexus ejusdem, *ſolâ ætate diſpares. Nam ſiquid* (addit) *ibi de amore cæleſti ſpecioſe dici auditur, id honeſti obtentus cauſâ aſſumitur.*

XXI. Quanto itaque non jure hæc etiam *monſtra* Sanctiſſimus Deus a Populi ſui communione remota voluit? Nam certè, ſi nulla in Republicâ oportet ferri ſcelera, hoc quidem præ omnibus aliis videtur eliminandum, quo quippe & homines ſingulares & familiæ, & ordo publicus, totum denique vinculum humanæ ſocietatis conturbatur, *facto*, *exemplo* & *conſequentiâ*. Quia homines, qui in turpiſſimam illam libidinem defluunt, neque ſui compotes amplius eſſe poſſunt, neque Dei reverentiâ, aut ſui, familiæ, publicique ratione amplius duci, ex quo in iſtud malum ruere inceperunt. Nihil dicam amplius, cum vel ipſum nomen chartas quodammodo inficiat.

XXII. Ergo

habeat jam Roma pudorem,

quod inter Antiſtites ſuos nacta ſit, qui nequiſſimi hujus flagitii laudes cantare & publicè ebuccinare non detrectarunt. Ita, poſito omni pudore, Ao. 1550. fecit *Johannes de la Caſa*, libro Italicis verſibus Venetiis edito, hunc titulum præferente: *Liber de Laudibus Sodomiæ.* In quo aperte dicit: *Sodomiam artem eſſe ſingularem, opus bonum, imo divinum, ſeque hoc ipſa experientia compertum habere.* Neque tamen dignus habitus monſtroſus is homo apud Eccleſiam Romanam fuit, qui ad Archiepiſcopatum *Benevetanum*, Papalis Cameræ *Decanatum*, imo *Legationem Pontificalem*, non promoveretur; ſingulis enim hiſce dignitatibus, etiam poſt evulgatum infernale hoc opus, defunctus eſt, ſolo *Cardinalitii honore* (ut rem palliare qualitercunque ſtudet Hardingus) *per omnem vitam excluſus.* Parem quoque caſtimoniam, Epiſcopali gravitati convenientem, Epiſcopo *Imbanienſi* adſcribit Salmuthus, *ob epigramma* (inquit) *ad* Gravolanum *moſtupatorem miſſum, longe fœdius & putidius, quam ut Commentariis ſuis infereret.* Ut & Dialogi, a ſeipſo viſi, meminit Agrippa, de *Arte meretricia utriusque Veneris*, ſub titulo *Cortoſane*, linguâ Italicâ *Venetiis* typis excuſi, quem *flagitioſiſſimum* pronunciat *digniſſimumque, qui cum Autore ſuo ardeat.* Docebat enim utrumque ſexum, & in utramque venerem impudenter ruere, idque quidem ingenioſè, juxta *Ar-*

Voet. Diſpp. Select. vol. 1. pag. 204.

Salmuth. ad Pancir. part. 1. Tit. 47. pag. 222. 223.

Agripp. de Vanit. Scientiar. cap. 63.

Artis præcepta. Reducendi ſcilicet ſic erant *Initiati*, non *Veteris Eccleſiæ*, Græcis μεμυημένοι dicti, quibus licebat olim ſacramentorum communioni intereſſe, *Fideles* aliter nuncupabantur, ſed *impuræ libidini*, id eſt, tales homines, qui exactius, ad ſpurcitiem carnalem inſtituti eſſent. De his Julius Firmicus: *e[illegible]dio* (inquit) *Cinyram Cyprium templum amicæ meretrici donaſſe: et erat* Venus *nomen.* Initiaſſe *etiam Cypriæ Veneri multos, & variis conſecrationibus deputaſſe. Statuiſſe etiam, ut quicunque* initiari *vellet, ſecreto Veneris ſibi tradito, aſſem in manum mercedis nomine Deæ daret.* Et Deus apud Hoſæam cap. 4. 14. *Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras, cum adultaverint, quoniam ipſi cum meretricibus converſabantur, & cum effœminatis ſacrificabant.* In quæ poſteriora verba Grotius: *Et cum* effœminatis *ſacrificabant*] *Explicavit* קדשות q. eſſet קדשים, *quomodo & Aquila hic vertit* ἐναλλαγμένους, *eos ſcilicet*, qui μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν. *Sed vox, quæ hic legitur fœminina eſt, ſignificat Sacerdotem fœminam, quæ ſe vulgabat in honorem Beelphegor.* Septuaginta Interpretes habent: Καὶ μετὰ τῶν τετελεσμένων ἔθυον, *cum* Initiatis *immolabant.* Initiati autem hi erant (judice Theodoreto) *ſacris impietatis devoti & dedicati.* Græci enim τετελεσμένους vocarunt, *qui accuratius* impietatem docti erant. Habebant enim (ut videtur) Iſraelitæ τετελεσμένους & τελεσφόρους, quorum *illi* erant, ut jam dictum, qui docebantur impietatem, *hæ* quæ eam docebant. Sic enim rurſus Septuaginta, Deut. 23. 17. Οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ οὐκ ἔσται τελεσκόμενος πρὸς πᾶσαν εὐχὴν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, *Non erit ferens teletas de filiabus Iſrael, & non erit* initiatus *de filiis Iſrael.* Ubi adverte, non ſine ratione prohibuiſſe Deum, ne aliquæ ex filiabus Iſrael eſſent τελεσφόροι, id eſt (interprete Theodoreto) quæ alios ſacris imbuerent; præſagiit enim certo, tales futuras olim, quæ tanquam pontifices viros in ſacris Veneris erudirent, &, ut de *Alexandro* Lampidius, *ad uxores inſtituerent.* Prout & Gentes fuere, apud quas palmam aliis præripiebant, qui exquiſitiores libidinis illecebras invenirent, aliiſque communicarent. *Spintrias* vocat Suetonius, id eſt, *monſtroſi concubitus repertores.* Spintrias (habet de Caligula) *monſtroſarum libidinum greges, ne profundo mergeret, exoratus, urbe ſubmovit.* Σπινθὴρ eſt *ſtrictura ignis*

X ſive

Chryſoſt. in Geneſ. c. 9. & [illegible] 140

Tertul. Apol. c. 10.

Jul. Firmic. de Error. Prof. Relig. p. 34. 6.

Grot. in Hoſ. 4. 14.

Theodoret. in Eund. loc.

Camart. Eli. Thesbit. cap. 8. §. 10.

Sueton. in Tib. cap. 43. & in Calig. cap. 16.

ſive *ſcintilla* potius, unde σπινθηρίζειν, *ſcintillare*. Quibus vocibus vocabulum *Spintria* forte originem ſuam debent. Nulli enim turpius libidinis veluti *ſcintillis* inflammantur, quam *Spintriæ*, imprimis pæderaſtæ; de quibus Apoſtolus, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλων, Naturali fæminæ uſu relicto, *in ſe invicem deſideriis ſuis exarſerunt*. Rom. 1.27. *A* patientiâ denominavit Tacitus: *Tuncque* (inquit) *primum ignota vocabula reperta ſunt, ſellariorum* & Spintriarum, *ex fœditate loci & multiplici patientiâ*. Turnebus: *Spintriam eum accipio, qui muliebria patitur, ſeque aliis abutendum præbet: certe pro Spintria Dionis compendium πεπορευκότα dicet*, id eſt, *proſtitutum & ſtuprum paſſum*. Commendatiores autem nonnunquam apud Veteres fuiſſe, qui diligentiores & ſolertiores in nefaria hac arte eſſent, teſtis eſt Juvenalis:

Tacit. Annal. l. 5. Turneb. Adverſ. lib. 5. c. 1.

Juven. Sat. 6.

> *Lenonum ancillas poſita Lauſella corona*
> *Provocat, & tollit pendentia præmia coxa,*
> *Ipſa Medullinæ frictum criſſantis adorat,*
> Palmam *inter dominas virtus natalibus æquat.*

Hujuſmodi, inquam, Magiſtris opus forſan Romanæ Eccleſiæ fuiſſe, arbitrati Heröes illi ſunt, qui *Sodomiæ* encomiis *Artiſque meretriciæ utriuſque veneris* præceptis deſtitutam eam eſſe noluerunt.

Alvar. Pelag. de Planctu Eccleſ. l. 2.

XXIII. Ne de pudendis ejuſdem *Curiæ* circa maſculum hoc ſcelus *Decretis* addam, quibus prodigioſiſſimo huic flagitio fibulam plus juſto ſemper laxavit: peſſimo accedente Præſulum variorum exemplo, quo vulgi laſcivientis ardorem & in turpiſſimos amores pronitatem non tam reſtinguere, quam excitare potius conati ſunt. *Optandum eſſet* (verba ſunt Honsdorfii) *Romanæ Sedis Antiſtites* Sodomitici *iſtius peccati fœditatem ex Divi Pauli doctrinâ agnoſcere, ſibique ab ea temperare, ne vita & moribus ipſimet teſtentur, ſe in reprobum ſenſum propter idololatriam, divinæque gloriæ prophanationem traditos eſſe.* In *ipſo Concilio Lateranenſi* (pergit idem) *habito ſub Leone X. Ao.* 1517. Franciſcus Picus *gravi oratione Pontificiorum vitam reprehendit; indicans ab ipſis quibuſdam parentibus impiis Romæ filios Cardinalibus &* Sacerdotibus *vendi, & Sodomiticæ eorum fœditati & libidini tradi.* In hoc certè ipſis *Corinthus* non melioribus, ſed pejoribus potius & impudentioribus, quod non, ut hi, e ſexu fæmineo tantum, ſed & virili cara ſua pignora proſtituerint, quin ad impiiſſimam venerem ipſo pretio divendenint. De Corinthiorum hac conſuetudine ſpurciſſimâ & idololatricâ, me-

Honsdorf. Theatri Hiſtor. in 7. Præcept. pag. m. 565.

Strab. Geograph. lib. 8.

meliore tamen hac, quam P*icum* civibus Romanenſibus improperare audivimus, ſic habet Strabo: *Corinthus, quod in Iſthmo eſſet, duos habuit portus*, alterum *adverſus Aſiam*, alterum *Italiæ oppoſitum; negotiatorum frequentiâ locupletiſſima fuit. Fuitque in eadem Templum Veneri ſacrum, adeo locupletatum, ut plus* mille puellas *caperet, quas Corinthii Veneri conſecrabant, ut in ejus honorem proſtarent. Itaque harum gratia frequens in Urbe multitudo undique confluebat, unde & Civitas majorem in modum ditabatur. Quinimo negotiatores, hoſpites ac nautæ, propter urbis* luxum delitiaſque *immoderatos, ſumptus* facientes, *exhauriebantur. Atque hinc proverbium illud*, Cujuslibet non eſt Corinthum appellere, *dimanavit*. Græci dicunt:

> Ὀυ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κορίνθον ἐσθ' ὁ πλοῦς.
> *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*

Queſtus etiam de ſcelere hoc eſt Bernardus: *Tolle de Eccleſia* (Romanâ) *honorabile conjugium & thorum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus*, Maſculorum concubitoribus, *& omni genere immundorum.* Imò ne quidem inter ipſos P*apas*, egregios illos Eccleſiæ Sponſos, quoſdam puduit, infandâ hac impuritate palmam aliis præripere? *Sannazarius* (quem Bellarminus inter *Scriptores Eccleſiaſticos* numerat, at non ſub nomine *Actii Synceri Sannazarii*, cognomen enim illud adſumpſerat, ſed ſub nomine *Jacobi Sannazarii*, quique ſæculo præterito floruit) hunc in modum de *Alexandro* VI. cecinit:

Bernard. in Cantic. Hom. 66.

Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. pag. m. 306.

Sannazar. de part. Virgin.

> *Orbem rapinis, ferro & igne funditus*
> *Vaſtavit, hauſit, eruit.*
> *Humana Jura, nec minus cæleſtia,*
> *Ipſoſque ſuſtulit Deos.*
> *Ut ſcilicet liceret, heu ſcelus! Patri*
> *Natæ ſinum permingere.*
> *Nec execrandis abſtinere* nuptiis,
> *Timore ablato ſemel.*

Mantuan. de Calamit. ſui Temp. lib. 3.

Quin expreſſius *Mantuanus* de *Urbe Roma* (fuit is, teſte eodem Bellarmino, *Poëta pius & doctus*)

> *Sanctus ager ſcurris, venerabilis ara* cynædis
> *Servit, honoranda Divum* Ganymedibus *ædes.*

Bellarm. Tr. cit. pag. 305.

Sic ut mirari forte ſubeat, ſacerrimos hoſce Petrinæ, ut jactant, naviculæ gubernatores,

Queis triplici ſacrum fulget honore caput,

In lucrum, ex impiiſſimâ hac libidine redundans, nunquam tributum aliquod inſtituiſſe: quemadmodum Caligulam, ex *capturis proſtitutarũ vectigal inſtituiſſe, quantum quæque uno mereret concubitu,* autor eſt Suetonius. *Capturas proſtitutarum* (addit Torrentius) *ut ſordidiſſimæ mercis capturas.* Prout *Sixtus* IV. nobile admodum Lupanar *Romæ* etiam erexit, ut ex meretricandi commercio infame ſibi lucrum acquireret; aſſectantibus ipſum in hunc uſque diem Succeſſoribus ſuis, qui (teſte *Carpzovio*) ſcorta *Romana* tot nummos Julios pendere hebdomadatim faciunt, ut cenſus eorum annuus viginti ducatorum millia nonnunquam excedat. Tantus nempe quæſtus ad S.S. illos P. P. redundat e ſcortis *muliebribus*, quidni ergo etiam aliquis e *maſculis*, ſi lucri bonus odor e re qualibet? Imò idem hic *Sixtus*, teſte Agrippa, *Cardinali* cuidam *maſculæ veneris* uſum certis menſibus ſecure indulſit. Tam blanda ſcil. meretrix Septicollis *Roma* eſt, talis cucullatus ejus Clerus, talia mitrata illius Capita, ſpurcitiei tum meretriciæ tum *Sodomiticæ* tam parum infeſta, utinam non nimis ſæpe addicta! Sed Augiæ ſtabulum repurgare forte facilius eſſet, quam foetidas haſce *Aulæ Romanæ* ſordes pro merito detegere. Quapropter neque mirum eſt, Germanos olim Veteres contra meretricias frontoſiſſimi *Cleri* inſidias hocce ſe invicem rythmo monere & munire conſueviſſe:

Sueton. in Calig. c. 40. Torrent. in eund. Carpz. de Iure Reg. Heb. pag. m. 277. Agripp. de Vanit. Scient. cap. 64.

Quicunque proprias domos
Thorumque mundum diſcupit
Habere; familiamque integram
A labe ſpurca, Clericos
Quoſcunque longè abarceat:
Hi ſunt Cynædi, *fornices,*
Mæchique, adulterique, & ut
Dicamus uno: PERNICIES.

Rhonæus de reformand. Antichriſt. tom. 1. part. 2. §. 2. cap. 7.

XXIV. Atque hęc quidem Sancta illa Eccleſia eſt, quam non puduit, per Promachos ſuos averſabilis hujus impietatis cœnum, cui tota ipſa involuta jacet, Doctoribus quibuſdam *Reformatis*, Viris pietate non minus quam eruditione inſignibus, calumnioſè etiam adſpergere. Ut unum tantum *Bezam* attingam, quid Viro iſti optimo ab Adverſariis ſuis, quod huc pertinet, non eſt improperatum? *Salacem* cum dixit Feuardentius, *Pæderaſtam* Fromondus, &, nequid

Feuard. in Iac. 3. Fromond. in Criſ. adv. Voet.

quid mendaciloquio deeſſet, *Galliæ probrum*, *Simoniacum*, Sodomitam, *omnibus vitiis coopertum* Jeſuita Coſterus. At quid ita? *Beza* primâ juventutis face, nonnullis ex ipſo Papatu non abnuentibus, imo annuentibus, in *Candidam* quandam & *Audebertum*, ſi non petulantius, imprudentius ſaltem luſerat, hiſce inter alia verbis, quæ præcipue offendiculo videntur fuiſſe:

Coſter. Apol. lib. 3. *cap.* 1.

> *Abeſt* Candida, *Beza quid moraris*?
> Audebertus *abeſt*, *quid hic moraris?*
> *Tenent* Pariſii *tuos amores*,
> *Habent* Aurelii *tuos lepores*.
> *Et tu* Vezeliis *manere pergis*.
> *Procul* Candidulâque Audebertuloque?
> *Immò* Vezelii *procul valete*,
> *Namque* Vezeliis *carere poſſum*,
> *Et carere* Parente, *& his & illis*;
> *At non* Candidulâ Audebertuloque.

& ecce conſequentiam: ergo Beza *ſalax* fuit, *pæderaſta* fuit, *Sodomita* fuit, *omnibus vitiis coopertus* fuit. At quid *Bezam* magis hæc feriunt, quam ſonitus aſini ex Arcadiâ? Dico ego: Lepidus Papiſtarum *Lipſius* petulantius luſit in *Andream Scottum*, cum diceret: *An ſileam in tuo reditu? Ipſum te expecto, & cum Poetâ, brevi*
Jucundum os oculoſque ſuaviabor.

Lipſ. Epiſt. **Gent.** 3. *ad* **Belg.** *pag. m.* 34.

Ergone *ſalax*, *pæderaſta*, *ſodomita* Lipſius etiam fuit? Non dicent id, credo, mordaces rabulæ. Ipſe *Beza* laſciviores illos ludos poſtea confeſſus eſt, & pie retractavit. *Peccata* vero *præterita* (verbum eſt Hieronymi) *quid nocent, ſi non placent*? Etiam *Auguſtinus* ſub Manicheiſmo *concubinarius* fuit, poſt converſionem vero in alium hominem eſt mutatus. Et quid ipſe *Ignatius Lojola*, Jeſuitarum Parens, quem *Maphæus*, vitæ ejus Scriptor, *vanitatis vile mancipium* nuncupavit? diffiterine auſit raſus grex diſſolutâ ejus adoleſcentiam? At ergone & ille *pæderaſta*, *ſodomita*, *omnibuſque vitiis coopertus* fuit? Ne de S. ipſorum *Maria Ægyptiacâ* dicam, de quâ ipſi narrant, quod per ſeptendecim annos nulli non corpus ſuum vulgaverit, imo tam liberalis fuerit in addicendo, ut, cum aliquando flumen trajectura eſſet, & pecuniam non haberet, nautis ſe loco nauli ſupponere maluerit, quam precario trajicere. Ergo quid minus, quæſo, de hiſce ſuis corculis ad ravim uſq; clamitant Romani ſycophantę, quam de *Beza*, noſtro, procul dubio ideo tantum, quia *noſter* fuit? Et fuerit Beza, opinione eorū, pęderaſta, an Reformatus talis fuit, an Pontificius?

Hierony. in Marc. 16.

Maphæ. in Vit. Ignat. Lojol. lib. 1. *cap.* 4.

Iac. de Voragine Hiſtor. de S. Mariâ Ægyptiac.

cius? quis eſt, qui poſterius neget? Et quid Eccleſiæ Reformatæ honoris & ſanctitatis eo tum deperiit? Tacere ſaltem, ut liquet, oportet hic Papicolas, qui dum hæc & ſimilia aliis exprobrant, obtendunt fere quæ ipſi amoliri a ſe non poſſunt.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Mantuan. de ſuor. Temp. Calamit. lib. 3. Habuit, fateor (nam & in ipſis hoſtibus virtus laudanda eſt) Societas Romana *privatos* quosdam Doctores, *Damianos*, *Mantuanos*, *Pelagios*, qui ſpurciſſimam hanc nequitiam animitùs improbarunt. At, ſi *publicos* ejus *Canones* ſpectes (de quibus obiter etiam ſupra) impoſſibile eſt, non indignari, quod tam indulgenter cum *pæderaſtis* ſemper actum ſit. *Capitalem* enim *pœnam*, ipſis etiam Clericis *Sodomitis* decretam eſſe, nullibi oſtendes. Teſtatur id exertim *Alvarez Pelagius*, mox laudatus, dum infit: *Secundum* Canones *pro hoc* flagitio *Clericus deponitur*, *& ad perpetuam pœnitentiam agendam*, *in monaſterium detruditur* (quanta ſeveritas!) *Religioſus vero incarceratur*, *ſecundum Religioſorum conſtitutiones.*

Alv. Pelag. de Planct. Eccleſ. lib. 2. Artic. 2.

Rivet. Ieſuit. Vapul. cap. 2. & 3.

XXV. At, ne nimis operoſe camarinam hanc moveam, verbis abrumpam Lactantii, qui ſic in lutulentiſſimam Pœderaſtarum „ turbam invehitur: His obſcœnitatibus (*inquit*) animas ad Sanctitatem genitas, veluti in cæni gurgite demerſit (Infernalis „ Veterator) pudorem extinxit, pudicitiam profligavit. Idem etiam mares admiſcuit maribus, & nefandos coitus contra naturam, contraque inſtitutum Dei machinatus eſt, ſic imbuit „ homines & armavit ad nefas omne. Quid enim poteſt eſſe „ ſanctum iis, qui ætatem imbecillam & præſidio egentem libidini ſuæ depopulandam fœdandamque ſubſtraverint. Non „ poteſt hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum, quam impios & parricidas, quibus non ſufficiat ſexus a Deo datus, niſi & ſuum ſexum profane „ ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos levia & quaſi „ honeſta ſunt. Quid dicam de iis, qui abominandam non libidinem, ſed inſaniam potius exercent. Piget dicere. Sed „ quid his fore credamus, quos non piget facere? Et tamen „ dicendum eſt, quia fit. De iſtis loquor, quorum teterrima „ libido & execrabilis furor nec capiti quidem parcit. Quibus „ hoc verbis aut qua indignatione tantum nefas proſequar? „ *Vicit officium linguæ ſceleris magnitudo.* Tu, ergo, exclamem „ jure, cum *Guirando Aloſiano*,

Lactant. de Vero Cultu. lib. 6. cap. 23. fol. m. 95.

Fla-

Flamine qui terras terres, & fulmine torres,
Fulmine fac ſubito talia monſtra *peti!*

Vel potius invictâ tuâ manu ad ſalutarem pœnitentiam gratioſè eos reſtitue! *Guirand. Aloſian. Ep. ad Arnaud.*

EXERCITATIO VIII.

DE

CALCULO ALBO.

BREVIARIUM.

Promiſſio Chriſti ex Apocal. 2. 17. *propoſita.* Calculi *proprie dicti definitio. Vſus* Calculorum *varius.* Cujus *formæ* olim *fuerint incertum. Eorum, dum eligeretur Magiſtratus, in urnam mittendorum ex eâque educendorum ratio qualis? Cur* Mercurii *nomine inſcripti?* Albæ *fabæ apud Antiquos uſus.* Atri & Albi *Romanorum dies qui? Inter ludum* Calculorum & Latrunculorum *qualis differentia? Vnus idemque utriuſque Autor. Ludus modernus* Schachicus & Latrunculorum *idem.* Jacobi *Brittanniarum Regis ad Filium ſuum de illo παραίνησις.* Ludovici IX. *contra eo ſe exercentes edictum. Autoris anonymi* Schakerium *ἀνέκδοτον. Incommoda* ludo *huic connexa. Procorum ſolertia eo olim explorata. Nomen ejus apud* Perſas? *Super* Calculis *Athletis olim datis* Grotii & Martinii *pugna.* Calculi *non* unâ *ſed* trinâ *vice certantibus dati.* Hadrianus Junius *laudatus. Modus, quem in deſignandis* Calculo *pugnaturis, Veteres obſervabant, expoſitus.* Perſonæ *non tantum pugnaturæ ſed &* urbes *expugnandæ* calculis *indicatæ. Sortis Pythagoricæ apud Antiquos ratio.* Præmia *victorum εἰσηλαστικὰ quæ?* Co-

Digitized by Google

Coronarum, *quibus Romani victores ſuos condecorabant, ſpecies variæ.* Calculi *Iudiciales.* Χοιρίναι, σπόνδυλοι, φρυκτοὶ *quid?* Duplex, *in quam* Calculi *olim injiciebantur, urna,* miſericordiæ *una*, mortis *altera. Vrna in judiciis* ænea *in certaminibus* argentea. Ψῆφον λευκὴν προθεῖναι *quid? Calculus* abſolutorius & triumphalis *a Chriſto allegatis verbis indicatus. Eoque nil niſi Remiſſionis peccatorum* ſenſus *denotatus. Difficultas expedita. Piorum a peccatis ſuis abſolutio non ſimplex ſed triplex.* Albus *color Victoriæ & Lætitiæ* niger *miſeriæ & infortunii index.* Calculus, *quo hic reſpicitur, ad bona cæleſtia non reſtringendus.* Alex. Mori παρερμηνεία *notata & profligata.* Anſbertus *refutatus.* Ambroſii, Ruperti, Alcazaris *errores detecti. Fabula de* Lapide Philoſophorum *exploſa.* Leonis X. *in Chryſopæum quendam feſtivè dictum.*

I. APoc. 2. 17. promittit Chriſtus vincentibus CALCULUM ALBUM, ψῆφον λευκήν. Τῷ νικῶντι (inquit) δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὸν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς ἔγνω εἰ μὴ ὁ λαμβάνων. *Victori dabo edere ex Manna illo abſcondito, & dabo illi* Calculum Album, *& in* Calculo *novum nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui accipit.* Eraſmus habet calculum *Candidum.* Alii *Lapillum album*, vel candidum. Obſervabimus in hunc Locum quædam de *Calculorum* uſu *in genere*, quædam de *Calculo*, quem Chriſtus hic indicat, *in ſpecie.*

II. *Calculus* proprie eſt *Lapillus terra admiſtus, rotundus, atque duriſſimus & omni puritate leviſſimus*; ut deſcribit eum ex Iſidoro Martinius. Dictus autem *Calculus* (addit) quod ſine moleſtiâ ſui levitate *calcetur*; adeoque contrarius ei eſt *ſcrupus*, lapillus minutus & aſper, qui, ſi inciderit in calceamentum, nocet & gravis eſt animo. Unde & animi moleſtia *Scrupulus* dicitur. At ſunt, qui tam ſcrupuloſe hæc non diſtinguunt, verum non minus

Martin. Lexic. Philolog. in voc. Calculus.

nus gravem ſubinde *Calculum* eſſe, quam *ſcrupum*, non ſine ratione putant. Hi *Calculum* dictum exiſtimant, non quod *ſine moleſtiâ ſui levitate calcetur*, ſed quod *calcem*, hoc eſt, pedem offendat. Saltem lapillus in venis aut renibus generatus, exquiſitiſſimi doloris cauſa, *Calculus* etiam dictus. Sic Plinius: *Sed hominum quibusdam diro cruciatu ſubinde naſcentes* Calculi, *& ſetarum capillamenta.* *Plin. lib. 11. cap. 37.*

III. Qualis *Calculorum*, apud homines uſurpatorum, forma olim fuerit, an rotunda, an quadrata, an alia, vix certo dixeris; probabile eſt, haud eandem ſemper eam fuiſſe, ſed variaſſe pro vario, in quem adhiberi ſolebant, uſu; qui multiplex fuit. Non inſolens. 1. quibusdam erat ipſum ſuum nomen *Calculis* ſcribere, ut *Martinius* obſervat. 2. In electione Virorum honoratorum & Magiſtratuum *Calculos* adhibebant, & *candidos* quidem: in his enim notabatur *candidati* illius nomen, quem novo quiſque Magiſtratu aut honore dignum judicabat. *Calculi* hi certo numero in urnam mittebantur, præmiſſo *oleæ* folio, *& Mercurii* nomen inſcripto, quem præſidere ſortibus credebant. Poſtea ſinguli auferebant, &, repetito in ordinem ductu, ſecundos tertioſque tollebant. Tandem eductis omnibus, prout quiſque ſignatorum *Calculorum* numero ſuperabat, ſic *Magiſtratum* capeſſebat. 3. *Calculo* etiam utebantur ut inſtrumento *logiſtico*, apud nos *een Reken-of Leg-penning* dicto. Hinc ψηφιςὴς, *calculator*, ſupputator; & ars logiſtica *calculatoria* nuncupata *Calculorum* operâ Thraces, Græci, Barbari, Romani Arithmeticam addiſcebant, licet impari felicitate. Ita Alexander ab Alexandro: *Hoc tamen ad memoriam* (inquit) *inſigne eſt, quod quamvis pueri tam caſtigata diſciplinæ forent, ut omnis eſſet vita plena gravitatis*, Calculum *tamen ediſcere, & computationibus dare operam, in uſu fuit Romæ non improbando, tanquam inde redundaret ingenii ratio exactiſſima.* Quibus *duobus repertis* (inquit Auguſtinus) *nata eſt illa Librariorum &* Calculonum (melius *Calculatorum*) *profeſſio, velut quadam* Grammaticæ *infantia.* Solon eos, qui apud Principes authoritate valebant, *Calculis computatoriis* ſimiles dixit: ut enim hi (dicebat) quandoque *majorem* numerum quandoque *minorem* ſignificant, ita Regum aſſeclæ,

Martin. loc. Citat.

Gomar. Oper. Theol. part. 2. pag. 508.

Alex. ab Alexand. Gen. Dier. lib. 2. cap. 25.

Auguſt. contr. Academ. lib. 2.

Digitized by Google

Forcatul. lib. 1. de Imper. & Philoſoph. Gall.

& qui claris in aulâ honoribus fulgent, repente obſcuri & ignobiles fiunt, inuſtâ notâ, publicatis opibus, ademtâ vitâ; non minus propter delicta propria, quam ob Principum levitatem, aut invidorum inſimulationes. 4. Fauſtos dies *calculis albis* deſignabant. Sic ex *Baſilio Fabro* Glaſſius. *Solebant Thraces dies proſperos & latos notare calculo* albo, *in urnam conjecto, infelices vero* atro, *ut ſcirent, anno exacto, quot & quos dies latos, quos triſtes habuiſſent.* Erant qui *bacillis*, ad id aptatis, etiam utebantur, quorum pars *alba* proſpera, altera *nigra* aut *viridis* adverſa ſignificabat. Pertinet huc quod Tacitus habet, dum ait: *Sortium conſuetudo ſimplex virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper* candidam *veſtem temere ac fortuito ſpargunt; mox, ſi publice conſulatur Sacerdos civitatis, ſin privatim, ipſe Paterfamilias, precatus Deos, cælumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante* notam *interpretatur.* Neque *Thracum* id tantum fuit, ſed aliorum etiam, imprimis *Cretenſium*. Unde Perſius:

Glaſſ. Rethoric. Sacr. p. 399

Tacit. Deſcript. German. in Initio.

Perſ. Sat. 2.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus *annos.*

Dicuntur Latinis *Albi* etiam *dies* quicunque fortunati, ut *Atri*, quibus Romani inſignem aliquam cladem acceperant; qualis fuit dies *Allienſis*, quem *Plutarchus* ἡμέραν ἀποφράδα dixit; ut *Dio* Triumviri Reip. conſtituendæ diem, quo *J. Cæſar*, interfectus eſt, διαφράδα. Narrat in *Pericle* etiam Plutarchus, quod cui contigiſſet *Alba faba*, ei, *cæteris pugnantibus, in convivio atque otio agere permitteretur.* 5. Ægyptii, aliique ludebant *Calculis*; unde ortus *Latrunculorum ludus* videtur, in quo *Uterque* ludens quinque *Calculos* habebant in *laterculo*, totidem lineis diſtincto, quorum medius ἱερὰ γραμμὰ dicebatur, ipſe laterculus πόλις, *calculi* Κύνες, erantque hi ut paſſim *vitrei*, juxta hoc Ovidii:

Plutarch. in Camill.

Dio l. 47.

Plutarch. in Pericle.

Eraſm. in Adag. Cent 5 Adag. 141.

Ovid de Arte Amand. l. 2

Sive Latrocinii ſub imagine calculus *ibit,*
Fac pereat vitreo *miles ab hoſte tuus.*

ita utrimque diſcolores; ac in eo ludentium induſtria verſabatur, ut *Calculi* duo concolores alterum diſcolorem circumventum tollerent. Ortusque hinc, inquam, videtur, *Latrunculorum* ludus, nam plane idem fuiſſe non puto; *tum* quod eodem modo in hoc, ac in illo, non procederetur; tum quod Latrunculi fuerint proprie *Romanorum*, calculi *Ægyptiorum* & *Græcorum*:

Dempſter. ad Roſin. Antiquit. Roman. lib. 5. cap. 1.

Turneb. Adverſ. l. 27. c. 3.

quo-

Digitized by Google

quorum itaque & mores imitatus dici debet *Scævola* Juris-conſultus, utut Romanus, cum animi vegetandi cauſâ *calculis* luſiſſe perhibetur; niſi forte Scriptor, qui hoc refert, *calculorum* & *latrunculorum* ludos inter ſe confuderit? Eſt is *Valerius M. in Noct. Attic.* lib. 8. 8. ubi hæc invenio: *Alveo quoque & calculis vacaſſe interdum dicitur, cum bene ac diu jura civium & ceremonias Deorum ordinaſſet.* Utrumque tamen eodem parente natum fuiſſe, cenſent viri Eruditi; *Palamede* nempe, *Nauplii* filio, qui in obſidione Trojanâ, quo milites in officio melius contineret, vel, juxta alios, *ad comprimendas otioſi exercitus ſeditiones*, ludicræ hoc dimicationis genus excogitavit: unde & loquendi ratio orta: *Palamedicis calculis occupari*; ut & hoc Apollinaris:

Tanquam Naupliades *repertor artis*
Gaudebas hilarem ciere rixam.

Valer. in liber. 8. cap. 8.
Nazianzen. Invect. 1.
Sidon. Apollin. carmin. 23.
Alex. ab Alexand. lib. 3. cap. 21.

Licet in alia alii abeant; quibuſdam ad *Pyrrhum Epirotam*, aliis ad Attalum ludi incunabula referentibus. Ludus vero hic *latruncularis* idem plane habetur cum *Schacchi* ludo, tum in *Perſicis*, tum in Regionibus *Europæis* uſitatiſſimo, quo victi cenſentur, cum *Regi* nullus patet effugii vel evadendi locus, unde & *Schacchicum* dictum volunt. Nam שחה Hebræis eſt *proſtavit* & מָוֶת *mors*, מֵת *mortuus eſt*; quod ludendo quoque Regi quaſi periculum & mors intentetur. Sed vix nervum ratiocinatio hæc habet. Magis *Bochartiana* hæc arrident: *Regum feſtum vocabant à Perſico* שאה Shac, *quod* Regem *ſignificare diximus. Indidem nomen Shaccorum ludo, quem voce compoſitâ Perſæ* שטרנג Shatrang *nominant, id eſt, Regis ludum* &c. *Et vulgare illud* שאה מאת Shacmat *Perſica lingua ſonat*, Regem *eſſe mortuum.* Ludus hic certe in ſe & per ſe ἀναμάρτητος eſt, exercitiis indifferentibus & plane innoxiis accenſendus (ſecus ac de *Chartularum* & *Aleæ* luſu judicandum eſt, cui *ſortis abuſus* involvitur) quin pro medio acuendi ingenii non contemnendo forſan habendus. Prout *Gothi* olim & *Sueci* filias ſuas elocaturi, antequam matrimonio eas cuiquam jungerent, procorum induſtriam mentiſque ſolertiam hoc ipſo explorabant. Sed quod (uti *de Scævola* Jure-conſulto mox dictum eſt, quod *animi vegetandi cauſa* calculis luſerit) ita & ludus hic *Schacchicus* in recreationem animique ab intenſioribus ſtudiis curiſque laxamentum ſemper cedat, non uſque adeo probabile mihi videtur. Saltem

Bell. Compend. Antiquit. Roman. lib. 5. cap. 2.
Caſſiodor. Variar. lib. 8. pag. m. 290.
Bochart. Geograph. Sacr. lib. 2. cap. 20.
Dempſter. ad Roſini Antiqq. lib. 5. pag. m. 429.
Iacob. R. Don. Reg. lib. 4. c. 71.

Jacobus, Britanniarum Rex, Filio ſuo *Henrico* uſu ejus plane interdixit; eo quod multo attentius implicetur ei ludentium animus, quam curis ſtudiiſque acrioribus & magis ſeriis. Quin *Ludovicus*
Wiſſembach. Diſſert. Iurid. 23. §. 19. IX. Galliarum Rex, ſpeciali eum edicto prohibuit, quod nimium paſſim temporis impendi ei a luſoribus animadverteret. Extat in inſtructiſſimâ *Ultrajectenſium* Bibliothecâ Tractatus ſingularis de hoc *Ludo*; ſed manuſcriptus & ἀνώνυμος, in quo (quantum per abbreviaturas aſſequi licuit) omnia ejus ſecreta & artificia panduntur non tantum, ſed & diffuſe ſatis deducuntur, & ad vitæ humanæ mores judicioſe accommodantur. Inventorem ludi ſtatuit is Au-
Anonym. Schaker. cap. 2. 3. thor, quiſquis ſit, non *Palamedem*, *Nauplii filium*, de quo mox, ſed Philoſophum quendam Orientalem, *Terſem* nomine, juxta Chaldæos, ut *Philometorem* juxta Græcos, juxta Latinos *juſti amatorem*. Tres facit inventionis ejus cauſas, Regum correctionem, otii evitationem, bonorum ſubtilium multiplicem inventionem. Narratque de Rege Babyloniorum *Elmerodacho*, quod, videns hunc Ludum, multoſque milites & Duces & Barones cum Philoſopho bellicoſe ludere, miratus exercitii pulchritudinem & novitatem ſit, eo quidem uſque, ut diſcere illum, ac cum Philoſopho ludendo bellare deſiderarit. Ad quod cum Philoſophus reſpondiſſet, non poſſe id fieri a Rege, niſi prius formam diſcipuli aſſumere non dedignaretur, accepiſſe Regem illam conditionem, *Terſemque* tabellarii ſuſcepiſſe formam, atque illa ſub προφάσει, & ludendo quaſi, tum Regis tum Nobilium aliorum mores inſigni libertate reprehendiſſe, eoſque ad honeſtatem virtutumque ordinationem pertrahere allaboraſſe. E quibus liquet, non plane inutile quidem ludi hujus exercitium ab initio habitum fuiſſe, ſed non tamen animi relaxationi tam ordinatum, quam finibus aliis, qui mentem attentiſſimam non tantum, ſed & occupatiſſimam nunquam non requirebant. Hinc *Perſæ* vocant *Sedrentz*, id eſt, *rem centum curarum*, citra ſummam mentis tum attentionem tum intentionem vix riquia te abſolvitur. At quantum alias damnum intulerit nonnunquam animus nimium ei intentus, diſcere eſt ex *Bocharto* mox lau-
Bochart. loc. citat. dato, ſic enim ille: *Hiſtoria Saracen. lib. 2. cap. 7. pag. 129. narratur*, Calipham Alaminum *huic ludo ita deditum, ut propterea res ſuas negligeret, cum illi nunciatum eſſet cum* Cutero *ludenti*, *Regni metropolim* Bagdad *arctiſſima obſidione premi, reſpondiſſe*; ſine me, jam enim apparuit mihi מארת כלי עותר שארה *contra Cuterum* Shach. Mat. *Johannes* etiam Huſſus, Martyr, *ludi* hujus uſum acerbe in carce-

re

re deploravit, maxime ob temporis jacturam, ſubitæque excandeſcentiæ periculum,' quod ludendo non raro ſubierat. Sed in viã. 6. *Athletæ* etiam, qui in Theatris ſuperiores erant, *candido lapillo*, in triumphi ſignum, donabantur. Hinc Arethas Cæſarienſis: *Vincenti Diabolum pollicetur Deus* calculum Album *ſeu* candidum, *quod is notus eſſet his, qui in* Theatris *ac* ſtadiis *certabant, & vincentibus traderetur.* Quo hæc Grotii faciunt: *Illis qui in ſacris Græcorum certaminibus vicerant, dabantur εἰσελαστικά, id eſt, frumentationes aut reditus quidam. Doceat id nos Vitruvius, Præf. lib. 9. ... De eâ re, cum a certamine abibant, accipiebant* teſſeram, *cum inſcriptione quantitatis ejus, quod accepturi erant. At hoc eſt, quod hic dicere vult Arethas.* Putat vero *Martinius*, Calculum *Album* Athletis datum in præmium non eſſe, ſed eos committendi tantum gratia, adeoque non *poſt*, ſed *ante* certamen. Sic enim infit: *Erant etiam* calculi althetici, *quibus deſignabantur certatorum paria; eos enim, ne temere concurrerent, ex argenteâ urnâ educebant, binis iiſdem characteribus notatis, in quos qui incidebant, eos concertatores deſignabant Agonothetæ.* Exiſtimamus nos, trinâ vice *calculum* certantibus datum fuiſſe 1. *Ante* pugnam, qui *Athleticus* dicebatur, quo reſpexit forte *Martinius*. 2. *Poſt* pugnam, & reportatam victoriam; Epulo enim publico in Prytanæo excipere victores moris erat; aſt ad Cænam non admittebantur, niſi facto ſymbolo, ſe eſſe ἱερῶν συσσίτων, geſtantes in collo νικητήρια quædam de ſummitatibus armorum, quæ acceperant a victis; ideoque ſtatim a certamine dabatur illis *Calculus*, ut poſſent ea nota dignoſci, & ſine difficultate ad convivium admitti. 3. Iterum *poſt* pugnam, cum darentur illis *frumentationes* quædam. Atque huc digitum intendiſſe videtur *Grotius*, verbis ſupra allegatis. Calculorum *ante* certamen adhibitio *ſortionis* veluti genus fuit, de quo ſic Alexander ab Alexandro: *Sorte quoque duci ad pugnandum paria Athletarum, & de loco inter ſe pugiles decernere, exemplis ſæpe probatum eſt. Quæ* ſortitio *fiebat, ut*, calculis *in urnã conjectis, binæ compares litteræ inſcriberentur, quiq; eductis ſortibus, pares ſortiti erant, invicem committerentur.* Ita generalius. Specialior ejus ratio hęc erat: Ciſtella erat argentea, Deo certaminum præſidi ſacra, in quam conjiciebantur ſortes ſive teſſeræ breves (πλατεῖα vocabant Græci, nonnunquã etiam ξυλήφια) In duabus inſcripta erat littera A. in aliis duabus B. in aliis item duabus Γ, & ſic deinceps. Tum Athletæ ſortes e Ciſtâ educebant. Quibus A. obveniſſet, ii inter ſe committebantur primo loco pugnaturi. Eratq; hic πρῶτος κλῆρος. Similiter qui litteram B. eduxiſſent, ſecundo

Areth. Cæſarienſ. in Apoc. 2. 17.

Grot. in eund. l...

Martin. Lexic. Philolog. in voc. Calculus.

Paſchal. de Calcul. Albo. Diſſert. peculiar. 9. 5.

Alexand. ab Alex. lib. 5. cap.

loco inter ſe certabant. Ita ſors & urna ſuum cuique adverſarium adſignabat. Is, qui adverſarium ſuum vicerat, non ſtatim coronabatur, ſed cum aliis, qui adverſarios item ſuos vicerant, iterum pugnaturus componebatur, donec unus omnium victor ſupereſſet. Quam in rem pluribus opus erat ſortitionibus. Hinc de *Aſclepiade Pancranciaſta* refertur, quod in multis certaminibus victoriam retulerit, τὸ δεύτερον καὶ τρίτον μετὰ πρῶτον ἢ δεύτερον κλῆρον ςήσας τοὺς ἀνταγωνιςὰς, *poſt primam aut poſt ſecundam ſortitionem, ſecundo vel tertio ſuperatis adverſariis.* Ita etiam *Euſebius*: Μᾶλλον ἢ ὡς διὰ πλειόνων ἤδη Κλήρων ἐκβεβιακότες τὸν ἀντίπαλον. *Aut potius quaſi* athletæ, *qui* multis *jam* vicibus *adverſarium ſuperaſſent.* Dictum eſt ante, *ſtatim a certamine* victoribus *calculum* datum fuiſſe; ſed, ut hinc patet, intelligendum id eſt, non de certamine primo aut altero, ſed de *ultimo* & jam *plene finito.* Conſentit *Alexandro* Salmuthus: *Memorabile* (inquit) *videtur illud ſortitionis genus, quo Athletæ olim ad pugnandum ducebantur. Nam calculis in urnam conjectis, bina compares litteræ inſcribebantur; quique, eductis ſortibus, pares ſortiti erant, invicem committebantur.* Quo & *ſortitionis* modum refert apud *Venetos* ſuo tempore uſurpatum, quo non tam explorabant, cuinam pugna cum alio quopiam demandanda foret, quam ad cujusnam urbis expugnationem primo loco exercitus ducendus eſſet. *Nomina* (pergit) *expugnandarum urbium in urnulam conjiciuntur, ea rudis quiſpiam puerulus manu miſcet, inde unam e chartulis, quæ ſingularum urbium nomina continent, ad Principem defert, ab eâque expugnandâ bellum inchoari debet.* Mitto *ſortem*, quam *Pythagoricam* vocitarunt, quæ *belli* & *pugnæ* eventum etiam repræſentabat. Pertendebant enim Veteres, atque illos inter, ut quidam volunt, ipſe etiam *Ariſtoteles*, litterarum elementa certos ſuos poſſidere numeros, e quibus per propria hominum nomina divinabatur, collectis in ſummam cujuslibet literarum numeris, quibus collatis, palmam illi tribuerunt, cujus ſumma alteram exceſſerat, ſive de lite, ſive de conjugio, vel etiam, ut dixi, de *bello* requiſitum foret. Præmia εἰσηλαςικὰ, quorum teſſeram vel *calculum* poſt certamen victores accipiebant, quod attinet, erant illa varii generis: *Coronæ* (quarum multæ iterum ſpecies, civicæ, murales, obſidionales, caſtrenſes, aureæ, roſtratæ) *armillæ, torques, haſtæ puræ, Phaleræ*, &c. *De Lucio Sicinio Dentato* (qui, cum centum & viginti præ-

Valeſ. in Not. ad Euſeb. Lib. 5. cap. 1.

Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 1. pag. m. 161.

Salmuth. ad Pancíroll. p. 1. tit. 44.

Cotoræ. de Iur. milit. lib. 3. cap. 8.

Digitized by Google

præmiis in hoſtem pugnaſſet, cicatricem averſam nullam, adverſas quadraginta quinque tulit) refert *Agellius*, quod donatus ſit coronis aureis *octo*, obſidionali *unâ*, muralibus *tribus*, civicis *quatuordecim*, torquibus *octoginta tribus*, armillis *plus centum ſexaginta*, haſtis *octodecim*. Præcipue tamen ea conſiſtebant in *Annonis, obſoniis & penſitationibus*, quæ pro toto vitæ tempore de publico victoribus præſtabantur, exinde quo in civitatem invecti eſſent, non per ejus portam ſed dejectam muri ejus partem. Cujus hanc rationem dat *Plutarchus*: quod exiſtimaverint Veteres, eam haud magnopere muris indigere civitatem, quæ tam fortibus gaudebat civibus, qui in Sacris certaminibus palmam aliis præripuiſſent: tales enim Urbi ſufficere poſſe defenſores virtute & fortitudine ſuâ, utut mænia nulla haberet. De Præmiis his Vitruvius: *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, ut non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferant laudes; ſed etiam cum revertantur in ſuas civitates, cum victoria triumphantes, quadrigis in mœnia & in Patriam invehebantur; e reque publica perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruantur.* 7. Dies etiam Victoriæ publicæ *albo* in Faſtis *Calculo* annotabantur. Ita Sixtus Senenſis: *Conſtat apud Veteres Ethnicos Victoriarum dies publicis Faſtorum tabulis inſculptos, conſuevisse* candido lapillo *prænotari, quo clarius a cæteris diebus diſcernerentur.* 8. Præcipuus tamen *Calculorum* uſus in *Judiciis* fuit, in abſolvendis vel condemnandis reis. Antiquitus enim, miſſis in urnam *Calculis*, ita ferebantur a judicibus ſententiæ, ut abſolverent *albis*, *nigris* vero condemnarent. Ovidius:

Agell. lib. 2. cap. 11.

Plutarch. in Sympo

Vitruv. in Præf. lib. 9.

Sixt. Senenſ. Bibliot. lib. 2. p. 43.

> *Mos erat antiquis* niveis atriſque *lapillis*,
> *His damnare reos*, illis *abſolvere culpa.*
> *Tunc quoque ſic lata eſt ſententia triſtis, & omnis*
> Calculus *immitem demittitur ater in urnam.*
> *Quæ ſimul effudit numerandos verſa lapillos*
> *Omnibus e nigro color eſt mutatus in album,*

Ovid. Metamorph. lib. 15.

Calculorum loco uſi poſtea ſunt *Conchulis marinis*, quas χοιρίνας dicebant, ad quarum modum fabricatæ tandem ſunt eneæ, quas σπονδύλους & φιμοὺς vocitabant. Cedro digna ſunt, quæ *Hadrianus Junius* in hanc rem habet: *Judicum calculi* (inquit) *duplices fuerunt, ut ex Ulpiani annotationibus in Demoſthenem conſtat,* *quidam*

Adrian. Jun. Obſerv. lib. 2.

quidam pertuſi perforative & nigri, *qui condemnabant*; *alii, qui abſolvebant*, Albi *& integri.* Illi τετρημέναι ψῆφοι καὶ μέλαιναι & ἀναιροῦσαι & τετρυπημέναι dicuntur ab Autoribus, hi ἄτρητοι, λευκαὶ, σωτοῦσαι, ἐλεοῦσαι; *& apud Æſchinem* πλήρεις. *Sitella vero (quæ & urna)* Græcis καδίσκος, *vas erat, in quod immittebantur* Calculi, *cujus operculum, per quod injiciebantur*, κημὸς *dicebatur.* Duas vero fuiſſe urnas certum eſt, priorem *mortis*, poſteriorem *miſericordiæ*: *Calculus* reum abſolvens ἀπολύων dictus eſt, hoc eſt, qui crimine abſolvebat accuſatum; ut *condemnans* ἀπολλὺς, *perdens*: Euripidi δυσμενὴς φονία ψῆφος, *hoſtilis & lethalis calculus.* Abſolvens urna ænea erat, non *argentea*, quæ in Judiciis locum non habebat, ſed in certaminibus, de quâ mox; dicebaturque κύριος ἀμφορεὺς *urna abſolutoria*, ut ἄκυρος infelix urna, *condemnans*, quæ *lignea* fuit. *Album Calculum* dare vel *addere*, προσθεῖναι, communi loquendi ratione nihil iam aliud eſt, quam *conſentire*, *comprobare.* Sic Paulus, indicans conſenſum ſuum in mortem Stephani, dicit κατένεγκα ψῆφον, *tuli ſuffragium* vel *addidi calculum.* Aliter efferunt Græci per τὸ φέρειν ψῆφον, quod nihil aliud eſt, quam συνευδοκεῖν, quâ voce Apoſtolus utitur, Rom. 1. 32, vel per ἐπιψηφίζειν *approbare.* Prout *reducere calculum* eſt improbare, vel datum ſuffragium retractare. Imo qualitercunque tantum *deliberare*, *ratiocinari*, eleganter effertur, per ad *calculum revocare*, ſicut & *reverti ad calculos* is dicitur, qui ad rationem & conſilium redit.

Ariſtophan. Scholiaſt. in Veſpis.
Pollux Onomaſtic. lib. c. 10.
Euripid. Oreſt. pag. m. 126.

IV. At anceps quæſtio eſt, ad quemnam *Calculorum* uſum Salvator hic reſpexerit? Non deſunt (a quibus non abludit *Eraſmus*) qui ſpectaſſe eum putant *calculos* in Magiſtratuum electione uſurpari ſolitos. *Albus* enim (dicunt) *calculus* officii olim nomen & omen habebat, quem ſolus, qui accipiebat, cognoſcere poterat, donec, diſtributione factâ, in publicum omnes *calculi* tandem producerentur. Sed vero de *Calculo albo* non dicitur, *quod nemo eum cognoſceret*, *quam qui accipiebat eum*; tribuitur id *novo nomini*, calculo Albo inſcripto, quod exertim a *Calculo* diſtinguitur. Alii de *Calculis*, in Antiquorum certaminibus victoribus dari conſuetis, intelligunt; hos inter eſt *Arethas*, ut verba ante citata innuunt; ſed opponit ſe ei *Brichtmannus*, *quia* (inquit) *Calculi Athletarum teſſera tantum erant committendi certaminis, non remunerandi Victoris.* Verum mox utrique fini eos inſerviiſſe,

Eraſm. in Apoc. 2. 17
Brichtm. in Apoc. 2. 17.

ſe, oſtendimus. Sunt denique, qui de *Calculis judiciorum* capiunt. Nos duas poſteriores ſententias conjungimus. Cogitavit enim, cum verba hæc efferret Jeſus, Athletarum victorias & præmia; exertim enim *vincentium* meminit; cogitavit etiam judicialem abſolutionem, vincentibus illis donandam, ac dato *Calculo Albo* confirmandam & obſignandam. Ut compendio agam, nihil aliud verbis hiſce intendit, quam promittere iis, qui ſpirituales hoſtes ſuos continua lucta eſſent oppugnaturi, eoſque fortiter & glorioſè ſuperaturi, gratuitam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem & condonationem; & (quod probe notandum) non tantum condonationem illam peccatorum ipſam, ſed gratioſum etiam illius ſenſum & certitudinem *ſubjectivam*. Neque enim *Calculus albus* ipſa reorum apud Antiquos abſolutio erat, ſed ejus certum indicium & quaſi ſigillum. Sic neque *Calculus Albus* vincentibus dandus, fuit vel eſſet ipſa Dei ſententia abſolutoria, in celeſti tribunali ab ipſo pronunciata, vel pronuncianda, ſed ſententiæ illius gratioſæ in cordibus ſuorum infallibilis inſinuatio & intimatio. Perſpicue *Jacobus Lydius* in Agoniſticis, poſtquam diſſentientium opiniones excuſſiſſet, ſic tandem concludit: *Quicquid ſit, hoc certum eſt, his verbis deſcribi obſignatam in cordibus electorum, per arrhabonem Spiritus, vitæ æternæ certitudinem, de qua quiſque ſibi ſoli conſcius eſt:* *Lyd. Agoniſt. Sacr. cap. 4. pag. 144.*

V. *Dicis*, quomodo Chriſtus ad *Calculum ſuffragatorium* reſpicere hic potuit, cum prius abſolvi nos oporteat, quam Chriſtus in alimentum nobis cedat? at jam ante modo de *Mannâ* comedendo locutus erat Salvator. *Calculus* præterea *abſolutorius* non *dabatur* ipſis reis, verum in urnam tantum *conjiciebatur*. Sed facilis, eſt reſponſio *De* Manna *prius dictum* (inquit Cottherius) quia *prehendendus nobis eſt Chriſtus, antequam fiat nobis redemtio. Typi etiam ad rerum, quarum typi ſunt, naturam inflectuntur*: *Reis* calculi *non dabantur*; *ſed filii* Dei calculum *accipiunt, quo abſolvuntur: Chriſtum, quo eorum abſolutio nititur.* Ita ille; atque hactenus non male; niſi quod conſtare haud bene videatur, quod *Calculum* per ipſum *Chriſtum* explicet, ut mox pluribus oſtendetur. Nos, convenienter ante dictis, dicimus, utut *Calculus ſuffragatorius* reis dari ſolitus non fuerit, *athleticum* tamen victoribus tradi conſueviſſe; *utrumque* vero hic a Chriſto intelligi, non tantum *priorem*. *Cotther. in Apoc. 2. 17.*

VI. Interim non ſemel tantum (ut plenius, quid velim

Digitized by Google

intelligas) ſed tribus vicibus Deus ſuos a peccatis abſolvit. Facit id. 1. in *Cælo*, cum pro liberrimo ſuo arbitratu obedientiam & merita Filii ſui iis donat, & imputat, ac propter illam obedientiam omnia peccata iis abjudicat. 2. Facit id in *cordibus* ſuorum, cum (ut dictum eſt) abſolutionem illam tum verbo tum Spiritu ſuo iis manifeſtat, animamque eorum ſecure in ea acquieſcere & recumbere facit. Faciet id. 3. In *Die* judicii, cum publico quaſi edicto coram vivis & mortuis denunciaturus eſt, filios ſuos ab omnibus peccatis ſuis abſolutos & liberatos eſſe. Hinc notio *Diei judicii.* Matt. 12. 36. Quid vero aliud *Judicis* eſt, quam abſolvere & condemnare? Et Paulus, *Det ei Dominus, ut inveniat miſericordiam in die illo*, id eſt, noviſſimo. 2. Tim. 1. 18. Ac duos quidem poſterioris hujus Divinæ abſolutionis actus a Servatore promitti hic puto, cum ait: τῷ νικῶντι ψῆφον λευκὴν δώσω. *Vincenti calculum album dabo.* Neque mirum eſt, Chriſtum beneficium hoc ſpirituale repræſentare ſuis voluiſſe re quapiam,

Plat. de Rep. lib. 5. quæ *albedinem* refert, cum *albus* vel *candidus* color ſemper boni aliquid fauſtique apud Antiquos ſignificet. Deorum filii aut inter Deos relati, *Candidi* dicebantur, teſte *Platone*. Dies beatiores *Fata candida*; Tibullus:

Tibull. lib. 3. *Eleg.* 6.

> *Et ſint* candida *fata tua.*

Ipſi Dii *candido* amictu oſtentabantur; ſic de *Apolline* Horatius,

Horat. lib. 1. *od.* 2.

> *Nube* candentes *humeros amictu*
> *Augur Apollo.*

Cicero de leg. 2. *pag.* 339. Et Cicero: *Color* albus *præcipuè decorus* Deo *eſt*, *tum in cæteris, tum maxime in textili.* Ipſa Scriptura *Chriſto*, Dei filio, non ſemel *albedinem* tribuit. *Album* caput. Apoc. 1. 14. *Albam nubem, album* thronum Apoc. 14. 4. & 20. Albedo *victoriam* quoque ſignificat

Horat. lib. 1. *Satyr.* 7. *lætitiamque*; quare & currus triumphantis, & veſtes, & equi, & pueri ad habenas, & victimæ ipſæ hoc colore prodibant. Virgilius

> *Tondentes campum late* candore *nivali.*

Virgil. 3. *Æneid.* Quod non tantum *Romanis* ſed *Athenienſibus* etiam in more fuit; apud quos pro victoria ſacra faciens *candida veſte* amiciebatur. Nunquam ad epulas etiam pullati accedebant Veteres, ſed veſti-

Plutarch. in vit. Demoſth. bus ſemper *albis*, lætitiæ indicibus, in ipſis etiam (teſte *Cicerone*) *funebribus* cœnis.

Cicer. invect. in Vatinr.

> Alba *decent Cererem: Feſtis cerealibus* albas
> *Sumite.*

Niger e contra color infeſtus fere erat, triſtis & infortuniorum in-

dex

dex. *Salvianus* alicubi: Nigra *eſt incendio civitas, & tu* vultum *ſerenitatis uſurpas*? Græci

Λευκὴν ϛολὴν κάλλιϛον ἐν ὕπνῳ φέρειν
Σπλὴν φορεῖν μέλαιναν, ὠ καλὴ θεά.
Omen bonum *in ſomno eſt amictus* candidus,
Geſtare amictum atrum *haud* bonum *ſpectaculum*.

Ovid. Faſt. 4.

Salvian. de Provid. lib. 6.

VII. Errant proinde quotquot ad plura etiam alia, quæ ad *Remiſſionem* hanc ejuſque *obſignationem* non pertinent, *calculi* hujus donationem extenderunt, ſpeciatim ad *dignitatem & honorem* variaque alia privilegia, quibus fideliter certantes, & feliciter vincentes donandi tandem ſunt; non enim id ferunt circumſtantiæ textus, multo minus innuunt. Certe honor vincentibus dandus *novo* potius *nomine*, calculo huic impreſſo, quam ipſo *calculo* deſignari videtur. Eſt is *dignitas filiorum* & *hæredum* Dei, cujus revera *vincentes* compotes etiam fiunt. Vel nomen (ut nonnemo inquit) *Patris*; cenſet quippe, ſicut Abrahamo Deus innotuerat nomine שדי *Schaddai*, Moſi nomine יהוה, ſic per Chriſtum *Patris* nomine ſub N. T. nobis ſe manifeſtaſſe; quæ an omnino ſolida ſint, neſcio. Quin eſto id; In hoc tamen ipſa hæc ſalutaris Dei abſolutio nedum firma ejuſdem obſignatio & oppignoratio non conſiſtit, ſed utriuſque potius conſequens & inſeparabile connexum eſt. Rom. 8. 15. Adeo ut haud quidem impingere putem in S. Scripturæ analogiam, qui quædam etiam alia, præter id quod dictum eſt, indicari hic a Chriſto volunt, verum tamen *loco huic* præſenti ſat convenienter id dici, non tam ſupponi velim, quam cogentibus rationibus demonſtrari.

VIII. Quæ de ψήφῳ hâc λευκῇ habet *Alexander Morus*, inſolentiora etiam & frigidiora ſunt, quam ut temere adoptari debeant. *An reſpexerit* (inquit) *ad* lapidem, *quo circumciſio peragebatur?* Μαχαίρας ἐκ πέτρας & πετρίνας *vocant* οἱ LXX. *ad Joſ.* 5. *Sed &* ψῆφυς Exod. 4. *de Sephorâ*, λαβοῦσα ψῆφον, *quod Hieronymus calculum reddidit. Jam vero ſolet Johannes aquam & ſanguinem, Baptiſmum cum* Euchariſtia *conjungere. Sic* Manna, *quod præceſſit, ad* Euchariſtiam *referri poſſet, ad* Baptiſmum, *tanquam ad circumciſionem novam*, lapis albus, *acutam ſignificans aciem Verbi Dei, quo cor circumciditur* &c. Quis enim ex *Mannâ* Euchariſtiam, ex *lapide albo* Baptiſmum ullo colore fecerit, effectuſque eis conſimiles attribuerit, niſi rem ſignatam Baptiſmi

 ipſum

lum, idque non ſub diverſâ ſed eâdem *calculi* notione? quid opus eſt, ita torqueri verba, ſi commodè explicari aliter poſſint? Prædicantur hic etiam quædam de *Calculo*, quæ in *ipſum* Chriſtum non quadrant: *Calculus* dicitur vincentibus *dandus*, in *futuro*; at Chriſtus non erat *dandus* demum vincentibus, ſed *datus* modo erat, antquam vincerent, imo antequam ritè certarent. *Calculo* dicitur *novum nomen* inſcribendum, quodnam vero *novum nomen* inſcribi Chriſto poterat, jam glorificato & in Cælo triumphanti? prout in ſequentibus etiam *nomen* hoc *novum* non Chriſto, ſed Chriſtianis ipſe *Ansbertus* tribuit. Neque juvat, quod *Manna* etiam *abſconditum* vincentibus *dandum* verſu præcedente dicatur, quoniam *Manna* non magis *ipſe Chriſtus* hic fuit, quam *Calculus Albus*. Intelligenda per illud eſt tantum plenior & jucundior bonorum Chriſti communio & fruitio, quæ vincentibus magis ac magis in hac vita augenda, & poſt hanc vitam conſummanda & perficienda promittitur. *Lux* quidem *natura ſua atteſtatione in tenebris Chriſtus*, quo nomine & *candidus* verè dicitur, ſed hanc ob cauſam eum per *Calculum* hunc *album* aut *candidum* deſignatum fuiſſe, non ſequitur; eo quod ad *fulgorem* & ſplendorem *Calculi* hic non reſpiciatur, ſed ad alium ejus uſum, *militarem* nempe & *judicialem*, ut ſupra adſtruximus.

X. Ut neque firmiori ſtant talo, qui ad ſola bona cæleſtia, poſt hanc vitam poſſidenda, *Calculum* hunc reſtringunt. Utut enim *Tertia* abſolutionis Divinæ ratio, de qua locuti mox ſumus, non niſi poſt hanc vitam locum habitura ſit, ejus tamen certioratio non Cæli tantum eſt, ſed ad hanc vitam etiam pertinet. 1 Cor. 2. 12. 2 Tim. 1. 12. 2 Tim. 4. 8. 18. Neque citra rationem dixiſſe hic videtur Chriſtus, *vincentibus* dabo Calculum Album, non iis, qui *jam modo devicerunt*: ut innueret, arrhabonem & pignus hoc abſolutionis non iis dandum tantum eſſe, qui jam in *Cælis* de omnibus ſuis hoſtibus lætos triumphos modo agunt, ſed illis etiam, qui non perfectè vicerunt quidem hactenus, ſed pugnando & luctando in vincendi ſtudio ac conamine continuo perſeverant. Maxime, cum horum animæ cæleſti hac irradiatione, quo felicius & conſtantius contra omnes ſuos hoſtes perſiſtere poſſint, ut fulcimento, opus ſæpe habeant.

XI. Prout *Ambroſii*, *Ruperti*, *Alcazaris*, pluriumque aliorum opinio etiam concidit, qui *calculum* hunc per *Carbunculum*, lapidem fulgentiſſimū, interpretati ſunt, adeoque verbis hiſce indicari nihil *Rupert. in loc.*

Digitized by Google

aliud putant, quam corpora noſtra, inſtar Solis, fulgida fore in die noviſſimo; trahentes eo Pauli locum Philipp. 3. 21. Ὃς (Χριστὸς) μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ. *Qui* (Chriſtus) *transformabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat corpori ſuo glorioſo.* At cadit (inquam) ea etiam opinio; quoniam falſum eſt, ut mox oſtendi, ad ſtatum gloriæ promiſſionem hanc tantum pertinere. Præterquam quod *Carbunculus* rubicundi coloris gemma ſit. A *carbone* enim eſt *Carbunculus*, quod ignitus ſit, ut *carbo*, cujus fulgor, teſte Iſidoro, *ne nocte quidem vincitur*, & *rubedinem* ſemper infert; quare & ulceris id genus, quod *carbunculus* dicitur, ſe *rubedine* primum prodit; In ortu enim ſuo *rubens* eſt, ut ignis, poſtea *niger* fit, *ut carbo* extinctus. At Chriſtus loquitur de ψήφῳ λευκῇ *Calculo albo*, non *rubro*. Neque ad rem faciunt Apoſtoli verba; nihil enim aliud ea innuunt, quam quod libentes concedimus, glorificanda nimirum corpora noſtra eſſe in die noviſſimo, corporique Servatoris glorioſo conformanda. At quid hoc ad *Calculum Album*, de quo hic ſermo eſt? Ut haud bene etiam reſtringitur ab illis Autoribus corporum noſtrorum cum corpore Chriſti glorioſo conformatio ad ſolum *fulgorem*, a reſurrectione iis communicandum: conſiſtet enim illa in pluribus etiam aliis, ut alibi docet Apoſtolus: *corpus ſeminatur corruptioni obnoxium, excitatur incorruptum; ſeminatur ignominioſum, excitatur glorioſum; ſeminatur infirmum, excitatur potens. Seminatur corpus animale, excitatur corpus ſpirituale.* 1. Cor. 15. 43. 44. Graviter Tertullianus; *Geritur* (inquit) *ſolummodo granum ſine folliculi veſte, ſine fundamento ſpica, ſine munimento ariſtæ, ſine ſuperbiâ culmi. Exurgit autem copiâ fœneratum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultu munitum, & uſquequaque veſtitum. Hæc ſunt ei corpus a Deo aliud, in quod non* abolitione *ſed* ampliatione *mutatur.* Verba Pauli generalia ſunt, adeoque non reſtricto ſed generaliori ſenſu accipienda.

Iſidor. lib. 16. cap. 13.

Turtull. de Reſurrect. carn. cap. 52.

XII. Releganda denique ad deliramenta, ſopiendis infantibus idonea, ſunt, quæ Cinifluones quidam in ſcenam produxerunt, per *Calculum Album* corculum ſuum, *Lapidem Philoſophorum*, intelligendum eſſe pertendentes. Sic de iis *Georgius Michael* in Gaffarellum: *Riſu* (inquit) *dignum, ut lachrymis ponatur*

Georg. Mich. in not. ad Gaffarel. pag. 11. 12.

natur modus, *quod Clariſſ. Dilherus refert, dixiſſe* chymicum, *Deum nobis* Lapidem Philoſophorum *in ſacris Bibliis promittere. Cui ille, non fieri, reponit.* Chymicus, *non noſti*, *inquit*, *evolve Apoc.* 2. 17. *ubi* B. Lutheri *verſionem impugnare*, dabo Calculum Album, *verſum*, ich wil ihm geben ein gutes Gezeugnis, *vertendum fuiſſe*, Ich wil ihm geben ein *weiſſen* ſtein, lapidem Philoſophorum. *At D. Collocuter textum Græcum legendum præbuit*, δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, lapidem album, *non Philoſophicum*, einen *weiſſen* ſtein. *Atque conticuit* ἄσοφος *Philoſophus.* Et Paulo poſt: *Quare non minus comte, quam verè Doctiſſimus Dilherus reſpondit. Bone vir, ſi tu L. P. non certius in tuo furno, quam in meo libro inveniſti, pro Theſauro tibi carbones vel potius cineres ſuperabunt.* Sed quam ſciſſa Aurificum de ſuo hoc Lapide ſuffragia ſunt, præcipue *materiam* ejus ſi ſpectes! Noſter mox exploſus *Lapideam* eam voluit: putabat ſe enim in *Calculo* Albo eam reperiſſe. *Alii terream*, *igneam*, *aëream*; plurimi *Aqueam.* Ita Villanovanus: *Lapis eſt non lapis*, *Spiritus*, *anima*, *corpus*, *volatilis*, *albus ut* lachrymæ *oculi*, *ſi dicis eum* Aquam *eſſe*, *verum dicis*, *ſi dicis aquam non eſſe*, *mentiris.* At quomodo hæc conveniunt cum materiâ *Calculi* noſtri? Nihilominus ipſa etiam Scriptura advocatur, verſus nempe, præter præſentem hunc locum, 5. Pſ. 126. *Qui ſeminat in lachrymis in exultatione metet.* Scilicet inveniet is Lapidem Philoſophorum, & inſigni auri copiâ diteſcet. Eodem trahuntur Apoſtoli etiam verba, 2 Cor. 4. 7. *Habemus theſaurum in teſtaceis vaſculis.*

Sandivoge Lumin. Chymi. Tract. 3

O cæcas hominum mentes! o pectora cæca!

Miſeri Chryſopæi! qui, dum ubique, etiam in Sacris Litteris, aurum quærunt, nullibi id inveniunt, imo aurum quærentes, argentum ſuum paſſim amittunt! Accedebat (quod ob feſtivitatem appono) ad Leonem X. Pontif. Maxim. ingenioſus aliquis veterator, eique libellum, quem de *auro*, ex quavis materiâ conflando, conſcripſerat, porrigebat: Pontifex donum non aſpernatus, benivolâ id accipiebat manu. Cum autem libelli autor inſigne amplumque ſibi munus inde ſperaret, Pontifex nihil, præter *amplam crumenam ſed vacuam*, redonari ei juſſit, hoc adjecto reſponſo; non *ingratum ſibi fuiſſe oblatum munus*, *ſed cum ipſe ſcientiam conficiendi auri calleret*, *ſacculo tantum opus ei eſſe*, *ubi aurum a ſe confectum tuto poſſet reponere.* O lepidum & ingenioſum caput!

In ſanum te omnes pueri, clamentque puellæ.

EX-

EXERCITATIO IX.

DE

SURCULO IN CARNE PAULI.

BREVIARIUM.

Pauli *querela 2 Cor.* 12.7. *&c.* Ἀποκαλύψεως *vox cur ultimo Scripturæ Libro ſingulariter inſcripta?* Revelationum *Divinarum ſpecies variæ. Unde ſcire Prophetæ & Apoſtoli potuerint,* revelationes, *quibus gaudebant,* Divinas *fuiſſe?* Samſæorum *ſaſtus notatus.* Fanaticorum *prætextus varii. Qui, quibus* κριτηρίοις *a Prophetis diſtinguendi ſint, explicatur.* Apollonii Tyanæi *impoſtura.* Simonis Magi, Montani, *hujuſque* Prophetiſſarum *deliria. Num N. T. tempora* ὀπτασίας *extraordinarias adhuc admittant?* Comenius *notatus. Quæſtio cum diſtinctione expedita. Viri* Prophetici *in Veteri Eccleſiâ varii.* Juliani Sabbæ *exemplum memorabile.* Meltiadis *de dono Prophetiæ, uſque ad finem mundi duraturo, ſententia perſtricta.* Ambroſii, Melanchtonis, Sanfordi, Gorgoniæ *propriæ mortis præſagia. De* Savanorolæ, Gregorii Thaumaturgi, Johannis Huſſi, Hieronymi Pragenſis *vaticiniis quid judicandum? Prædictionibus modernis cur haud temere fides abhibenda?* Coccejus *ad partes vocatus. Prophetarum Monaſterienſium,* Knipperdollingii & Johannis Leidenſis *ſomnia & exitium.* Johannis Rothæi, *novi Prophetæ,* προσωπογραφία, *inconſtantia, incarceratio.* Σκόλοπος, Stimuli, Surculi *voces quid? Quid* Ἄγγελος Σατᾶν? *An Angelum* Satan *an angelum* Satanæ *Paulus hic deſignet?* Κολαφίζειν *quid?* Alapa & Colaphus

laphus *quomodo differant*; *Per* Carnis ſurculum *quidnam intelligendum*? *Quæſtionis perplexitas.* Hieronymi, Theophylacti, Tertulliani, Molinæi, Eſtii, Gualteri, Frei ſſbii *conſiderationes.* Auguſtini ἐποχὴ. *An Bellarminus* libidinis æſtum *per eum intellexerit, dubitatur. Non fuit aliquid* peccaminoſum. *Ratio, quâ evincere id conatus eſt* Camero, *expenſa & rejecta. Quomodo Deus ipſe hominibus* peccata *nonnunquam* immittere *dici poſſit? Rationes veræ, ob quas* ſurculus *hic Pauli peccatum fuiſſe non potuit.* Fl. Illyricus *pulſatus.* Æſtus libidinis *per hunc* ſurculum *non intelligendus.* Nazianzeni, *jam ſenis, de acribus* libidinoſæ carnis *ſuæ motibus querelæ. Quo* ætatis *anno* David *adulterium ſuum commiſerit?* Septuagenariis *cur nuptiis olim interdictum? Senes prolifici* Paulus *utut continentiæ dono eximius, ineundi tamen matrimonii facultate non minus, ac alii, gaviſus.* Eſtius *notatus. Varia retundendæ* ſuperbiæ *remedia. Omnia peccata ignominioſa & contagioſa. Non fuit* animæ elatio *Apoſtoli hic* ſurculus. *Quid ergo proprie fuerit* tribus *concluſionibus exponitur. Verba Scripturæ quo ſenſu* latiori *ſemper* ſignificatu *uſurpanda? Qualeſcunque* adverſarii *cur* Spinæ *in Scripturis dicti? Loco Ezech. 2. 6. lux affuſa. Cur Paulus de* Adverſariis *ſuis in* ſingulari numero *locutus ſit?* Eſtii & Molinæi *oppoſitiones excuſſæ. Liberationem ab hoc* ſurculo *cur petierit Apoſtolus? Legitima tam contra animi quam corporis afflictiones remedia conquirere nemini non licitum.* Eſtius *caſtigatus.* Ἀποςῆ *ab* ἀφίςημι *quid?* Paulinæ querelæ *ſumma ex Chryſoſtomo.* Muſculi *pia & pathetica in eam obſervatio.*

I. PAulus Jeſu Chriſti Apoſtolus, inſignibus *Revelationibus* clarus, quin in ipſum Cœlorum Cælum raptus, ἐ ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα; ἃ ὀυκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. *ubi audivit verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui*, tali tamen, *Divinâ* diſpenſante providentia

& boniate, exercitatus afflictione eſt, ut in acerbam hanc erumpere querelam opus habuerit: Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοὶ σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα μὲ κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. *Et, ne excellentià revelationum ſupra modum efferrer, datus eſt mihi ſtimulus infixus carni, Angelus Satan, ut me colaphis cædat, ne ſupra modum efferar.* Locus extat 2 Corinth. 12. verſ. 7. Qui cum perplexiſſimus & vexatiſſimus ſit, nil præter rem forte fecerim, ſi, ad genuinum ejus ſenſum eruendum, qualemcunque meam opellam etiam contulerim.

II. Enucleatius conſideranda in eo veniunt Pauli *Revelationes*, *Carnis* ejus *ſtimulus*, vel ſurculus, *Angelus Satan*, *Colaphi* ejusdem *Angeli*. De ſingulis pauca. Ἀποκαλύψεως vox *patefactionem* vel *revelationem* vulgo ſonat. Per excellentiam, ut notum eſt, nomine eo venit ultimus Scripturæ Liber, *Apocalypſis Johannis* dictus, eo quod plurimis *revelationibus*, Johanni a Deo factis, refertus ſit. De hâc Hieronymus. *Verbum quoque ipſum* (inquit) ᵃἈποκαλύψεως, *id eſt, revelationis, proprie Scripturarum eſt, & a nullo ſapientum ſeculi apud Græcos uſurpatum. Unde mihi videntur, quemadmodum in aliis verbis, quæ de Hebræo in Græcum LXX Interpretes tranſtulerunt; ita & in hoc magnopere conatos, ut proprietatem peregrini ſermonis exprimerent, nova nobis rebus verba fingentes, & ſonare, cum quid tectum & velatum, ablato deſuper operimento, oſtenditur & profertur in lucem.* Et alio loco, rationem dans, ob quam Johannis Libro vox hæc inſcripta ſit; ᵇ*Ut intelligamus* (ait) *revelatione nos indigere, & poſſimus cum Propheta dicere* Pſ. 119. 18. Revela oculis meis, & conſiderabo mirabilia de Lege tua. Eſt ab ἀποκαλύπτω: quod coincidit cum Hebræorum גָּלָה *revelare*. Amos. 3. 7. *Non faciet Dominus Deus verbum, niſi* גלה סודו *revelârit myſterium ſervis ſuis Prophetis.* Quare Apocalypſeos liber *Prophetia* etiam dicitur. Notandum tamen, utut verum ſit, quod mox ex *Hieronymo* adduximus, ἀποκαλύψεως vocem ſolarum Scripturarum eſſe, de themate tamen ἀποκαλύπτω id non vere dici; hoc enim tum Sacris tum profanis Scriptoribus commune eſſe, certiſſimum eſt. Plutarchus habet ἀποκαλυψάμενος, *retegens ſe*, in *Coriolano*; & ἀποκαλυπτόμενος πρὸς Ἀριστοτέλην, *animum ſuum detegens Ariſtoteli*, in *Alexandro*. Ne alios addam.

ᵃ *Hieronym. in Gal. 1.*

ᵇ *Idem in Ezech. cap. 10.*

Scripturæ

Scripturæ ſenſu ἀποκαλύψεις ſive *Revelationes* proprie ſunt occultarum rerum manifeſtationes, in Dei gloriam & commune Eccleſiæ bonum tendentes. Suntque vel *Ordinariæ* vel *Extraordinariæ*. Illæ iterum vel *externæ* vel *internæ*. Externæ, quas operatur Deus *vel* per creaturarum conſpectum *vel* per Verbi auditum Rom. 1. 20. 2 Cor. 4. 2. Internæ, quas inſtillat *vel* per naturæ *vel* per Sp. Sancti lumen. Rom. 1. 18. 19. & 2. 14. Eph. 1. 17. 1 Cor. 2. 10. *Extraordinariæ* ſunt, quibus Deus modo non-vulgari innoteſcere hæc vel illa hominibus facit. Reducendæque huc ſunt omnes *Revelationes* Miniſtris Dei tum in Veteri tum in N. T. factæ per *Viſiones* (licet ſint, qui *a Revelationibus* has diſtinguunt) per *Raptus*, per *ſomnia*, quodque uni Pontifici proprium erat, per *Urim* & *Thummim*; quibus cunctis explicandis jam non inſiſtimus. Videantur de iis *Aretius*, *Glaſsius*, *Cunæus*, *Bertramus*, *Hottingerus*, *Voetius*, aliique.

III. Duæ tantum expediendæ Quæſtiones hic ſunt. *Una* eſt: *Unde conſtare Prophetis Apoſtoliſque olim potuerit*, revelationes, *quas accipiebant, non aliunde, a malo quodam genio, aliâque qualiquali illuſione, ſed a Deo fuiſſe?* Ipſe enim Satan convertere ſe poteſt in *Angelum lucis*, hominesque ſæpe arreptitii & fanatici perinde affici, ac veri & genuini Prophetæ. Vocantur iſtiuſmodi motus παρεκστάσεις *Euſebio*; jactabantque eos olim præcipue *Samſæi*, qui futura predicentes, *Prognoſtici* & *Prophetæ* vocari inde geſtiebant. *Reſp.* Scire aliquem revera poſſe, mediante Sp. S. cui revelatum à Deo quid eſt, *revelationis* illius vere participem ſe eſſe, e Verbo Dei manifeſtum eſt. Hinc enim *Paulus* 1 Cor. 2. 12. *Nos vero non accepimus Spiritum mundi, ſed Spiritum, qui eſt ex Deo, ut ſciamus* (ἵνα εἰδῶμεν) *quæ Deus eſt nobis gratificatus.* Et *Johannes* Epiſt. 1. cap. 5. verſ. 6. *Spiritus eſt, qui teſtificatur, Spiritum veritatem eſſe.* Τὸ πνεῦμα ἐστὶ τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ Πνεῦμα ἐστιν ἡ ἀλήθεια. Iterum *Paulus* 2 Tim. 1. 12. *Novi enim, cui crediderim, & mihi perſuaſum eſt,* (οἶδα καὶ πέπεισμαι) *eum poſſe depoſitum meum in illum diem ſervare.* Cui quidem cum hæc ſubſit ratio in *naturalibus*, quod intellectus humanus per rationem & vim legitimæ demonſtrationis aliquid ſciens, ita reflecti ſupra ſe ipſum neceſſario debeat, ut certo etiam ſcire ſe ſciat, quod revera ſcit (hæc enim animæ *rationalis* ſupra illam, quæ *vegetativa* & *ſenſitiva* dicitur, ſingularis prærogativa eſt) idque in ipſiſſimis rebus naturalibus locum etiam habeat; quidni & *ſupernaturale* Divinumque hoc nego-

Urſin. ... Bibl. p. 143. Aret. p. m. 318.

Glaſſ. Phil. Sacr. lib. 1. Tract. 4. § 1.

Cunæ. de Rep. Hebr. lib. 3. Bertram. de Rep. Hebr. cap. 15.

Hottinger. Theſaur. Philol. lib. 2. cap. 1.

Voet. Diſp. ſelect. part. 2. p. 1036.

Ploeken. Theolog. Elenct. p. 2.

Euſ. Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 16.

Digitized by Google

hoc negotium ad eundem concipiendum eſt modum? Quod nempe Prophetarum vel Apoſtolorum mentes, ſupernaturali quodam lumine colluſtratæ, adeo ſupra ſe ipſam reflexæ quoque fuerint, ut in illo lumine & per illud lumen, immediatum Dei tactum illapſumque ſe ſentire, certo certius cognoverint; ſenſerintque adeo per idem illud lumen Propheticum, vere a Deo eſſe, quod revelari ſibi à Deo exiſtimabant: prout lumen *ſolare* ab ipſo *Sole* eſſe, non niſi eodem mediante lumine cognoſcitur. Rogatus enim *Titius* vel *Mævius*, qui contuetur Solem, unde ſibi conſtet, *Solem* eſſe, quem videt, & non aliud corpus quoddam lucidum; quid regerere aliud poteſt, quam per eminentem ipſius *Solis* coruſcationem ſibi id innoteſcere? Applicant huc quidam Davidis verba, Pſ. 36. 10. *In lumine tuo videmus lumen.* Sed neſcio, an ſatis apposite; niſi κατ' ἀναλογίαν id forte intelligant. Non male in eum Locum *Bellarminus*: In *lumine tuo videmus lumen, nihil aliud eſt, niſi in te ipſo, qui lux & fons luminis es, videbimus lumen inacceſſibile & indeficiens. Nunc enim videmus Deum, ſed in ſpeculo creaturarum, in mente noſtrâ, quæ eſt* imago *Dei, ratiocinando & diſcurrendo ab operibus ad opificis notitiam, denique in fide non in ſpecie; tunc autem videbimus Deum in te ipſo, &, ut dicit Apoſtolus Paulus,* facie ad faciem, *& ut loquuntur* B. *Johannes*, videbimus eum ſicuti eſt, *non ſicut in imagine repræſentatur.*

Bellarmin. in Pſ. 36. 10.

IV. Prætexunt, ſcio, etiam Enthuſiaſtæ ac Fanatici, adeo ſe illuſtres, fixas, firmaſque nonnunquam experiri impreſſiones, ut dubitare non poſſint, quin a ſublimiori procedant cauſâ, quam a Diabolo, vel qualiquali propriæ imaginationis illuſione. At vero prætextibus res hæc agenda non eſt, ſed rationibus; Haud enim alias, ſi illis ſtandum, certum aliquod diſcrimen inter genuinum Dei filium & hypocritam facile aſſignaveris; cum *hic*, ut bene dicitur, non minus Divini Spiritus afflatus illapſuſque jactaturus ſit, quam *ille*, quinimo multo ſæpe confidentius; *Viſa ſomniorum* (ut ille de Meſſalianis) *Prophetias appellans.* Salomo: *Eſt via, quæ recta videtur in conſpectu virorum, cujus finis eſt via multiplex ad mortem.* Prov. 14. 12. Et Chriſtus de Laodicæo *Angelo* Apoc. 3. 17. *Dicis, dives ſum & ditatus ſum, & nullare mihi eſt* opus: *neque, noſti te eſſe ærumnoſum, & miſerabilem & pauperem & cæcum* & *nudum.* Ad effecta igitur, adjuncta, fructuſque revelationes afflatuſque, qui jactantur, conſequentes hic recurrendum: ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς, inquit de Pſeudo-Prophetis

Matth. 7. 20.

tis Salvator. Ex iiſque colligendum, tum ipſi illi, qui afflatus illos experitur, *tum* aliis, quorum intereſt divinitatem eorum explorare & dignoſcere, genuinine ſint, an ſpurii, Divini, an Diabolici. Sunt vero *Adjuncta* illa præcipuè ea ipſa, quæ in noſtro Apoſtolo (cujus *revelationes* procul dubio *cœleſtes* fuere, quæque ſolæ hic nobis ſufficient) manifeſtè ſe produnt; Scil. 1. *Afflictio*, id eſt, animæ qualisqualis ægritudo & inquietudo, nonnunquam etiam crux quædam corporalis. Ἐδόθη, inquit Noſter, μοὶ σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα μὲ κολαφίζῃ. Et cuinam Divinorum Vatum paria non obtigerunt, *Moſi*? *Eliæ*, *Eliſæ*, *Jeremiæ*, *Joh. Baptiſtæ* &c. Confer. Matth. 5. 12. & 23. 34. 35. Jer. 12. & 15. Am. 7. 2 Chron. 16. & 25. Luc. 4. 24. Marc. 6. 21. 22. Secus ac *Fanaticis* accidit; qui frontem fere exporrigunt, luculentos dies habent,

Solventes pectora diris
Sollicitudinibus.

Utcunque, eo quod genuinis *Prophetis* tam proprium id eſſe deprehenderent, non raro afflicti durique ſtatus προφάσει mundo fucum facere ſtuduerint. Exemplo impræſens ſit unus *Apollonius Thyanæus* Impoſtor celeberrimus, cujus vitam conſcripſit *Philoſtratus*: Hic enim ſingulari & perpetua ſua a *Venere*, *Carne*, *Vino* abſtinentia, καὶ τᾷ σκληροδιαίτῳ, id eſt, *victus auſteritate*, magnam doctrinæ revelationibuſque ſuis fidem conciliavit; at nunquam tamen vere quid paſſus, ſed ut Deus (ſiquidem vera ſunt quæ de eo narrantur) a nemine non cultus & honoratus eſt; tantum a *Domitiano* Imperatore captus ſemel, Romamque adductus fuit, compedeſque ipſi injecti. Neque id ipſum in afflictionem & ignominiam ei ceſſit, ſed in honorem potius & gloriam: referunt enim, nullo eum negotio compedes illos excuſſiſſe, ſumma libertate *Imperatorem* redarguiſſe, tandemque in medio prætorio ex adverſantium oculis diſparuiſſe: 2. *Humiliatio*: Τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Jobus Cap. 42. 5. 6. *Auditione auris audieram de te, nunc autem oculus meus Te videt, idcirco adſpernor illa, atque pœnitet me in pulvere & cinere.* E contra tument fere *Fanatici*, ut in *Simone Mago* (dicebat enim, εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, *ſe magnum aliquem eſſe.* Act. 8. 9.) & Montano cum ſuis Propheteſſis

Philoſtr. in Vit. Thyanæi.

palam fuit. 3. *Oratio*: Ὑπὲρ τούτων τρὶς τὸν χριστὸν κύριον παρεκάλεσα. Aliter iterum ac *Fanatici*, qui divini auxilii parum ſtudioſi ſunt, propriæ induſtriæ ſuæ opinione faſcinati, ſuiſque adeo corticibus, ut jactant, natare ſatis apti. 4. *Reſignatio*: Καὶ εἴρηκέ μοι (χριστὸς) ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου, in quâ Apoſtolus plene acquievit. Sic non *Fanatici*, qui pro ſuperbiæ, quo pleni ſunt, ſpiritu, rerum dominos ſe putant, imò ipſius Domini Dominorum dominos; penes ſe ſtare debere præſumentes rerum humanarum quin & Divinarum omnium directionem & diſpoſitionem. 5. *Gloriatio* ſive ſpirituale gaudium. Μᾶλλον οὖν καυχήσομαι ἐν ἀσθενείαις μου. Εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις, ἐν ὕβρεσιν, ἐν ἀνάγκαις. Ad rem Vir ſummus, Petrus Molinæus: *Nec dubium eſt* (inquit) *quin Deus eorum mentes* (quos nempe Spiritu ſuo vere aflat) *peculiari quadam luce perfundat, quæ humano eloquio exprimi non poteſt, & ab eis ſolis cognoſcitur, qui eam ſunt experti, & quæ ſenſu quodam afficiat, qui poſt addubitationem, ſi qua accidat, tandem omnem hæſitationem eximat: ac quamvis inter initia horrore excellat, poſtea tamen* voluptate & dulcedine *quadam permulceat, quæ igniculos amoris Dei in corde ſuſcitet. Hic ſenſus procul dubio plurimum diſtat ab inſpirationibus Diabolicis, quæ Vatem exagitant, & mentem ejus* ἐμβρόντητον *&* κατηφῆ *dejiciunt moerore, qui nunquam deſinit in gaudium.* Facit huc Hebræorum etiam adagium, quo *Prophetiam* neque ſuper *pigrum* neque ſuper *triſtem requieſcere* pronunciant.

Molin. Vat. lib. 3. cap. 5.

Druſ. Adagior. Hebr. Decur 12. Adag. 9.

V. Altera *Quæſtio* eſt: *An tempore N. Teſtamenti Revelationes immediatæ* & extraordinariæ *locum adhuc habeant*? Reſp. Magno molimine adſtruere id pridem conatus eſt *Joh. A. Comenius*, Vir ſane doctiſſimus & piiſſimus, ſpiſſo ſatis Volumine edito, cui titulus, LUX e TENEBRIS; *in* quo *Revelationum Kotterio-Poniatovio-Dabricianarum* hiſtoriam non tantum, ſed & diffuſam ſatis apologiam Orbi exhibuit. Quod opus, ut varie a variis exceptum fuit, ita eruditum Senem diſſimilia plane judicia ſubire fecit: Aliis conatum ejus excuſantibus; aliis, ut rem undique periculoſam, cum improbantibus; aliis imprudentiam in Scriptore reprehendentibus; quibuſdam aculeata ſatis ſcripta ei reponentibus, in hoc uno omnibus naſutioribus conſentientibus, quod, utcunque *D. Comenius* multa lectu non indigna Volumini iſti inſparſerit, in hoc tamen excuſandus non ſit, quod *Revelationes* dictas plus juſto extulerit, deprædicârit, commendârit; quin autho-

Comen. Lux. in Tenebr. part. 1. de Revelat. Kotterian. p. 5. in Præfat.

Id. part. 2 pag. 3. 9. 31.

authoritatem pene Cæleſtem iis adſcripſerit. At dubium non ſine ratione eſt, an ſuæ illi opinioni, immortuus quidem ſit Vir Optimus; evulgato enim poſtmodum *Uno ſuo Neceſſario*, ut vocat, ſuorum non pauca, ſi non retractaſſe, nullo ſaltem loco habuiſſe, viſus fuit. Hæc *Ultimi* ejus *Propoſiti* diſerta verba ſunt: *Palatii loco mihi tuguriolum erit qualecunque, pretioſæ veſtis loco villoſum aliquod indumentum ſufficiet. Opipara menſa vicem panis & aqua explebunt, aut ſiquid obſonioli accedit, laudabitur bonitas Dei.* Philoſophia *mea erit intueri, cum Davide, Cælos & reliqua opera manuum Dei.* Medicina *mihi erit tenuiſſima diæta, jejuniis ſubinde interpoſitis decoranda:* Juriſprudentia *mea erit, quicquid ab aliis fieri mihi nolim aut velim, hoc idem facere aut non facere aliis. Quoad* Theologiam, *accipiam cum Aquinate morituro* Biblia, *totoque corde & ore dicam*: Credo quicquid in hoc Libro Scriptum eſt. *Si quos conſcientiæ caſus habeam quis quærat, omnia mea (NB.) mihi eſſe ſuſpecta, reſpondebo. Ridebit forſan* (addit) *humanæ Sapientiæ admirator delirum Senem, &c. at rideat, ſi volupe eſt, meum cor etiam ridebit, effugiſſe tricas, evaſiſſe labyrinthos: inveni portum; Sors & Fortuna valete, ait Poeta. Ego inveni Chriſtum, Vos Numina vana valete!* Hactenus *Comenius.* Quicquid autem is ſenſerit, vel non ſenſerit, ad mortem uſque tenuerit vel non tenuerit, poſtmodumque forte retractaverit, nos quæſtionem propoſitam ſic determinamus: Diſtinguendum eſſe initium N. Teſtamenti ab ejus progreſſu. Fuiſſe ſub *initium* N. T. *viſiones* adhuc quaſdam *extraordinarias*, non tantum ex Pauli hoc loco exemploque liquet, ſed ex pluribus etiam aliis: Donatus eis fuit *Agabus*, Act. 11. 27. & 10. 12. *Judas* & *Silas* aliique, Act. 15. 32. Etiam Philippus Evangeliſta quatuor *Prophetantes* filias habuit. Act. 21. 9. Et in promptu ratio eſt: quia *donum Prophetiæ* necdum plane tum ceſſabat, ſed eo mediante erudire ſuos Deus quandoque adhuc volebat; quod ſine *revelationibus* immediatis fieri non poterat. De ſuis temporibus *Juſtinus Martyr*, qui floruit ſeculo. 2. *Apud nos huc uſque etiam* Prophetica *extant dona, unde & vos intelligere debetis, quæ olim in Gente veſtra fuere, ea eſſe in nos tranſlata.* Et quot non Prophetarum, & Prophetiarum ejuſmodi exempla habent Annales Eccleſiaſtici? *Polycarpi, Laurentii Diaconi, Alexandri* Alexandriæ Epiſcopi, *Juliani Sabbæ*, qui (licet viginti dierum itinere a *Juliani* Exercitu abeſſet, ejus *mortem* tamen eâdem, qua ceciderat, horâ reſcivit non tantum, ſed & vultu a lachrymis ad hilaritatem compoſi-

Martyr. loc. Comm. fol. 4.

Juſtin. Mart. Dialog. c. Tryphon. pag. 240.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 14. Prudent. περὶ στεφ. Hymn. 2.

Digitized by Google

Sozomen. lib. 5. c. 14. Socrat. l. 2. cap. 12. Theodor. l. 3. cap. 18.

to verbis hiſce ſignificavit: Τὸν ἄγριον τὸν τ8 ἀμπελῶν🙰 τ8 Θεῖ8 πολέμιον δίκας εἰσπεπρᾶχθαι τῶν εἰς τ8τον ἀδικημάτων, καὶ κεῖσθαι νεκρὸν, τῆς ἐπιβ8λῆς πεπαυμένον. *Agrum Sylveſtrem* (erat hic *Julianus*) *hoſtem Vineæ Domini debitas ſcelerum in Chriſtum pependiſſe poenas, & mortuum jacere, ne amplius Chriſtianis inſidias ſtruat*) *Chryſoſtomi*, *Epiphanii*, *Johannis Thebaidos Monachi*, pluriumque aliorum, de quibus *Euſebius*, *Prudentius*, *Sozomenus*, *Socrates*, *Theodoretus*, *Ruffinus*, & inter Neotericos *Tobias Pfannerus*, Theologus Gothenſis. 2. *Progreſſu* vero temporis ceſſare Deum feciſſe ὀπ[τ]ασίας & *revelationes* omnes *extraordinarias*, quoad fidei nempe morumque eſſentialia & fundamentalia capita; adeo ut ex afflatibus & illapſibus qualibuſcunque immediatis derivari & confirmari ea hodie nec poſſint, nec debeant. Hinc Abraham: *Habent Moſem & Prophetas, illos audiant.* Luc. 16.29. Eſaias, ad *Legem & Teſtimonium.* Eſ. 8.20. Et Petrus: Ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* 2 Pet. 1. 19. &c. Refert de *Miltiade*, inſigni pro Chriſtianis ſeculo ſecundo Apologiſtâ, *Euſebius*, quod dixerit, *Prophetiæ donum ad finem uſque mundi duraturum eſſe.* Ipſa ejus verba, ut *ab Euſebio* allegantur, ſic ſonant: Δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν χάρισμα ἐν πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρ8σίας ὁ Ἀπόστολ🙰 ἀξιοῖ. *Etenim* Prophetiæ donum *in omni Eccleſiâ ad ultimum uſque Domini adventum permanere debere*, *Auctor eſt Apoſtolus.* Sed ubi Apoſtolus id habeat, non innuit. Si *Paulum* per *Apoſtolum* intelligat, is certè Chriſtianorum fidem Prophetiæ dono vel revelationibus propheticis non inædificat, ſed τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων καὶ προφητῶν. Eph. 2.20. Si *Petrum*; neque ille ad Prophetarum ἀποκαλύψεις ſuos remiſit, ſed ad προφητικὸν λόγον τὸν βεβαιότερον; ut mox diximus. Inquit quidem Apoſtolus 1 Theſſ. 5.20. Προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε *Prophetias ne contemnite*; quod certe ad finem uſque ſeculi erit obſervandū; ſed non intelligit id Paulus de Prophetiarum *dono*, ſed de Prophetiarum *argumento*, i. eſt, de *Sermone Prophetico*, ut Petrus vocat, ſive fidei morumque veritatibus & regulis a Prophetis nobis revelatis. 3. Hiſce tamen non obſtare, quod Deus inſequentibus temporibus

Ruffin. lib. 2. c. 32.

Pfanner. Diatrib. De Chariſm. Antiq. Eccleſ. cap. 6. pag. 303.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 17. p. m. 183.

Digitized by Google

res quadam hiſtoricas, Articulum fidei aut partem ejus non conſtituentes, huic illive homini revelare adhuc potuerit, quin revera quandoque revelaverit. Quodſi enim pijſſimorum & fide dignißimorum Scriptorum Commentariis tribuendum quid ſit, apparebit ipſâ lûce lucidius, cunctas hujuſcemodi *revelationes* exſibilandas non eſſe. Ut enim *Kotteros*, *Zeigleros*, *Draſcheros*, *Kregelios*, *Pſacheros*, *Davides Doppenos*, *Warneros*, *Richardos*. *Engelbregtos*, *Poniatovias*, ſimileſque alios aliaſque mittam, quos & quas, ut *prophetico dono* excellentes, deprædicat *Comenius*, benene anmale, jam non excutio; quid de tot ſaltem mortis præſagiis, ipſo eventu comprobatis, dicendum, quorum aliqui totos Catalogos texuerunt? *Ambroſius* mortis ſuæ diem prævidit, fratribuſque ſuis indicavit. *Philippus Melanchton* mortem ſibi ipſi prædixit, eamque expectavit eopſe, quo abiit, die. *Sanfordus*, Theologus Anglus, mortem propriam per annos fere duos præſagiit. Et quid de ſorore ſuâ *Gorgoniâ* Nazianzenus? *Hanc ſomnus unus* (inquit) *ſuaviſſimus excipit, viſioque una præſtitutum excedendi tempus complectens, diemque adeo ipſum indicans. Deo nimirum hoc agitante, ut parata & non perturbata e vitâ diſcederet.* At unde habuerunt hæc illi, niſi ex revelatione quadam non vulgari? Adde alios, qui alia multa prædixerunt: *Hieronymum Savonorolam*, Ao.1498. Florentiæ flammis dicatum, *Johannem Huſſum*, *Hieronymum Pragenſem* (de quorum poſteriorum prophetia, quoad rerum Eccleſiæ poſt centum annos ſtatum, paſſim Martyrologia Reformata, & Vitarum Scriptores) *Nicolaum Eremitam*, quem *ſummâ abſtinentiâ*, *Spirituque Prophetico coruſcantem*, Bucholcerus, optimæ fidei Chronologus, vocitavit. *Gregorium* denique *Neo-Cæſarienſem*, alias *Thaumaturgum* dictum: De quo, utut nimis quidem hyperbolice locuti ſint quidam inter Patres, nominatim *Baſilius* & *Gregorius Nyſſenus*, eundem ipſi Spiritum, quem Apoſtoli & Prophetæ habuerunt, tribuentes, quin ipſiſſimo Moſi eum æquiparantes, vix dubitaveris tamen, quin *revelationibus* quibuſdam *extraordinariis* clarus fuerit. Qui enim, ſi omnia quæ ipſi abſcribuntur, commentitia & chimerica fuerint, in mentem venire laudatis modo Doctoribus potuit, Viris cæteroquin piis & prudentibus, ut tantis eum laudibus, præſertim a vaticinandi privilegio deſumptis, coram toto orbe deprædicarint? Bene Aretius: *Temerarium eſt, negare in totum Eccleſiæ etiam hodiernæ donum Propheticum; & licet obſcuriora ſint, tamen dubitandum non eſt, quin ſint & poſſint prodiri piorum*

Calvin. Inſt. Theolog. lib. 4. cap. 3. §. 4.

Witſ. Exerc. 11. in Symb. Apoſt. §. 21

Comen. Lux. in Tenebr. in Information. Lector.

Nazianz. Orat. 25.

Phil. Comine de Bello. Neapol. lib. 3.

Scultet in Annal. p. 6.

Bulchholcer. ad A. 1484.

Baſil. lib. de Sp. S. c. 29.

Gregor. Nyſſen. in Vit. Thaumaturg. 82.

Digitized by Google

virorum oracula plane Prophetica, quæ eventus comprobavit. 4. Attamen *Revelationibus* iſtiuſmodi *extraordinariis*, ſimulac obtenduntur, fidem mox adhibendam animique affectus præpropere iis mancipandos non eſſe, ſed *probandos eſſe Spiritus, num ex Deo ſint*: tum quod ad ſalutem viſionibus iſtiuſmodi non amplius opus ſit, fideique & morum regulâ multis numeris firmiori, quam eæ ſunt, jam gaudeamus, Verbo nempe Dei ἀδόλῳ, & fallere neſcio; tum quod multæ paſſim deceptiones fraudeſque intermiſcere ſe iis ſoleant: vel per inveteratam vacuæ obſervationis conſuetudinem, vel per vim melancholiæ, phrenitidis, paraphrenitidis, vel per diabolicæ ſive energumenicæ ſive extrinſecus operantis illuſionis impoſturam. *Non vult credi* (inquit Clar. Coccejus, deſignans Paulum) *omnibus Viſionibus. Non tantum examinandum eſt, an quis viderit vel audiverit, quod ſe dicit vidiſſe vel audiviſſe: ſed, etiamſi conſtet aliquem vidiſſe vel audiviſſe, tamen non ſtatim viſioni credendum eſt. Diabolus enim mirus artifex ſæpe viſiones fabricatur ut vel impediat, ne faciant officium, quibus id incumbit facere, vel incitet ad temere aliquid faciendum, ſemper autem quærit detrimentum fidelium & regni Dei. Quare ſi* Spiritus *examinandi ſunt, etiam* viſiones *examinandæ ſunt.* Tum denique quod eventus doceat, plurimos eorum, qui *Revelationes* hujuſcemodi *extraordinariis* maximè crepaverunt, ſibi ipſis partiariiſque ſuis miſerandum in modum ſæpe impoſuiſſe. Quod in iis præprimis palam eſt, qui Chriſti decretorium diem prænunciare hactenus aggreſſi ſunt; nemini enim non ludibrium illi jam debent. Quibus addeſis *Monaſterienſes* implanatores (quorum hiſtoriam ſummatim exhibet Sleidanus) *Knipperdollingum* & *Johannem Leidenſem*, qui portentoſis ſuis vaticiniis feralibuſque tumultibus nequicquam aliud, quam ſibi mortem, ſociis exitium arceſſiverunt. Et quid *de Kotterianis, Dabricianis, Poniatovianis* prædictionibus, quarum tantus in orbe Chriſtiano ſuſurrus fuit, tandem factum? Ad reliquos diſceſſerunt *Prophetæ* cum *Propheteſſa*, prophetiæ ipſæ in fumum abierunt. Idem expertus nuper eſt *Johannes Rothæus*, Amſtelodamenſis, homo vitæ alias ſatis probatæ, ſed, ut a primâ lanugine ſumme melancholicus, ita in eligendis, quas quoad religionem ſequeretur, partibus inconſtans plane ac deſultorius. Hic enim *a Johanne Labadæo*, novo, ut videri volebat, Eccleſiarum Reformatore, morumque rigidiore caſtigatore, ſub intenſioris devotionis ſpecie, ita primum dementatus fuit, ut totus ei adhæſerit non tantum, ſed quoſ-

Urſin. Quæſt. Biblic. pag. m. 174.

Paul. Zachias. Quæſt. Medico-leg. lib. 4. p. 293.

Coccej. in 2. Theſſ. 2. §. 9.

Sleidan. lib. 10. p. m. 252.

Digitized by Google

quoscunque poſſet, ad familiam ejus novam pertrahere totis viribus allaborarit. Verum poſtea, eo quod parem forſan non ferret, nedum ſuperiorem, quo loco *Labadæum*, novæ devotionis artificem & præconem habere tamen tenebatur, quamdiu civitati ejus adſcriptus eſſet, ſeceſſionem ab eo molitus eſt, glorioſum Chriſti Regnum infando ſtrepitu in terris, Magno illo vexillifero, multo felicius erecturus. Hinc numeroſas vacillantium animarum copias colligere, ſociemis ſuis aureos montes promittere, Eccleſiam Rempublicamque libellorum famoſiſſimorum plauſtris conturbare, *Servum Dei Johannem* Prophetamque eximium ſe ipſum indigitare, *Revelationum* tandem extraordinariarum univerſa volumina in vulgus ſpargere, neque erubuit neque deſtitit. At quis tandem omnium horum exitus?

Mons parturivit natuſque eſt rediculus mus.

Eorum, quæ prædixerat, nihil evenit, evenêre e contra multa, quæ nec prædixerat nec præſagierat. Miſſo enim, quod erecturum ſe eſſe gloriatus erat, vexillo, & cum *De Raatiis*, *Someris*, *Richarſonius*, novi Regni deſignatis Aſſeſſoribus, redux in Patriam factus, ſolutâ ſocietate tribunitiâ & ſchiſmaticâ, patriæ Urbis δεσμωτηρίῳ incluſus eſt: impetratâ ſimul pleniſſimâ facultate & poteſtate, *Prophetias* ſuas ludicras & ridiculas reſumendi & retractandi, periculumque faciendi, num prædicere certiuſcule forſan poſſit, quo tempore & modo ex illo ſuo ergaſterio liberandus tandem ſit quam multa alia prænunciavit. Sed de his ſatis.

VI. Paulus itaque noſter, ut hic liquet, ſupereminentibus *revelationibus* conſpicuus, inſigni etiam periculo expoſitus fuit, ne intumeſceret; quod certè peccatum eſt quibuſvis magnis χαρίσμασι donatis præprimis adjacens. 1 Cor. 8. 2. Cui proinde morbo ut antidotum opponeret gratioſiſſimus Deus, ſervo ſuo *Carnis ſtimulum*, Satanæque *Angelum*, qui colaphizaret eum, immiſit. Ἐδόθη (inquit) μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Ritè Calvinus: *Conſideremus diligenter* (inquit) *quis hic loquatur; Vicerat tot pericula, tormenta & alia mala; triumphum de omnibus Chriſti hoſtibus egerat, expulerat mortis timorem, Mundo denique renunciaverat, needum tamen ſubegerat penitus ſuperbiam, imo adeo anceps illi certamen reſtabat: ut vincere non poſſet, niſi colaphis caſus.* Nempe tam altas egit malum illud etiam in optimorum hominum cordibus radices, Calvin. in 2 Cor. 12. 7

Digitized by Google

ut, ipſo etiam conſultore & directore Deo, vexationes Diaboli in medelam advocandæ ſint, ſi revelletur & exſtirpabitur. Apoſtolo opus erat *aculeis* in *carne* pungi, *colaphis* gravari, ipſiuſque quidem *Diaboli colaphis*, ſi hoſtem hunc ſuum ſubigeret. Non quod finis hic eſſet percutientis Diaboli, ſed percuſſionis ipſius, quam natura ſuâ utut venenum, convertere Deus gratioſe voluit in medicamentum.

VII. De vocis Σκόλοπος ſignificatione multi multa: Quidam ſimpliciter per *ſpinam* vertunt: ita Cl. *Coccejus.* LXX *Seniores* hebraicum סִלּוֹן per σκόλοπα interpretati ſunt. Hoſ. 2. 6. eſt בַּסִּירִים, ubi habent, φράσσω τὸν ὁδὸν αὐτῆς ἐν σκόλοψι. *Ego obſepiam viam ejus ſpinis.* Num. 33. 55. שִׂכִּים. Σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς. *Homerus*:

Cocc. Lexic. pag. 571.

Σκόλοπες γὰρ ἐν αὐτῇ
Ὀξέες ἑστᾶσιν.

Homer. Iliad. μ. *pag.* 434.

Quod Interpres *Æmilius Portus* per, Pali *enim in ipſâ acuti ſtant* expreſſit. Et alibi:

Τείχεα μακρὰ,
Ὑψηλὰ σκολόπεσσιν ἀρηρότα.

Ὀδυσσ. η. 24. 24.

Ubi habet, *Muros longos, ſublimes*, palis *munitos.* Dioſcorides σκόλοπας ἕλκειν, quod eſt *infixos corporis aculeos extrahere*, dixit. Beza per *ſurculum* interpretatus eſt; per *aſſulam* Illyricus, per *ſtimulum* Vulgata, alii per *telum*, *ſudem*, *aculeum.* Σκόλοπος interim apud Veteres, & forſan adhuc apud pleraſque nationes, alius atque alius uſus ſemper fuit, & etiamnum eſt. Indicarunt eo nonnunquam *lignum præacutum*, claudendis hortis vel ſuſtinendis vitibus terræ infixum. Nonnunquam *ſurculum* quendam acutiorem, ac inhærentem quidem, qui, ſiquando per cæduas ſylvas iter faciendum eſt, ambulantium pedibus non minus moleſtus eſt, quam murices. Nonnunquam *ſtirpem* pedis veſtigio infixam & moleſtam; quare & derivatum id quidam volunt a σκάζω, *claudico*, ſimiliter ac σκολιὸς & σκάνδαλον, quia in viâ incurrentibus pedibus offendiculo eſt. Pertinent huc *Androdi* verba apud *Agellium*, qui de Leone, poſtmodum ſervatore ſuo, hunc in modum: *Vidit me procul deliteſcentem, mitis & manſuetus acceſſit, ac ſublatum pedem oſtendere ac porrigere, quaſi opis petendæ gratia,*

Beza. in 2. Cor. 12. 7. F. Illyric. in Clav. S. Scriptur. pag. Dioſcor. lib. 4. cap. 251.

Gell. lib. 5. cap. 14.

tia, viſus eſt; ibi ego ſtirpem, *veſtigio pedis ejus hærentem, revelli.* Nonnunquam *cuſpidem ſpiculi unci*, quod corpori injectum, cum circumquaque carnem dilaceret, non niſi ſummo dolore extrahitur. Nonnunquam etiam *ſudem acutam*, quâ rei capitis olim perforabantur, inſertam per poſteriora, & per humeros ſcapulaſque emergentem; σκόλοπα ϛαυρόν. De hac Heſychius: Σκόλοψιν ὡς ὅπλησιν: Τὸ γὰρ παλαιὸν τοὺς κακουργοῦντας ἀνεσκολόπισαν, ὀξύνοντες ξύλον διὰ ῥάχεως καὶ τοῦ νώτου, καθάπερ τοὺς ὀπτωμένους ἰχθῦς ἐπὶ ὀβελίσκων. *Sudifixionem quaſi Aſſationem: antiquitus enim maleficos ſudi inſigebant, acuto ligno penetrantes ſpinam & dorſum, ſicuti aſſos piſces in verubus.* Seneca ad *crucis ſupplicium* retulit: *Video* (inquit) *iſtic cruces, nec unius generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite inverſo in terram ſuſpendere, alii per obſcoena* ſtipitem *egerunt.* Et Mæcenas apud eundem: Heſych. in Voc. σκόλοψ. Senec. Conſol. ad. Mar. cap. 20.

Hanc mihi vel acuta
Si ſedeam Cruce, *ſuſtine*
Vita dum ſuper eſt, bene eſt. Id. Epiſt. 1.

In quæ verba Lipſius: *Vult miſer & adſuſpirat vivere, etiam inter tormenta & in iſta maxime cruciante cruce, quam ſignanter dixit* Acutam. *Sed ayt etiam* ſedere: *bene: nam ille profecto habitus hominis ab infero in ſuperum ſic transfixi*; Eodem reducitur a pluribus etiam aliis. Unde ergo & vox ἀνασκολοπίζειν, quod per ἀνασταυροῦν exponi ſolet. Sic Chryſoſtomus de *Petro*: ὁ Πέτρος κάτωθεν ἀνεσκολοπίσθη παρὰ ἀνθρώπων καταπτύστων καὶ ἰταμῶν. *Petrus capite ad terram verſo in* crucem actus *fuit ab hominibus obominandis & crudelibus.* Hoc præſenti loco σκόλοψ nihil aliud eſt, quam *aculeus* in genere doloroſe pungens, & carnem Apoſtoli perforans. Σκόλοψ σαρκὶ, vel, ut ſubauditam nonnulli præpoſitionem ἐν volunt, σκόλοψ ἐν σαρκὶ, ſurculus, *ſtimulus*, aculeus *in carne* Lipſ. de Cruc. lib. 1. cap. 6. Chryſoſt. Homil. 5. in 2. ad. Timoth.

VIII. Sed quid Ἄγγελος σατᾶν? Σατᾶν vox eſt indeclinabilis, origine hebraica, a rad. שָׂטַן *odio habere*; unde שָׂטָן, *Adverſarius, Calumniator*, Εναντιές, Ἐπίβουλος. Inſcribitur quibusvis tum *rebus* tũ *perſonis*, quę aliorum conſiliis vel conatibus obſunt: *Abiſai* 2 Sam. 19.22. *Petro* Matt. 16.23. ipſiſſimo *bono Angelo*, qui Bileamo in viâ obſtitit. Num 22.22.32. Hic procul dubio ad *Cacodæmonem*, infernalem ſpiritum, refertur, qui frequentius titulum hunc gerit, Dei quippe 1. Reg. 5. 4. & 11. 14.

Regni-

Regnique ejus per excellentiam adverſarius, ἐχθρὸς καὶ ἀντικείμενος. Job. 1. 6. Luc. 10. 18. 2 Cor. 11. 14. At dubium eſt, an Ἄγγελος σατᾶν vertendus ſit per *Angelum Satanæ*, an per *Angelum Satanam*. Prius voluit *Cajetanus* cum paucis aliis, poſterius plerique Græci & Latini. At quidni utrumque dixeris?
Origin. Contr. Celſum. p. 306. Per *Angelum Satanam*, ut principalem *Paulinæ* afflictionis cauſam, intelligens Diabolum, tenebrarum Principem; per *Angelum Satanæ*, quodlibet ejus inſtrumentum, Apoſtolum torquens & divexans; ſive *homines* illi fuerint malevoli, piis pietatique, adeo-
Grot. in 2 Cor. 12. 7 que invicto etiam huic ejus antiſtiti, infeſti, genuini Satanæ Angeli; ſive *res* qualeſcunque etiam *inanimata*, quæ τῶν ἀγγέλων nomine in Scripturis etiam veniunt. Pſ. 104. 1. Luc. 13. 16. ſive ipſa infernalium Spirituum univerſitas: quomodo vox ἄνθρωπος pro genere *humano* ſive naturâ *humanâ* nonnunquam etiam ſumitur. conf. Marc. 3. 23. Matt. 12. 26.

IX. Datus autem Paulo Ἄγγελος hic σατᾶν dicitur, ἵνα κολαφίζῃ &c. ut vexet eum. Obſervat *Beza*, haud temerè Paulum ſcripſiſſe potius κολαφίζῃ, quam κολαφίσῃ; ſed neſcio, cui bono, cum res eodem redeat. Proprie notat vox alapâ vel manu aliquem cædere. Matt. 26. 67. 1 Pet. 2. 20. Exprimunt Græci per παίειν ἐπὶ κόῤῥης. Hebræi per מַהֲלֻמוֹת *verbera*, & (ut Clar. *Coccejus* vertit) *Colaphos* intelligunt. Prov. 18. 6. Licet non
Coccej. Lexic. pag. 184. deſint, qui diſcrimen inter κόλαφον & ῥάπισμα, *colaphum*, & *alapam* faciunt; hoc intereſſe putantes, quod *is* pugno, *hæc* extenſâ manu fiat. Alii, quod *is* colli ſit percuſſio, *hæc* faciei. Adhuc alii (inter quos eſt *Origenes*) quod *colaphus* ad caput *alapa* ad maxillam referenda ſit. Nos ſuis hæc autoribus relinquimus. Generalius vocabulum etiam uſurpatur, notatque κολαφίζειν per κατάχρησιν, qualicunque oppreſſione vel vexatione gravem alicui eſſe. Sic 1 Cor. 4. 11. *Nudi ſumus & colaphis cædimur*, κολαφιζόμεθα. Nec non 1 Pet. 2. 20. Ποῖον γὰρ κλέος, εἰ ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι ὑπομενεῖτε? *Quæ enim gloria eſt, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis*? Et ſic etiam hic ſumendum. Metaphoræ ratio eſt, quod *colaphis* cædi *ſervile* ſit: ſervi enim cædebantur *colaphis* ab iratis dominis ſuis. Sic de *ſervo* ita excepto Seneca alicubi in ludo Claudii: *Apparuit ſubito C. Cæſar, & petere illum in* ſervitutem *cœpit: producit teſtes*,

teſtes, qui illum viderent ab illo flagris, ferulis, colaphis *vapulantem; adjudicatur C. Cæſari.*

X. Hactenus de Pauli *verbis*, reſtat *principalis Difficultas* enodanda: *Quid nempe intelligendum* ſit per *Carnis* ſurculum & colaphizantem *Angelum, de quibus hic queritur Apoſtolus*? Et certè

Ire per extentum funem mihi poſſe videtur,

qui quæſtionem hanc probè expedierit. Tam enim variantia ſe hic produnt Eruditorum placita, ut, quid eligendum ſit, vix dixeris. Quænam hac ſuper re *Auguſtini* mens fuerit, non uſque adeo planum eſt; *Tum* enim dicit, carnis hunc *ſtimulum* Paulo uſque ad mortem inhæſiſſe; inde id conficiens, quod neget, ſe auditum iri, in eo, quod rogavit Dominum, ut malum hoc a ſe diſcederet; *tum* dolorem capitis per eum intellectum vult; *tum* iterum neſcire ſe ait, quid intelligi per eum debeat. Adeo ut ἐπέχειν voluiſſe videatur, nodumque potius ſcindere, quam ſolvere. Sunt, qui de *Corporis* qualicunque *ægritudine*, ſpeciatim κεφαλαλγία capiunt, quos inter eſt *Hieronymus*, cujus hæc verba ſunt: *Tradunt eum* (Paulum) *graviſſimum* capitis dolorem *ſæpe perpeſſum, & hunc eſſe Angelum* Satanæ, *qui appoſitus ei ſit, ut eum colaphizaret in carne, ne extolleretur.* Licet ex aliorum mente & forte non ex ſuâ id ibi referat. Tertullianus *dolorem auriculæ* intellexit, Thomas *morbum Iliacum*, Clar. Molinæus *morbum aliquem* in genere, quo Paulus divexatus per intervalla fuit. Alii *animi* quandam vexationem fuiſſe aſſerunt: eamque vel *peccaminoſam*, ut corruptæ *carnis reliquias*, ſingulariter Apoſtolum tum urentes: ita *Cyprianus, Salvianus, Lyranus*; ſive *libidinis æſtum* Venerisque incitamenta; quod *Theophylacto* adſcribitur, necnon *Bellarmino* ab Eſtio & Molinæo: *illo* quinquageſimum caput Libri ejus de *Monachis* citante, *hoc* caput trigeſimum Libri 1. *de Monachis*. At neutro loco verba *Bellarmini* offendere potui; imo ne quidem in locorum S. Scripturæ *Indice* textus hujus Paulini mentionem ullam facit. Aut *ſuperbiæ* aculeos, quæ tenaciſſimè inhærent. Vel *non peccaminoſam* ſed doloroſam tantum, per *tentationes & terrores* hujus illiusve *Dæmonis*. Sic Freidlibius: *Probabiliſſime itaque omnium dicitur, quod Satanas ſubinde Paulo refricaverit memoriam effuſi innocentiſſimi ſanguinis Chriſtianorum Martyrum, eoque dolore conſcientiam ipſius acriter pupugerit. Solet enim, remiſſo quanquam peccato, nihilominus ſtimulus conſcientiæ manere, qui artibus & livore Satanæ mire acuitur.* Et Gualterus: *Etenim* (inquit) *credibile eſt, obrep-*

ſiſſe

August. lib. 2. de Peccat. Merit. c. 16. Idem in Pſ. 130. & de Natur. & Grat. cap. 27.

Hieron. in Ep. ad Galat. c. 4.

Tertull. de Pudicit. cap. 13.

Molin. loc. cit.

Thom. in 2 Cor. 12. 7

Cyprian. de Mortal.

Salvian. Sermon. de Circumciſione.

Eſtius in 2 Cor. 12. 7

Freidlib. Theolog. Exeget. part. 2. pag. 494.

Gualter. in 2. Cor. 12. 7. *ſiſſe ei ſimul vitæ anteactæ & crudelitatis, qua in fideles Chriſti ſævierat, recordationem, quam ipſi Satan ſuggerebat, ut quam in Dei gratiâ fiduciam collocatam habebat, labefactaret.* Sive per *Adverſarios* Apoſtoli miniſterio reluctantes & obſiſtentes. Ita *Eraſmus*, *Chryſoſtomus*, *Ambroſianus*, *Primaſius*, nominato mox *Eſtio* citati.

Chryſoſtom. in 2. Cor. 12. homil. 26.

XI. At quid tenendum hic, quæris? Exponam, quid mihi veroſimillimum videatur, *negative* & *poſitive*. Κατ' ἄρσιν: In genere non fuit *peccaminoſum* quid, quod Paulum excruciavit. Non hanc quidem ob rationem (quæ Doctiſſimi *Cameronis* eſt,) quod ſtimulus hic *datus* & *immiſſus* Paulo dicatur, ac dubio procul a *Deo* immiſſus; adſcribique Deo, non niſi abſurde poſſit, quod peccatum alicui immitteret, cum peccatorum omnium acerrimus vindex & oſor ſit. Haud enim verum eſt, Deo id abſolute abſcribi non poſſe, quinimo ipſa Scriptura exertè id ipſi adſcribit: vide 2 Theſſ. 2. 11. *Propterea igitur* mittet *eis Deus* efficaciam deceptionis, *ut credant mendacio.* Eratne *peccaminoſum* quid *efficacia deceptionis* (ἐνέργεια πλάνης) eratne *peccaminoſum* quid *credere mendacio*; & dicitne conceptis verbis Apoſtolus, Deum Antichriſti ſectatoribus & admiratoribus *immiſſurum* id eſſe? διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς. Confer. 1. Reg. 22. 22. Eſ. 29. 10. Rom. 9. 15. Accurandum duntaxat, ut phraſes iſtiuſmodi non niſi θεοπρεπῶς, id eſt, ratione ſanctiſſimo Deo convenienti & dignâ, accipiantur & explicentur. Tunc enim nequicquam aliud notant, quam juſtiſſimam ſanctiſſimamque Dei circa peccata noſtra providentiam. Suffragatur hiſce judicioſiſſimus. *Muſculus*, dum dicit: *Quare non videntur mihi ſatis perpendere ſtudium Dei in Paulum, qui verbum* ἐδόθη *exponunt* permiſit Deus, *ut Satan adhiberet mihi ſtimulum. Chryſoſt. forſan veritus, ne Deo mali quicquam tribuatur, ſic exponit:* συνεχώρησε τοῖς ἀντικειμένοις ἐπιτίθεσθαι ἡμῖν. *Verum Apoſtolus non utitur verbo* permittendi, *ſed diſertè*, datus eſt *mihi* ſtimulus: *ut ſignificet illum reputari a ſe pro ſingulari Dei dono. Hoc genus exponendi S. Scripturas, quo verba* dandi, tradendi, obdurandi, excæcandi, *per verbum* permittendi *exponuntur, meo judicio, nec menti Sp. S. ſatis facit, nec quod cavere conatur cavet.* Quare hac potius de cauſa *Stimulus* hic pro *peccato* non eſt habendus, quod acquieverit in ejus punctionibus, imo gloriatus in iis ſit Paulus. At qui in *peccato* qualicunque gloriari potuit Vir pius? quod *ſtimulum* etiam, quem hic deſignat, & *colaphizantem angelum* verſu 30. per *contumelias*, *infirmitates*, *ne ceſ-*

Camer. Myrothec. pag. m. 237. 238.

Muſcul. in 2. Cor. 12. 7.

ceſſitates διαῤῥήξειν explicet. Per quæ omnia *peccata* vel res *peccaminoſas* Paulum intellexiſſe, quis cogitet?

XII. *Vicinum aliquid culpæ* fuiſſe dicit Illyricus: at quid illud *vicinum culpæ*, *niſi* ipſa culpa? Addit: *ſpiritualem quandam imperfectionem fuiſſe, inde probari poſſe, quoniam Chriſtus, denegans ei liberationem ab illâ, dicit*, ſufficere ei in hac vitâ ſuam gratiam, *quæ omnem imperfectionem noſtram contegat ac condonet, donec ad plenam perfectionem pervenerimus.* Sic videtur argumentari: Ad quod promittit Deus ſufficientiam gratiæ ſuæ, id oportet fuiſſe peccatum ſive ſpiritualem quandam imperfectionem, ſed ad hunc *ſtimulum* promittit Dominus ſufficientiam gratiæ ſuæ, Ergo. At *primo* Negatur illa *Major*; quidni enim Deus ad alias etiam calamitates promittere gratiæ ſuæ ſufficientiam potuit? Quod Abraham illiberis eſſet utique non fuit peccatum, ſed afflictio; ad hanc tamen ſui ſufficientiam promiſit Deus. Gen. 15. 1. *Ego ſum clypeus & magna merces tua.* Quod Aſaph *plagâ eſſet affectus cotidie, & caſtigatio ejus præſto matutinis ſingulis*, non fuit peccatum; attamen conſideratione ſufficientis Dei gratiæ ſe ſolatus eſt Aſaph adverſus illud. Pſ. 73. verſ. 14. collat. cum verſ. 25. *Secundo, Minor* etiam lubrica eſt, quoniam de ſolâ gratiâ Chriſti *juſtificante* Paulum loqui præſupponit, & non de benivolentiâ ejus in communi, juxta quam *juſtificat* non tantum ſuos, ſed & *ſanctificat, ſuſtentat, corroborat.* Quodſi de ſolâ *juſtificante gratiâ* Chriſtus loqueretur, veri utique ſpeciem ratiocinatio hæc haberet, ſed probandum hoc erat, non ſumendum. Gratiæ Chriſti ſufficientia, cujus hic mentio fit, non opponitur tantum σκόλοπι huic Apoſtoli, ſed contumeliis etiam inſectationibuſque ipſi ſubeundis; ex quo evidentiſſimè colligas, ad ſolam *gratiam juſtificantem* eam reſtringendam non eſſe: quoniam ad contumelias illas rite perferendas hâc non tantum, ſed *conſolante* & *confortante* Dei auxilio, opus etiam fuit.

Fl. Illyric. clav. S. Scriptur. in voce. Stimulus.

XIII. Multo minus *æſtus* ſive uredo *Carnalis libidinis* ſurculus hic fuit. Non ideo iterum, ut aliqui voluerunt, quod Paulus, cum hæc ſcriberet, eâ modo ætate fuiſſet, (juxta *Baronium* nempe LVII. annorum, ſexagenario ſaltem haud multo minor) *quæ vel in libidinoſiſſimis extinguit aut temperat ſaltem libidinis incendia.* Neque enim nervos ratio hæc habet. Quum enim totum hoc, quod

Eſt. & Molin. Locc. Citt.

midiæ Rex poſt octogeſimum ſextum annum, ſobolem generarunt? ut eos mittam, qui, utcunque ſit

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor,

decrepitâ & effœtâ tamen ætate Veneri ſeſe addictiſſimos ſæpe præbuerunt. Seneciones ſcilicet Acheruntici, capulares, qui tametſi capulo ſive feretro, quo efferri propediem debent mortui, jam vicini ſint, mulierculарum tamen conſuetudinem adhuc affectant. In talem quendam Plautus.

Jejunitatis plenus, animaque fœtida — Plaut. in Mercat. Actu. 3.
Senex hircoſus, Tu oſculere mulierem? — Scen. 3.

Exemplum adducit alicubi *Auguſtinus* ſenis *Octoginta quatuor* annos agentis, qui ad libidinem ſibi lyriſtriam adhuc emit.

XIV. Solidiores igitur rationes, ob quas *libido venerea* intelligi hic non poſſit, hæ ſunt. 1. Quia continentiæ donum Apoſtolus habuit; teſtatur id expreſſim de ſe ipſo, 1 Cor. 7.6. *Velim, omnes homines eſſe, ut & ipſe ſum.* 2. Quia, ſiquidem dono illo caruiſſet, in promptu habere poterat remedium, quod jam aliis ante commendaverat, τίμιον nempe τὸν γάμον ἐν πᾶσι, *honorabile in omnibus conjugum*; hoc enim inire ſibi peræque licuiſſe ac aliis, 1 Cor. 9.5. pronnnciat.

XV. Neque vim habent, quæ *Eſtius* in contrarium adfert. Quomodo enim probabit is, adeo quidem *ſingulariter ad conſervandam humilitatem Sanctorum facere, quod in excellentiâ virtutum nondum liberos ſe ſentiunt a tentatione carnalis libidinis*, ut Pauli ideo *ſtimulus* intelligi eo debeat? quidni enim alia plura ſint, quæ, ut ſuperbiæ retundendæ, ita humilitati conſervandæ inſervire poſſint, mortalitatis nempe propriæ conſideratio, Paſſionum & humillimæ Chriſti vitæ contemplatio, peccatorum jugis meditatio, quinimo omnis in genere afflictio pio animo excepta & expenſa: quæ tamen omnia per hunc σκόλοπα deſignata fuiſſe *Eſtius* non aſſeret. (Eſt. Loc. Cit.) Audiatur *Chryſoſtomus*: Καὶ πρὸ τοῦ μισθοῦ δὲ τοῦ παρὰ τοῦ Θεοῦ κειμένου μεγάλα καρποῦται ἀγαθά, φιλοσόφως γινομένη. Καὶ γὰρ τὸν τῦφον περιστῶ καὶ τὴν ῥαθυμίαν ἐκκόπτει πᾶσαν ἡ θλῖψις: καὶ πρὸς ὑπομονὴν ἀλείφει. *Quin ante illud quoque præmium, quod a Deo propoſitum eſt, ingentia bona percipit, cum Philoſophice ſe gerit. Nam* afflictio *&* faſtum *amputat, & ſegnitiem omnem exſcindit, atque ad patientiam inſtruit, ac velut inungit.* Quomodo probabit etiam Vir Doctus, *carnalis libidinis* privilegium eſſe, (Chryſoſt. in 2. Cor. 12. Homil. 26. pag. m. 926. a. f.)

quod ſola *ſtimulare* carnem dicenda ſit? Quidni enim & carnem ſtimulare dicendæ ſunt qualeſcunque vel externæ vel internæ eam titillantes tentationes? Et quid *Græca lectio*, ad quam provocat, huc facit, quin demonſtrare forſan poſſit, quod nunquam crediderim, τοῦ σκόλοπος vocem potiori jure *carnis libidini* quam aliis quibuſvis aculeatis rebus applicandam eſſe. Addit poſtremo, *nihil tam vilem & contemptibilem hominem reddere, ac pati in carne ſua turpes & beſtiales libidinis motus: dici vero* Angelum Satan colaphizaſſe Paulum, ac κολαφίζειν *per* τὸ ignominiâ *& contemptu aliquem adficere explicari debere*, adducto alio Pauli loco, ex 1 Cor. 4. 11. Καὶ γυμνητεύομεν, καὶ κολαφιζόμεθα: *Et nudi ſumus & colaphis cædimur.* At quamnam, quæſo, intelligit contemtibilitatem Vir doctus? An *extrinſecam* aliquam? Non credo: cum ſupponere tum debeat, peccatum aliquod externum venereum, quod in oculos incurrerit, E. G. *ſcortationem* vel ſimile quid, ab Apoſtolo commiſſum fuiſſe; quomodo enim propter internas & immanentes libidinis flammas aliorum ignominiæ & contemtui exponere ſe potuiſſet? An *intrinſecam* tantum, quâ vileſcere ſpurcitie ſuâ revera dicitur homo, non quidem coram hominibus aliis, ſed coram Deo, cordium ſcrutatore, & coram ſe ipſo? At quomodo id iterum *libidini venereæ* proprium magis eſſe evincet, quam aliis peccatis, præſertim atrocioribus, hypocri-
2 Pet. 2. ſi, vindictæ cupidini, Atheiſmo, Verbi divini contemtui
22. Ezech. &c? quinimo nulla omnino, imprimis pertinacia peccata ſunt,
16. 6. quæ mentem humanam turpem in modum non inquinant; quare & rebus paſſim immundis, contagioſiſque, luto, lepræ,
1 Reg. 8. peſti, putredini, vulneribus in Scripturâ aſſimilantur. Eſ. 1. 6. 23.
28. Deut. Pſ. 38. 6. Job. 15. 16. Amos. 5. 21. Joh. 3. 6. Et ſi ad contemtibili-
32. 5. tatem *internam* reſpexit Eſtius, ἀπροσδιονυσωτάτως ſane locum, 1 Cor. 4. 11. in ſubſidium vocavit, ut qui de ignominiâ & contemtu hujuſmodi *interno* minime loquitur, prout ipſe, credo, concedet; ſaltem ipſemet de vexationibus tantum *extrinſecis*
Eſtius in eum interpretatus eſt, dum dixit: *Et colaphis cædimur, Græce*
1 Cor. 4. 11. κολαφιζόμεθα: *ſignificare vult contumelioſam tractationem, maxime quæ fit* (NB) *inflictis vulneribus.*

XVI. Minime omnium *Superbia ſive* animę elatio σκόλοψ hic fuit: quî enim perceptibile eſt, ſanctiſſimum Deum ſuperbiam unam ſuper-

ſuperbiâ aliâ reprimere voluiſſe! *Præcipue* (inquit Molinæus) *quod de ſuperbiâ dicitur, evidenti contradictione intricatur. Anne enim aculei* ſuperbiæ *fuiſſent ejus cordi infixi ad retundendam ejus* ſuperbiam, *& ne revelationibus intumeſceret? An data ei eſſet ſuperbia, ne ſuperbiret?* *Molin. loc. citat.*

XVII. Me quod attinet (ut κατὰ θέσιν etiam quid intelligendum hic ſit explanem) haud *unius* rei ſed *variarum*, verbis hiſce indicinam fieri, exiſtimo. Quæ enim fingi ratio poteſt, ob quam, ut communiter verba Scripturæ, ita etiam hæc, ſenſu ampliori imo ampliſſimo ſumi non poſſint; quamdiu nempe fidei analogia, textus circumſtantiæ, aliaque Sacri Codicis loca contrarium non ſuadent? Loquitur de *Stimulo Carnis* Apoſtolus, loquitur *de Angelo Satan* Apoſtolus, loquitur *de Angeli illius colaphis* Apoſtolus; de multis variisque, rebus loquitur; quænam ergo urget neceſſitas, ut unum idemque per cuncta illa & varia intelligendum eſſe cenſeamus? Neque ſolus ſum, qui verba *generaliori ſignificatu* ſumta hic velim: En ὁμοψήφυς καὶ συμφώνυς, *Chryſoſtomum, Theophylactum, Photium apud Oecumenium, Theodoretum*, denique *Hilarium*, cujus hac verba ſunt: *Adverſus Apoſtolum Diabolus* omni virtutis ſuæ acie *luctatus eſt*. Angelum, *qui ſe* colaphizet *accepit, ut per paſſionum* omnium *indefeſſas moleſtias nulla ſuperbiendi occaſio, per otium temporis potuiſſet obrepere.* Adde Coccejum, *Melius eſt* (inquit) *nos hæc* generalius *interpretari.* Et Hemmingium: *Verum quia Apoſtolus ipſe ſpecies iſtarum tentationum non explicat, nos retineamus* genus, *ut* ſtimulus *ſit* quodlibet tentationum genus, *quo Apoſtolus examinabatur & veluti igni tentationum excoquebatur, ut indies redderetur probatior.* Horum itaque premimus veſtigia; idque hoc quidem magis, quod haud ſimplici nos implicari incommodo neceſſe ſit, ſi ad ſingulare quippiam, idque ſolum quidem, Pauli mentem reſtrictam velimus. Ut tamen *genus*, quod Apoſtolus innuit, per *ſpecies* quaſdam, ſi non ἀποδεικτικῶς probabiliſſime ſaltem explicemus, in *Tria* eum digitum hic intendiſſe arbitramur: in corporis *afflictionem*, animæ *tentationem*, hoſtium *vexationem* & *inſectationem*. Quæ plenius deinceps diducenda.

Chryſoſt. in 2. Corinth Hom. 26. *Theophyl. Photius, & Theodoret. id ſ. loc. Hilar. in Pſ. 118. Coccej. in loc. Hemming. in 2. Cor. 12. 7.*

XVIII. Σκόλοψ Pauli *corporis* quidam cruciatus vel dolor fuit; qui an in morbo comitiali, κεφαλαλγίᾳ, in Capitis ver-

vertigine, in aurium tinnitu, in paſſionibus coliacis conſtiterit, temerarium eſt definire, cum Scriptura de eo taceat; fuit ſaltem aliquid, quod corpus ejus infeſtavit. Quid enim intellexeris aliud per *carnem*, cui ſtimulus hic inhæſit, quam *corpus* Apoſtoli? *Pars* enim *hominis irregenita*, quo ſenſu vox *Carnis* ſæpe venit, per eam intelligi non poteſt, nam tum *peccatum* hic *ſtimulus* fuiſſet, quod ſuprà profligatum eſt. Ut neque *totum hominis complexum* vel Pauli *perſona*; nam tum difficultas manet, neque extricatur nodus. Pauli enim *perſonam* ſub afflictione hic fuiſſe, nemo dubitat, ſed quæ qualiſve ea afflictio fuerit definire, hoc opus, hic labor eſt; neqſe ad id reſpondetur, cum per Pauli *carnem* nil niſi ipſam ejus *perſonam* deſignari dicis. Ergo *Caro* eſt *corpus*, & σκόλοψ τῇ σαρκὶ dolor ſive cruciatus qualisqualis in

Cyprian. de mortalit. *corpore*, vel, ut *Cyprianus* loquitur, *Corporis multa & gravia tormenta.* Conſentiunt præter Patres citatos, *Tertullianum*, *Hieronymum & Cyprianum*, *Zegerus*, *Camero*, *Molinæus*, *Diodatus*, &c. Ne-

Zeger. in h. loc. *Diodati in 2 Cor. 12. 7* que obſtat, quod ſtimulus hic cum *Satanæ colaphizatione* conjungatur: quid enim miri, ſi ipſe ille *Angelus Satanæ* vel corporis eos dolores excitaverit, cum manifeſtum ſit, quid in *Jobi* corpus, permittente Deo, non valuerit? vel occaſione infirmæ valetudinis corporaliumque *Pauli* dolorum vehementiores in animam ejus inſultus fecerit, ut afflicto afflictionem adderet? Explodit quidem hanc ſententiam, ut *commentum ridiculum*, Ravanellus,

Ravanellus Bibl. Sacr. tom 2. pag. 686. b. *Eſt. loc. Cit.* ſed explodit tantum, non refutat, quod Virum generoſum decuiſſet; exſibilare enim aliorum placita, nulla adductâ ratione, cuivis in promptu eſt. Dicit *Eſtius*: non *ſine ratione* ut *rem perabſurdam Oecumenio cenſeri, ſi dicatur, caput Pauli Diaboli manibus traditum fuiſſe, ut id colaphizaret*; quod & Chryſoſtomus opponit, dum ait: Οὐ γὰρ ἂν τὸ σῶμα τοῦ Παύλου τὸ τοῦ διαβόλου χερσὶν ἐξεδόθη, ὅπου γε αὐτὸς ὁ διάβολος ἐπιτάγματι μόνον εἶκεν αὐτῷ τῷ Παύλῳ, καὶ νόμους αὐτῷ καὶ ὅρους ἔθηκε, ὅτε τὸν πορνεύοντα πα-

Chryſoſt. in 2 Cor. 12. Hom. 16. p. m. 924. a. f. ρέδωκεν εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός. *Neque enim Pauli corpus Diaboli manibus ac poteſtati addictum fuit, quippe quum Diabolus ipſe vel Pauli duntaxat juſſis atque imperiis cederet, eique Paulus & leges & certos terminos præſcriberet, cum* fornicatorem *illum in carnis interitum ipſi traderet*, &c. At nos ad *capitis dolorem* afflictionem hanc non reſtringimus. Et quid abſurdi in eo, quod caput Pauli Diabolo feriendum datum fuerit? nonne eadem ſors, quin multo pejor, Jobi

Digitized by Google

Jobi Chriſtique corporibus obtigit? *Sed* (inquiunt) *Paulus is fuit, qui ipſe poteſtatem habebat alios homines* Satanæ tradendi, *qui id meruiſſent.* Nugæ? probent, ſi poſſint, Opponentes, *Satanæ* illam *traditionem*, quam exercuit Paulus, non *animæ* ſed *corporis* afflictionem fuiſſe. Ego id nego, in quonam illa proprie ſita fuerit, infra pluribus demonſtraturus. Et eſto; habuerit Paulus poteſtatem etiam in aliorum corpora, ergone ipſius corpus a Diabolo excruciari non potuit? miſellula conſequentia! habuitne & Servator Jeſus, Cæli Terræque Dominus, poteſtatem in aliorum corpora, etiam ipſorum hoſtium ſuorum Joh. 18. 3. 4. 5. at ideone Diabolus corpus ipſius huc illuc transferre non potuit? vid. Matt. 4. 1. &c.

XIX. Pauli σκόλοψ, junctim cum *colaphizante Angelo* ſumptus, afflictio & ægritudo *animæ* etiam fuit; & tunc *colaphizatio Angeli* enunciationis ſubjectum eſt, de quo prædicatur, quod fuerit *ſtimulus in carne* Apoſtoli, modo loquendi figurato & proverbiali; id eſt, afflictionis quoddam genus pene intolerandum, ut vere ſunt *ignea* Cacodæmonis *jacula*, cum piorum animas infeſtant. Q. d. prout *ſurculus* corpori inhærens exquiſitiſſimum dolorem excitat, ita Satanæ hoſtiles colaphi mirum in modum animam meam concutiunt, quin diſrumpunt. Bene Camero: *Ea tamen ſententia ſimpliciſſima videtur, quæ ſtatuit*, Paulum *caſum plagis ab Angelo quodam Satanæ --- Paulus enim nullo conſilio hic uſus fuiſſet, ut videtur, allegoricis locutionibus, cum narret (certe videatur narrare) rem geſtam. Ait quidem inditum ſibi eſſe* ſtimulum in carne, *ſed id explicat, quid ſit*: Angelus Satanæ (*inquit*) *qui* me colaphizet; *more Scripturæ, quod priore loco dixit* figurate, *poſteriore* nudis *&* *ſignificantibus verbis proponit.* Exercitatum vero hiſce ſimilibusque Satanæ ictibus Paulum juxta cum aliis fidelibus fuiſſe, alibi teſtatur. Οὐκ ἔστιν (inquit Eph. 6. 12.) ἡμῖν (ſe ipſum etiam includit) πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Non eſt nobis lucta adverſus Sanguinem & Carnem, ſed adverſus imperia, adverſus poteſtates, adverſus Mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi hujus; adverſus ſpirituales malitias, quæ ſunt in ſublimi.* 2 Cor. 7. 5. Conjungit nobiſcum *corporis animæque* vexationem & exagitationem Clar. Beza, dum ait: *Quid autem per ipſos* aculeos intelligat, *non pluribus*

Camero. Myrothec. pag. 237.

lu-

longius quærendum eſſe, *ſed ita metaphoricè intelligi graviſſimas a-* Beza in h. Loc.
nimi & corporis *punctiones*, *in illis*, *quas mox vocat* ἀϛενείαις, *contumeliarum nimirum & injuriarum omni genere*, *quæ graviſſime eum fodicabant.*

XX. Apoſtoli denique hæc *afflictio* in inſignis cujuſdam *adverſarii* vel notabilium quorundam *adverſariorum vexatione* ſita etiam fuit, a Diabolo ad hoc concitatorum, ut prædicationi, piiſque ejus conatibus obſiſterent. Prout revera tales ipſi fuêre *Hermogenes*, *Phygellus*, *Alexander ærarius*, *Hymenæus*, *Philetus*, *Demetrius* & Theoph. in 2. Cor. 12 pag. 422. quivis *Pſeudo-Apoſtoli*, quos ſuperiori cap. verſ. 14. διακόνυς τῦ Σατᾶν dixit. Vox enim *σατᾶν adverſarium* qualemcunque ſignificat, ut ſupra obſervavimus: quodſi itaque ἐν ἐμφάσει ſumere eam lubeat, procul dubio hiſce etiam hoſtibus applicanda erit. Homines adverſantes & inimici *Spinarum* etiam nomine in Scripturâ veniunt. Mich. 7. 5. Nah. 1. 10. idque ideo quidem præcipue, quod *ſpinarum* inſtar aculeati ſint & pungant, quaquaverſum eos attigeris, quod *ſurculorum* ſtimulorumque etiam eſt. Imprimis conſiderandus eſt locus Ezech. 2. 6. סַלּוֹנִים *Spinæ apud te*; ubi LXX vocem Hebræam סַלּוֹן non tantum per *Spinam*, ſed per hanc ipſam vocem, quâ utitur Apoſtolus, σκόλοπα, interpretati ſunt. Innuit idem ipſe Paulus, dum quod verſ. 7. *Stimulum Carnis* & *colaphizantem Angelum* dixit, verſu 10 per *contumelias*, *ignominias* &c. explicavit. Loquitur quidem in *ſingulari* de *Angelo Satan*, non de *Angelis*; ſed id hanc rationem habet; *vel* quod Satan ipſe omnium reliquorum Adverſariorum concitator & excitator fuerit. 1 Reg. 22. 22. Joh. 13. 2. *Vel* quod ſingulis plerumque in locis unus quiſpiam eſſet, qui ferventiſſimo Apoſtoli zelo obicem maxime poneret, aliiſque, ad reſiſtendum ei, anteſignanum & ducem ſe præberet; *vel* quod unus quiſpiam in genere ſupra alios excelluerit acerbitate, qui non uno loco, ſed ubique moleſtus ei fuerit: quo procul dubio *Alexander ærarius* referendus. Comparat vero hos Adverſarios *ſudi* ac paxillo; quod quemadmodum *ſudes* præacuta carnem pungendo affligit, ita & eorum infeſtationibus veluti punctionibus fuerit afflictatus. Neque convelluntur hæc, ſi dicatur, quod alii quoque pii ἀντικειμένυς ſuos habuerint, *Petrus* Simonem Magum, *Chriſtus* Phariſæos, Sadducæ-

ducæos, Pontifices, &c. alii alios, quibus tamen *Stimulus* hujuſmodi *in carne* non eſt tributus. Non enim neceſſe eſt, ut Scriptura piorum hoſtes iiſdem ubique nominibus deſignet; notionibus paſſim utitur æquipollentibus, & hoc ſufficit. Præterquam quod nos per σκόλοπα non tantum, ſed imprimis etiam per Ἄγγελον σατᾶν, eumque *colaphizantem*, Pauli *Adverſarios* indicatos velimus. At, ut dictum eſt, vox Σατᾶν frequenter *qualemcunque adverſarium* denotat.

XXI. Opponit ſe rurſus hic *Eſtius*, ſed irrito conatu: *Non ignoravit* (inquit) *Paulus, egregios Chriſti & Evangelii miniſtros nunquam carere adverſariis, idque adeo ad gloriam Evangelii pertinere, ut inter adverſariorum oppugnationes ac bella magis eſfloreſcat; proinde neque orandum fuiſſe, ut Evangelica prædicatio ſibi ſine periculis & adverſariis procederet.* Quibus gemina *Molinæi* hæc ſunt, dum infit: *Nec conſentaneum eſt, Paulum ter, id eſt, ſæpe petiiſſe, ut expers eſſet ærumnarum, quippe qui ſciebat, hanc neceſſitatem ſibi impoſitam eſſe uſque ad finem vitæ.* At quam elumbia hæc ſunt! quod pace tantorum Virorum dixerim. Non enim rogavit Paulus Deum, ut ab *omnibus univerſim* hoſtium inſultibus & infeſtationibus liberaretur, ſed ab illis tantum ſingularibus & peculiaribus eorum vexationibus, quæ extraordinarium in modum moleſtæ ſibi tum erant; adeo quidem, ut ferendis & ſuſtinendis iis vix parem ſe perſentiſceret. Neque ſciebat certe Apoſtolus tolerandi eas ad ultimum vitæ halitum neceſſitatem ſibi impoſitam eſſe, ut fruſtra ſupponit, non probat *D. Molinæus.* Et quid hoc? ſciebat Paulus, *ſe ad finem vitæ ærumnarum expertem non fore*, ſciebat, *egregios Chriſti Evangeliique Miniſtros adverſariis a Satana concitatis nunquam carituros*; ſciebat, *ad Evangelii gloriam pertinere, ut inter adverſariorum oppugnationes & bella magis eſfloreſcat*: Ergo petere illi non licuit, ut ab hoſtibus illis, ſingulariter ſibi adverſantibus, liberaretur? Probetur illa ſequela. Imo vero eam ipſam ob cauſam petere Paulum liberationem illam oportuit, quod ipſiſſimi illi adverſarii prædicationi Evangelii Eccleſiæque ædificationi quam maxime obeſſent. Et quomodo petiit liberationem illam Paulus? ardenter ſane & indeſinenter; ſed an *abſolute*, ſine ullâ voluntatis ſuæ ſub be-

Eſtius loco citato.

Molin. Vat. lib. 2. cap. 12.

neplacito & arbitratu Divino ſubmiſſione? abſit: expreſſim enim poſtea dicit, accepto gratioſo ad preces ſuas reſponſo, ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ. *Libentiſſime igitur gloriabor potius in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Et utcunque nemo non fidelium certò ſciat, ſe non niſi per ærumnas afflictioneſque multas introiturum eſſe in gloriam cæleſtem, nunquamque perfecte liberandum ab omnibus miſeriis ſe eſſe; an tamen licitum ipſi non eſt, legitima qualiacunque conquirere media (quæ inter præcipue recenſendæ *preces* ſunt) quibus liberari a cruciatibus ſuis poſſit? Non quidem ab *omnibus* collective ſumptis, ita ut contenderet a Deo, ut nullis omnino in ærumnoſâ hac vitâ ærumnis obnoxius amplius eſſet; id enim per fidem petere non poteſt, cum ejus promiſſionem (cui inniti fides debet) in *Verbo* Dei non habeat, quinimo contrariam ejus revelationem; ſed a *ſingulis* ſeorſim ſumtis, id eſt, a qualicunque hoc illove afflictionis genere, quo exercere ipſum Deo viſum fuit. Certè hoc ſi peccatum ſit, quid de tot threnis, querelis, orationibus piorum, quibus referta eſt S. Scriptura, dicemus? imo quid de ipſiſſimi Salvatoris precibus *Gethſemanicis*, quibus tanto ejulatu, tot lachrymis, a Patre ſuo contendit, ut abiret a ſe amarulentiſſimum iræ Divinæ poculum, quod tamen nunquam abiturum a ſe eſſe, certò præſciebat? Subjecit ergo ſe Chriſtus dum oraret, voluntati & diſpenſationi Patris ſui, ac ſic etiam Paulus fecit, ut jam diximus. Corrigere quadantenus quæ ante dixerat videtur *Eſtius*, dum addit: *Improba certe fuiſſet petitio* (Pauli) *niſi ſic eam intelligas, ut voluerit Apoſtolus hujusmodi adverſitates* minui, *non autem* (*quod verba ejus ſonant*) ſimpliciter *auferri*. Bene, id voluit Paulus; & ſi ſic mentem ejus ſumat Vir doctus, idem dicit, quod nos dicimus. Neque *Verba* Pauli *contrarium ſonant*; vox enim ἀποστῇ ab ἀφίστημι, generaliter *diſceſſionem* tantum notat, non partialem aut totalem tantum, ſed tum hanc tum illam, pro re natâ. Imovero, quia Paulus de *ſtimuli punctione* ſimpliciter queritur, id eſt, de doloris, quem ex adverſariorum ſuorum inſul-

inſultibus percipiebat, *atrocitate*, eamque *ſurculo carni infixo* aſſimilat, omnino veroſimile eſt, eum non tam petiiſſe a Deo, ut plane ab iisdem liberaretur, quam ut eo uſque duntaxat impetus eorum minueretur & cohiberetur, ut adinſtar *acutiſſimi ſurculi* haud amplius ſe torquerent & pungerent. Summam querelæ hujus Paulinæ hiſce olim verbis complexus eſt *Chryſoſtomus*: Ὃ τοίνυν λέγει τοῦτό ἐστιν, οὐκ εἴασεν ὁ θεὸς προχωρῆ τὸ κήρυγμα, τὸ φρόνημα καταστέλλων ἡμῶν: ἀλλὰ συνεχώρησε τοῖς ἀντικειμένοις ἐπιτίθεσθαι ἡμῖν. Τοῦτο μὲν γὰρ ἱκανὸν ἦν καταστάσαι τὸ φρόνημα...... ἄγγελον τοίνυν σατᾶν λέγει ἀλέξανδρον τὸν χαλκέα, τοὺς περὶ ὑμέναιον καὶ φιλητὸν, πάντας τοὺς ἀντικειμένους τῷ λόγῳ, τοὺς φιλονεικοῦντας αὐτῷ καὶ πολεμοῦντας τοὺς ἐμβάλλοντας εἰς δεσμωτήριον, τοὺς δέροντας, τοὺς ἀπάγοντας. *Quod ergo ait hanc habet mentem: Deus prædicationem latè & feliciter progredi non permiſit, quo animos noſtros dimitteret, verum adverſarios in nos impetum facere paſſus eſt. Hoc enim ad deprimendum faſtum vim habebat..... Quocirca per Angelum Satanæ Alexandrum ærarium, Hymenæum, Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ adverſabantur, atque cum ipſo contendebant ac bellum gerebant, eumque in vincula conjiciebant, cædebant ac raptabant, intelligit.* Chryſoſt. Homil. cit. pag. m. 925.

XXII. Neque in noxam tamen ſed in bonum *tum* Pauli *tum* Eccleſiæ ceſſit, quicquid ſuis hiſce vexatioinbus molitus contra utrumque eſt antiquus Serpens. Παθητικῶς id expreſ- Muſc. in 2 Cor. 12. 7
„ ſit obſervatione piiſſimâ Doctiſſimus *Muſculus*, quâ
„ *Diſſertationem* hanc claudam: *Ergo contumeliis* (inquit) *affi-*
„ *ciebatur Apoſtolus ab Angelo Satanæ, ut contra periculum ela-*
„ *tionis & ſuperbiæ in humilitate conſervaretur, aveteturque ne ex*
„ *Apoſtolo Chriſti fieret Apoſtolus Satanæ, imo Satan ipſe. Tan-*
„ *to bono ſerviebat ipſi Angelus ille, non intelligens conſilium Dei,*
„ *ſed curſum Euangelii hoc ſe pacto impedire poſſe putans, ſi A-*
„ *poſtolum illius condigna exiſtimatione privatum, contumeliis ac*
„ *probris contemptibilem redderet. Sic infatuatus Satan, dum*
„ *obeſſe molitur, magis etiam prodeſt, & quod impedire conatur,*
„ *expeditum potius reddit, quam impeditum.* Nempe ſic τοῖς

ἀγαπῶσι τὸν θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν. Id eſt: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum ipſius vocati ſunt.* Rom. 8.28.

OTI-

Digitized by Google

OTIORUM THEOLOGICORUM

LIBER II.

EXERCITATIO PRIMA.

DE

MUNDI NATALI.

BREVIARIUM.

Sententiarum divortium. Cautio *obſervanda. De Mundo* Æſtate *creato opinio ſingularis. Argumenta pro* Verno & Aurumnali *tempore expenſa.* Beda & Capellus *cum ſe invicem commiſſi.* Arias Montanus *laudatus.* Novennii *in hodiernis Græciæ Eccleſiis dies.* Autoris ἐποχή. Saliani *pia obſervatio. Sententiarum* conciliatio *ab* Hoornbekio *tentata. Nonneminis ſupervacanea in eam cenſura rejecta.*

§. I.

EXploſâ ab omnibus pene Chriſtianis Ariſtotelis de *æternitate Mundi* ſententiâ (ſiquidem revera eam tenuerit, de quo non pauci dubitant, ut ſupra vidimus) gravis tamen inter eos remanſit diſſenſus de vero ejus *Natali*, id eſt, de *Anni tempore*, quo eſſe primum cœpit: hiſce pro ſolſtitio *Æſtivo*, aliis pro *tempore Verno*, aliis pro *Autumnali* determinantibus. Neque enim pro tem-

tempori *Brumali* quiſquam hactenus inventus eſt, qui in arenam deſcenderit; quod hoc quidem magis mirandum, quia Annus Romanus, quo vulgo utimur, octo tantum a *Brumâ* diebus initium ſuum capit.

II. Prænotandum autem, cum de *Mundi natali* diſceptatur, intelligendum id non eſſe *de qualibet* Orbis *parte*; cum fieri non poſſit, ut ubique terrarum uno eodemque tempore fuerit *Ver* aut *Autumnus*, *Æſtas* aut *Hyems*, quia tempeſtates aliter ſe habent pro ratione hemiſphæriorum & Climatum: ut quando in Antarcticis regionibus *Æſtas* eſt, in Arcticis eſt Hyems, & ubi *Sol* incipit ſe elongare ab Antarcticis plagis, & appropinquare Arcticis, in illis *Autumnum* in iſtis *Ver* facit. Sed accipiendum id eſſe de *illâ* mundi *parte*, in quâ *Adam* formatus eſt, vel pro ratione hemiſphærii noſtri, in quo Moſes deſcripſit *Creationis* Hiſtoriam.

Turret. Inſtit. Theolog. Elenct. part. 1. pag. m. 474.

III. Pro *Æſtate* ſolus ſtat *Gerardus Mercator*, notante *Voetio*, utcunque rationem, quâ ille utitur, non appingat. Exhibet eam Salianus: *De Æſtate enim* (inquit) *nemo, quod ſciam id aſſerit, præter* Gerardum Mercatorem, *qui mundi initium refert in id tempus, quo Sol eſt in Leone; idque colligit ex ramo virentis olivæ, quem columba, a Noe emiſſa, menſe undecimo ad eum attulit. Labili* (addit) *ſane argumento, cum videamus olivam toto fere anno virentia folia retinere, quam ad rem potuit etiam aquæ humiditas conferre?* Sic ille. Quibus gemina, imo contra ſententiam illam longe adhuc ſolidiora habet Vir eruditiſſimus *Johannes Gerardus Voſſius*, Iſagog. Chronolog. Diſſert. 2. pag. m. 4. qui conſulendus. *Paucorum* etiam *aliorum*, Mercatori concinentium, meminit *Turretinus*, ſed quos non nominat; quâ de cauſa inſpicere eos hactenus non potui.

Voet. Diſpp. Select. part. primâ. pag. 587.
Salian. in Appar. ad Annal. V. T. cap. 4.
Voſſ. Iſag. Chronolog. pag. m. 4
Turretin. Inſtit. Theolog. Elenct. part. 1. p. 473.

IV. Pro *Verno* tempore non pauci ſunt, qui decertant: *Baſilius*, *Ambroſius*, *Theodoretus*, *Athanaſius*, *Beda*, *Petrus Comeſtor*, *Molina*, *Cajetanus*, *Polanus*, *Alſtedius*, *Keckermannus*, *Voſſius*, *Capellus*, *Simſonius*, *Langius*, *Hunorius*, *Freidlibius*, &c. Quid *omnes* (dicit Doctiſſimus Simſonius) *Scriptores Eccleſiaſtici* hic conſentiunt, *omnes Veteres Theologi* opinionem hanc *calculo ſuo comprobant*. Scrupuloſius tamen de eo loquitur *Capellus*, dum *cum omni* propemodum *Antiquitate in eam* ſententiam deductum ſe eſſe aſſerit. Sentiunt ita Viri illi magni hiſce ducti rationibus: 1. Quia *germinabat* in mundi initio Terra *herbam virentem*. Gen. 1. 11. Quod præcipue urgetur *a Da-*

Simſon. Chronic. Catholic. in Paraſc. p. 17. 18.

m-

maſceno. 2. Quia rationi conſentaneum ipſis videtur, eodem tempore conditum fuiſſe Mundum, quo per Chriſtum reparatus eſt; quod factum eſt tempore *Verno.* 3. Quia Menſis Niſan, reſpondens noſtro *Martio* vel *Aprili*, expreſſe in primum anni menſem conſtitutus eſt. De utrâque hac poſteriori ratione ſic Gaudentius Brixienſis: *Opportuno* (dicit) tempore *Dominus Jeſus beatiſſimam feſtivitatem Paſcha voluit celebrari poſt Autumni nebulam, poſt horrorem hiemis, poſt æſtatis ardorem. Oportebat enim Solem juſtitiæ Chriſtum & Judæorum caliginem, & rigorem Gentilium ante ardorem Futuri Judicii placido reſurrectionis ſuæ lumine dimovere, cunctaque in ſtatum tranquilli primordii, provocare, quæ fuerant velamine tetro confuſa ab illo Principe tenebrarum. Nam* Veris *tempore Deus condidit mundum*; Martio *enim menſe dixit per moſem Deus*: Menſis hic vobis initium menſium, primus eſt in menſibus anni. *Quem menſem verax ubique Deus* primum non *diceret*, niſi primus eſſet. Juxta vero hanc hypotheſin *Beda* vult, quarto Creationis die, qui fuit *Mercurii*, & duodecimus Kalend. *Aprilis* (hoc eſt. 21. *Martii*) ſolem exortu ſuo quartam *Arietis* partem ingreſſum, primum æquinoctium *vernum* conſecraſſe; Lunamque creatam eſſe in *plenilunio*, in ſtatu nempe perfecto, ut noctu præeſſet, id eſt, noctem plene perfecteque illuminaret. E contra putat *Capellus*, primum æquinoctium *Vernum* non in diem 21. *Martii* ſed 21. Aprilis incidiſſe, adeoque Lunæ primo orientis lumen fuiſſe imperfectum, quale habere ſolet in *novilunio*.

Damaſcen. de Fid. Orthodox. lib. 1. cap. 7.

Gaudent. Brixienſ. in Exod.

V. Haud incelebriores tamen pro *Autumno ſtant*, ut *Zanchius, Danæus, Piſcator, Helvicus, Hadr. Junius*, *Calviſius*, *Uſſerius*, *Petavius Tornellus*, *Scarpius*, *Voetius*, *Baillius*, *Burmannus*, ***Toſtatus**, **Lyranus**, **Arias Montanus**, **Turretinus***, aliique. Quos inter recenſendus etiam eſt *Scaliger*, qui licet primâ Magni ſui Operis editione Solem in primo *Arietis* puncto creatum ſtatuiſſet, poſtea tamen lucem in primo *Libræ* puncto creatam dixit: Mundique adeo creationem atque initium Anni priſci Iſraelitici a *Verna* tempeſtate *in Autumnum*, ſive a primo menſe Moſaico in ſeptimum tranſtulit. Habent hi Autores opinionis ſuæ hæc fulcimenta: 1. Quia *Feſtum Tubarum*, quod in Creationis memoriam inſtitutum dicitur, tempore *Autumnali* celebrandum fuit. 2. Quia in Mundi principio fructibus oneratæ arbores erant; quod non accidit, niſi in *Autumno*. Ad rem Arias Mon-

Simſon. Paraſc. ad Chronic. Cathol. cap. 6.

Turretin. Inſtit. Theolog. Elenct. part. 1. pag. 471.

Lalamant de Gentil. Annotrationi. pag. 63.

Digitized by Google

Montanus: *Mundi conditi initium* (inquit) *Autumni tempore fuiſſe ex obſervatâ S. Librorum ſententiâ accepimus, quod Deum animantium omnium generibus, mox exituris, atque etiam homini fingendo, omnium fructuum ad uſum & vitam opportunorum, copiam proſpexerit, quam in calidioribus regionibus herbæ tunc recentes, & fructus Arborum maturi, atque adeo ad Hiemem proximam, ulteriuſque durabiles, ſuppeditare poſſent.* Veris *enim fructus fugaces ſunt, nec ſatis ad alendum commodi; fructus æſtivi & commodiores & diuturniores ſunt.* 3. Quia Iſraelitæ ante egreſſum ſuum ex Ægypto annum non inceperunt a *Vere*, ſed ab *Autumno*. vid. Exod. 23. 26. Quis vero dubitat, quin a Patribus ſuis Abrahamo, Iſaaco, Jacobo docti ita fuerint? Autumarunt ergo plurimi, veſperam Mundi omnium primam illius noctis initium fuiſſe, quæ diem *vieeſimum tertium* menſis *Octobris* immediate præcedit. Licet neque deſint, qui menſi *Septembri* eam attribuerunt. Prout eam ob cauſam in hunc uſque diem Eccleſiæ Orientales *Novennium* ſuum menſe hoc celebrant. Paria iiscum facientibus *Ægyptiis*, *Perſis*, *Hetruſcis*, Italorum antiquiſſimis, qui omnes annum ſuum hinc incipiunt; poſtremis hiſce clavum ſuum annalem ipſis Idibus *Septembris* quotidie figentibus.

Arias Montan. Antiq. Judaic. lib. 9. p.

Baill. Chronol. lib. 1. cap. 2. quæſt. 2.

Smith. de hodiern. Eccleſ. Græc. Statu p. 11.

VI. At quid eligendum (quæris) in tanto ſententiarum divortio? Vix, fateor, quiſquam certò id dixerit, quum omnes, diſcrepantium rationes nihil certi videantur evincere. Sunt quidem quæ probabilitatem quandam habent, at nullæ tantam ſoliditatem, ut terminare controverſiam poſſint. Videſis quam eruditè cunctas illas excuſſerit & refutaverit laudatus modo *Voſſius*, Tract. citat. Partes itaque ſequi hic libet doctiſſimi cujusdam Viri (quiſcunque is fuerit) qui præfatus eſt in *Helvici* Theatrum Hiſtorico-Chronologicum. Sic ille: *Quid autem ſtatuamus de ipſiſſimis Mundi primordiis? inter tot Hydras felici vulnere renaſcentes hæremus penduli, licet inſurrexerint carbonibus obnigrandi, non annum modo, ſed quadrantem ſed menſem, ſed diem, ſed horam Mundi natalitiam, conſtructo Cæli themate, juſto fidentius exhibentes.*

Voſſ. Tract. cit. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Præloq. ad Helvici Theatrum Hiſtor. Chronol.

VII. Ut neque alienum plane eſt quod habet *Salianus* dum dicit: *Scilicet de tempore & quaſi ætate Mundi altercantibus Philoſophis, Moſes veluti ſilentium impoſuit, cum diceret: In principio creavit Deus Cælum & Terram; indicans nimirum, Mundum non quidem ab æterno fuiſſe, ſed ſui habuiſſe principium, certam vero principii ejus metam reticens, ne nos anxie nimis in eam inquireremus.* Sufficit quippi ſolum Deum ἄναρχον haberi; neque æquum eſt, cum Mundus creatura

Salian. Loc. Cit.

tura

tura ſit, eum cum Creatore ſuo ullatenus confundi; at parum ad felicitatem noſtram facit, ſive ſciamus ſive neſciamus, quis qualiſve vel hora vel dies vel menſis initium ipſi dederit.

VIII. Componere vel potius ſopire ſuper hac re lites conatus eſt Cl. *Hoornbekius*: qui ſic diſſerit: *De ipſa vero quæſtione* (Natalem ſcilicet Mundi concernente) *ſic ſentio* 1. *In genere propoſitam & utcunque determinatam quæſtionem valde ineptam eſſe; quia mundo condito, uno loco Ver, alio Autumnus fuit, vel Æſtas vel Hiems, quod ex figura Orbiculari, & perennis revolutionis conſtantiâ clarum eſt.* 2. *Ad particularem autem locum applicatâ quæſtione, nempe hortum Paradiſi & ubi primi parentes degerunt, vel ad Judæam, uti hi loci ſunt uni iidemque, ita vulgarem committunt Authores in argumentatione ſuâ μετάβασιν de loco hoc in illum.* 3. *Incertum judico determinare, ad hanc vel illam mundi plagam, quæ anni tempeſtas ibi fuerit.* 4. *Neque tanti uſus iſta quæſtio vel ejus deciſio, nam quem in chronologia forſan haberet, is tollitur, cum Annus in ſerie chronologicâ non figatur ad hanc vel illam mundi plegam, ſed ejus ætatem, quæ in omnibus Plagis in ratione durationis eſt eadem.* At vapulat ob hæc verba *D. Hoornbekius* alii cuidam Viro Docto, utut nomini ejus parcenti. Hæc ejus verba ſunt. *Non defuit, qui putaret quæſtionem hanc* plane eſſe inutilem, *eo quod tempeſtates aliter ſe habeant pro ratione hemiſphæriorum & Climatum in Orbe. Sed abſurde: cum Sol curſum ſuum debuerit incipere ab aliquo ex duodecim ſignis Zodiaci, adeoque Vere aut Autumno, aut Æſtate, aut Hieme, pro ratione hemiſphærii noſtri, in quo Moſes deſcripſit Creationis Hiſtoriam.* Quæ cenſura an juſta & ſolida ſatis ſit, judicent alii. Mihi ſaltem videtur, tanti momenti *Diſceptationem* hanc non eſſe, ut Viros Eruditos eapropter contendere ullo modo fas ſit: ſufficit enim, ſi in eo conveniant, quod Sacra Scriptura manifeſte de illâ definivit: ſcilicet בְּרֵאשִׁית id eſt, in *initio* Deum *Cælum* & *Terram creaviſſe*, Gen. 1. 1. Quæ ulterius hic diſquiruntur, & ab aliquibus juſto ſæpe fidentius determinantur, fidei orthodoxæ neque proſunt neque obſunt.

Hoornb. c. Judæos lib. 1. cap. 1. p. 342.

Mareſ. Syſt. Theol. loc. 5. in Annot. ad §. 16.

Digitized by Google

EXERCITATIO II.

DE

PROTOPLASTIS.

BREVIARIUM,

Homo μικρόκοσμ☉ *ſive* parvus *mundus. Unde* μακρόκοσμ☉ rationale animal *forſan dictus. Naturæ & ſtatus* Hominis *cognitio quam neceſſaria?* Quatuor *intelligendæ Scripturæ modi ab* Auguſtino *obſervati.* Ἀιτιολογίαι *quid? Quam parcè iis utendum, & quibus ſub cautelis?* Homo *cur* ultimo *die conditus?* Zanchii *conſideratio rejecta. Trinitatis, de condendo* homine, προβουλία. Alcimi Aviti *metrum huc pertinens. Fruſtra ei* ἐγκέλευσις *a quibuſdam ſubſtituta.* Objectiones & Exceptiones *quædam eliſæ.* Homo *an* ἀνδρόγυν☉ *creatus?* Menaſſis Ben-Iſr. *inter Judæos*, Platonis *inter Paganos*, Eugubini & Franciſci Georgii *inter Chriſtianos de hoc placita. Sententia* Negativa *argumentis adſtructa.* Objectiones *diſcuſſæ. Locus Gen.* 2. 21. *vindicatus. Vox* אָדָם *nunc* proprie *nunc* appellative *ſumpta. Verba Davidis Pſal.* 139. 5. *explicata: Ambo Protoplaſti* ſexto *die creati.* Πρόληψις *Gen.* 1. 26. *rejecta.* Eucherius *notatus & refutatus.* Eſtius *ad partes vocatus. Talmudicorum Legis explicandæ regula.* Animalium adductio *ad Adamum ejuſque* ὀνοματοθεσία *creationem* Evæ *an anteceſſerint an ſecutæ ſint?* Saliani *haud improbabilis conjectura.* Gathakerus *notatus.* Witſius *laudatus.* Cajetani *peculiaris conſideratio. Adam* Perfectâ ætate *creatus. Sententia de* Adamo *eadem præciſè ætate creato, quâ* Chriſtus *mortuus eſt, exploſa. Protopla-*

Digitized by Google

toplaſtorum* ſtatura *quæ?* Gigantum *ortus. Vox ea in malum fere ſumta. Locus Ioſ. 14. 15. vindicatus.

I. QUin *Homo* μικρόκοσμος totius univerſitatis artificioſum quaſi compendium ſit, in quo ſummatim & cæleſtia & terreſtria omnia, tanquam in parvâ quadam mappâ, depicta voluit Creator, nemo eſt, qui ambigat. Sic lo citarunt eum Arnobius, Clemens Alexandrinus, pluresque alii: Ζῶον θεῖον dixit Plato: *Animal Deo proximum* Quintilianus & Iſidorus. Chalcidius in Platonis Timæum: *Eſt in corporibus noſtris Aquæ portio, & item Aëris, nec non Ignis & Terræ, unde opinor hominem* Mundum brevem *a Veteribus appellatum.* Quare & hinc error forſan derivatus, quod Mundum ipſum *Animal rationale*, id eſt, *hominem* dixerint. Plato: Οὕτως οὖν δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν, τὸν δὲ τὸν κόσμον, ζῶον ἔμψυχον ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ, γενέσθαι πρόνοιαν, hoc eſt juxta Ciceronem: *Quam ob cauſam non eſt cunctandum profiteri, ſi modo inveſtigari aliquid conjectura poteſt, hunc Mundum* animal eſſe, *idque intelligens & Divina providentiâ conſtitutum.* Μικροκόσμῳ itaque hoc probè cognito, quid non admirandi in eo, tanquam in *Speculo*, conſpicias? Mundi miraculum, Orbis delicias, Immortalitatis germen, Univerſi Dominum, creaturarum, ut dictum eſt, Epitomen, Divinorum operum finem, Angelorum ſocium, Horizontem, nexum, Perfectionem omnium, Majeſtatis Divinæ imaginem, Dei omnipotentis filium, æternæ Lucis candorem, Divinitatis immaculatæ ſpeculum, Admirabile omnium admirabilium, rerum inferiorum magiſtrum, ſuperiorum familiarem & amicum, Omnem tandem, juxta nonnullos, creaturam; quod exiſtat cum lapidibus, vivat cum plantis, ſentiat cum beſtiis, intelligat cum Angelis. Ovidius:

Plat. de Leg. pag. m. 645.
Quintilian. Declamat. 260.
Iſidor. Peluſiot lib. 1. Ep. 259.
Clem. Alex in Protrept. pag. 2.
Chalcid. in Plat. Timæ. pag. 126.
Plat. in Timæo p. 30

Sanctius his animal mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet
Natus Homo *eſt, ſive hunc* divino ſemine *fecit*
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

Ovid. Metamorph. lib. 1.

Quamobrem paucis de eo hic diſquirere animus eſt; at, inquam, *paucis* tantum, id eſt, non de omnibus, quæ ipſum concernunt (quis enim indagationis illius vel meta vel finis foret?) ſed de

aliquibusdam tantum eorum, quæ *primo* & *ſecundo* Geneſios *Capite* præcipuè ſe offerunt.

II. Conditus Homo eſt ſexto ſive ultimo *Creationis* die poſt reliquas creaturas abſolutas. Quæſitum a nonnullis eſt. *Cur tam ſero, imo cur non potius ante omnia, quæ creata ſunt* (viſibilia nempe) *cum omnium princeps eſſet?* Ad quod varii variè reſponderunt: Ego inſtar omnium rationum eſſe puto meram ac liberrimam Dei, Summi omnium rerum Arbitri, εὐδοκίαν. Utcunque enim *Auguſtinus* quatuor explicandæ & intelligendæ Scripturæ modos ponat: *Hiſtoriam*, ἀναλογίαν, ἀλληγορίαν & αἰτιολογίαν, per poſtremam hanc intelligens talem interpretationis rationem, quâ dictorum factorumque in Sacrâ Scripturâ memoratorum, cauſæ redduntur & exponuntur; huic tamen a multis, etiam in hac ipſa, quam præ manibus habemus, materia, plus juſto ſæpe tributum eſſe, nemini non manifeſtum eſt. Plus enim ſubtilitatis fere quam ſoliditatis αἰτιολογίας iſtiuſmodi habere, eventus nunquam non docuit. Quamobrem etiam tum humilius tum tutius procedere dicendi ſunt, qui curioſitati ſuæ haud nimium hic indulgent. Tametſi neque negari abſolutè poſſit, tales nonnunquam incidere caſus poſſe, quibus poſitis, in Divinarum diſpenſationum cauſas non male inquiritur: modo ne in indagatione illa altum nimis quis ſapiat, in fidei analogiam non arietet, conjecturas denique merè tantum probabiles, imo ſæpe ne vix quidem probabiles, invictorum argumentorum loco imperitioribus non obtrudat.

Auguſt. lib. de Geneſ. ad litt. cap. 2. & de utilitat. credend. cap. 3.

III. Rationibus itaque valde ſaltem veroſimilibus ſi certari hic fas ſit, homo *ultimo loco* creatus dici poteſt. 1. Quia rationale & contemplativum animal cum foret, par erat, præparari in anteceſſum omnia illa, quæ contemplationis & meditationis ejus dignum juſtumqne objectum eſſent. 2. Quia quod in Dei intentione præcedebat, ſequi in ejus operatione conveniens erat; juxta vulgarem regulam: Quod *prius* eſt *in intentione poſterius* eſt in *executione*, & vice verſa. Finis vero, inter creaturas ſublunares primo & primario a Deo intentus, erat *homo*; oportebat ergo *poſtremum* eum eſſe in Creatione. 3. Quia Deus e ſingulari ſua bonitate voluiſſe videtur, prius homini domicilium, idque ſplendidiſſimum quidem, adornare, antequem excellentiſſimum ejus incolam ei immitteret. *Solet enim prius*, ut loquitur Zanchius) *perfici currus, deinde ei regendo auriga imponi*; vel, ut Na-

zianzenus: Ἔδει ὥσπερ βασιλεῖ προστῆναι τὰ βασίλεια, καὶ οὕτως εἰσαχθῆναι τὸν βασιλέα πᾶσιν ἤδη δορυφορούμενον. *Conſtruendum prius tanquam Regi, palatium erat, atque ita Rex introducendus, omni jam ſatellitio ſuo ſtipatus.* Quodſi *enim* (addit Paræus) *homo mundum reperiſſet vacuum & deſtitutum Sole, luminaribus, herbis, fructibus, animalibus denique ſe moventibus in Aere, Aquâ & Terrâ, utique ſolitudo ei fuiſſet permoleſta & defectus rerum neceſſariarum felicitatem ejus variè turbaſſet.* 4. Quia in creaturis viſibilibus (*inviſibilium* enim alia quadantenus ratio eſt) hunc Deus ordinem videtur obſervaſſe, ut ab imperfectioribus ad perfectiores fere proceſſerit. *Homo* itaque cum ſit ſublunarium ens omnium *perfectiſſimum*, potuit, ordine illo obſervato, haud aliud, quam præformatis omnibus aliis creaturis, in mundum introduci. Quod argumentum fuſius proſequitur laudatus modo *Zanchius*.

Nazianzen. orat. 43.

Zanch. de operib. VI. diei. part. 3. cap. 1.

Paræus in Geneſ. pag. m. 51.

IV. Addunt alii alias congruentias, præcipue ex *Philone*, ſed vix ullo loco habendas, cum ne veri quidem ſpeciem quædam earum habeant. Ut neque hæc *Zanchii* arridet obſervatio, quam grandis tamen ſuperpondii loco aliis conſiderationibus videtur ſubjeciſſe: ideo nempe *poſtremo* die creatum eſſe hominem, ac ſpeciatim quidem die *Sexto*, non ſecundo, tertio aut quarto, quia primum Adamum cum ſecundo conferendum putat. Hoc itaque nato *ætate ſextâ*, & in plenitudine temporis, poſt quod nullus Servator eſſet expectandus, etiam *primum* hominem die *Sexto*, quem immediate ſecutum eſt Sabbatum, tempus benedictum, quo Deus quievit ab omnibus operibus ſuis, creandum fuiſſe cenſet. At qualis hæc conſequentia? Natus eſt Chriſtus, *Secundus* Adamus, *ætate Sextâ*, ergo creari oportuit *Primum* Adamum *die Sexto*. Quidni eâdem concludam firmitate, denatus eſt Chriſtus *ſecundus* Adamus anno præterpropter ætatis trigeſimo tertio, ergo eodem oportuit denaſci *primum* Adamum? Mortuus eſt *ſecundus* Adamus in monte Golgotha, ergo obiiſſe ibidem debuit *primus* Adamus: cur enim alia hic *loci* quam *temporis* ratio eſt habenda? Non deeſt, qui illationes hujuſmodi elumbes ad ſuavi-ludia ſemi-Kabbaliſtica pridem relegavit. Magis placent *Petri Charronii* verba, quæ, eo quod quæſtionem hanc tam preſpicue & concinne definiant, ut vix quiſquam melius, non pigebit appingere: *L'homme* (inquit) *a eſte fait de Dieu non ſolement apres tous les animaux, comme le plus parfait, le maiſtre & ſurintandant de tous,*

Charron. de la Sageſſe Liv. 1. chap. 1. p. m. 33.

 ut

Digitized by Google

ut præſit piſcibus maris, volatilibus cæli, beſtiis Terræ. *Et en meſme jour, que les quadrupedes & terreſtres, qui s'approchent plus de luy, mais encore aprés tous fait & acheve comme la cloture, & le ſeau & cachet de ſes oeuvres: auſſi a-il empreint ſes amoiries & ſon pourtraict.*

Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parvâ.

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui; *Comme une recapitulation ſommaire de toutes choſes, & un abregé du monde, qui eſt tout en l'homme, mais r'accourcy l'en petit volume, dont ill' eſt appellé* petit monde *& l'univers peuteſtre appellé* le grand homme. *Comme le neud le moyen & lien des anges & des animaux, de choſes celeſtes & terreſtres, ſpirituelles & corporelles. Et en un mot, la derniere main, l'accompliſſement, le chef d'oeuvre, l'honneur & le miracle de nature.*

V. Geneſ. 1.verſ.26. dicit Creator: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* &c. Quæ verba προβουλίαν ſive *Conſultationem* quandam SS. Trinitatis, juxta communem Theologorum ſenſum, inferre, mirum eſt jam in dubium a quibuſdam vocari, ſubſtituentibus iſti *Conſultationi* neſcio qualem ἐγκέλευσιν ſive *inſtigationem.* Neque enim cum προβουλίαν hic conceperunt anteriores Interpretes, illâ id unquam mentefecerunt, quaſi Deo difficilius putaſſent hominem, quam cætera animantia condere; vel hæſitaſſe ulllatenus Trinitatem, qualem hominem vel conderet vel non conderet; ſed locutum ita Deum eſſe, ut hominis eo pacto præſtantiam & ſupra creaturas reliquas præeminentiam ἐμφαντικωτέρως ab oculos poneret. *De ſolo homine* (inquit Paræus) *dignatus eſt Deus peculiarem quaſi* conſultationem *ſuſcipere, tanquam de* præclariſſimo *ſuo opere.* Videlicet, *quia rationabilis creatura condebatur, ut cum* conſilio *facta videretur,* & nobilitas *ejus oſtenderetur,* ut loquitur *Eucherius.* Et ſignificantiſſimè Chryſoſtomus: *Vidiſti* (inquit) *ſermone ſolo & precepto omnem creaturam quinque diebus formari? vide hodie, quanta verborum diverſitas. Non enim jam dicit, fiat homo; ſed quid?* Faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram, & ſecundum ſimilitudinem? *Quid hoc novi? quid rari? Quiſnam ille, qui formandus? ad quem faciendum eſt opifici tanto conſilio & circumſpectione opus? Ne mireris,* dilecte, *homo enim inter viſibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita ſunt hæc omnia, cælum, terra, mare, Sol, Luna, Stellæ, reptilia, jumenta, brutaque animalia omnia.*

Paræus. in Geneſ. 1. 26.

Eucher. in Geneſ. lib. 1. §. 8.

Chryſoſt. in Geneſ. Hom. 7.

VI. Ne-

VI. Neque neceſſe tamen erat, ut *interrogativè* περιβελία hæc proponeretur, dictumque eſſet, pro *faciamus* hominem, *facie-muſne hominem?* Non enim intendit Moſes verbis illis univerſam *Conſultationis* illius formam, ſed præcipuam tantum ejus materiam nobis repræſentare. Multo minus putandum, Trinitatem ita de creando homine deliberaſſe, quaſi jam antea creare ipſum non propoſuiſſet; abſit. Certum enim eſt, propoſuiſſe ipſum hominis tanquam *finis* formationem certo futuram, priuſquam ſe ad creandas alias creaturas, tanquam *media*, beando homini inſervitura, accingeret; illud enim ſapientiſſimo Deo maxime conveniebat. Sed *deliberaſſe* Trinitas dicenda eſt, non an crearet, vel quomodo crearet hominem, quis enim talem imperfectionem Perfectiſſimo Enti adſcribat? Sed quomodo jam reapſe, prout ante conſtituerat, eximiis dotibus inſtrueret hominem, univerſo non tantum orbi jam jam præficiendum, ſed & ſibi præcipue conſummatè glorificandæ, æterno conſilio deſtinatum. Colloquium igitur hic quaſi indicatur inter SS. Trinitatis perſonas, de ejus, quod decretum erat, certâ executione, non de executionis illius modo vel mediis, quaſi eorum Trinitas neſcia vel imperita fuiſſet. Expreſſit id *Alcimus Avitus* hoc carmine: *Alcim. Avit. lib. 1. cap. 3.*

Tum demum tali Sapientia voce locuta eſt,
En præclara nitet mundano machina cultu,
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid juvat ulterius nullo cultore teneri?
Ergo longa novam ne ſadent otia terram,
N*unc formetur* Homo, *ſummi quem tangat* imago
Numinis, & noſtram celſo donatus honore
Induat interius formoſâ mente figuram.

Ut neque obſtat, quod is, qui *proprie deliberat incertus ſit & quærat, quid faciendum ſit? quid honeſtum & pulchrum, & quid decorum, quid utile factu ſit?* Cum *deliberatio* hæc non niſi ἀξιοπρεπῶς τῷ Θεῷ accipienda ſit. *Coccej. in Gen. 1. 26.* Nemini enim Theologorum in mentem unquam venit, immutabili & perfectiſſimo Deo talem conſultationem adſcribere, quæ omnem imperfectionem non excludat. Sique eam ob cauſam Trinitatem quaſi *conſultantem* & *deliberantem* verbis hiſce introduci abſurdum ſit, quia *deliberatio propriè dicta* imperfectionem quandam infert; quâ, quæſo, veriſimilitudinis ſpecie ἐγκέλευσις ſive *Inſtigatio* quædam tribui ei poteſt, cum & hæc ipſa, *proprie dicta* & *ſumpta*, ignaviam, ſocordiam, tergiverſatio-

nem

nem adeoque multimodam imperfectionem, Deo indignam, in illo, qui inſtigandus ita dicitur, neceſſario præſupponat? Accedit, quod ipſi illi, qui *Conſultationem* inter Trinitatis perſonas hic non ferunt, libentes tamen eam admittant, cum de *Conſilio Pacis* inter Patrem & Filium, ſuper hominum ſalute inito, ſermo inſtituitur. Vocant enim id *pactum*, *conventionem*, imo προβουλίαν duarum illarum Trinitatis Perſonarum.

Momm. de Tripl. œcon part. 1. cap. 1. §. 12.

Conſuluit Deus (inquit Doctiſſ. D. Momma) *cum Filio ſuo* (*ſecundum hominem loquor*) *& cum illo iniit conſilium, quâ ratione hominibus, per peccatum corruptis & æternæ damnationi obnoxiis, pax, gratia ac ſalus conferri ac parari potuerit.* Neque abludit Celeberr. *D. Coccejus*, dum ait:

V. Coccej. in Ep. 11. §. 17.

Quando hic non agitur de rebus vulgaribus, ſed de ratione ſalvandi hominem ex peccato & miſeriâ, intelligenda hic eſt βȣλὴ *ſive* conſilium *illud, quod inter Patrem & Filium fuit ab æterno, de* modo *reconciliationis, ſanctificationis, juſtificationis, conſervationis.* Quodſi autem illo in negotio nullam importet imperfectionem, cum Perſonis Divinis qualis qualis *conſultatio* (quis enim unquam aliter, quam *juxta hominem* ſumi eam voluit) attribuitur, quis in hac *Creationis* materiâ id fieri ullo jure exiſtimet? Concludendum ergo eſt cum Commentatorum ſolidiſſimo Calvino:

Calvin. in Geneſ. 1. 26.

Neminem non fateri eſſe hunc, faciamus hominem, *quaſi* deliberantis *ſermonem*; *atque adeo hactenus Moſem ſimpliciter jubentem Deum induxiſſe, nunc, ubi ad opus omnium perfectiſſimum ventum eſt*, conſultationem *adhibuiſſe.*

VII. Creavit Deus Hominem ad imaginem ſuam, *ac marem & fœminam creavit eos.* E quibus verbis inferre jam dudum voluerunt Judæi, Adamum & Evam *concorpores* creatos fuiſſe, adeoque primum hominem corpus ex utroque ſexu coalitum, humeris agglutinatum & biforme habuiſſe, ſic ut a fronte Adam, a tergo Eva fuerit; corpuſque id androgynum *Adam* vocatum eſſe, quæ vox marem & fœminam ſimul ſignificat.

Menaſſ. Ben-Iſr. Conciliat. quæſt. 3.
Sixt. Senenſ. Biblioth. lib. 5.
Salian. Annal. V. T. Tom 1. pag. 84 ſ.

Philoſophatur ita *Menaſſeh Ben-Iſrael*, haud paucis e Gente ſuâ in conſenſum adductis. R. *Selomone*, *Aben-Ezra*, *R. Eliezero Germano*, *Iſaaco Karo* in Gloſſis, &c. Secuti hos e Chriſtianis ſunt (ut teſtis eſt *Salianus*) Franciſcus Georgius, & Eugubinus; licet hi coalitionem illam paulo aliter explicent, hoc nimirum modo: ut fuerint Adami & Evæ quaſi duæ ſtatuæ quam ſimillimæ, Viri a dextris Fœminæ a ſiniſtris, quæ ſe altero brachio amplecterentur, ſiniſtrâ ſcilicet Viri in cervicem mulieris & dextrâ mulieris in cervicem Viri injectâ, dum cæterum in amplexu capiti caput hæreret, latus late-

Digitized by Google

lateri, crus cruri, pes pedi. Inter Gentiles ſimile quid commentus eſt *Plato*, cujus hæc verba ſunt. Ἀνδρόγυνον γὰρ τότε μὲν ἦν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, καὶ εἶδος καὶ ὄνομα ἐξ ἀμφοτέρων κοινόν. *Tum enim Androgynum hominum genus erat tam formâ quam nomine ex utroque maris ac fœminæ ſexu conſlatum & conglutinatum.* Meminerunt alii totius in Africâ Populi ſupra Naſamonas ſiti, utroque ſexu præditi, dextrâque virilem lævâ naturam fœmineam referentis; vel, ut *Plinius*, *dextram* mammam virilem, *lævam* muliebrem habentis. Licet quod de *Platone* mox attulimus quidam mythologicé interpretari maluerint. Ita Clariſſ. Hoornbeekius, *Nam* (inquit) *apud* Platonem *id dicitur vel fingitur in ſermone ſeu diſputatione de Amore, ut oſtendatur, quo modo omnia initio juncta fuerint; homines vero hinc ſuperbientes & ferocientes in duos ſecatos fuiſſe, inſtar eorum, qui ova dividunt, inquit, ut ſale condiant, vel qui capillis ova ſecant. Homines inſuper* (puto legendum eſſe *hominibus*) *minatus Jupiter dicitur, ut ſi neque ita deſiſterent, iterum illos divideret, ut unico duntaxat crure nixi, claudorum inſtar ſaltare cogerentur.* Quicquid ſit, ſententiam hanc non niſi abſurdam & ridiculam eſſe, contra *Judæos*, ſic probo: 1. Quia, ſi homo androgynus eſſet creatus, perperam dixiſſet Moſes: *Creavit Deus* eos *marem* & *fœminam*; at dicere debuiſſet, *creavit Deus* eum *marem & fœminam*, in ſingulari numero. *Unus* enim *Adam*, ut volunt, tantum creabatur, licet bicorporeus & duobus proſopis & vultibus præditus: ut Romanorum *Janus*, licet bifrons, unam tamen perſonam tantum referebat. 2. Quia Hexaëmeri opera imperfecta tum fuiſſent; ſpecies enim hominis unicorporei adhuc defuiſſet: Quum tamen ſedulo paſſim inculcent Judæi, *Omnia die ſexto modo fuiſſe, & nihil quicquam poſt ſex creationis dies immutatum eſſe.* 3. Quia nulla neceſſitas urget, ob quam verbis Moſaicis ſenſus adeo incommodus affingatur, quo homo primus in purum putum monſtrum convertitur. Quid enim alieni in conſuetâ textus interpretatione, quâ ſtatuitur, Deum *marem & fœminam* hominem condidiſſe, non conjunctim ſed diviſim, quatenus utriuſque ſexus unum fabricavit ſucceſſive, id eſt, primo *virum* e glebâ terræ, dein *mulierem* e coſtâ viri. 4. Quia cap. 2. verſ. 18. exertim dicitur, Deum vidiſſe hominem *ſolum* eſſe: at quomodo Adam *ſolus* erat, tam arcte in uno quaſi corpore cum muliere conjunctus? Si *dicas*, *ſolus* erat Adam, quia haud magis ipſi auxilio ita humeris agglutinata *Eva* erat, ac ſi *ſolus*, & ſi-

Euſeb. de Præparat. Evang. lib. 12. pag. 585.

Hoſmann. Lexic. Univerſ. part. 2. pag. 193.

Geſner. Onomaſtic. pag. 34.

Hoornb. adverſ. Judæos. lib. 4. pag. 341.

ne ejus conjunctione fuiſſet; *repono.* Cur ergo mulier minus *Sola* dicta fuit, quam Adam, cum procul dubio eodem modo ſeipſos ad ſe invicem habuerint, neque magis Vir mulieri ſic affixus auxilio eſſe potuerit, quam mulier Viro?

VIII. At quid obtendunt Apellæ, quo errorem hunc ſtatuminent? *Dicunt* 1. Verba Moſis Gen. 2. 21. וַיִּקַּח אַחַת מִצַּלְעֹתָיו *Et cepit* (Deus) *unam e coſtis ejus*, interpretanda eſſe, Et *cepit unum e* lateribus *ejus*; atque ita lateribus virum mulieremque junctos conglutinatoſque primitus fuiſſe, per *creationem* vero Evæ *ſeparatos*. Vocem vero צֵלָע non *coſtam* tantum ſed & *latus* ſignificare, probant ex Exod. 27. 7. & 37. 3. At qualis ratiocinatio, vox צלע *latus* aliquando ſignificat, ergo & hic idem ſignificat? Vox אֱלֹהִים Magiſtratus, Angelos, &c. aliquando ſignificat, ergo Gen. 1. 1. idem ſignificat. Rurſus, ſi Moſes non *coſtam* e numero plurium ſed *latus* d. l. intellexit, cur duali numero non eſt uſus, vel notam numeri non addidit, ut aliis in locis facit? Exod. 27. 7. 1 Reg. 6. 34. Latera enim, ſi de homine ſermo ſit, non plura ſunt, ſed duo tantum. Probatu etiam non leve eſt, vocem צלע pro *humano latere* ullibi uſurpari; habent enim Scriptores Sacri aliud vocabulum יָרֵךְ, quo id indicant. Adhæc, ſi creatio Evæ nihil aliud fuerit, quam tum viri tum mulieris *laterum ſeparatio*, cur Adam minus Geneſ. 2. 21. 22. creatus dicitur, quam Eva, cum *illius* latus non minus ab hâc, quam *hujus* ab illo ſeparatum fuerit? *Dicunt* 2. Vocem אָדָם marem & fœminam ſimul denotare. Verum ambiguè id dicitur; ſi enim velint indicare eam virum fœminamque *concorpores*, falſum id eſt, & mera petitio principii. Quin ipſe textus id refutat; non enim opus tum fuiſſet, a Moſe dici, Deum creaſſe *hominem marem* & *fœminam* ſed ſuffeciſſet dixiſſe, *creavit Deus* אָדָם; id enim, juxta Opponentium hypotheſin, hominem androgynum ſufficienter indicaſſet. Sin notare velint vocem אדם *disjunctive* vel marem vel fœminam, ſive aliquando marem aliquando fœminam indicare, id eſt, *appellative* nonnunquam ſumi, tum nihil efficiunt; neque enim nos hoc negamus; at probent inde tum ſequi, primum hominem ſexus utriuſque hermophroditum creatum eſſe; hoc enim in quæſtione propriè verſatur. *Dicunt* 3. Davidem Pſ. 139. 5. expreſſim coram Deo profiteri, *retro & ante poſſides me*: quod

Theod. Hackspan. Not. Philolog. p. 1. pag. 73. 74.

Digitized by Google

quod Menaſſeh loc. cit. vertit per *retro & ante* formaſti me, additque, *nimirum innuit biforme illud corpus*. Aſt regero, magnum inter Eruditos diſſenſum eſſe, quomodo intelligenda verba illa ſint. Pro *retro* & *ante* Vulgata habet *noviſſima & antiqua*, nectitque verba illa non cum ſequente *obſides vel formaſti me*, ſed cum eo, quod præcedit: *cognoviſti o Jehova*. q. d. David: Tu Domine, omnium rerum conſcius es, tam veterum, quam recentiorum. Similiter vertunt Septuaginta Interpretes omneſque Græci & Latini Patres, teſte *Bellarmino*. Sed parum curant *Bellarm. in Pſ. 138.* proculdubio, Judæi, quomodo Chriſtiani Scripturam vertant. Eſto ergo, quod voculæ אָחוֹר וָקֶדֶם *ante* & *retro* ſignificent, nego tamen צַרְתָּנִי, quod hic occurrit, per *formaſti me* transferri commodè hic poſſe. Vox enim צוּר *includere* & *colligare* proprie ſignificat. Deut 14.25. 2 Reg. 5.23. Non dico per *formare* nunquam explicandam eam eſſe, contrarium enim ex variis locis liquet. Conf. Exod. 32.4. 1 Reg. 7.15. Græci efferunt per πλάττειν; ſed nego, præſenti huic loco ſenſum illum probe convenire; idque ob hanc præcipuè rationem: Quod univerſus Davidis ſcopus ſit, Dei *omniſcientiam* hic celebrare & extollere, eamque hoc quidem ſingulariter illuſtrare & amplificare argumento, quod tam prope creaturis omnibus, adeoque & ſibi, adſit, ut *ante* & *retro* obſideatur ab eo & circumagatur. Ipſe *Aben-Eſra*, apud Coccejum, Davidem dicentem inducit: *Coccej. in Pſ. 139. 5.* *Non contingit mihi ſtare vel ambulare ſine te*. Sic ut ne gry quidem hic appareat de creatione hominis, nedum primi hominis (ſermo enim de ipſo Davide eſt, non de *Adamo*) minime primi hominis *androgyni* creati. *Tredecim* prioribus Pſalmi hujus verſibus nullâ aliâ re occupatur Propheta, quam (ut jam dictum eſt) *omniſcientiæ* & omnipræſentis *Providentiæ* Divinæ tractatione; verſuque demum 14 & ſeqq. ſubnectit aliqua, de admirabili ſui ipſius (non Adami aut Protoplaſtorum) formatione, eaque talia quidem, quæ, ipſis *Judæis* non diffitentibus, ſententiæ ipſorum minime favent. 4. Tandem *dicunt*: Nuſquam in *Moſe* legi, Deum corpori mulieris peculiarem animam inſpiraſſe; quod fieri utique oportuit, ſiquidem ab initio eâdem Adami animâ informatum non fuiſſet. Sed in re hiſtoricâ argumenta negativa nihil concludunt. Nullibi refert quoque Moſes, Adamum, poſtquam lapſus eſſet, *ediſſe*, *bibiſſe*, *ambulaſſe*; at quis inferat inde, ergo

 nihil

nihil eorum fecit? ſentiunt procul dubio *Judæi*, mulierem, jam ab Adami corpore avulſam, non Adami ſed propriâ deinceps animâ vixiſſe; ſed neque hoc in Hiſtoriâ Moſaicâ ullibi narratur. Quin ſomnient forſan Ludiones, ut *corporis* Protoplaſtorum, ſic etiam animæ eorum divulſionem factam eſſe, quod abſurdorum abſurdiſſimum foret; cum anima humana, immaterialis quippe & ſpiritualis, ἀμέριστος ſit, ſecarique nunquam potuerit, utut corpus potuiſſet. Hæc contra *Judæos*. Doctoribus *Christianis*, qui opinionem hanc qualitercunque etiam Φιλάτλυοι, duo Apoſtoli loca tantum oppono: 1 Corinth. 11.8. *Vir non eſt ex muliere, ſed mulier ex Viro.* & 1 Tim. 2. 13. *Adam primus creatus eſt, deinde Eva.* Quodſi enim Adamus *androgynus* creatus eſſet, non minus rectè Paulus dixiſſet, virum ex muliere, quam hanc ex illo productam eſſe, vel neutrum potius ex altero enatum eſſe. Neque enim hæc tam nova eorum productio, quam diverſi potius ſexus, uno corpore conſtantis, a ſe invicem ſeparatio & divulſio extitiſſet. Ut neque, ſi Adam fuiſſet ἀνδρόγυνος, hunc *prius* Evam *poſterius* prodiiſſe dici poſſet, cum eodem momento uterque creati tum fuiſſent, niſi velis, ad producendum Adamum *duplici* opus fuiſſe creatione, eâque tempore quidem diſtinctâ, quod haud, credo, pertendes. Sed de his ſatis, ne, quod *Socrati* olim adſcriptum legimus, *pulicum ſaltus* videar demetiri, id eſt, de rebus *nihili* nimis prolixè philoſophari. Jactum id in *Socratem* fuiſſe, teſtes ſunt *Ariſtophanes*, *Xenophon*, alii. *Rogabat ipſum* (inquit *Xenophon*) Syracuſanus quidam: Εἰπέ μοι πόσους ψύλλα πόδας ἀπέχει ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν? *Dic mihi, quot* Pedes *a me diſtet* pulex: *ajunt enim te hæc demetiri?*

Ariſtophan. in Nebul. Act 1. Scen. 2.

Xenoph. in Sympoſ.

IX. Uno tamen eodemque creationis die Adamum & Evam conditos eſſe, perquam veroſimile eſt, licet minime conglutinatos, ut Judæi dicunt. Clarè enim, quantum mihi videtur, Moſes id innuit, dum ait: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, marem & fœminam creavit eos.* Creavit *eos*, ergo plures, non unum tantum Adamum. Neque credibile eſt, reſpectu *mulieris*, per πρόληψιν intelligendum id eſſe, eo quod hujus conditio ſecundo demum Geneſeos capite referri videatur; nam eodem etiam capite *Viri* creatio deſcribitur, cujus tamen reſpectu non puto, quenquam anticipationem talem conceſſurum eſſe. Sequeretur enim inde, ne ipſum quidem *Adamum* intra hexaëmeri cancellos crea-

creatum fuiſſe. Neque ſpecioſius eſt, quod habet *Eucherius*, dum inquit: *Quia de eodem latere erat fœmina proceſſura, in illo jam computatur per ſubſtantiam, a quo erat producenda per formam: Ergo ſecundum* originem *Adam & Eva ſimul facti ſunt, ſecundum* ſpeciem *vero forma poſtea fœmina de latere Viri formata eſt.* Innuit, ni fallor, Evam eodem cum Adamo die creatum eſſe quoad *materiam*, non quoad *formam*. At quid hoc eſt, creari tantum quoad *materiam*? an exiſtere non debet, quod jam creatum eſt? & exiſtebatne Eva abſque *forma*, cujus eſt dare eſſe rei, non materiæ? vel an exiſtebat antequam exiſtebat? Iterum, an creatus ergo *Adam* antequam crearetur, ſcil. *quoad materiam*, quia ante ejus creationem extabat *materia*, id eſt, *Terra*, ex qua productus poſtea fuit? Dicendum ergo eſt, Deum ſexto die *tum* Adamum *tum* Evam en creaviſſe, idque in genere & comqendiario Geneſios *Princ* Capite tantum referri, *ſecundo* vero non repeti ſolum, ſed, additis variis ejuſdem creationis circumſtantiis, plenius diduci & amplificari. Fit enim (obſervante *Fagio*) non raro in Divinis Litteris, ut primum *in genere* quid proponatur, quod poſtea *particulariter*, & per ſpecialiores circumſtantias diducitur & explicatur. Hebræorum Magiſtri id ſic efferunt: כלל שלאחריו מעשה הואפרטושל ראשון. Et hunc unum eſſe e *triginta duobus* modis dicunt, quos juxta *Moſis* Legem exponendam putant. Dignus, qui hic audiatur, eſt *Guiljelmus Eſtius*, Theologus *Duacenus*, qui formationem Evæ eopſe, quo Adam conditus, eſt die ſic confirmat: *Diximus* (inquit) *ad Diſtinctionem* 17. *non ſeptimo ſed* ſexto *die creatam* mulierem, *tum quia in deſcriptione operum ſexti diei creatio mulieris continetur; tum quia Geneſ.* 2. *& Exod.* 20. *Scriptura aperte teſtatur, Deum ſeptimo die requieviſſe & ceſſaſſe ab omni opere ſuo, ſcil. eo, quod pertinebat ad mundi ac totius creaturæ inſtitutionem, ad quam utique pertinebat mulieris in humano genere productio, multo magis, quam in aliis animantium generibus, in quibus nemini dubium eſt, ſexum fœmineum intra ſex primos dies creatum fuiſſe.*

Eucher. in Gen. lib. 2. *cap.* 8.

Auguſtin. ſup. Geneſ. ad litt. lib. 6. *cap.* 2.

Fag. in Geneſ. 2. *verſ.* 8.

Eſtius. in Libb. ſent. Lib. 2. *diſtinct* 8. *pag. m.* 185.

X. Neque quæ in contrarium adferri a Viris Doctis ſolent tanti ſunt, ut a ſententia hac quenquam dimoveant. *Obtendunt* 1. Moſem exertim dicere, Adamum *ſolum* fuiſſe. At quid tum? inferturne hoc, *Evam* eodem cum ipſo die creatum non eſſe? nihil minus. *Adam primum creatus eſt*, & in tantum *ſolus* erat, muliere necdum creatum. 1. Tim. 2. 13. *Dicunt* 2. Adamum *extra* Paradiſum creatum eſſe, Evam id Paradiſo, ergo non eodem die?

 Sed

Sed neque hoc ſequitur; non enim impedit id, quo minus utraque illa creatio fieri potuerit diverſo loco eodem die, licet non eodem momento. Adde quod non uſque adeo certum ſit, Evam non *extra* ſed *intra* Paradiſum creatam fuiſſe, negant id non infimi ſubſellii Scriptores, *Joſephus*, *Tertullianus*, *Rupertus*, aliique. 3. Gravioris momenti eſt, quod ajunt, adductionem animalium (non hominum *Praadamiticorum* (ut ineptit *Peirerius*) ad Adamum, hujuſque ὀνομαθεσίαν Evæ creationem anteceſſiſſe; impoſſibile vero fuiſſe, tam brevi temporis ſpatio fieri eas potuiſſe, ſexto creationis die, & tum Evam adhuc creatam eſſe. Sed repono, hactenus demonſtratum nondum eſſe, dictam animantium ad Adamum deductionem ejuſque ὀνομαθεσίαν creationem Evę præceſſiſſe; non alio enim hypotheſis illa nititur fundamento, quam quod *tempore* illæ *prius* a Moſe referantur. Aſt probatu difficillimum, imo impoſſibile mihi videtur, ea omnia *tempore prius* vel *poſterius* præciſe accidiſſe, que *ordine prius* vel *poſterius* in Scripturâ narrantur. Saltem urgeri id ab iis haud oportet, qui, quoad ipſam *creationis Evæ* temporis circumſtantiam, ad πρόληψιν ſive ὑστερολογίαν recurrere ſolent. Non diffiteor ergo, prius quidem narrari a Moſe animantium ad Adamum adductionem, hujuſque ὀνομαθεσίαν, ſed prius ideo factas illas eſſe, conſequi non video; non magis ac Opponentes ſequi videre poſſunt, ideo mulierem die ſexto creatam etiam eſſe, quia inter ſexti diei opera mentio ejus etiam inſtituitur.

Joſeph. Antiqq. lib. 1. cap. 4. Tertull. l. 1. c. Marcion. Rupert. in Geneſ. l. 2. cap. 32.

XI. Sed videtur (inquiunt) Deus ex hac animalium adductione, eique connexâ *Adami* ὀνομαθεσίᾳ, occaſionem ſumpſiſſe, adjutorium ei procurandi, mulieremque creandi, oportet ergo illam hujus formationem anteceſſiſſe; maxime cum ipſe textus dicere id videatur: Gen. 2. 29. *Quapropter injecit Deus ſoporem*, &c. videns nempe, omnia animantia generis ſui ſociam habere, ſolum vero hominem deſtitutum eâ eſſe. At fruſtra hæc dicuntur, cum neceſſe non ſit, verba allegata connectere cum eo, quod remotius eſt, Adami ſcil. ὀνομαθεσίᾳ, ſed referri etiam poſſint ad immediate & proxime præcedentia; ſenſus enim & connexio peræque conſtant. *Non aderat* (ut verba habent) *Adamo auxilium commodum*, quapropter *injecit Jehova Deus ſoporem*, &c. ut nempe defectum illum ſuppleret, auxiliumque quale quale ei ſuppeditaret. Quin eſto, quod præceſſerit animalium

hæc

adductio Evæ creationem, non video tamen, eam eodem cum Adamo die creari non potuiſſe; probetur illa conſequentia. Si dicas, quomodo res tanta intra unius diei terminos confici potuit? *Reſpondeo*, quomodo illa jam poſt lapſum tantillo tempore conficeretur, fateor, me explicare non poſſe; at poteſt tunc alia fuiſſe ratio tum Adami tum animantium ad eum adducendorum, quæ potuere forſan, cum procul dubio per univerſum orbem, ſicut jam, diſperſa necdum eſſent, ſed in uno loco (Paradiſo) congregata, quam citiſſime coram Principe ſuo Adamo ſe ſiſtere, & ſimili imo majori promptitudine, cum perfectiſſima primi Parentis cognitio longâ deliberatione opus non haberet, convenientiſſima naturæ ſuæ nomina accipere.

XII. Scio, in alia plane hic ire Virum quendam Celebrem, ad Adami ὀνομοθεσίαν inſigni morâ opus fuiſſe exiſtimantem: *Siſtuntur* (inquit) *eo loci* (*Deo id procurante*) *animalia quæ terra protulerat, univerſa, generis cujuſque unicum tantum; atque ita* (*puto*) *conveniunt, ut ne ſe invicem aut contrudant aut conculcent. In Adæ conſpectu ita ſita ſiſtuntur, ut de ſingulis ſpeciebus ſeorſim diſpiceret, & ubi diſpexerat, pro ſpeciei cujuſque naturâ, indole, dote aliquâ inſigniore, quâ a reliquis diſtinguebatur, ex eâ, quâ valebat, ſagacitate, appellationem aliquam ſpeciei peculiarem, ingenioque ejuſdem congruentem, imponeret. Nec poſſum aſſequi* (*quæ mea forſan fuerit vel mentis obtuſioris hebetudo, vel intelligentiæ reſtrictioris anguſtia*) *qui fieri quiverit, quin diei* pars magna *negotio hoc conficiendo fuerit inſumpta. Viri utique militares copiis haud numeroſis viritim perluſtrandis, diutius longe diſtinerentur.* Gatak. Cinn. pag. m. 193.

Verum ad eundem lapidem *Opponens* ille impingit, qui cæſpitare alios fecit: nimirum animantium hanc collectionem & ὀνομοθεσίαν non niſi via ordinaria peractas eſſe, atque eâdem quidem, qua jam poſt lapſum ſimili in caſu a nobis procederetur; quod probari velim, non temere a Viro Docto præſupponi, exemploque illuſtrari plane ἀπροσδιονύσως, a *copiarum militarium perluſtratione deſumpto.* Non enim valet illatio a rerum conſtitutione *poſt* lapſum, ad illam, quæ fuit ante lapſum, præſertim ſi ad *motum localem* reſpectus habeatur; quod exemplorum inſigni numero demonſtrari poſſet. Prout neque ſtringeret conſequentia a corporum motu locali in ſtatu hujus vitæ, ad illum, qui in ſtatu glorificato locum habiturus eſt; cui quidem non adeo abſimilis forſan fuit ſtatus corporum ante lapſum. Audi ὁμόφωνον hic nobis

Clar.

Digitized by Google

Witſ. in Symbol. Apoſt. Exercit. 8. §. 71. Clar. D. Witſium, ut ut de alia materia differentem: *Tenendum* eſt (inquit, *motum hunc* extraordinarium *longeque celerrimum fuiſſe, nequaquam exigendum ad communes motus, quæ nunc obſervantur, regulas, ſed Divino & ſpeciali quidem mandato initium ſuum proceſſum, ac modificationem omnem debuiſſe.*

XIII. Dicit etiam Vir Magnus, non *univerſum* ſextum diem, ſed *magnam ejus partem tantum* negotio *hoc conficiendo inſumptam fuiſſet.* Quod ſi ſit, reſtabat ergo adhuc alia ejuſdem diei pars, licet minor forſan, in quâ mulier creari potuit? cum multarum horarum ſpatio ad creationem illam opus non fuerit. Vel ſi minus hæc placeant, quid abſurdi, ſi cum *Saliano* dicamus, eopſe die, quo Eva creata eſt, imo ante ipſius creationem, animalium hanc ad Adamum addductionem ejuſque ὀνομοθεσίαν *cæptas* quidem eſſe, ſed *non plane conſummatas.* Simili modo, ac verba Geneſ. Salian. Ann. N. T. Tim. 1. pag. 84. tos 1. verſ. 1. *In principio creavit Deus Cælum & terram,* non de creatione completâ ſed jam demum cæptâ intelligi neceſſario debent. *Sufficit enim* (inquit) *ad Textus veritatem rem inchoatam tum fuiſſe, &, omnibus obiter perluſtratis, Adamum non inveniſſe adjutorium ſimile ſibi.* Ne de ſententiâ *Cajetani* quid addam, ſtatuentis, omnia animalia revera ac corporaliter ad Adamum non fuiſſe adducta, ſed tantum oculis ejus quodammodo repræſentata: adeoque *non motu locali,* ſed *adventu intellectuali* adductionem hanc factam eſſe; cui efficiendæ longum temporis ſpatium non requirebatur? Quæ quidem explicatio ut ut difficultatibus ſuis non careat, adeo tamen ſtolida ac inſulſa non eſſe videtur, ac pluribus habita hactenus fuit; præcipue ſi conferamus, quæ Diabolo in oſtenſione omnium regnorum mundi ἐν στιγμῇ χρόνου Luc. 4. 5. attribuuntur. Quantillo temporis diſpendio animalium hic ad Adamum acceſſus cum ſubſequente ὀνομοθεσίᾳ contigerit, hoc carmine expreſſit *Victor Marius.* Biblioth. PP. tom. 7. pag. 349.

Omne animal, quod jam Tellus dare juſſa crearat
Effundens tacito vernans e corpore ſemen,
Juſſit adeſſe Deus, proprioque obedire tyranno:
Scilicet ut cunctis bene congrua nomina rebus
Inderet: atque ſuum factum unumquodque vocaret
Nomine, natura quod natum eſt ſuapte moveri.
Nec mora *viventum parendi haud neſcia ſiſtit*
Omne genus natura Deo; quæcunque vocatur

Mun-

Mundi parte novi coeunt animalia in ipſo
Temporis articulo *modici ſive illa fuiſſent*
Molli lenta gradu, aut rapido promptiſſima curſu,
Impete vel ſubito conſueta per aera labi
Aut innare undis, aut pondere lubrica ferri.

XIV. De *Ætate* & *ſtaturâ corporis* Protoplaſtorum qualis & quanta illa fuerit, varii etiam varia annotarunt. Judicaſſe videtur *Auguſtinus*, Adamum in *perfectâ*, id eſt, in *virili* ætate formatum eſſe. Sic inquit: *Facile fuit illi, qui per ordinariam temporis moram vinum producit ex vite, & illud in Cana Galileæ puncto temporis produxit ex aquâ, hominem etiam, quem longo tempore format in utero, & eductum longiore etiam ad perfectionem ætatis deducit, in* ætate perfectâ *e terrâ producere.* Neque rationibus ſententia hæc deſtituta eſt. Omnia enim Dei opera, quæ in initio formaverat, conveniebat in genere ſuo eſſe perfecta. Omnia reliqua animantia ætate perfectâ creata fuerunt, quidni ergo & *Homo*, ut potuerit *dominari* in cætera; ſed hoc impoſſibile fuiſſet, ſi ætatem puerilem vel infantilem tantum habuiſſet. Statim, ut creati ſunt Adam & Eva, audiverunt vocem illam a Domino, *Creſcite & multiplicamini*, cui ſi obtemperarent, oportebat eos in ætatis flore modo verſari: quis enim infantulo verba illa oggeſſerit, qui ne intelligere quidem nedum præſtare præceptum id potuiſſet. Impoſſibilis etiam Adamo ὀνομοθεσία fuiſſet, mox a creatione capeſſenda, ſi juſtæ ætatis non fuiſſet. Non ſine temeritate tamen aſſertum ab aliquibus eſt, eâdem præciſè ætate creatum eſſe *primum* hominem, quâ Chriſtus erat, cum jam mortuus & excitatus eſſet, quæ reſpondebat anno ejus trigeſimo tertio vel quarto. Nullibi enim Scriptura id innuit. Imo vero, ſi filo Hiſtoriæ Moſaicæ inhæreamus, manifeſtum erit, ante Diluvium neminem unquam filios genuiſſe niſi *ſexageſimum* ætatis ſuæ annum jam ingreſſum. Cum ergo conſtet, eâ ætate Adamum creatum eſſe, quâ mox ad multiplicandum genus humanum ſe accingeret, cur non potius dicemus, primum ætatis ipſius annum, non Chriſti *trigeſimo quarto*, ſed aliorum potius, mox ſubſequentis temporis, Patrum *ſexageſimo* præter propter reſpondiſſe?

Auguſt. in Geneſ. lib. 6.

XV. Quod de *Ætate* diximus de Protoplaſtorum *ſtaturâ corporali* ſtatuendum etiam eſt; Eam nempe, quoad omnem extenſionem, perfectam initio creatam eſſe. Id enim (ut alia mittam) video neceſſarium fuit, quod *mulier* foetui alioqui geſtando in utero

impar fuiſſet. Ad farſari interim folia jure referas Talmudicorum Deliramenta, fabulantium, Adamum creatum initio fuiſſe *a fine Mundi, ad finem Mundi*, cumque hic per peccatum jam ſuperfluxiſſet & putruiſſet, Deum manum ſuam ſuper eum poſuiſſe, & uſque ad centum ulnas ſtaturam ejus depreſſiſſe. Vel juxta alios, ſtaturam *Giganteam* Protoplaſtos habuiſſe, Adamumque corporis mole & proceritate, omnes alios *Gigantes*, ipſum ſecutos, anteiviſſe. Imò convectâ fabricandi corporis, ex totâ terreſtri machinâ materiâ, *trunci* e Terrâ Babylonicâ *capitis* e Terrâ Iſraëliticâ, *reliquorum membrorum* ex Regionibus aliis, adeo ſtupendæ magnitudinis fuiſſe, ut capitis vertice Firmamentum ſuperius pulſaverit, lacertis expanſis extremos utrimque orbis terminos attigerit. Exſibilanda (inquam) hæc ſunt, ut ridicula non tantum, ſed & expreſſo Dei verbo adverſantia: nimirum ſi *proprie* intellecta quis velit, & non *allegorice*, ut Magiſtrorum quidam ea interpretantur. *Gigantes* enim oborti in Mundo demum ſunt, cum genus humanum multis iiſque graviſſimis vitiis jam depra-
Gathatc. vatum eſſet; quod locum certè non habuit, cum Adamus in Mun-
ront. *Pſocben.* dum primum introductus fuit. Gen. 6. 1. Nullibi etiam in Scriptu-
pag. 164. râ de *gigantibus* niſi odioſe & in deteriorem partem mentio fit; quin
Boulduc. ſunt, qui per S. Scripturæ *Gigantes* intelligi nihil aliud volunt
de Eccleſ. quam בני־אדם *filios hominis* id eſt, viros *terrenos*, *ſævos*, *ſuper-*
ante leg. lib. *bos*, *impios*, *Mundi & carnis voluptatibus mancipatos.* Moſes eos
1. cap. 8. vocat גברים *Robuſtos*, quod διασυρτικῶς, hoc eſt, in deterio-
n. 10. rem partem ſumendum eſt: ἐυρωστοῦτους μετὰ κακίας dixerunt Veteres: *Heſiodus* χειροδίκας, qui omne jus in manibus habent *Joſephus* ὑβριστὰς καὶ Παντὸς ὑπερόπτας καλοῦ. *Superbos & con-*
Alcim. *temtores omnis boni.* *Monſtra hominum* Alcimus Avitus:
Avit. lib. 4. *Tempore quin etiam peccatrix terra ſub ipſo*
cap. 4. *Nutribat ſævos immania* Monſtra *gigantes.*

Confer. Gen. 6. 1. & 14. 5. Deut. 2. 10. 20. & 3. 13. 2 Sam. 21. 16. 17. 18. 20. 21. Joſ. 11. 22. At quis Adamum integrum hominum hujuſmodi propudiis accenſendum dixerit?

XVI. Neque ad rem facit quod ex libro Joſuæ cap. 14. 19. adducitur, ubi *Vulgata* habet: *Nomen Hebron antea vocabatur Cariath Arbe, Adam Maximus ibi inter* Enacim *ſitus eſt.* Vox enim אָדָם, quæ revera in textu ibi legitur, *proprie* Sumenda non eſt *pro primo parente* noſtro, ut ſenſu eo in Creationis Hiſtoriâ paſſim

ve-

venit, ſed *appellative*, id eſt, pro *homine* in genere, a rad. אָדַם *rubere*. Prout *Junius* & *Tremellius* eam ſumunt, frequenter in SS. Litteris eâ ſignificatione occurrit. Pſ. 58. 12. & 22. 7. Eſ. 2. 9. &c. Non ergo Adamum protoplaſtum reſpicit ibi ſpiritus S. Sed aliam plane perſonam *Arbam* nempe, Patrem *Enaci*, eumque inde deſcribit, quod, cum parens *Gigantum* eſſet, ipſe etiam *Gigas* vel *homo maximus* fuerit. *Vox* אָדָם (inquit Voſſius) *non eſt hic nomen* proprium *ſed* commune, *ſive*, *ut Grammatici dicunt*, appellativum. *Ut ſententia ſit*, *nomen autem Hebronis olim fuerat Kiriath-Arbe*, *ſive Civitas Arbe*, *is fuerat* homo *maximus inter Enacinos*. Præterquam quod vox גָּדוֹל *maximus* talem non ſemper perſonam indicet, quæ ſtaturâ vel corporis mole *maxima* eſt, ſed & talem ſæpe, quæ authoritate, Imperio, divitiiſque alios antecellit. Unde & גְּדֹלִים *magnates* propriè ſunt, non *Gigantes*. Inſpiciatur locus Geneſ. 24. 35. ubi ſic Abrahami ſervus: *Deus benedixit Domino meo*, וַיִּגְדָּל *& magnus*, *h. e.* dives potenſque *factus eſt*. Neque tamen quiſquam, credo, autumabit, Abrahamum Dei benedictione in *Gigantem* mutatum eſſe, vel ſervum ejus *Eliezerum* verbis illis indicare id voluiſſe.

Voſſ. harm. Euangelic. lib. 2. cap. 6.

EXERCITATIO III.

DE

TYPORUM V. T. USU ET ABUSU.

BREVIARIUM,

Inveſtigationis naturæ typorum *ſub V. T. neceſſitas. Cur Deus populum ſuum ducere per eos olim voluerit? Vocabulum* Typi πολύσημον. *Quandoque* latius, *quandoque* ſtrictius, *quandoque* ſtrictiſſimè *uſurpatum.* Typus *cum qualicun-*

licunque rei Indicio non confundendus. Verba Precationis ante-baptiſmalis vindicata. Vox ὑποτύπωσις quid ſignificet? Locus 1 Cor. 10. capit, verſ. 6. illuminatus. Inter Typum & Allegoriam differentia qualis? Male Allegoriæ in Rhetoricas & Theologicas diſtinctæ. Ieſuita Sandæus pulſatus. Typi nunquam per Allegorias, niſi valde ἀκύρως, indicati. Typi ſtrictiſſime dicti definitio. Nullus typus niſi rei futuræ. Merito ergo præteritarum & præſentium rerum typi exploſi. Prophetare, de rebus præteritis uſurpatum, nihil aliud, quam indicare. Huetius notatus. Typus & Sacramentum ut differant? Loco Ezech. 20. 12. 20. lux affuſa. Sabbata quo ſenſu אותות ſigna dicta. Bona Spiritualia cultu Legali ſub V. T. etiam figurata non præfigurata. Nonnullorum typificandi κακοηθὲς notatum. Verba Apoſtoli, Heb. 9. 3. 4. elucidata. Mera inter rem Veteris & Novi Teſtamenti analogia ad Typum inſufficiens. Gathakerus, Calvinus, Bullingerus, Aben-Ezra ad partes vocati. Exceptio diluta. Ad σχέσιν typicam divina rei in typum ordinatio neceſſaria. Theologorum hac in re συμφωνία. Coccejus partim laudatus, partim explicatus. Omnia Sacrificia Legalia non typi tantum, ſed & Sacramenta. Burmannus notatus. Significandi & obſignandi vis in Baptiſmo unde? Parabolæ de Divite & Lazaro explicatio & applicatio non vulgaris. Typi ad ſigna ut genus ſuum referendi. Non tamen ad naturalia ſigna, ſed ad arbitraria. Non omnia ſimilia præciſe ex intentione efficientis talia. Groenewegius laudatus. Vt neque omnia ex intentione Dei ſimilia, ideo typica. Diſtinctio typorum in innatos & illatos rejecta. Typi naturales exploſi. Gathakeri de Chriſtianorum & Fulleri de Judæorum in cudendis typis petulantiâ querelæ. Quævis Vet. Teſt. Hiſtoriæ pro typis non habendæ. Accuratè definire, quid e totâ rerum & Perſonarum V. T. maſſâ pro typo proprie

dicto

dicto habendum ſit, res difficillima. Euſebius *ad partes vocatus. Veterum* Deuterotæ *qui? De rebus V. T. pro* typis *propriè habendis determinatio* Juniana. *Alius* Viri Docti *de hoc cogitata partim laudata partim caſtigata. Sententia* Autoris *ſex concluſionibus comprehenſa. Omnia Ceremonialia typica.* Polanus, *Nazireatum excipiens, refutatus. Chriſtus quo ſenſu verus* Naziræus? *Qualis* Nominum communicatio *typum indicet, qualis non? Qualeſcunque rerum V. T. ad res N. Teſtamenti* accommodationes *typum non faciunt.* Typorum *dignoſcendorum aliud* fundamentum *aliud* inſtrumentum. *Noſtræ in inveſtigandis & eviſcerandis* typis *partes variæ. Singuli & minutiſſimi Ceremoniarum* apices *rebus quibusvis ſingularibus, ut per eos adumbratis, præpropere non applicandi. Nonnullorum hac in re temeritas notata.* Caſauboni & Gomari *modeſtia laudata. Scripturarum ἀπερ.* Thomas Tailorius *taxatus.* Rerum *V. T. in* typum *Novi Teſtamenti divina ordinatio quandoque* manifeſtius *quandoque* involutius *propoſita. Non omnes* typi αὐτολέξει, *ſed quidam etiam* per conſequentiam *in Scriptura indicati. S. Scriptura quo ſenſu* typorum *ratione etiam perſpicua? Regulæ, in educendis e Scriptura per conſequentiam* typis, *obſervandæ. Ex ipſo Dei* ſilentio *etiam* typi *quidam cognoſcendi. Non omne illud, quod, cum re quadam N. T. analogiam aliquam habens,* extraordinaria *Dei* potentia *vel mandato effectum eſt, pro* typo *habendum. Diluvium* Baptiſmi *non fuit typus. Locus* 1 *Petr.* 3. 21. *explicatus & vindicatus.* Ἀντίτυπον *quid? Viri cujusdam Docti verba excuſata.* Patrum *quorundam, cum de* typis *agunt, rhetoricationes exploſæ.* Diluvium & Baptiſmus σύντυποι. Analogia *rei V. Teſtamenti cum re N. T. utut ſola* typum *non faciat, ad conſtituendum tamen* typum *abſolutè neceſſaria. Analogia totalis non requiritur, ſed ſufficit partialis. Semper excellentius quid in* antitypo, *quam in* typo. *Non ex ſingularum* typi *partium conflictu ſed ex totius comparatione* typi & anti-typi *ſimilitudo æſtimanda. Typi*

 reales

reales *vel* perſonales. *Typorum in* Hiſtoricos & Propheticos *diſtinctio rejecta Typi quidam* compoſiti. *Quo ſenſu unius loci plures* ſenſus *admittendi?* Aretius *contra* Glaſſium *defenſus. Typi etiam* ante lapſum, *& quales?* Paræus *vindicatus.* Arbor Vitæ, *quo ſenſu Chriſti* typus. Cocceji, Burmanni, Witſii *de hoc conſiderationes.* Matrimonium, Paradiſus, *ipſe* Adam *Chriſti & Eccleſiæ ante lapſum* typi. Clemens Alexandrinus *laudatus. Difficultas expedita. An impii etiam* typi? *Patrum quorundam nimia hic liberalitas caſtigata.* Perſonæ *Impiorum* typi, *non eorum* peccata *Verbis Ier.* 51. *&c.* Apoc. 18. 2. *Lux addita* Pharao, Saul, Achab, Sanherib, Babylon, &c. *an Hoſtium Chriſti & Regni* Antichriſtiani. *Conſectaria e ſuperiori* Canone *educta.* Achitophel *an* Judæ *proditoris* typus? *Genus mortis illius incertum. Locus Iudic.* 16. 30. *illuſtratus,* Simſonis *αὐτοχειρία ἀναμάρτητος. In exemplum tamen non* trahenda. *An N.T. etiam* typi *adſcribendi?* Junius & Voſſius *ad partes vocati* Euangelium æternum *qualis liber? Ejus* Autor & errores *putidi. Locus Hebr.* 10. 1. *elucidatus. Varia circa hanc rem obſervanda.* Typorum *ſub N. Teſtamento* uſus *indicatus. Inſtitutione* S. *Scripturæ* obviæ *potiori loco ſemper habendæ, quam* myſticæ vel typicæ. Antityporum *dignoſcendorum ratio explicata. Qualis inter typum & antitypum* ſimilitudo, *ad dignoſcendum* antitypum, *obſervanda.* Unius *rei proprie* unus *tantum* typus. *Chriſtus quo ſenſu, ſolius* Pontificis M. antitypus, *quo etiam* vulgarium *ſacerdotum? Quâ viâ piis V.T. vera* typorum & antityporum, *ratio innotuerit? Cognitionis* typorum *ſub V. T. inæqualis menſura. Etiam minor ordinario, quam quæ eſt ſub N. Teſtamento. Quoad fidei* fundamentalia *ſemper tamen ſufficiens.* Kabbala *Judæorum quid?* Hieronymus *inter Veteres,* Aceluthus *inter Recentiores* juſto ei addictior, Cythræus & Reuchlinus *notati. Omnium* Ceremonialium *enodatio ab Hebræis ei adſcripta.* Menaſſeh Ben-Iſrael, & Joſeph Ben-Gorion, Cythræus,

Digitized by

us, Reuchlinus, Aco *Pulſati*, *Cognoſcendorum typorum* duplex *ſub V. T. modus*, Generalior & Specialior. *Rebus mere* externis *nunquam Deus rite cultus*. *Quod neque ipſi ignorarunt* Gentiles. *Innoteſcebant olim* typi. 1. *Prophetarum* inſtructione. *Collegia Prophetarum cur olim inſtituta? Hebræorum* חַכְמֵי הַמֶּחְקָר *qui?* ἐξιχνιάζειν & συζητητὴς *quid?* Philo Judæus *notatus*. Origenes *ad partes vocatus*. Therapeutæ *apud antiquos qui?* *Non* Chriſtianis *ſed* Judæis *accenſendi*. *Legum Moſaicarum corruptores magis fuerunt, quam explanatores*. 2. Propriâ typorum conſideratione. 3. Divina mentium illuſtratione. 4. Indeſinenti precum profuſione. *Exercitationis concluſio*.

SECTIO I.

I. HAud exigui momenti neceſſitatiſque res eſt Indagatio naturæ *Typorum* Sacrorum, quibus quippe adeo copioſe uſus eſt Deus in V. Teſtamento, ut univerſa fere ejus ratio τυπικὴ ſive figurativa fuiſſe videatur; *Vetuſque* Teſtamentum, ut loquitur *Auguſtinus*, occultationem *Novi* dixeris, *hoc* revelationem *Veteris*; vel *Novum* infuiſſe *veteri* ut rota una, quam vidit *Ezechieli*; inerat alteri rotæ; quâ ſimilitudine utitur *Gregorius*. Imo exerte Munſterus; *Nihil traditum eſſe in* Novo *Teſtamento quod non antea Moſaicæ legis* typis *fuerit adumbratum*. Nonne enim *Adam*, *Noe Melchizedek*, *Iſaac*, *Ioſeph*, *Moſes*, *Propitiatorium*, *ſerpens æneus &c.* expreſſimi fuerunt *typi* & umbræ, quæ ſalvatorem Chriſtum μακρόθεν præſignificarunt? Necdum enim placebat tùm Deo Eccleſiam ſuam aperta myſteriorum ſuorum detectione gubernare; ſed, prout in mundi primordi tenebras premiſerat, ſic etiam filium ſuum Patriarchis variarum *umbrarum* faſciis involutum conſpiciendum prius dare, quam ſine integumento ſanctum ſuum Euangelium iis promulgare, ere eſſe duxit.

Auguſtin. de civitat. D. lib. 16. cap. 26.

Gregor. in Ezech. Hom. 6.

Munſter. in Præfat. in Vet. Teſt. F.

II. Cujus quidem Diſpenſationis hæc primaria ratio fuit, quod omnia, quæ de *Chriſto Meſſia* tum temporis denunciabantur, vel ſpiritualia eſſent, vel multo poſt demum eventura, eoque oportuerit carnali Populo res ipſas ſpirituales futuraſque carnalibus etiam inculcari documentis, id eſt, talibus quæ notiora & propinquiora ipſis eſſent analogice. Infans & tenella tunc Eccleſia adhuc

Digitized by Google

adhuc erat, & recens quaſi ex ephebis egreſſa, quæque adeo non melius, quam inſtitutis ac præfixis variorum *typorum* figurarumque rudimentis, ad captum ſuum compoſitis, ſenſim ac paulatim ad veram rerum ipſarum imaginem & ſubſtantiam Chriſtum (qui omnium *typorum* antytipus imo ipſa *veritas* eſt) traduci poterat. Nempe occultare ſic tum viſum fuit Deo gloriam ſuam per *typorum* velamen, donec ipſa accederet *Veritas* Chriſtus, qui ut glorificat Patrem. Joh. 17. 1. & 15. & is eſt, in quo gloria Dei ſeipſam exerit, ita etiam conveniens erat, ut, cum illo exhibito, gloria Dei manifeſta imprimis fieret. 2 Cor. 3. 13. 18. Prout erudiendi & monendi hoc pacto omnes illi erant, in quos fines ſæculorum devenerant, cum ad *typorum* Divinorum complementum attenderent, quam verax, potens, futurorum præſcius, multifariam ſapiens Deus ſuus erat, quem colebant, & in quem omnem animæ ſuæ fiduciam reponebant. Atque ita gratioſæ Dei promiſſiones quaſi per gradus erant diſpenſandæ, earumque progreſſus cum progreſſu temporis paulatim exhibendus, quemadmodum ſi lucem e longinquo paulatim appropinquantem videris. Ab *Adamo* primum ad Abrahamum uſque fœderis promiſſionumque ſubſtantia, quæ ad electos omnes pertinet, obſcuriſſime fuit expoſita; ab eo ad *Moſem* evidentius; amplius *a Moſe* ad *Davidem*; luculentius a *Davide* ad tranſportationem Babylonicam; illuſtrius a tranſportationis tempore ad Chriſtum; a *Chriſto* denique luculentiſſime ad ſecundum ejus adventum. Adeo ut, licet verum ſit, luculentiſſimam noviſſimis hiſce temporibus docendi rationem Deum obſervare, dici tamen non poſſit, cum antiquiſſimis etiam diebus tali, in erudiendo Populo ſuo, inceſſiſſe viâ, quæ non clara tantum, ſed & *clariſſima* vocari digna ſit. Habuit tamen & uſum ſuum *obſcurior* inſtituendi is modus; admonebat quippe inter alia (de quibus poſtea) aliam aliquando expectandam eſſe doctrinam, quæ dilucidior & explanatior eſſet. Deut. 18. 18.

Joh. 14. 6.

Turretin. Inſtit. Theolog. Elenct. part. 2. p. 163.

III. Vocabulum *Typi* πολύσημον eſt: Originaliter notat figuram vel veſtigium; idque tale quidem, quod *percutiendo* fit, ut effigies cuneo inſculpta *percutiendo* numiſmati imprimitur; ita Joh. 20. 25. mentio fit τύπȣ ἥλων, *veſtigii clavorum*. Derivatur enim a τύπτω, *verbero*, *percutio*. Significat etiam operis futuri rudem delineationem & adumbrationem, a qua ordiuntur artifices. Sic dicuntur ſæpe ὡς ἐν τύπῳ quid agere, id eſt, neglectim,

a Ariſtot. Ethic. lib. 2. cap. 7.

glectim, incomplete, pinguique Minervâ; unde & oppoſita apud *Ariſtotelem* ſunt τύπῳ λέγειν & ἀκριβῶς διορίζειν. Facit huc *Agellii*, de Varronianâ Induciarum deſcriptione, locus: *Non fuit* (inquit) Varroni *negotium, ut inducias ſuperſtitiose definiret, & legibus rationibusque omnibus definitionum inſerviret, ſatis enim viſum, ejuſmodi facere demonſtrationem, quod genus Græci* τύπους *magis &* ὑπογραφὰς, *quam* ὁρισμοὺς *vocant.* Sumitur aliquando etiam Politicè, quandoque etiam Medice. Galenus Librum ſuum de formâ ac ordine, qui per acceſſiones remiſſioneſque in morbi temporibus obſervari & notari ſolet, περὶ τῶν τύπων inſcripſit. Ne addam per Τύπον non raro deſignari formulam, ad quam aliud quippiam depingitur, quales habent pictores & ſculptores, quas fingendo pingendoque imitantur: Ita *Moſi* mandatum erat, ut Tabernaculum extrueret κατὰ τὸν τύπον, ὃ ἑώρακει, *juxta exemplar, quod viderat.* Sed non inſiſtendum hiſce ſignificationibus, quippe ad rem præſentem parum facientibus.

Agell. lib. 1. cap. 25.

Martin. Lex. Philolog. in voc. Typus.

IV. Propius ad ſcopum accedit τοῦ τύπου notatio, quâ vel *Generalius* indicat qualemcumque figuram, imaginem, ſimulachrum, effigiem, eamque vel fictam, vel pictam, vel ſculptam, vel quavis alia imitatione expreſſam. Hoc ſenſu voce eâ utitur *Lucas* Act. 7.43. Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ἡμῶν Ῥεμφὰν, τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. *Imò bajulaſtis Tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Remphan, quas figuras* (τύπους) *feciſtis, ut eas adoraretis.* Nec non *Iſocrates*: Ὅτι τοῖς μὲν τύποις ἀναγκαῖον παρὰ τούτοις εἶναι μόνον παρ' οἷς ἂν σταθῶσιν. Ubi quos hic vocat τύπους paulo ante τῶν σωμάτων εἰκόνας nominarat. Quapropter neque ſimplicis *Indicii* vox in rebus Sacris cum *typo* confundenda eſt, quaſi omne id, quod rem vel perſonam aliquam indicat, mox *typus* ejus eſſet. *Hic* enim tam late minimè patet quam *illud*; hic *ſpecificum* quid eſt, quod ſub illo tanquam *genere* ſuo comprehenditur; omnis quidem Typus *indicium* eſt, ſed non omne *indicium* typus, niſi *typi* vocabulo perquam latè & ἀκυρολόγως ſumpto. Quod obſervandum hic eſt, ut Viri cujuſdam non indocti detegatur error, qui, ne in *Brouwniſtarum* partes, in rejiciendis *Orationum formulis*, ſe ſeceſſiſſe non demonſtraret, odium conflare *Liturgiæ* noſtræ pu-

Iſocrat. in Evagr. Encom.

Digitized by Google

bliciæ inſtituit; eo quod in *Precatione*, ante adminiſtrationem *Baptiſmi* concipi ſolita, extare quid putet, quod a communi Reformatorum doctrinâ recedit. At quid hoc eſt? Habet illa hæc verba: Quod *per Diluvium* & *Rubrum mare* Baptiſmus *indicetur*, vel juxta verſionem Latinam, *figuretur*; ſtatuitque adeo, ut putat, Sacramenta V. T. qualia fuerunt *Diluvium* & *rubrum Mare*, typos Sacramenti Novi T. id eſt, *Baptiſmi* fuiſſe, cui hypotheſi, ut obtendit, omnes Reformati reclamant. Sed confundit vir Bonus *indicare* cum *adumbrare*, *indicium ſimplex* cum *typo*. Fiat argumentum, & patelcet hallucinatio: Quod *indicat* Baptiſmum eſt *typus* Baptiſmi, Diluvium & Mare rubrum *indicant* Baptiſmum, ergo. Negatur illa major. Quæ falſiſſima eſt, niſi *indicium* & *Typum* ſemper ac ſpeciatim *huc* coincidere, legitimè adſtruatur. Abſit, ut *Precationis* illius autores *Diluvium* &c. Baptiſmi *typum* conſtituere intenderint; innuere tantum voluerunt, inter *hunc* & *illa* ſimilitudinem quandam eſſe, ſic ut hunc per *illa*, tanquam per *ſignum*, qualitercunque repræſentatum & effigiatum eſſe dici poſſit. Ipſe etiam *Precationis* contextus *typum* non infert: non dicit *per quæ* (Diluvium &c) Baptiſmus *adumbratur*, *præfiguratur*, Belgicè *voorgebeelt wordt*; ſed *indicatur*, *beduyt wordt*. Germanicus textus, qui originalis alias habetur, dicit *bedeutet wordt*; quod differt van *ein furbild zu ſeyn*. Interpretatio Græca per ὑποτύπωσιν exprimit, quam vocem *Vulgata* vertit per *formam*; multi etiam per *veritatis* vel *pietatis* ſummam & *compendium*. 1 Timoth. 1. 16. 2 Tim. 1. 13. nulli, quod ſciam, per τύπον proprie dictum, id eſt, rem ſive figuram ſpirituale aliquid *futurum* præſignificantem. Vel *Specialius* ejuſmodi tantum rerum Veteris Teſtamenti *figuram* vox *typi* ſignificat, quæ ad Chriſtum Servatorem adumbrandum ordinatæ ſunt. Et ſic in Scripturâ fere coincidit cum voce σκίας *umbræ*, ὑποδείγματος *exemplaris*, σημείου ſigni, παραβολῆς *ſimilitudinis*. Coloſſ. 2. 17. Heb. 10. 1. & 8. 5. &. 9. 9. Matt. 12. 39. Habetque pro correlativis voces ἀντιτύπου, εἰκόνος τῶν πραγμάτων, τῶν ἐπουρανίων, vel etiam ἀληθείας. Heb. 9. 24. Pſal. 2. 17. Heb. 10. 1. Joh. 1. 17. & 14. 6.

V. *Typi* nomenclatura, latiori ſumpta ſignificatu, ſæpe etiam *Allegoriis*, *alluſionibus*, nec non omnibus rerum, perſonarum vel Hiſtoriarum Vet. Teſtamenti *accommodationibus* & *applicationibus* inſcribitur; prout neque negari poteſt, in ipſis Scripturis eam,

ge-

Digitized by Google

generalius nonnunquam uſurpari. Exemplum extat. 1. Cor. 10. 6. Cum enim locutus ibi eſſet *Paulus* de plurimorum Iſraëlitarum in Deſerto caſu, ſic tandem concludit: *ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. Hæc autem in figurâ facta ſunt noſtri*, vel *figura noſtra fuerunt*, ut vertit Cyprianus; vel ut Beza; *Hæc Typi noſtri fuerunt*: Cum tamen pæna illa ejus, quod vel nobis vel *Corinthiis* eventurum eſſet, *typus* ſtricte dictus minimè fuerit, ſed *exemplum* tantum, ſive *admonitio*, curam noſtram ſollicitans, ne eadem, quâ dicti Iſraelitæ, ratione in Deum peccemus, ſimilique cum ipſis modo plectamur & pereamus; juxta Hebræorum effatum, quod ex *Moſe Gerundenſi* citat Druſius: *Quicquid accidit Patribus ſignum eſt filiis.* Quare & ſunt, qui Caſtalionis verſionem, quæ habet *Hæc nobis* exempla *prabent*, ei, quæ Bezæ eſt, prætulerunt; ut & Tertulliani, *Hæc nobis* exempla *ſunt facta.* Sic poſt multos alios Doctiſſimus etiam *Suicerus*, in aureo ſuo *Theſauro*, nuperrime edito, quem videre adhuc contigit, antequam typis hæc mandarentur. Alioqui palpabilem ſatis inter Exemplum, Alluſionem, Allegoriam & *Typum* differentiam eſſe, quis ignorat? *Typus*, notante Magno Riveto, eſt, *cum factum aliquod a Veteri T. accerſitur, idque oſtenditur præſignificaſſe ſive adumbraſſe aliquid geſtum vel gerendum in N. Teſtamento*; Allegoria *vero, cum aliquid ſive ex Veteri ſive ex Novo T. exponitur atque accommodatur novo ſenſu ad ſpiritualem doctrinam ſive vitæ inſtitutionem.* Typus *conſiſtit in factorum collatione, & totus Hiſtoricus eſt*; Allegoria *occupatur non tam in factis, quam in concionibus & verbis.* Typus *ad certas res refertur, de Perſonâ Chriſti, de Eccleſiâ, Lege & Euangelio, & in anguſtum contrahitur*; Allegoriæ *non ſolum in Hiſtoriis & geſtis ſpectantur, ſed etiam in præceptis, Typi non item.* Reſtringit, ut liquet, *Rivetus* Allegorias ad *conciones & verba*, facta vero ab iis removet; & jure quidem: vulgare enim id eſt in *Rhetorum* Scholâ. Ita Quintilianus: Ἀλληγορία, *quam inverſionem interpretamur, aliud* verbis *aliud ſenſu oſtendit.* Troporum enim affectio eſt, qui non *rebus* aut *factis*, ſed ſolis *verbis* & orationibus conveniunt. Hinc Voſſius: *Allegoria eſt tropus ſive oratio e pluribus tropis contexta.* Quare fruſtra ſunt, qui Allegorias in *Rhetoricas* & *Theologicas*, *Verborum* & *Rerum* diſpeſcunt; *Rerum* enim *Allegoria*, ſive, ut eam deſcribit Jeſuita Sandæus, *quando rebus in Veteri Lege geſtis Teſtamenti Novi myſteria ſignificantur*, non eſt *allegoria*, ſed proprie dictus *typus.* Et quid Allegoria *verborum* tum eſt? eſt ne & illa verus *typus?* Et ſi ſic, cur *Rhetorica* tum dicitur,

Philipp. 3. 17. 1 Theſſ. 1. 7. 1 Pet. 5. 3.

Druſ. Præterit. lib. 6.

Caſtal. in 1 Cor. 10. 6.

Tertull. adv. Marc. lib. 5. cap. 7.

Suicer. Theſ. p. 2. p. 1342.

Rivet. in Præf. ad. Pſalm. 45.

Joh. Gerard. Locc. Theol. Tom. 1. pag. 37.

Jun. Parall. lib. 1.

Quintil. Inſtitut. Orat. lib. 8. pag. m. 452.

Voſſ. Rhetor. Contract. lib. 4. cap. 9.

Sandæ. Grammatic. pag. 853.

Digitized by Google

contradiſtinctè ad Allegoriam *Theologicam*; vel an ipſa *Rhetorica* habebit etiam *typos*? Si impropriè Allegoriam *verborum* typum eſſe dicas, verus tum *typus* non eſt. Quod enim *improprie* quid eſt, revera non eſt, quod eſſe dicitur: quod *improprie* aurum eſt, non eſt aurum; quod *improprie* ignis eſt, non eſt ignis; qui *impropriè* Deus eſt (urgemus hoc paſſim, quoad Chriſtum, contra Socinianos & Remonſtrantes) non eſt Deus. Utcunque ergo Apoſtolus τȣ͂ τύπȣ vocabulum ad *exemplum dehortatorium* indicandum etiam traduxerit, non tamen niſi valde catachreſtice id fecit. Prout neque aliâ ratione ejuſdem vocis nomenclatura *Allegoriis*, *Alluſionibus*, & neſcio quibus non Rerum Vet. Teſtamenti ad eas, quæ Novi ſunt, *accommodationibus* inſcribi poteſt. Diſertè *Voſſius*, cui ſchematum & figurarum ratio, ſi cuiquam, perſpecta fuit: *Utitur* (inquit) *Allegoriæ voce Apoſtolus ad Gal. cap.* 2. *verſ.* 14. *ubi duabus Abrahami uxoribus Sara & Hagar* ἀλληγορικῶς *dicit ſignificari Teſtamentum V. & Novum, ſed tunc* καταχρηστικῶς *allegoria pro typo accipitur.* Quodſi tamen volupe cuipiam ſit, ſenſu tam generali *Typi* notionem hic ſumere, hæreſeos dicam ea propter ipſi non ſcribam, modo ne dedignetur, ſi concipere non poſſim, non niſi planè ἀκύρως ab ipſo id fieri, conceptuumque eâ viâ in *Typorum* hoc negotio formandorum ἀκρίβειαν minime juvari, ſed non parum ſæpe involvi & conturbari.

Voſſ. Inſtit. Orator. lib. 4. pag. 193.

Spanhem. Dub. Euang. part. 2. pag. 518.

VI. Strictius ergo, & ex uſu Scholarum vocabulo ſumpto, *Typus* nihil aliud eſt, quam *iſtiuſmodi rei ſignum, figura, vel imago, quâ in Vet. Teſtam. ex intentione Spiritus S. ſive Meſſiæ perſona, ſive actus ſive paſſiones ejus, vel quodcunque geſtum vel gerendum in Novo T. ipſum reſpiciens, præfiguratur vel adumbratur, ad* fidem & pietatem *promovendam.* Dico (quod notari velim) *Typum* eſſe figuram vel imaginem *rei*, &c. ſumptâ *rei* voce generaliori ſignificatu, quo *facta* ſimul & *perſonæ*, quæ in Veteri T. ut *umbra* ſacræ occurrunt, comprehenduntur. Certum enim alias eſt, contradiſtingui fere in hoc negotio a Theologis *perſonas*, *facta* & *res*, ſicut & ipſe ea diſtincturus poſtea ſum. Sed videbatur id Definitioni (quam brevem eſſe oportet) minus convenire; præſertim cum nemini non conſtet, *facta* & *perſonas* ad *Rem*, ut genus generaliſſimum, referri etiam poſſe, imò debere.

VII. Atque hoc tum ſenſu nullus niſi rerum *futurarum* typus eſſe poteſt. Neque enim aliter res *Novi* Teſtamenti portendi

Digitized by Google

di per res *Veter.* Teſtamenti poſſunt, quam ut *non præſentes* ſub Veteri, *futura* demum ſub Novo Teſtamento: Addo *futura ſub N. Teſtamento.* Tametſi enim negari non poſſit, tempore ante-legali vel ſub Lege, perſonas, res vel facta quædam extitiſſe, quæ res quaſdam, quæ contigerunt ſubſequentibus, ad Veteris tamen Teſtamenti œconomiam pertinentibus temporibus, propter ſingularem, quam cum illis forte habuerunt convenientiam, repræſentare aptæ natæ fuerint, nullibi tamen liquet, Deum illa in harum *typos* unquam ordinaſſe; quod ad conſtituendum *Typum* opus tamen eſſe, mox demonſtrabitur. Teſtatur quod dico Gentium Apoſtolus, qui exertim de *Lege*, quod umbram *habuerit* τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, *futurorum bonorum.* Heb. 10. 1. Et *Chryſoſtomus*: Ἀληθείας παρούσης ὁ τύπος ἄκαιρος, id eſt Præſentis *veritatis* typus *intempeſtivus eſt.* Nec non Nazianzenus: *Proinde* legem *tantummodo* futurorum *ac intelligendorum* umbram *eſſe, ante nos Divinus oſtendit Apoſtolus.* Quapropter toto hactenus errarunt cælo quotquot, præter *futurarum rerum, præteritarum* quin *præſentium* quoque *umbras* typoſque excogitarunt. Quos inter cenſendus præcipuè eſt *Junilius*, Epiſcopus Africanus, qui ſeculo Quinto claruit: hic *Typum* deſcribit, quod *ſit præſentium, præteritarum ac futurarum rerum ignotarum per opera, ſecundum id quod opera ſunt, manifeſtatio.* Hunc ſecutus eſt *Flaccus Illyricus*, licet parum ſibi conſtans. Dum enim *Clavis Script.* part. 2. pag. 334. de *Typis* dicit, quod ſint actiones, vel res, aut etiam perſonæ, quæ olim ad hoc ipſum a Deo propoſitæ ſunt ut *futura* quædam depingant: alio tamen loco, pag. nempe 215. *Junilii* hanc *Typorum* diſtributionem, in rerum *præſentium, Præteritarum & Futurarum*, ipſis pene verbis adoptat. Sic meminit quorundam etiam *Glaſſius*, qui *tridem* pro rei iſtiuſmodi *præterita*, id eſt, antegreſſi *Diluvii* typo habuerunt. Ut etiam Huetius Apollinem *Jubalis*, Vulcanum *Tubalcaini*, Bachum *Noachi & Nimrodi* typos dicit; licet hi illos longo tempore anteceſſerint. Prout neque deſunt, qui *præteritarum* rerum *prophetias* etiam inexerunt, argumento loci, Matt. 26. 68. *Prophetiza quoque, Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?* At per *prophetare* tum nihil aliud intelligunt, quam *ſignificare & indicare*; quo & exempla tantum faciunt, quæ vulgo allegant. E. G. de *Samuele* Saulis aſinas inventas eſſe, ſignificante; de *Elizæo* quæcunque inter *Nahamanum Syrum* & *Giezi* pacta erant, perſpecta habente: Oppoſitum alias in oppoſito procul dubio eſt prædicere vel *Prophetare* quic-

Heb. 9. 11.

Chryſoſt. oper. Tom. 5. *homil.* 149.

Nazian. Orat. in S. Paſcha.

Iunil. de partib. legis, cap. 16.

Bellarmin. de Scriptor. Eccleſ. pagin. m. 166.

Macarius Homil. 30.

Flacc. Illyr. Clav. S. Scriptur. pag. 215. & 334.

Huet. Demonſtrat. Euang. pag. m. 219. 220.

Glaſſ. Philol. Sacr. lib. 2. *part.* 1. *Tract.* 2. *Sect.* 4. *art.* 2.

Digitized by Google

quam, quod jam contigit modo, antequam prædiceretur. Jam vero *Typi prophetiæ* ſunt veluti reales, ut Prophetiæ typi *verbales*, adeoque ambo *de futuris* tantum, non *de præteritis*:

Ovid. Triſt. 1. Eleg. 8.

Augurium ratio eſt & conjectura futuri.

Neque plus ſapiunt, qui *præſentium* rerum *typos* quoque crepant, referentes eo Prophetæ *Eliæ* exemplum, de quo *Jacobus* Ep. cap. 5. verſ. 17. Ἠλίας ἄνθρωπος ἦν ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, καὶ προσευχῇ προσηύξατο τοῦ μὴ βρέξαι, καὶ οὐκ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς ἐνιαυτοὺς τρεῖς, καὶ μῆνας ἕξ. *Elias homo erat ſimiliter paſſibilis nobis, & oratione oravit, ne plueret, & non pluit ſuper terram annos tres, & menſes ſex.* Hunc (inquam) *typum* rei *præſentis* ſive *continuæ* quidam faciunt; exemplumque ejus *figuram* certæ precum, quæ a fide profectæ ſunt, exauditionis, tam diu ac ipſam Dei Eccleſiam duraturam. Addunt alii *Aaronis veſtem*, qua duodecim *Tribuum* nomina, lapidibus inſita, geſtitabat. Adhuc alii panem calicemque *Euchariſticos*, quorum in *Cœna* participes ſimus, corporis & ſanguinis Chriſti typos eſſe volunt, ut *Circumciſionem* olim fœderis Divini. Gen. 17. 10. Ita Cyrillus Hyeroſolimitanus aliique. Omni eorum errore hinc pullulante, quod *ſignum* ſive Sacramentum & *Typum* cum ſe invicem confundant. Audiſis de diſcrimine horum ſat manifeſto Doctiſſ. *Cameronem* ſic loquentem: Typus *hoc differt a* Sacramento, *quod* Sacramentum *nullum alium habeat uſum, quam ut ſignificet & obſignet. Verbi gratia, non baptizamur ut abluantur ſordes corporis, nam domi id poteſt multo commodius fieri; neque vero cum accedimus ad S. Cœnam, conſilium noſtrum eſt, ut edamus &* bibamus. *At* Typorum *diverſa ratio eſt, nam ſignificant* illi *quidem, ſed & alium habent uſum: ut, ne abeamus longius,* tranſitus per mare *ſignificabat quidem liberationem, quæ nobis obtingit per Chriſtum, ſed & aliquid præſtabat revera, nempe ut pateret exitus Populo Iſraelitico, qui alia via non potuit patere.* Addit Clar. *D. Hulſius* (quod maximè ad rem præſentem facit) hoc inter *Sacramentum* & *Typum* intereſſe: Quod *Typus* repræſentet *gratiam* futuram, *ſeu media gratiæ obtinendæ per Chriſtum & idcirco, novâ Oeconomiâ per Chriſtum introductâ, abrogandus ſit: Præſente enim corpore ceſſant umbræ. Nec figuræ ullus uſus eſt, ubi res figurata plene poſſidetur. At* Sacramentum *obſignat gratiam* præſentem. *Quod enim beneficium fides animæ obſignat illud debet eſſe virtualiter* præſens, *tametſi media, quibus id acquiritur ſuo demum tempore ſint exhibenda.* Signa alias rerum tam *præteritarum* quam *præſentium* etiam eſſe, nemo eſt qui dubitat:

Cyrill. Hieroſolymit. in Catecheſ. Νεοφωτίστων.

Cameron. Myrothec. pag. m. 213.

Amyrald. de Diſcrim. Sacrament. §. 17.

Hulſ. Nucl. Prophet. part. 2. in Introduct.

Beza in Tract. Theolog. vol. 1. pag. m. 242.

Hoc

Digitized by Google

Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem,
Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ. Iuvenal. Sat. 14.

Sed *demonſtrativa* ea tantum ſunt, vel *rememorativa*, minime *prognoſtica*, qualia ſunt *Typi*. Omnis *Typus* ſignum eſt, ſed non omne ſignum *Typus*. *Stella* in *Oriente*, tempore nativitatis Chriſti oborta, *ſignum* Chriſti fuit, *typus* ejus non fuit. *Sabbata*, de quibus Deus Ezech. 20. 12. 20. *ſigna* fuerunt, quod Populi ſui Deus eſſet, eumque ſanctificaret, *Typi* ejus non fuerunt; quia neque gratioſum Dei Fœdus, neque Populi ejus ſanctificatio res erant ſub N. T. demum *futura*, ſed ſub V. T. jam modo *præſentes*. Peræque enim populi ſui antiqui Deus erat, eumque ſanctificabat, ac Novi Deus foret, illumque ſanctificaret. Dicuntur, fateor, *Sabbata* illa אותות *ſigna*, ſed vox illa generalis eſt, notatque non tantum ſignum *præfigurativum*, quale eſt *typus* proprie dictus, ſed (autore Clar. Coccejo) *omne illud, quod aliam rem præteritam* (*Num.* 17. 3.) *præſentem, futuram, quæ non apparet, indicat, eamque facit in mentem venire.* Coccej. Lexicon. pag. 18. Eſt quidem, quod *Sabbatis* V. T. ipſi quoque Hebdomadali, præſertim ſi obſervandi ejus modum ſpectes, *typici* quicquam ſubfuerit; ſed *typicam* illam σχέσιν hoc *Ezechielis* loco indicari non puto, qui quippe, ut dictum eſt, nihil *futuri* innuit, ſed id tantum, quod tum modo actu extabat, *fœdus Gratiæ* verſ. 20. & Populi juxta illud per Spiritum Dei Sanctificationem. verſ. 12. Atque hæc quidem haud bene ſatis perſpecta anſam aliquibus præbuere, ſtatuendi, cultum *Legalem* in V. Teſtamento ipſius cultus *Spiritualis*, qui *Legali* illi coëxiſtebat, *typum* etiam fuiſſe, cum ejus *ſignum* tantum fuerit, non *typus*; non magis, quam Baptiſmus externus pro ablutionis peccatorum per ſanguinem & Spiritum Chriſti *typo* eſt habendus. Nec bene excipitur ad locum Heb. 10. 1. Apoſtolum, cum umbrarum *futurorum bonorum* mentionem facit, de iis tantum *typis* id intelligere, quos *Lex* habet; quoniam, utcunque de iis ſingulariter quidem agat, reliquos tamen minime excludit, e contra neceſſario eos involvit, cum ſimilium ſimilis eſſe ratio debeat; & *Typi* (liceat ſic loqui) *extra-legales* & *legales* in hoc quod *typi* ſunt, formaliter non diſtinguantur. Dici forte poſſent bona, quæ in V. T. extiterunt, Ceremoniarum *figurata*, non *præfigurata*; quod *præfiguratio*, quæ proprie *Typi* eſt, ex vi vocis non niſi *futurum* reſpiciat.

VIII. Quemadmodum neque mera inter rem & rem analogia *Typum* facere poteſt. Quod probe obſervandum eſt; quia contraria

Gulich. Theolog. Proph. part. 1. pag. 12. 13.

traria hypotheſis errandi origo plurimis fuit ; qui neſcio qualium non rerum *typos* temere commenti ſunt, imò in quocunque pene V. Teſtamenti puncto Servatorem Chriſtum deliteſcere exiſtimarunt, *typos* typorum & imagines imaginum fabricantes. Hinc Origenis Ambroſiique inſanabile *allegorizandi* cacoëthes, de quo *priore* olim Hieronymus, quod *allegoricus ſemper fuit interpres, Hiſtoria fugiens veritatem, ingeniique ſui acumina habens ut Eccleſiæ Sacramenta.* Hinc Papicolarum aniles nugæ. Hinc Jeſuita Gretzerus *quercum*, in quâ Abſolon capillis pependit, Crucis Dominicæ, imo ipſum *Abſolomum* Chriſti, alii *Jephta Filiam* Eccleſiæ, *Virgam Aaronis* Mariæ, *Davidis Filium* Pontificis Romani, quin imo univerſas ſingulaſque V.T. Hiſtorias rerum geſtarum N.T. *typos* conſtituerunt. Sine fundamento ſane, utinam ſemper etiam ſine Eccleſiarum & ædificationis notabili diſpendio! Evenire enim hac viâ facile poteſt, ut univerſa S. Scriptura in meram tandem allegoriam abeat, hominesque, dum totos cudendis *typis* figuriſque ſe tradunt, a ſolidâ Chriſti cognitione, quin & ſeria pietatis praxi, magno numero abducantur. Præterquam quod eâdem audaciâ Scripturarum authoritas non parum labefactanda ſit, cum ſuſpicaturi facile homines ſint, nihil eam certi continere, ſiquidem liberum ſit, ad quamvis fere rem qualemcunque interpretationem aſſuere. Quapropter a temerariâ hac typificandi prurigine omnes pene tum ex Antiquis Patribus tum ex recentioribus Doctoribus probatiores & ſaniores non ſine ratione ſemper abhorruerunt. Quod per Autorum aliquot ſuffragia hic diducere operæ pretium erit, ut manifeſtum fiat, quam procul a Majorum & ſummorum Virorum tum modeſtia tum prudentiſſima Scripturas tractandi ratione recedant quotquot audaciores hic eſſe nonnunquam geſtiunt. E *Veteribus* primas hic tenent *Auguſtinus* & *Nazianzenus*, qui media incedere via ſatius habuerunt, quam *typorum* figurarumque numerum nimium multiplicare. *Mihi autem* (inquit Prior) *ſicut multum videntur errare, qui nullas res geſtas in eo* (Prophetico) *genere litterarum aliquid aliud præter id, quod eo modo geſta ſint, ſignificare arbitrantur, ita multum audere, qui* prorſus *ibi* omnia *ſignificationibus allegoricis ſive* typicis (hæc enim coincidunt fere Auguſtino) *involuta eſſe contendunt.* Et Poſterior: *Nos media quadam via inter eos, qui craſſiore omnino ingenio ſunt, & eos, qui nimio contemplationis & anagogæ ſtudio ducuntur* (τῶν ἄγαν θεωρητικῶν τε καὶ ἀνηγμένων) *incedemus, ut nec*

Irenæ. lib. 3. cap. 35.

Hieronym. in Eſ. 57.

Scultet. Medull. Patr. pag. 125.

Gretz. de Cruc. cap 6.

Auguſtin. de Civit. D. lib. 17. cap. 3.

Nazianzen. Orat. in S. Paſcha.

pror-

prorſus inertes nec torpidi maneamus, nec rurſus curioſiores ſimus, quam par ſit, atque a propoſito argumento excidamus. E quibus primum Judaicum *eſt, alterum vero* ſomniorum interpretationi *ſimile; utraque vero rejicienda.* E *Modernis* audiatur Gomarus: *Variorum Patrum* allegorias *ſectantium ſtudium* (dicit) *veniam potius, quam imitationem meretur; quia Scripturæ ſimplicitas eo modo contemnitur, & commentis humanis indigne corrumpitur.* Rivetus: *Non imitandi ſunt, qui apud Chriſtianos ſingulos verſus & pene ſingula verba ad Chriſtum trahunt, &, ſi directe ad litteram non poſſint, ſaltem ſenſus myſticos excogitant. Et quicquid ad Hiſtoriam de* Judæâ, Babylone, Philiſtæis, Moabo, Damaſco, Egypto, Idumæâ &c. *dicitur, de Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus interpretantur; quod fieri non debere, recte docet Auguſtinus.* Fullerus: *Luxuriarunt veteres* Allegoriis, *ut non ſolum Ceremonias (ubi commode locum habent) ſed univerſum Scripturæ textum, ipſaque Hiſtorica & apertiſſima quaque ſuis interpretationibus, quaſi materiam primam in formas innumeras imo deformitates prodigioſe transfigurarint. Quo imprimis videntur ſpectare verba Apoſtoli, Titum jubentis, ut moneat Cretenſes:* Ne attendant Judaicis fabulis *cap.* 1.14. Gathakerus, dum, digitum *in Ludovicum Capellum* intendens, ſic diſſerit. *Quin neque religioſius paulo, etiam citra ſuperſtitionem affectis probaturum exiſtimo ſtudium ſuum quoad Hiſtoriam Sacram in Allegorias deducendam, tam ſollicitè ſeduloque cohortatur Theologiæ Studioſos; quo utique quidlibet ex quolibet deſingendi anſa datur, & petulantibus, in quo liberè exſpatientur pro lubitu, ingeniis campus ampliſſimus exporrigitur.* Et alibi: *Quod Vir Doctiſſimus in Exercit. ad Loc.* Zoharis *Hiſtorias, quæ in Locis V.T. Hebraicis præcipue habentur, reſque geſtas omnes, non ab Apoſtolo tantum hoc loco* (reſpicit textum 1 Cor. 10. 1.) *hoc ipſo ſenſu* typicas *fuiſſe, utpote quod aperte dixerit Apoſtolus, ex verbis hic allatis enixe contendit. Quem ergo Scriptorem ..... quum ſummopere ſuſpiciam, miror impenſe animum inducere potuiſſe, ut in rapſodi Judæuli illius nugamentis putidiſſimis, neniiſque futiliſſimis, quibus Paginæ Sacroſanctæ dictio irreverentiſſime & irreligioſiſſime habetur, dum ab impio atque impuro nebulone, quo ingenioli ſui inficetiſſimi vanitatem exerceat, miſerrime deartuatur, dum tanquam fidiculis adhibitis, huc illuc torquetur & ad Vertumni Protheique inſtar, in figuras alias ab aliis tranſire, ac quaſi neuroſpaſton ludicrum aliquod, formas quasvis induere cogitur, recenſendis explicandiſque bonas horas tot collocaret.* Neque aliter ex ipſis τοῖς ἔξω magnus Judæorum Magiſter *Aben-Ezra*: qui, licet Gentis ſuæ delicias eſ-

Gomar. Oper. Tom. 1. pag. m. 423.

Rivet. Præfat. in Hoſeam. Et in Geneſ. Exercit. 104.

Fuller. Miſcell. Theol. lib. 3. cap. 7.

Gathak. Adverſ. Pag. m. 23. cap. 4.

Digitized by Google

Aben- ſe non ignorare, typis figuriſque multiplicandis ludere, inſanam
Eſr. ap. Iu- tamen quorundam hac in re petulantiam, apertè improbavit. Eo-
nium Paral- rum via tenebroſa *eſt* (inquit) *& caliginoſa, imo vero toto cælo er-*
lel. pag. m. *rant, qui comminiſcuntur ex animo ſuo arcana ſingulis in rebus: quorum*
1391. *denique fides eſt hæc, Leges ipſas Judiciaque eſſe ænigmata. Neque ora-
tione longa uſurus ſum, ut reſpondeam eis, quia fallitur animus eorum, &
verba eorum nihil habent commune cum æquo & bono.* Nec non Doctiſſ.
inter Pontificios Commentator *Sasbontius*, cujus hæc verba ſunt: *Si*
Sasbout *omnia illa* (loquitur de omnibus omnium factorum in N. Te-
in Eſai. in ſtamento Scripturarumque particulis, modis, circumſtantiis)
præfat. de *ſuam habeant & propriam Allegoriam* (σχέσιν τυπικὴν) *Lex vetus non*
Script. Senſ. umbra *fuiſſet &* typus *ad legem novam, ſed* imago, *quod eſt contra
Apoſtolum. Heb.* 10. *Lex non eſt* imago, *id eſt, abſoluta expreſſio, ſed*
umbra, *id eſt, obſcura tantum futurorum bonorum expreſſio. In*
Typo *autem &* umbra *ſatis eſt, ſi* ſumma & extremis litteris *res
adumbretur.* Ubi & *Hieronymum* non leviter perſtringit, eo quod
ſcribens in *Eſaiam*, ſingula quæ de *Babylone* Propheta is habet, *alle-
gorica* (typica) eſſe ſuſtinuerit. At quid hic hæreo? Ipſiſſimus
etiam Paulus, ſuo modo tempore *typificandi* hunc fervorem velut
præſagiens, cum Hebr. 9. verſ. 3. 4. *De Aureo Thuribulo, Arcâ fæ-
deris, Urnâ aureâ, Manna, Virga Aaronis &c.* obiter tantum diſ-
ſeruiſſet, curioſiorem eorum inquiſitionem & tractationem ex-
preſſis verbis antevertit, dum dixit: Περὶ ὧν οὐκ ἐστὶ νῦν λέγειν
κατὰ μέρος; *De quibus nunc non eſt dicendum ſigillatim.* In quem
locum Calvinus: *Quoniam nihil ſatis eſt curioſis hominibus, ar-*
Calvin. in *gutiis præſenti inſtituto non congruentibus anſam Apoſtolus præcidit, ne*
Heb. 9. 5. *longior harum rerum tractatio filum diſputationis abrumpat. Quare in-
tempeſtive faciet, ſiquis hic, contemtâ Apoſtoli admonitione, ſcrupulo-
ſius immoretur. Eſſet fortaſſe alibi locus, ſed nunc ſatius eſt, intendere,
ad cauſam, quam agit; tametſi ultra juſtum modum philoſophari (quod
nonnulli faciunt) non inutile modo, ſed & periculoſum eſt. Quædam
ſunt non obſcura & apta ad fidei ædificationem,* ſed *delectus adhibendus
eſt ac ſobrietas, ne plus ſapere appetamus, quam revelare Domino pla-
cuit.* Et Bullingerus; de *hiſce* (ait) *omnibus annotaſſe hæc ſufficiat,*
Bullinger. *cum ipſe Apoſtolus longiorem de hiſce diſputationem a ſe commode avertit.*
in Heb. 9. 5. Neque dici juvat, Paulum loc. mox cit. *Silentium* ſuum, de *au-
rei Thuribuli, Arcæ fæderis, Urnæ aureæ* &c. particularitatibus, ad
illud tantum *tempus*, quo tunc ſcribebat, reſtrinxiſſe, aliâ forte
occaſione fuſius & enucleatius de iis acturum; dicit enim, *De
qui-*

quibus nunc (νῦν) *non eſt dicendum per ſingula*, non de quibus *nunquam* ſingulatim eſt dicendum. At non juvat id, inquam; quoniam nulla neceſſitas cogit, ut particula νῦν ſenſu *relativo* præciſe hic ſumatur; quaſi Apoſtolus per illam præſens quidem tempus excluſiſſet, ſed ad aliud aliquod *futurum* digitum ſuum intendiſſet, cum frequenter etiam *abſolute* uſurpetur. Matt. 26. 65. Marc. 15 32. Joh. 16. 30. &c. Vel ſi *relative* ſumi velis, reſpectum non tam ad *futurum* quam ad *preteritum* tempus potuerit *Joh.* 9. 21.
indicaſſe; adeoque innuere voluiſſe Apoſtolum, antea quidem, & 16. 30.
id eſt, ſub *V. Teſtamento*, e re fidelium fuiſſe, ut ſingula illa *mi-* *Rom.* 5. 20.
nutatim exponerentur, cum, Chriſto necdum manifeſtato, ſigni- 2 *Cor.* 5. 16.
ficatio eorum tectior & involutior adhuc eſſet; *nunc* vero tam *Gal.* 1. 23.
ſigillatim de illis agere opus non eſſe, cum myſteria iis adumbrata, jam modo impleta & per impletionem illam patefacta ſatis eſſent. Et quidni nullam plane rerum iſtarum μετά μέρος explicationem *futuram* Paulum reſpexiſſe ex ipſo eventu colligas, cum nullibi & nunquam eam poſtea præſtiterit, nullus ſaltem adduci poſſit locus, in quo mentionem ejus vel minimam facit? Imo vero hoc magis verba hæc contra Typopæorum antenotatorum licentiam facere dicenda ſunt, quod, licet daretur Apoſtolum dictarum rerum tractationem uberiorem in aliud tempus rejeciſſe, nullo tamen tempore eam ſuſceperit; quod argumento eſſe quis neget, tantæ ipſum neceſſitatis tractationem eam non habuiſſe, ut ullo alio loco vel tempore eam exhiberet; quin hanc ipſam ob cauſam conſilium ſuum, de eâ exhibendâ prudenter forſan immutaſſe. & 4. 29.

IX. Ergo *ad Typum* genuinum conſtituendum neceſſe eſt, ut ipſiſſimum Dei Verbum rem vel perſonam, quæ *Typum* faciet, ad Chriſtum vel aliquid Chriſti in N. Teſtamento repræſentandum, ordinatam eſſe dictet. *Nulla enim Prophetia eſt* ἰδίας ἐπιλύσεως, id eſt, *propriæ interpretationis*, teſte Petro, 2 Petr. 1. 20. Et quid juſtius Deique ſapientiâ dignius eſſe dixeris, quam ipſiſſimum Deum, qui, ratione univerſæ S. Scripturæ, propriorum verborum infallibilis interpres eſt, in hac *typorum* materiâ, abſtruſiſſimâ quippe & myſteriorum pleniſſimâ, ut talem etiam ſalutari & honorari oportere? Senſêre ſaltem hactenus ita quotquot unquam Theologorum, ut *parum* ingenii luſibus, ſic multum Scripturarum teſtimoniis tribuere inſtituerunt, ἃ μείζω τινὰ καὶ

Gulich. Theolog. Proph. part. 1. *pag.* 5.

ἄνθρωπον σοφίαν σοφοὶ, id eſt, magis *quam pro homine ſapere non appetentes.* Sic iterum Rivetus: *Tunc certè aut neceſſario eſt* typus *datus aut imperatus, de quo diſputari non poteſt, fuiſſe* a Deo propoſitum, *ut ſignificaret, de quo agitur.* Ita Spanhemius: *Non reciprocantur* (inquit) *analogia & typus; etſi enim in omni* typo *& antitypo detur* analogia *& conformitas quædam, tamen vice verſâ non in omni analogia & conformitate datur ratio* typi *& antitypi, ſed tunc demum, quando ſive* perſona, *ſive res ſive actus V. T. ad Meſſiam ex* intentione *Sp. Sancti, ut ejus præfigurativa referuntur.* Qui & Chemnitium alibi caſtigat, eo quod in loci Matt. 2. 15. explicatione *meram* quæſiverit *analogiam* ex ſimilitudine capitis & corporis, illamque ſeparaverit *ab intentione Sp. S. quæ cum eâ erat conjungenda.* Sic Gomarus mox laudatus: *Typi Prophetici, niſi Scripturâ præeunte, non ſunt ſtatuendi.* Et alio loco: *Quædam in V. T. per hiſtoriam Myſterium aliquod adumbrare certum eſt. Quænam autem ea ſint, non ex noſtro hauriendum ingenio, ſed* ex Prophetarum & Apoſtolorum interpretatione *diſcendum.* Quin ipſe ita *D. Coccejus*, licet in propinandis *typis* alias liberalior: *Si Scriptura* (infit) *non indicet, debere nos in re cernere imagines alterius rei, etiamſi res diverſæ a Scriptura explicatæ, ſimilitudinem & conformitatem quandam habeant, non poſſumus tamen aſſerere, hoc illius typum & figuram eſſe, niſi quatenus illa conformitas ex* Scripturarum comparatione *demonſtratur, quâ quidem demonſtratâ, pateſcit Dei Sapientia, ſed ſine eâ demonſtratione temerarium eſt a rei præcedentis tanquam typi formâ, ad rei ſequentis formam argumentari.* Quâ cum limitatione intelligi ergo & debet generalis ejus regula, quam in Commentar. in Epiſt. ad *Galat.* cap. 4. verſ. 25. habet, alias enim neque vera eſſet, neque ante dictis ejus conſona; *Quæ ſecundum ea, quæ ante geſta ſunt, geruntur, aut ſaltem gerenda pronunciantur, nempe ut præcedentibus ſint ſimilia, ea ſignificantur per præcedentia ut TYPOS.*

Rivet. in Eſ. 11. 1.

Spanhem. Dubior. Euang. p. 2. pag. 518.

Gomar. Op. Theolog Tom. 1. pag. 399. & 423. & Tom. 2. pag. 174.

Coccej. in Eſ. 22.

Idem in Gal. 4. 25.

X. Et quid *de ſacrificiis expiatoriis* dices? nonne & omnia illa (quæ non minimam *Typorum* partem faciunt) juxta communem Theologorum calculum quoad uſum & applicationem ſuam *Sacramenta* fuêre, *Sacramentale* ſaltem aliquid connexum ſibi habuere? quis de hoc dubitet? Neque enim *typice* tantum Sacrificia ἱλαστικὰ mortem Chriſti præfigurabant, ſed & *applicative*; illis quippe Deus quibuſvis vere pœnitentibus & peccata ſua confitentibus, futurum Chriſti λύτρον gratioſe applicabat & intimabat; quapropter neque ſingulis fidelibus *Sacramenta* tantum exhibe-

Turretin. Inſt. Theol. Elenct. part. 2 pag. 168.

hibebantur, ſed ſinguli quoque eorum ſacrificiorum aliquâ parte veſcebantur (faciebat huc *Sacrum Convivium* coram *Jehova* ex oblatis donis & victimis, quæ igne non in ſolidum conſumebantur. Levit. 7. 15) ut unuſquiſque ſciret, beneficii illius ſe participem eſſe. Significatio enim ſine applicatione plane inutilis & vana eſt, & adinſtar tabulæ, in quâ depicta res eſt, quæ nihil ad nos pertinet. Neque obſtat, quod neceſſario tamen inter *Sacrificia* V. T. & *Sacramenta* differentia quædam ſtatuenda ſit, quia (ut loquitur Cl. Burmannus) *in* his *hominibus a Deo*, *in* illis *Deo ab hominibus aliquid offerebatur*. Præterquam enim quod abſolute verum non ſit (ſi univerſum *Sacramentorum* & *Sacrificiorum* complexum conſideremus) etiam ipſi Deo ab hominibus in *Sacramentis* nihil oblatum fuiſſe (offerebantur enim ipſi a vere piis ſincera fides, gratus animus, imò totus homo in obſequium ipſi tradebatur; ut & nihil *hominibus* a Deo in *Sacrificiis* oblatum eſſe; offerebat enim iis per *Sacrificia* juſtitiæ ſuæ vindicatricis ſpeculum & expiationis peccatorum, per *Meſsiam* olim futuræ, indubitatum repræſentamen) differentia hæc vim ſacrificiorum *applicativam* minime tollebat, eo quod mere relativa eſſet, reſpectuſque, ut notum eſt, rerum naturas non mutent. Jam vero quis *Sacramenta* aliter, quam ex ſpeciali Dei *inſtituto* & patefactione quicquam ſignificare unquam dixit? *ſigna* enim *& ſigilla ſunt* a Deo *inſtituta*, ut bene loquitur Eccleſiarum Reformatarum *Catecheſis*, Reſp. 66. Sume E. G. Baptiſmi aquam ejuſque adſperſionem, remiſſionem peccatorum & ſanctificationem per ſanguinem & Spiritum Chriſti baptizato ſignificantes & obſignantes, unde quæſo, ſignificandi & obſignandi eam vim derivandam putas, an ex *ſola*, quæ inter ſignum & rem ſignatam intercedit, *analogia*? quis ſic θεολογεῖ? cum plura alia ſint, quæ non ſimilem ſed majorem quidem purificandi vim habent, ablutionemque peccatorum per ſanguinem & Spiritum Chriſti ſignificare apta nata ſunt, quam *aqua* ejuſque *adſperſio*, e. g. *ſmegma*, *lixivium*, vel ſimile quid. Ergone aliud quid ſubeſſe oportet, quod ſignificandi & obſignandi illam vim *Aquæ baptiſmali* ejuſque uſui conferat? & quid id aliud eſt, quam *inſtitutionis & promiſſionis verba*, quibus aquæ præciſe elementum, & non *ſmegma* vel *lixivium* in bonorum illorum repræſentamen, & obſignaculum ordinare & ſanctificare Salvatori viſum fuit? Ita Cl. Coccejus cum omnibus ſanioribus Theologis: *Neque tamen* (inquit) *per* analogiam *illam Sacramenta ſunt*, *quod ſunt*, *niſi accedat* verbum.

Sedanenſ. Tom. 1. pag. 796.

Burmann. Synopſ. p. 1. pag. 629.

Cocccj. Summ. Theolog. cap. 52. § 6. 7.

 Et

Digitized by Google

Et abſque eo verbo *nihil Sacramenta ſignificarent, nihil facerent nobis in mentem venire, nullius rei annunciatio eſſent, nihil obſignarent. Sed elementum* verbo *annexum fit* viſibile verbum, *ut dicit Auguſtinus.*

XI. Adhæc niſi ſcripturæ ductui infallibili firmiſſime hic inhæreas, qui certus eſſe poteris, te non res quaſdam heterogeneas, quæ nec *typi* ſunt, nec eſſe poſſunt, *typorum* loco ſæpe adoptare? Nam vel *ſola* illa inter rem & rem analogia *typum* quid eſſe indicabit, vel aliud quippiam præter illam analogiam. Non *ſola* analogia, ut aſſertum jam eſt; nam quis *typorum* aut modus aut finis tum erit? Vel qualis erit illa analogia, quæ id præſtabit? an omnis ea, quæ mens noſtra humana inter rem & rem excogitare poteſt? At quidni omnes V. Teſtamenti *homines* Chriſti *typos* figuraſque tum facias, quum eximiam, quoad omnes naturæ humanæ proprietates, tam *animæ* quam *corporis* ratione, inter hunc & illos

Huet. Demonſtr. Euangel: Propoſit. IV. cap. 8. 9. 10. 11. 12.

analogiam eſſe certo certius ſit. Conf. Heb. 2. 14. & 4. 15. Et quot non fingi ſæpe poſſunt, ſi nervi in id intendantur, rerum perſonarumque cum ſe invicem ἀναλογίαι & convenientiæ? oſtendit id nuper miraculoſo pene labore & artificio Doctiſſ. *D. Huetius*, dum inter omnes Deos & Deaſtros Gentilium & ſervum Dei *Moſem* ſingularem non tantum ſimilitudinem indicavit (quare & hujus illos *typos* nonnunquam indigitat) ſed & Ethnicorum legibus ritibuſque cum iis, quæ Dei nomine *Moſes* promulgavit, comparatis, haſce cum illis concinne nonnunquam convenire, manifeſtè demonſtravit: quas cunctas tamen pro harum *typis* figuriſque habendas eſſe, nemo dicet. Imo quidni dicere tibi tum liceat, explicaturo E. G. Parabolam de *Divite* & *Lazaro* Luc. 16. (*Parabolæ* enim & *Typi* hoc reſpectu ſimilis ratio eſt) per *Divitem* Judaiſmum, per *Lazarum* Gentiliſmum intelligendum eſſe, per *ſplendidum Divitis victum & amictum* Eccleſiæ V. T. beatitudinem, per *Lazari mendicitatem* Gentilium conditionem miſeram, per *Canes*, ulcera *Lazari* lambentes, Gentilium Oratores, Philoſophos Cynicos, Vates, Sibyllas, Augures, Poëtas &c. per *mortem Divitis* Judæorum liberationem a jugo ceremoniarum, per *mortem Lazari* Gentium liberationem ab omni ſuperſtitionum vanitate, per *gremium Abrahami*, non Paradiſum, ſed ſtatum Eccleſiæ N. T. per *Angelos*, non πνεύματα λειτουργικὰ, ſed miniſtros Novi T. per *Infernum* non damnatorum Rogum, ſed ſtatum impiorum Judæorum in hac vita; per *linguam Divitis* ejus conſcientiam; per *refrigerium linguæ* animæ conſolationem in vitâ & morte;

te; per *flammam* quoſvis cruciatus externos; per χάσμα ingentem inter Chriſtianos & Judæos diſtantiam; per *quinque Divitis fratres* quinque Judæorum ſectas, tum maxime celebres, &c. Quidni, inquam, ritè conſtare omnia hæc dixeris, ſi qualiſcunque excogitata *analogia* ad probanda ea ſufficiat, licet nullum aliud argumentum imò ne argumenti quidem ſpeciem adferas? At quam ἐπικίνδυνος theologizandi ea ratio ſit, quamque magis ſapiat ξύλα, χόρτον, καλάμην fundamento Chriſto inædificata, quam χρυσὸν, ἄργυρον, καὶ λίθους τιμίους, quis non videat? Sique hæc tutiſſima, ad verbi Divini ἐνέργειαν ἐν ταῖς συνειδήσεσι τῶν ἀνθρώπων manifeſtandam, via ſit, neſcio ſane, quænam ea non ſit. Imo vero neſcio, quomodo non in diverſa perpetuo trahendi ſint ſimpliciorum animi, ſi fundamento tam lubrico inædificare ſalutem ſuam doceantur. *Nunc enim* (ut graviter alicubi Vincentius Lirinenſis) *quà ventus* iſtiuſmodi conjecturarum *impulerit incitato errore rapientur, nunc in ſemet ipſos converſi, tanquam contrarii fluctus reliſdentur; nunc temeraria præſumtione, ea quæ incerta videntur approbabunt, nunc irrationali metu etiam quæ certa ſunt expaveſcent: incerti quà eant, quà redeant, quid appetant, quid fugiant; quid teneant, quid dimittant.* Rurſus D. Coccejus: *Similitudines* ab hominibus excogitatæ *non probant; ubi Scriptura mores format ad Allegorias non eſt confugiendum. Quando myſterium didicimus ex verbis myſterium teſtantibus, id ſatis eſſe debet. Eo demonſtrato ex hiſtoriis propter aliquam ſimilitudinem figuras & Allegorias facere, parum juvat vel fidem vel intelligentiam. ſuſpectos ſe faciunt, qui illis dediti ſunt, quaſi ſolidis demonſtrationibus deſtituantur.* Et alio loco: *Determinatio eorum, quæ prædicta ſunt* indeterminate, *ad perſonam, locum, tempus & rei ſpecificam qualitatem, ſi ea fiat,* humano arbitrio *fit temere & non autore Deo. Ideoque nihil probat, nihil oſtendit.* Vel an illa id tantum præſtabit *analogia*, quam ipſa Scriptura inter *typum* & *anti-typum* eſſe oſtendit? ſed id idem tum eſt, quod nos dicimus. Aut ſi aliud quid ſit, quod monſtrabit *typum*, indicari utique velim, quidnam id ſit, præter ipſius Dei, in verbo ſuo loquentis, teſtimonium ἀναμφίβολον; Ego ſaltem præter illud concipere hactenus nihil potui, licet juſtam *analogiam* non excludam, ut infra pluribus oſtenſurus ſum.

Vincent. Lirinenſ. de Fidei Catholic. Antiquit. pag. 25.

Coccej. in Eſ. 32. 15. & in præfatione ad Epiſt. ad Rom. §. 33. & Summ. Theolog. cap. 6. §. 35.

XII. Negari tandem non poteſt *Typos* ad *ſigna* pertinere; at ad qualia ſigna? an *ad naturalia*, quæ ſine ullo alius arbitrio, ex naturali cum re ſignatâ connexione ſignificant, ut fumus ſignificat

ignem præſto eſſe, quis hoc dixerit? E. G. *Serpens aneus* fuit *typus* Chriſti, adeoque & *ſignum* Chriſti, ſed an hunc ille ex naturali cum ſe invicem connexione ſignificavit? idemque is *Serpens* Chriſtum etiam præfiguraſſet, licet Dei, eum in hujus *ſignum* ordinantis, arbitrium non interveniſſet? non credo quenquam dicturum id eſſe. Ergo ad *ſigna arbitraria*, quæ non niſi ex ordinatione extrinſecâ ſignificant, quod ſignificant, referendi *typi* ſunt, quæque, ordinatione illâ extrinſecâ remotâ, inefficacia ſunt, ad ſignandum id, ad quod aſſumuntur. Ut in humanis *cantharus proſtans* venalem cereviſiam, *faſces imperium*, digitorum elevatio *juramentum* ſignificant. Jam vero ſi ſignis *arbitrariis* accenſendi *typi* ſint, quomodo ſine ſpeciali Dei ordinatione & inſtitutione eſſe tales queunt, modo inter figuram, & figuratum notabilis tantum convenientia quædam intercedat? quomodo ſigna *inſtituta* ſine Dei *inſtituto* dicenda ſunt? vitet, velim, oppoſitum in appoſito quisquis contrarium pertendere hic præſumit.

XIII. Non neſcio, ab aliquibus dici, quodſi artificioſa quædam pictura (quacum *typos* V. T. comparant) rem vel perſonam aliquam exactè repræſentet, colligi inde haud aliud poſſe, quam ipſum illius pictorem repræſentationem illam formaliter intendiſſe, atque adeo ex eadem illâ *ſimilitudine* picturæ figuræque rationem concludi ſufficienter poſſe, niſi obtendere quis velit, *convenientiam* illam, quæ inter rem & rem intercedit, merè fortuitam eſſe, quod Deo indignum videtur. Sed, præterquam quod omne ſimile claudicet, non univerſaliter verum eſt, omnia quæ *conſimilia* ſibi invicem ſunt, ex *efficientis cauſæ intentione* ſemper id eſſe; cum nihil obſtet, quo minus hic vel ille artifex fabricare aliquando quid poſſit, accuratiſſime cum re quapiam alia conveniens, quæ res alia tamen ne quidem in mentem ipſi unquam venit, nedum quod convenientiam illam animo ſuo intendiſſet. Non male hactenus Scriptor quidam nuperrimus: *Res* (inquit) *naturâ vel* fortuitò *aliquando quidem rei alteri* ſimilis *eſſe poteſt*, *cujus tamen imago* (typus) *non eſt*, *prout ita in proverbio eſt*, ovum ovo non magis ſimile. *Ovum unum alteri ſimile eſt*, *neque illud tamen hujus ſignum vel imago eſt. Conficit aliquis* fortuito *hominis cujuſdam formam*, *apparet eam caſu cum alia re quapiam convenire*, *quia tamen juxta rem illam vel hominem illum*, *confecta non eſt*, *dici ejus* imago *non poteſt. At hæc* imago *eſt*, *quæ juxta ſimilitudinem alterius rei a cauſa principali ſit*, *ad rem illam exprimendam*. Neque exiſtimandum, Deo abſo-

Anony. in Prodrom. Corp. Theolog. pag. 131. 132.

Groenew. in Catechеſ. ad quæſt. 6. & ad quæſt. 66.

abſolutè inconveniens id eſſe; quoniam Dei reſpectu locum quidem habere non poteſt, ut convenientia rerum cum rebus fortuita vel caſualis plane ſit; ſed quidem, ut, tametſi certo quidem Deus intenderit, rem hanc vel illam alteri cuidam rei *ſimilem facere*, nequaquam tamen intenderit, hanc per illam *ſignificare* vel *repræſentare*. E. G. intendit revera Deus in V. Teſtamento Prophetæ *Eliæ* corpus ita condere, ut multis numeris ſimile eſſet corpori Apoſtoli *Pauli* in N. Teſtamento, neque ſimilitudo hæc inter illa corpora, Dei reſpectu, ullo modo *fortuita* fuit; ſed ideone intendit ſimul Deus, ut corpus illud *Eliæ* Paulini corporis, ſub N. T. *typus* vel *repræſentamen* eſſet? Ἰδȣ̃ Ῥόδος, ἰδȣ̀ πήδημα. hic *Rhodus hic ſaltus*: dum in hoc totius diſputationis cardo hic vertitur.

SECTIO II.

I. Quæ cum ita ſint, mirari certe non ſemel ſubiit, quo colore *Typos* V. T. in *Innatos* & *Illatos* (*Communes* alii vocant) multi hactenus diſpeſcuerint. Per *illos* tales intelligentes *Typos*, qui exerte in Scripturis extant; per *hos*, quos Scriptura ipſa non oſtendit, ſed qui ab Interpretibus in Scripturam inferuntur. Cum *poſteriores* hi, dum Scripturarum authoritate deſtituti ſunt, pro genuinis *typis* habendi non ſint; ſed vel pro allegoriis, ſimilitudinibus, alluſionibus, aut qualibuſcunque tropologicis accommodationibus tantum, vel pro meris inanibuſque ſuperbientium cerebellorum pigmentis & figmentis; de quibus non immerito ὁ πάνυ olim Cunæus: *Myſteria* (dicit) *ex rebus quibuſvis obviis & apertis effodere eorum eſt, qui viâ hominum pervulgatâ ſapere faſtidiunt, quæ res ſæpe exit in febriculoſam putiditatem.* Et quænam, obſecro, *typos* adeo operoſe multiplicandi, extraque Scripturam aſſumptos, in Scripturam inferendi dicam an intrudendi, neceſſitas obtendi poteſt? cum hanc Ipſam tam numeroſum *typorum* continere cumulum certum ſit, qui Regni Dei myſteriis ritè repræſentandis ſufficere affatim poſſit. Ecceſis quantam, præter univerſum *Ceremoniarum* choragium, eorum turbam collegerint *Alſtedius*, *Gomarus*, *Tailorius*, *Glaſſius*, Virique eruditi alii; & fateberis, credo, plures indies conquiri ac conglomerari opus non eſſe.

Cunæ. de Rep. Hebr. l. 3. cap. 5.
Alſted. Paratitl. Theologic.
Gomar. in Indic. Oper. Theologic.
Tailor. Chriſt. Revel.
Glaſſ. Philolog. Sacr. lib. 2. part. 1. Tr. 2.

II. Ut neque *naturales* induci *typos* neceſſarium duces; quo-

 niam

niam & hi nihil aliud ſunt, quam res quædam e *naturâ* ſumptæ, quæ cum Chriſto ejuſque rebus conformitatem quandam habent, licet ad rem quandam ſpiritualem, eamque *futuram*, præfigurandam a Deo inſtitutæ & ordinatæ non ſint. Et quid illas *typos* tum proprè dixeris? Cum ratio formalis *typi* in qualicunque rei cum re convenientia (ut jam dictum eſt) non conſiſtat, niſi ad Chriſti aliquid præfigurandum ordinatam eam eſſe, e verbo Dei manifeſtum ſimul ſit. Non nego res *naturales typos* eſſe poſſe; abſit: ſed nego eas, ſi pro *typis* habendæ ſint, per ſolam convenientiam cum re aliquâ ſpirituali, vel per ſolam *naturam*, abſque inſtituto Divino eſſe id poſſe. Ad rem Cottherius: *Typus eum modum habet, quem Deus ei præſcripſit. Hoc volo: Quum res, quâ tanquam fundamento* typus *nititur, ex ſe* apta nata ſit *rerum quam plurimarum* typum *præbere, Deus in ea certum quid delegit, quo* typus *hæret. Atque hoc ſi* Deus indicet, *tum* typus *res illa* naturalis *eſt, aliter non.*

Cotther. Protheor. de Typus pag. 7.

III. Dices, niſi univerſa rerum Hiſtoriarumque V. T. maſſa, omniaque & ſingula, quæ ſub eo geſta referuntur, *typica* habeantur, determinatu perquam arduum videri, quænam ergo illa ſint, quæ pro *typicis* haberi ſpecifice debeant; neque eſſe forte quemquam, qui exacte id definiat. At repono, Immani certe dicendum eſſe turgere φιλαυτίᾳ & faſtu, quiſquis facile tum vere tum ſolide negotium hoc confici poſſe exiſtimet. Quapropter neque Judæi ad id tentandum nedum præſtandum quemquam unquam admittebant, niſi quem ſenſus habere exercitatiores perſuaſiſſimi eſſent. Docet id *Euſebii* locus: Ἐπεὶ δὲ (inquit) διεληλύθαμεν τά τε τῶν ἱερῶν νόμων παραγγέλματα, τόν τε τρόπον τῆς ἀλληγορουμένης παρ' αὐτοῖς ἰδέας· ἐξ ἧς ἂν εἴη καὶ τὸ δεῖ ἐπισημήνασθαι, ὡς τὸ πᾶν ἰουδαίων ἔθνος, εἰς δύο τμήματα διῄρηται. Καὶ τὴν μὲν πληθὺν ταῖς τῶν νόμων κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν παρηγγελμέναις ὑποθήκαις ὑπῆγε. Τὸ δὲ ἕτερον τῶν ἐν ἕξει τάγμα, ταύτης μὲν ἠφίει θειοτέρᾳ δέ τινι καὶ τοὺς πολλοὺς ἐπαναβεβηκυίᾳ φιλοσοφίᾳ προσέχειν ἠξίου. θεωρίᾳ τε τῶν ἐν τοῖς νόμοις κατὰ διάνοιαν σημαινομένων. *Quoniam autem de Sacrarum Legum præceptis &* allegorico, *qui iis ineſt*, ſenſu *diſſeruimus, ſequitur ut notemus, genus univerſum Judæorum in* duas *partes eſſe diviſum, &* multitudinem *quidem Legum præceptis, prout verbis concepta extant, ſubjeciſſe, reliquam vero partem, eorum videlicet, quorum* firmiores

Euſeb. de Præpar. Euangel. l. 8. cap. 10.

miores mentes *ſunt, hac neceſſitate ſolutos, ad diviniorem* quandam *Philoſophiam & ſupra vulgi captum poſitam, &* allegoricorum ſenſuum, *qui in Lege reconditi ſunt*, inveſtigationem *animum adjicere voluiſſe.* Sicut neque *Deuterotis*, qui Legis Moſaicæ interpretes erant, ulli unquam accenſeri volebant, niſi qui *præſtanti* aliquâ *animi maturitate & vi* præditi eſſent; ut idem *Euſebius* autor eſt. Diſtinguebant nempe hos בעלי משנה *Deuterotas* a vulgaribus *Scripturarus* & *texturarius* quaſi, qui ſimpliciter textum tantum enarrabant, dum *Deuterota* verborum ſenſui myſtico enucleando magis inhærerent. Quamobrem haud immerito quærit *Cottherius*: *Quis doctrinam illam* (de Typis) *ſolide & ſincere exponet?* ac reſpondet: *Meo judicio Cœlum ille digito, quod ajunt, attigerit. Sed res non eſt, ſcio, unius ingenii: conferamus ſinguli quod in nobis eſt, fiet tandem ut corpus confletur, cui expoliendo poſtera ætas operam navabit, quoad operi manus extrema acceſſerit.* Eſto ergo tam difficile hoc negotium, tentandum tamen aliquid eſſe in re tam eximiæ utilitatis, quis dubitet? Expedire etiam nodum hunc intricatiſſimum abhinc multos annos conatus modo eſt Clariſſ. D. Junius: *Primum* (inquit) *dicimus, non omnia eſſe* ænigmatica, *nam pleraque ſive exempla rerum geſtarum, ſive regulas ſanctiſſimas de juſto & injuſto apertis verbis exponi.* Ænigmatica *vero ea tantum eſſe, quæ de rebus aut Spiritualibus aut olim futuris prædicantur. Deinde ne omnes quidem prædictiones rerum futurarum aut Spiritualium ænigmatice putamus accipiendas, ſed eas tantum, quæ aut a veritate rei in quæſtione* facti, *aut a jure in quæſtione* juſti *aut* injuſti *diſcrepant.* A veritate, *cum rerum, quæ in natura ſunt, tum factorum eventorumque; ut cum Propheta dicit*: Commorabitur lupus cum agno & pardus cum hædo recubabit. Vitulus etiam & Juvenis Leo ac pecus pigue una futura ſunt, & puer parvulus ducturus ea &c. Eſ. 11. 6. *Item*, non erit leo & violenta ulla fera, non conſcendet eam, non eſt futura illic. Eſa. 35. 9. *Item* E radice ſerpentis prodit vipera, etiam fructus illius præſter volans. *Et ſiqua ſunt ejuſmodi.* Eſ. 15. 2. A jure *vero* tum *Divinæ legis bonorumque morum*, tum *etiam ſanctæ fidei noſtræ.* Legis, *ut cum Propheta Dominus imperat*: Abi & accipe tibi mulierem adulteram &c. Hoſ. 1. 2. Fidei *autem*, *ut cum Propheta inquit*: Prodibit virgula e trunci ſucciſo Jeſſe, & ſurculus e radicibus ejus efflorefcet, ſuper quo requieſcet Spiritus Jehovæ. Eſ. 11. 1. *Hæc enim qui* allegoricè *dici negaverit, negaverit Chriſtum.* Quin explanatius *Junio* (quem, dum in materiâ hac abſtruſiore breviorem vides, forte obſcuriorem e-

Idem ibid. lib. 2 cap. 5. & lib. 12. cap. 1.

Cotther. Protheor. de Typis. p. 3.

Jun. Oper Theolog. Tom. 1 pag. 1590.

tiam offendis) alius quidam *Vir Doctiſſimus*, qui dignoſcendorum eorum, quæ ſub Veteri Teſtamento *Typica* fuerunt, quintuplicem viam nuper aperuit: *Ut ergo* (inſit) *ſciamus, aliquid eſſe* ἀλληγορέμενον *ac* typi *rationem habere, neceſſarium eſt*, vel *Deum diſerte id de eo teſtificatum eſſe, vel de aliquo rerum genere id declaraſſe, ſub quo res illa, uti ſpecies, comprehenditur*, vel *manifeſtâ alluſione alterum ad alterum referre*, vel *argumentatione ſua tacite ſaltem id innuere*, vel *denique ea de re aliqua prædicare, quæ quoad litteram & uti verba ſonant, in iſtâ re non implentur, quorum idcirco complementum in re quidem diverſâ, ſed quæ ei rei, de quâ primum dicta ſunt, reſpondeat, quærendum eſt.* Quæ tum porrò exponit exempliſque illuſtrat, perſpicuè ſane & acutè. Licet diſſimulare non poſſim, ſcrupulum quadantenus mihi facere, quod Theoremate *tertio* habet. Dicit enim ibi pro hujus illiuſve rei *typo* habendum etiam eſſe, *quod manifeſtâ verborum alluſione ad alterum refertur*; quod ſic exponit: *Contingit aliquando, ut Deus de re ſpirituali diſſerens, manifeſtâ verborum alluſione, ad memoriam rei, quæ magis materialis ac corporalis eſt, nos revocet, quam eo ipſo oſtendit rei iſtius ſpiritualis ac myſticæ ſymbolum quoddam fuiſſe. Ita novimus adſpectabilem hujus mundi creationem, prout ea a Moſe narratur,* typum *eſſe novæ creaturæ, fidelium & conſtitutionis Eccleſiæ, quia univerſa reſtitutionis noſtræ ratio phraſibus & ſimilitudinibus a primâ creatione deſumptis frequenter exponitur. ut Eph* 4. 29. & 2. 10. Scrupulum inquam (quod pace τ̃ φιλτάτε Κάρρα dixerim) mihi verba hæc faciunt, cum dubitem, an probè ſatis conſiſtant. Præterquam enim quod qualecunque ſymbolum cum *typo* confundi ſic iterum videatur, quæ diſtinguenda accuratè in materiâ hâc eſſe, ſupra diximus; quamplurimi rurſus inducendi *typi* erunt, alias non inducendi. Eritne ergo & *Sol*, luminare cæleſte, juxta hunc canonem *typus* Chriſti, quia ad *illum* manifeſte alluditur, cum de *hoc* ſermo inſtituitur? Pſ. 84. 12. Malach. 4. 2. Eritne *gladius* Davidis vel Jonathanis *typus* S. Scripturæ, quia cum de *hac* ſermo eſt, ad *gladium* manifeſte alluditur; vocatur enim *gladius ſpiritus.* Epſ. 6. 14. Eruntne Davidis & Salomonis *Clypei*, vel alii qualeſcunque in V. T. uſurpati, *typus* fidei ſalviſicæ, quia ad *illos* manifeſte alluditur, cum de *hac* in Scripturâ agitur? Dicitur enim *clypeus fidei.* Epſ. 6. 14. 15. 16. Utque ad ipſum exemplum, a *Viro docto* allatum, quid dicam: Si hinc ſequatur, Creationem *primam* regenerationis ſive creationis *noſtræ novæ* typum eſſe, quia, cum de *hac* ſermo eſt, *ad illam* manifeſte

ſte

ſte alluditur, quidni eadem illa *creatio* pro *Poteſtatis publicæ* ſive Magiſtratus *typo* etiam habeatur? Cum Scriptura de *hoc* agens, ad *illam* manifeſte quoque alludat? Vocatur enim non minus Poteſtas politica ἀνθρωπίνη κτίσις. (*creatura humana.* 1 Pet. 2. 13. Ac homo regenitus καινὴ κτίσις, *Creatura nova.* 2 Cor. 5. 17. Eſt quidem, quod *reſtitutionis noſtræ ratio phraſibus & ſimilitudinibus a primâ* creatione *deſumptis* frequenter *exponatur* tum in Sacris Scripturis, tum a probatiſſimis Patribus, *Chryſoſtomo*, *Gregor. Nyſſeno*, *Athanaſio*, *Theodoreto*, *Theophylacto*, &c. At magis & minus non variant ſpeciem; explicetur regenerationis noſtræ ratio *frequentius* phraſibus & ſimilitudinibus a primâ creatione deſumptis, vere tamen & certò, licet *minus frequenter* etiam *Magiſtratus* iis exprimitur. Et quodſi *frequentiam* alluſionis urgere Viro Docto volupe ſit, an non *frequenter* etiam Deus, dum de bonis ſpiritualibus loquitur, ad *Aquam* vel *aquas* alludit, imo multo forſan *frequentius*, quam ad *creationis* opus? Videantur expreſſima loca Pſ. 126. 4. Eſ. 11. 9. & 12. 3. & 35. 6. & 43. 20. & 44. 3. & 55. 1. Jer. 2. 13. & 17. 13. Ezech. 16. 4. 9. & 36. 25. & 47. 1. 12. Joel. 3. 18. Zach. 14. 8. Joh. 4. 10. 11. 12. 14. & 7. 38. Joh. 3. 5. Apoc. 7. 17. & 21. 6. & 22. 1. 17. At ergone *Aqua* Euphratis, Jordanis, vel alius cujuſvis fluminis aut putei in V. T. *typi* bonorum ſpiritualium Novi T. fuerunt? Non credo, aſſerturum id eſſe Virum amiciſſimum. Meo judicio, dum in Verbo ſuo Deus res aliquas ſpirituales *phraſibus & ſimilitudinibus a rebus naturalibus*, materialibus, corporalibus *deſumtpis* illuſtrat & explanat, non ideo id act, quod res illas naturales pro ſpiritualium umbris *typiſque* haberi ſemper velit, ſed ut ad captum noſtrum ſe accommodet, & myſteria ſua luculentius nobis inſinuet, ut alibi plenius dicetur.

IV. Ego itaque, ſi & graculum inter Muſas audiri fas ſit, negotium hoc ſic ſemper concepi: Pro γνησίῳ vet. Teſtem. *typo* habendum eſſe (1) Quicquid κατὰ τὸ ῥητὸν ab ipſo Deo, ut *ſpirituale* quid *futurum* repræſentans, ipſiuſque τύπȣ, σκιᾶς, ὑποδείγματος, σημείȣ, aliuſve vocis æquipollentis nomenclaturâ ſignatum in S. Scripturâ proponitur. Sic expreſſim de *Adamo* Apoſtolus Rom. 5. 14. Ὅς ἐστι τύπος τȣ͂ μέλλοντος. *Qui eſt* typus *illius*, *qui erat futurus.* Et de *Jonâ* Servator: Σημεῖον ȣ̓ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τȣ͂ προφήτȣ; *Non dabitur ei* ſignum, *niſi Jonæ Prophetæ.* Add. Heb. 8. 5. 1 Cor. 10 4. (2)

Marc. 10. 6. & 16. 15. *Rom.* 8. 39. *Chryſoſtom. homil. in* 2 *Cor.* 5. 17. *Gregor. Nyſſen. de Scopo Chriſtian. Tom.* 2. *pag.* 304. *Athanaſ. de Trinit. Tom. pag.* 224.

Theoder. in 2 *Cor.* 5. 17. *Theophyl. in eund. loc.*

Quic-

Quicquid in Populo Dei peculiarem quandam eminentiam & *ἀξίαν* habuiſſe certum eſt. E. G. Perſonæ inſignes præ aliis, quarum vel conditio eminens vel munus Sacrum fuit & peculiare. Hinc *Noë*, *Salomo*, *Iſaac* &c. typi Chriſti fuêre. Canon hic eſt Clariſſ. *D. Spanhemii in Dubiis Euangelicis.* Ubi contra Judæos *Joſephum & Simſonem* Chriſti *typos* fuiſſe hocargumento præcipue evincit. (3) Quicquid ad cultum legalem, in V. T. inſtitutum, vere pertinuit: De cunctis enim *Ceremoniis* in communi Apoſtolus pronunciat, quod *præfigurativa* fuerint, ne ullis quidem exceptis. Ita Hebr. 10. 1. Σκιὰν γὰρ ἔχων (inquit) τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, καθ' ἐνιαυτὸν ταῖς αὐταῖς θυσίαις, ἃς προσφέρουσιν εἰς τὸ διηνεκὲς οὐδέποτε δύναται τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι. *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem, per ſingulos annos iisdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere.* In quæ verba Nazianzenus: *Legem* univerſam *futurorum atque eorum, quæ animo & ratione intelligantur*, umbram *fuiſſe*, *Divinus Apoſtolus pronunciavit.* Obſervationes *prænunciativas* dixit *Auguſtinus.* Excipit, ſcio, *Naziræatum* Polanus, quem Chriſtum præſignificaſſe ideo negat, quod ceremonia imperata non fuerit, Chriſtusque, ut olim *Naziræi*, non vixerit, vino non abſtinuerit, comam non aluerit &c. Verba ejus ſunt: *Multa, inquam, non omnes, quia tantum imperata Lege divinâ, & ad eum finem Providentiâ divinâ imperata. Proinde* Naziræatus *non fuit* typus *Chriſti, nam neque ceremonia eſt imperata, ſed votiva & voluntaria, neque ad præfigurandum Chriſtum ſive beneficia ejus; ideo Chriſtus vinum bibit, mortuos tetigit, &c.* At multipliciter falſus in eo eſt *Vir Magnus.* Omnino enim *Naziræi* fuerunt *typi* Chriſti, ſpeciatim *Joſephus* & *Simſon*, qua Naziræi. *Chriſtus* etiam *Naziræus* fuit, utut haud externo voto, ſpirituali tamen & ſanctiori modo: ſegregatus quippe ex toto genere humano in Mediatorem Dei & hominum. Negatur etiam, omnes Naziræos *voluntarios* fuiſſe; reclamat illi hypotheſi, præter Scripturam, vulgatiſſima & receptiſſima Theologorum diſtinctio inter Naziræos *votivos* & *natos.* Neque obſtat, quod externe Chriſtus non præſtiterit omnia, quæ præſtiterunt olim *Naziræi*, comam non aluerit, cadaveribus non abſtinuerit &c. Non enim neceſſe eſt, ut convenientia inter *typum* & *antitypum* in omnibus ſit; ſufficit ſi ſit in aliquibus, de quo mox

Spanhem. Dub. Euang. part. 2. Dub. 93.

Nazianz. Orat. cit.

Auguſt. c. Fauſt.

Polan. Syntagm. Theol. lib. 6. cap. 30.

Add. Jud. 13. 5. 7 & 16. 17. Num. 6. 13. 5. 6. 7. & 16. 7. Luc. 1. 15.

Digitized by Google

mox fuſius. Chriſtus non fuit Naziræus *adumbrans* ſed *adumbratus*, adeoque præſtare opus non habuit ceremonias, ſed res ceremoniis adumbratas, quas verè etiam præſtitit. In Mundum etiam venit, ut finem Ceremoniis imponeret, & Synagogam ſepeliret, per conſequens adſtringi ad θρησκείαν ſive πολιτείαν *Naziraeorum* veterum *Legalium* non debuit, ſed ad rerum tantum ſpiritualium, ritibus illis deſignatarum, exhibitionem. Et quid additur, *Extraordinaria* & ſingularia *typos* eſſe non poſſe? cum contrarium *in Mannâ, Serpente aeneo, Columnâ nubis & ignis, Aqua e rupe &c.* evidenter pateat, quæ, licet *extraordinaria* & non vulgaria, *typos* tamen fuiſſe nulli unquam dubium fuit. Manet itaque *Ceremonias* omnes & ſingulas *Typi* rationem habuiſſe; neque enim Legis *Ceremonialis* præcipuus finis fuit, ut Populus Iſraël eâ, velut onere ἀβαστάκτῳ, tantum gravaretur (licet neque ille ejus uſus exterminandus ſit) ſed ut Deus in rebus illis externis, ac in ſenſus incurrentibus, ſpiritualia ac permanentia N. Teſtamenti bona, veluti in ſpeculo, conſpicienda ei exhiberet. Connectendæ certè hæ σχέσεις *Legis Ceremonialis* tam neceſſario ſunt, ut ſi quis ea divellat, *tum* in veritatem *tum* in univerſam V.T. œconomiam perquam injurius ſit. Ad rem Turretinus: *Media* (inquit) *via tutiſſima eſt, ut* utramque *illam* σχέσιν (Legalem putat & Euangelicam) *ob oculos ſemper habeamus, ita tamen, ut* Legalis *ſemper* inferior *ſit, quæ ſubſerviat Euangelicæ & finem* minus principalem *totius diſpenſationis iſtius reſpiciat*, Euangelica *vero* primaria, *utpote quæ* præcipuum *Dei & ultimatum in iſtâ œconomiâ finem contineat.* (4.) Quicquid rei vel perſonæ alicui ſacræ Novi Teſtamenti, quacum *ſalvationis* reſpectu congruam quandam conformitatem habet, *nomen* ſuum communicat, utut alias ipſiſſimâ typi vel figuræ notione in Scriptura non veniat. Ita recte hactenus Gulichius: *Notandum, ſolere Scripturam ea, quæ ſunt N. T. explicare vocabulis. V.T. ſive figurarum. Ipſa enim analogia & ſubſtitutio ſigni pro re, facit ut* nomina *invicem permutentur.* Sic licet nullibi *Typi* nomen *Davidi* inſcriptum legamus, *Typus* tamen Chriſti fuit, quia Chriſtus nomen ejus gerit. Ezech. 34. 23. & 37. 24. Hoſ. 3. 5. Agnus Paſchalis *typus* Chriſti fuit, quia Chriſtus tum *Agnus* tum *Paſcha noſtrum* nuncupatur. Joh. 1. 29. 1 Pet. 1. 18. 19. 1 Cor. 5. 7. Ἱλαστήριον Chriſti *typus* fuit, quia Chriſtus, ἱλαστήριον dicitur; non ἱλασμὸς tantum, ſed ipſum ἱλαστήριον, Moſi

Terretin. Inſtitut. Theol. Elenct. p. 2. p. 169.

Idem part. 2. pag. 165.

Gulich. Theol. Prophet. in Præf. p. 12.

Moſi כַּפֹּרֶת. Idem de *Paradiſo* dixeris. Luc. 23.43. Dico, *Nominis* communicationem *typum* indicare in perſonis & rebus, quæ congruam cum ſe invicem conformitatem habent, *ſalvationis reſpectu*: ut illa omnia a *Typi* ratione removeam, quæ *nomen* cum Salvatore Chriſto *commune* quidem habent, idque cum aliquali etiam inter ſe & Illum conformitate, ſed quorum conditio & circumſtantiæ tamen non indicant, quod *ſalutis negotio* rite ſignificando & illuſtrando convenientia ſint. Sic *Jeſus Bethſemita* & *Jeſus* Syracides commune *nomen* cum Jeſu Salvatore quidem habuerunt, non minus *ac Ieſus* ſive *Joſua*, filius Nun; neque tamen illi Chriſti *typi* peræque dicendi ſunt, quam hic; quia conformitas, quæ inter illos & D. Jeſum interceſſit, reſpectum ad negotium ſalutis perficiendum nullum involvit; quid enim fecerunt illi, quod trahi eo poſſit? Secus ac ſe res cum *Jeſu*, filio *Nun*, habet; genuinus ille Chriſti *typus* omnino fuit, quia *nomen* ejus non tantum geſſit, ſed etiam tale quid præſtitit, liberando populum Dei externe ab hoſtibus ſuis, quod aptum natum erat, ad id, quod ſpiritualiter per Chriſtum præſtandum erat, figurandum & ſignificandum. Adhæc illam quoque excipe *Nominis communicationem*, quæ inter Novi & Vet. Teſtamenti *Sacramenta* nonnunquam intercedit, neque hæc illarum *typos* ideo fuiſſe autumes; repugnat id enim fidei analogiæ, quæ non fert, ut pro meris *umbris* Sacramenta V. Teſtamenti habeantur, ut a multis contra Pontificios & Lutheranos demonſtratum eſt. Quin imo Sacramentalis illa *nominis communicatio* rationem *typi* non tantum non infert, ſed e contra Sacramentorum utriuſque Teſtamenti in re ſignificatâ legitimoque ejus uſu ταυτότητα luculenter declarat quæ ταυτότης cum reſpectu *mere figurativo* non conſiſtit: *Typus* enim ſi *idem* eſſentialiter ſit cum *anti-typo*, non eſt *typus* (5) Quicquid, præter res perſonaſque, quæ ad cultum *Legalem* olim pertinuerunt, legitimâ facilique conſequentiâ demonſtrari poteſt, ad repræſentandum Chriſtum vel aliquid Chriſti ordinatum eſſe, vel referri eò debere. *Typica* enim procul dubio multa ſunt, de quibus Deus expreſſis verbis non pronunciavit, quod talia ſint, ut neque ſola Ceremonialia pro *typicis* habenda ſunt, cum etiam ante cultum Legalem inſtitutum, *typi* quidam extiterint; quis enim de *Noë*, *Iſaaco*, *Melchizedeko*, *Joſepho* &c. inficiari id auſit? At qui *typos* cognoſces, quos Deus neque nomine eo indigitavit, neque ad *Ceremonias* reducere potes, niſi illationibus quibus-

Digitized by Google

buſdam mediantibus? Obſervandum interea eſt, *conſequentias* illas, quò hic reſpicimus, ex ſolis, ſingulis, ſimplicibuſque *accommodationibus* rerum V. T. ad res N. Teſt. nectendas non eſſe, ſed ex talium rerum *accommodationibus* tantum ejuſque circumſtantiis, quæ tum *veritati* illuſtrandæ & confirmandæ, tum *pietati* promovendæ, tum (quod nullibi non notandum eſt) *myſterio* ſignificando & indicando ſingulari diſpoſitione convenire deprehenduntur. Sic *Matrimonii inſtitutio* ſpirituali Eccleſiæ cum Chriſto *unioni* & *communioni* non accommodatur tantum ſimpliciter, Eph. 5. 29. 30. ſed ita ei accommodatur, ut ex circumſtantiis, hujuſque cum illo collatione, manifeſtum ſit, Deum, poſt funeſti lapſus interventum (ante enim illum σχέσιν *typicam* proprie non habuit) hanc per illud adumbrare voluiſſe. Paſſim enim in Scripturâ id liquet, præcipuè in *Pſalmo* XLV. & Salomonis *Cantico*: ubi haud quicquam aliud intendiſſe Spiritum S. palam eſt, quam myſticam Chriſti cum Eccleſiâ ſuâ communionem, per ſingulas matrimonii proprietates & ſuavitates, graphicè depingere. Eſſe enim alias tales quoque rerum Veteris Teſtamenti ad res N. T. *accommodationes*, quæ *typum* nec faciunt, nec facere poſſunt, certiſſimum eſt. Vix enim ulla alioqui e Vet. Teſtamento loca in N. T. repetita, quæ innumera pene ſunt, dari poſſent, e quibus *typum* qualemcunque non extorſeris, E. G. 2 Corinth. 8. 15. Collectio *Mannæ* liberali *Eleemoſynarum* erogationi accommodatur; quis illam tamen hujus *typum* unquam dixit? Ut & 2 Cor. 9. 9. verba Moſis Deut. 25. 4. *Ne capiſtrato bovem triturantem*, Miniſtris N. T. accommodantur, neque tamen *boves triturantes*, Miniſtrorum N. T. *typos*, credo, facies. (6) Quicquid tali in Scripturâ ſe prodit modo, ut neque cum analogiâ fidei, neque cum textus circumſtantiis, neque cum Dei hominiſque ſanctitate, neque cum enunciationis veritate conſiſteret, e contra abſurdi quicquam neceſſario involveret, ſi aliter, quam cum *figurativâ* aliqua ad Chriſtum relatione caperetur & intelligeretur. Canon hic per ſe certiſſimus non tantum eſt, & nemini non obvius, ſed διαῤῥήδην etiam oſtendit, erraſſe hactenus graviter, quotquot non niſi ex ſolis N. T. ſcriptis *typorum* notitiam arceſſendam eſſe, opinati ſunt; poteſt enim ea e Scriptis N. T. quoque hauriri. Quandocunque enim res aliqua, ad Legem *Ceremonialem* pertinens, occurrit, vel qualiſcunque alia, eo non pertinens, tali in V. t Teſt. ſe offert modo, quo jam dictum eſt, quis clare-

 re

re non videt, pro *figurativâ* habendam eam eſſe, licet nulla ejus ad N. T. antitypum quendam accommodatio accedat?

VI. Tametſi vero, ut aſſertum jam eſt, ſolius Dei in verbo ſuo loquentis ſit, *Typorum* indicinam facere, putandum tamen non eſt, noſtram in inveſtigandis & enucleandis iis diligentiam neceſſariam non eſſe; abſit: Diſtinguendum tantum eſt inter *typi* dignoſcendi *fundamentum* & *inſtrumentum*, *Prius* procul dubio nihil aliud eſt, quam ipſius Dei, nobis, quid pro *typo* habendum ſit, indicantis teſtimonium; ad *poſterius* mentis noſtræ cura & ſolertia, in explorando & inveſtigando, ubi *typus* lateat, etiam requiruntur; adeo ut opponenda hæc non ſunt, ſed coordinanda vel potius ſubordinanda. Imovero non ſimplices tantum, ſed multiplices induſtriæ noſtræ partes hic ſunt: *Noſtrum* 1. eſt ſollicite cavere, ne, dum in *typorum* lectione & inquiſitione verſamur, cogitationes noſtras ſoli verborum cortici plus juſto mancipemus. Hæc utique deploranda Judæorum calamitas & perverſitas olim fuit, ac præcipua *ἀπιστίας* eorum cauſa, quod tam perfunctoriè & ſuperficiarie *Typos* paſſim legerint, canis adinſtar Æſopici, vitrum quidem lambentes, at pultem non attingentes, nucis teſtam quidem admordentes, nucleum vero & medullam vix deguſtantes. Ecquo enim ſalutari ſucco animæ ſuæ reſtinguere ſitim poteſt, qui in *figurarum* litterâ acquieſcens vim earum non delibat? *Noſtrum* 2. eſt intentiſſimâ admirari & venerari reverentiâ imperſcrutabilem Dei œconomiam, juxta quam Populum ſuum viâ adeo opertâ & caliginoſâ, per tot ambages, rerumque & perſonarum involucra, ducere olim voluit, cum per ipſum ſteterit ratione non minus manifeſtâ & apertâ tum temporis id facere, ac poſtea fecit, & etiamnum facit. Tenellam ſcio ac infantilem Eccleſiam tum fuiſſe, adeoque, quod ſublimiorum myſteriorum minus capax adhuc eſſet, non minus oculorum quam aurium adminiculo erudiendam ac ſtabiliendam: At cur tam tenera & infantilis Eccleſia tum fuit? poſito enim, quod talis fuerit, convenientiſſimus ſane docendi modus fuit, quem Deus tenuit; ſed quid obſtitit ipſi, quo minus ab ipſo lapſu congregare Eccleſiam volens, ædificium illud plane exædificarit? Quid tractu temporis rerumque tam multiplici ſucceſſione opus ipſi fuit, ad miſericordiæ ſuæ gloriam manifeſtandam? Cur non mox, ut fœdus cum Adamo in Chriſto initum, denunciavit, Caput fœderis in mundum etiam miſit? Cur tot prius decurrere ſecula voluit, priuſquam id faceret? populumque ſuum

Digitized by Google

ſuum interea tot ænigmatibus paſcere, ac non niſi per rimulam quandam Soſpitatorem ſuum conſpiciendum ipſi dare? Quis *μυστήριον μέγα* hic ſubeſſe non animadvertit, ſuper quo exclamet: O βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ· ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. *O Profundas divitias tum ſapientiæ tum cognitionis Dei, quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtabiles!* Rom. 11. 33. *Noſtrum* 3. eſt, Scriptorum Veteris Teſtam. quæ *typos* continent, ſtudium nequaquam negligere; imo e contra eo majori perſcrutandis iis incumbere attentione, quo involuta & operta ea in multis, etiam peritioribus, eſſe *αἰσθητικωτέρως* experimur. *Noſtrum* 4. eſt inveſtigare diligenter, quænam inter qualemcunque *typum* & *antitypum* a Scriptura nobis indicatos, ſe prodat analogia & conformitas minime ficta & coacta. Vix datur nonnunquam *Typum* hunc vel illum pro lubitu eruere, at cum, Scripturâ & Sp. Sancto indicibus, is jam innotuit, officii noſtri eſt, pro modulo inquirere, quibus in rebus figura illa cum figurato ſuo conveniat. Appoſite iterum Coccejus: *Singula forte* (inquit) *ante rem factam non potuerunt cognoſci ex* typo, *tamen* cum conſtaret, typum eſſe, *talia expectata ſunt in genere, & poſtquam facta ſunt habent in* typo *teſtimonium εἰς τὸ ἐπιγνωσθῆναι. Quemadmodum Diſcipuli clamantes* Hoſianna, *& ſtolas ramoſque ſternentes, neſcii impleverunt Scripturam, & poſtea recognoverunt, ſe illa feciſſe, quæ ænigmate Scripturæ erant ſubindicata. Joh.*12.14.15.16. Cavendum tamen hic eſt, ne etiam ipſos illos *typos*, quos Deus tales eſſe in Verbo ſuo diſerte indicat, (ut de omnibus, qui *Cultum Legalem* reſpiciunt, notorie facit) rebus quibuſvis ſingularibus præpropere applicemus, vel dictatorie nimis determinemus, *Typus* hic vel ille hoc præciſe ſignificat, hoc vel illud repræſentare eo Deus voluit, &c. Ut enim, hujus vel illius *typi* indicio nobis facto, ſi, quænam inter hunc & antitypum ejus convenientia intercedat, inquirere negligamus, ſupinæ & damnabilis inertiæ reos nos facimus; ita e contra a jactabundâ haud longe aberimus temeritate, ſi minutiſſimos quoſque *Ceremoniarum* apices vel ipſas Legis litteras rebus quibuſvis ſingularibus accommodare præſumamus. Habuit certe Tabernaculum V.T. inſignem materiarum ornamentorumque apparatum, *Hyacinthina, purpurea, coccinea, dibapha, linum xilinum, caprarum lanam, lapides inſititios, loramenta &c.* Adhæc quot & qualia

Coccej. Typ. concord. Amicor. pag. 129. 130.

Digitized by Google

Altari, ex Dei præſcripto extruendo & inſtruendo, adhibenda non fuerunt ſubſidia, quorum prolixa apud *Moſem* ſeries extat. Exod. 25.26.27.28. Capp. quibuſque procul dubio omnibus & ſingulis Deus *præfiguratum* quid voluit? At quanto tamen non proceſſerimus tutius, ſi res ſingulares quam plurimas, iis forte quidem intentas, nobis tamen hactenus, ut tales, non revelatas, piè & devotè ignoremus, quam ſi ſpecifice & minutatim omnibus iis ſingulisque tum explicandis tum applicandis, bonas horas impendamus? quamdiu nempe vel Sacra Scriptura non præit, vel in quaslibet pene formas flectenda ac torquenda eſt, ſi vel minima ejus ſyllaba ad rem, quam adſtruere intendimus, pertinens in ſubſidium vocanda ſit. Metuendum enim eſt, ne amplificationes & applicationes iſtiuſmodi coactiores, non οἰκεῖαι vel ἔμφυτοι ſed παρείσακτοι fere ſint, & ex earum genere, a quibus abſtinere manum & mentem par eſt, ne licentia iſta & luxuries τῶν ἄγαν θεωρητικῶν τὲ καὶ ἀνηγμένων certa evertat, dum incerta conſectatur. *Admodum* enim (verba ſunt Nazianzeni) *difficile eſt, ſiquis ad tenuiora deſcendere velit, ex ſingulis umbris ſingulas invenire ſpeculationes; quemadmodum quæ de* Tabernaculo ipſo, *& de menſurâ* & *materia* &c. Sunt ſane ſcripturarum myſteria, ut pie alicubi *Caſaubonus*, quæ *capere ſatis nequimus, nedum aliis ſatis explicare, eſſe tamen credimus, & humili ſilentio adoramus*; ἄπορα τῆς θείας γραφῆς, *inexplicabilia in Scripturis, ut omnium diſciplinarum.* Uta ut proverbium Rabbinorum in nonnullis neceſſario uſurpandum ſit, *exſpectandum eſſe Eliam, qui duros atque hodie inextricabiles Scripturæ nodos ſolvat. Hoc melius* (addit) *quam de omnibus temere pronunciare, quod illis ſolenne eſt, qui aliquid fateri ſe ignorare turpe ducunt; etiam in iis rebus, ad quarum indagationem, præter nudas conjecturas, humana induſtria nihil hodie poteſt adferre.* Neque minus pie *Gomarus*: *Reſpondemus*, inquit; *ad aſſumptionem* (refellit Auguſtini axioma, quo ſtatuebat, cum facta Chriſti probabili ratione carent, ſemper myſterium in iis latere) *facta Chriſti ſemper eſſe cum ratione conjuncta: etiamſi rationem non ſemper capiamus: ideoque reticente Scripturâ, vitandam* temeritatem *eſſe.* Deſudavit imprimis in eviſcerandis hoc modo *Typis Ceremonialibus*, iiſque cujuſvis generis rebus ſigillatim pene accommodandis, abhinc annos aliquot Vir doctus non minus ac pius, *Thomas Taylorus* Anglus, in Libello aureo alias & non uno nomine commendando, quem *Chriſtum Revelatum* inſcripſit. Neque hunc certe, tam operoſe & in-

Nazianzen. orat. in Paſcha.

Caſaubon. adv. Baron. exercit. 14. §. 12. Et Exerc. 1. §. 13.

Gomar. in Ioh. 6. verſ. 16.

& ingenioſe, quid Deus per ſingulas *Pontificis* M. veſtes (ut infinita alia mittam) *Baltheum*, *Tiaram*, *Pectorale Juris*, *Cidarim*, *Bracteam auream*, *Tunicam Theſſalatam Xilinam*, *Ephod* cum omnibus ſuis appendicibus, ſignificatum voluerit, definientem, præclariſſime de re Theologicâ ac imprimis *Typologica* meritum eſſe, negari poſſet, modo non minori ſoliditate, quam ſolertiâ & venuſtate labores illos exantlaſſet. At vero cum ad demonſtrationes *Scripturarias* ventum eſt, tum *vel* nullas eum adduxiſſe ſæpe animadvertes, *vel* tam frigidas & elumbes ſæpe, ut ſi fœnum in cornu habeas, amplificationes iſtiuſmodi, ut ſtupendam, & quaſi e *Democriti* puteo reviviſcentem νεοσοφίαν, minime ſis admiraturus. Neque eſt, quod obtendas, fruſtra videri ſingula illa Ceremonialia à Deo inſtituta eſſe, ſi ſigillatim in eorum ſenſum inquirere licitum non ſit. Non enim dicimus nos, plane illicitum id eſſe, neque diligentiæ, quæ ſtudio illi impenditur, ullo modo infeſti ſumus. Culpandus tantum, noſtro judicio, eſt conatus ille Phaëtontæus, quo quis, quid ſingulis iis Ceremonialibus, ad minimos uſque apices, præſignificatum præciſe ſit, non tantum ariolari, vel probabiliter aſſerere, ſed velut e tripode dictare & pronunciare præſumit; præſertim ſi ipſi etiam imperitæ plebi cerebrinas iſtiuſmodi conjecturas, legitimo Scripturarum ſubſidio plane deſtitutas, ut ipſum animarum pabulum, diſpenſare non detrectet. Ut neque ideo loqui Interpretes illi cum Scriptura dicendi ſunt, quod hunc vel illum textum accommodationibus & alluſionibus ſuis nonnunquam forte aſſuant, eumque talem quidem, in quo vel idem vel ſimile quoddam vocabulum, quod vel quale in loco, qui *typum* continere dicitur, obvium eſt, occurrit; dummodo cogentem ſimul probationem non ſubnectunt, quod Deus ad *Loci* illius argumentum, cum *typum* illum inſtitueret & proponeret, digitum ſuum intenderit. E G. Quodſi quis, probaturus *duodecim Lapides pretioſos*, Pectorali *Aaronis* infixos, præfiguraſſe *duodecim Lapides*, quibus fundamentum muri Cæleſtis *Hieroſolymæ* ornatum dicitur, nullo alio firmare id ſtuderet argumento, quam quod, ut Moſes Exod. 28. de *duodecim pretioſis Lapidibus* loquitur, ita & Apocal. 21. 19. 20. eorum mentio fiat, nonne convictivam dices iſtiuſmodi ratiocinationem? non credo; cum probandum non tantum ſit, tam apud *Johannem* quam apud *Moſem* Lapidum illorum mentionem inſtitui; quis enim id negat? ſed ἀλληλουχία ſive nexus inter

Tailor. Chriſt. Revelat. paſſim.

Vincent. Lirin. pro Cathol. fid. Antiq. cap. 35.

Burman. de Lege & Teſtim. in Exod. 28.

VII. Notandum porro, utcunque ipſius Dei ſit, in Verbo ſuo ſignificare, quid pro *typo* habendum ſit, non æquè tamen perſpicue eum ſemper & ubique id facere. Præſtat id nonnunquam *magis explicite*, nonnunquam *magis implicite*. Quoſdam *typos* luculenter explanat, vel plene vel aliquâ ex parte ſenſum eorum inſinuando; quoſdam phraſi quadam illuſtrat, deſumptâ a re eadem, quæ alterius rei *typus* eſt. Gal. 4. 27. 28. quandoque ex *typo* ſimili in Scripturis expreſſo, ſignificationem innuit alterius *typi* ſimilis, ut imagines ejusdem figuræ idem fere ſignificant. Ex *typo* connexo, quem Scriptura exponit, manifeſtam nonnunquam facit ſignificationem alterius connexi, quemadmodum ex paſſione Chriſti externâ unâ explicatâ clareſcit altera. Quæ omnia diſpari planè, ut dixi, modo *typos* innoteſcere ſubindicant. Sic multo evidentius e Scripturis liquet, *Jonam*, a cete abſorptum tertiaque die e ventre prorumpentem, Chriſti ac reſurrectionis ejus *typum* fuiſſe, cum ipſe Chriſtus αὐτοῖς ῥήμασι ſibi figuram illam applicet. Mat. 12. 39. 40. 41. quam *Joſuam*, Populi Iſraelitici ducem, ejuſque in Terram promiſſam introductorem, D. Jeſum tum perſonâ tum actione ſuâ præfiguraſſe. Colligitur enim hoc firmâ quidem conſequentia tum ex utriuſque nominis communione, tum ex Heb. 4. 8. at totidem verbis ibi non aſſeritur. Neque opus eſt, id ipſum αὐτολέξει in Scripturâ ſemper indicari, modo neceſſariâ ſequelâ, ut jam ante dictum eſt, deduci inde poſſit. Si enim in ipſorum fidei dogmatum probatione conſequentiis agere alienum non ſit, quidni in hac *Typorum* materiâ prudens earum uſus quoque admittatur? Atque ita quidem intelligendus mihi videtur Clar. D. *Rivetus* cum *perſpicuitatem* Sacræ Scripturæ contra *Becanum* vindicaturus, *typos* in Scripturâ explicatos *perſpicuos eſſe* dixit. Non enim verbis iis vult, omnium eorum rationem κατὰ τὸ ῥητὸν & æque *evolutè* in Verbo Dei explicari, ſed *perſpicuos* eos vocat, quia applicatio & ſenſus eorum vel totidem in Scripturâ continentur verbis, vel legitimâ conſequentiâ deduci inde poſſunt. Quo vero tutius certiuſque in iis, quæ *involutius* typica eſſe Sacræ litteræ dictant, procedatur, accurandum eſt ſedulo, ut tractatio eorum, quam damus, cum expreſſioribus probè cohæreat, quo per conſequentiam ex his deducta eſſe palam fiat. Adhæc ut exactè & apertè, non coactè, figuratum cum figurâ convenire oſtendatur. Prout citra omne dubium ille verborum S. Scripturæ ſenſus optimus eſt, qui cum verbis ipſis in-

Rivet. Iſag. ad S. Script. cap. 15.

Digitized by Google

in contextu convenire optime deprehenditur. Quin *deliberato ſilentio* Scripturam *typos* quandoque etiam inſinuare, ſtatuendum eſt; vocantur illi typi *ſecundum* dici; id eſt, tales res vel perſonæ, quarum ratio *typica* vel in totum, vel ex parte inde reſultat, innoteſcit ſaltem, quod Deus de induſtriâ nullam earum in Verbo ſuo mentionem faciat. Explanat id duobus exemplis *Mattheus Cottherius*, tum *Melchiſedeci*, tum *Ædificatorum Templi Hieroſolymitani*. Ecce ipſiſſima ejus verba: *Nihil* (inquit *dicitur de Parentibus Melchiſedeci, ideoque ut* ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, *Dei enim hæc* νοῦς, *conſiderandus eſt*. Typus *eſt* ſecundum dici. *Suppreſſio enim verbi deliberata ad verbum revocatur*, & τὸ non dici *formale eſt hujus* typi, *materiale* τὸ ἀπάτορα & ἀμήτορα *eſſe. Fac enim Melchiſedecum vere* ἀπάτορα & ἀμήτορα, *tum non erit typus, Meſſiâ inferior, ſed ipſe Meſſias. Ergo tanquam* ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, *proponitur, ob eamque rem* typum *gerit Chriſti, qui non umbratiliter* ἀπάτωρ *eſt* & ἀμήτωρ, *ſed vere*. Alterum exemplum *damus* 1 *Reg.* 5. *Qui Templum ædificabant non referuntur in* numerum, *quia ii qui lapides vivi ſunt ſpiritualis ædificii, ipſique manum operi admovent, ſunt* innumerabiles. *Apoc.* 29. Hactenus *Cottherius*.

Cottherius Protheor. de Typis pag. 3. 4.

VIII. Nolim tamen ad *modum* magis *implicitum*, quo Deus *typum* quid eſſe oſtendit, referri novum quoddam εὕρημα, quod ex Viri cujuſdam non indocti ore πρὸ ὀλίγου excipiebam. Contendebat ille, omne id pro *typo* habendum etiam eſſe, quod analogiam quandam cum Chriſto ejuſque rebus habens, *extrordinariâ* quadam Dei *operatione* vel *mandato* effectum eſſe conſtat. E. G. Statuebat, *Arcam Noë* Chriſti *figuram* fuiſſe, non quod Scriptura ullibi eam Chriſto accommodârit, neque enim probari id poteſt; ſed quod aliquid Chriſti repræſentârit, & *mandato* Dei *extraordinario* extructa & ordinata fuerit. Adoptavit (quantum poſtmodum obſervavi) ſententiam illam ex Clar. D. Coccejo, cujus hæc verba ſunt: *Quæ* extra ordinem geſta *ſunt vetuſtis temporibus*, & ſimilitudinem *habuerunt* myſterii, *per promiſſionem indicati, in iis ea convenientia animadvertenda fuit. Quæ enim Deus ſic facit, ea ſine dubio eo fine ſic facit, ut fides promiſſionis confirmetur* &c. Quæ Præſtantiſſ. *D. Heideggerus* Exercitationibus ſuis verbotenus etiam inſeruit. At quiſnam, præter celebres illos Viros, typificandi illam rationem Fratrem illum docuerit, fateor me igno-

Coccej. Summ. Theolog. cap. 53 §. 3.
Heidegg. Hiſt. Patriarch. p. 1. *Exercit.* 12. §. 34.

ignorare. Reſultabitne enim inde tantus iterum *typorum* figurarumque numerus, ut nullum earum finem pene invenias? Quidni enim tum *ignis*, qui Sodomam & Gomorrham conſumpſit, pro *Miſſionis Sp. Sancti* typo etiam erit habendus, eo quod ſimilitudinem quandam cum hac habens, *extraordinariâ* Dei *operatione* cælitus in urbes illas immiſſus ſit? Imò quidni eodem fundamento ex omnibus Moſis *miraculis* in Ægypto & deſerto patratis, rerum N.T. *typos* etiam cudas, cum nullo negotio inter has & illa quædam analogia excogitari poſſit, cunctaque vi quadam *mandatoque extraordinario* facta per Moſem ſint? An *Arca Noë* rerum N.T. *typus* proprie fuerit, hic non excutio, impugno tantum argumentum, quo adſtruere id ipſum *Fratrem* illum animadvertebam.

IX. Adducebat is etiam, Præceptoris ſui veſtigia premens, *Diluvii* exemplum, quod gratiæ Jeſu Chriſti ſub N. T. *typum* fuiſſe pertendebat; ex hoc ſolo conſtare id aſſerens, quod notabilem cum ablutione peccatorum per ſanguinem & ſpiritum Chriſti in N. T. promiſsâ *analogiam* habens, *modo extraordinario* mundo immiſſum eſſet. Sed, ne dicam, non magis *Diluvium* analogiam quandam habuiſſe, cum ablutione peccatorum ſub *Novo*, quam ſub *veteri* Teſtamento, adeoque *typum* non neceſſario inferre, niſi tam bonorum Veteris Teſtamenti quam Novi *typos* eſſe quis dixerit, quod alienum utique eſſet; eſto, Diluvium gratiæ N. T. *typum* fuiſſe, facile enim dari id poteſt. At quid tum? Cum hoc in quæſtione hic non verſetur, ſed, an ratio, quâ aſſertum id volebat *Frater*, ſatis bene conſiſtat? quod nos negamus. Ut neque ad rem facere putamus *Petri*, quem allegabat locum, Epiſt.1.cap.3. verſ.21. *Ὃ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. Cujus rei* exemplar *Baptiſmus nos quoque ſalvat.* Quod ut manifeſtum fiat, opus erit, ut verba illa Apoſtoli penitiuſcule hic expendamus. Ἀντιτύπου itaque vocabulum, quo hic utitur, *bis* tantum occurrit in N. T. *Tum* in Ep. ad Hebr. cap. 9. 24. ibique figuram imagine ſuâ aliquid prænotantem notorie ſignificat. Dicit quippe Paulus, *τὰ ἅγια χειροποίητα* fuiſſe *ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν exemplaria verorum*; per conſequens *ἀντίτυπον* nihil aliud ibi eſt, quam ipſe typus. *Tum* hoc ipſo loco: ubi quid ſignificet non uſque adeo planum eſt. Sunt, qui indicatam eo volunt ipſam *veritatem*. figuræ *vel typo reſpondentem*; atque hæc

Nazianzen. Orat. 42. in S. Paſcha.

Pontificiorum & *Lutheranorum* ſententia eſt, qui *Baptiſmum* per *Diluvium*, & per Sacramenta Veteris Teſtamenti ea, quæ *Novi* ſunt, præfigurata eſſe, conficere inde laborant; ſed neque veritati neque ſcopo Apoſtoli convenienter. Quodſi enim *Diluvium* Baptiſmi *typus* fuerit, ſæpius utique iterari debuiſſet, non ſemel tantum in humanam gentem effundi. Et quo colore aquas, quæ in vindictam iræ Divinæ immittebantur, illius aquæ *figuras* eſſe dixeris, quæ melioris Teſtamenti & reconciliati cum Deo Mundi *Sacramentum* futurum erat? Non latet ex Antiquis Patribus eſſe, qui idem cum *Pontificiis* & *Lutheranis* hic tenent. Sic Tertullianus Diluvium *mundi Baptiſmum* dixit. *Vides* (inquit alicubi Ambroſius) *aquam, vides ignem, columbam adſpicis, & dubitas de* Myſterio? *Aqua eſt ergo, quâ caro mergitur, ut omne abluatur peccatum, ſepelitur illic omne vitium.* Et quis luculentius Cyrillo? *Aquis* Diluvii (inquit) *totius mundi expiata ſunt peccata, & qui in* Arcâ *reconditi erant, per* aquam *ſalvi facti ſunt; id* Baptiſmi typum *geſſit, per quem ſordes omnes peccatorum deponuntur, & vita vetuſtas tollitur.* Sed parum refert, quid *Veteres* illi dixerint: cum *ſapere*, id eſt, *veritatem quærere* (teſte Lactantio) *omnibus ſit innatum, adeoque ſapientiam ſibi adimere videantur, qui ſine ullo judicio* inventa Majorum *probant.* Cui hoc Auguſtini adde: *In* certis *ſequi oportet Patres, in* ambiguis *conferre, in* obſcuris *ſuſpicari*, in falſis *pernegare.* Præſertim in *Typorum* negotio haud nimis ſtandum iis videtur, ubi quippe liberius rethoricari non tantum ſolent, ſed imprimis dum *Baptiſmi* præconia celebrant, multa ut *typos* figuraſque ejus converrere, quæ ἀπροσδιόνυσα plane ſunt. Quid enim non habent de *Nubis columnâ, de Mari rubro, de Spiritu Dei aquis incubante, de Ligno in aquas amaras injecto, de Salis urceo, de Naamanis ablutione in Jordane.* &c, totidem (ut ajunt) *Baptiſmi* typis? quæ cuncta typos tamen eſſe, nemo credo contendet.

Momm. de Oeconom. Patriarchar part. 1. p. 111. 112.
Tertull. Lib. de Baptiſm.
Ambroſ. de iis, qui initiati Myſter. cap. 3.
Cyrill. in Joh. 14.
Lactant. de Falſa. Relig. lib. 2. cap. 8.
Auguſtin. de Baptiſm. lib. 2.

X. Alii itaque ſunt, qui non rem *typo* adumbratam, ſed eidem *conſignificantem* per ἀντίτυπον intellexerunt. Sic ex Romanenſibus *Vatablus, Zegerus, Eſtius, Vulgata.* Ex noſtris præcipue *Beza, Chamierus. Gomarus* &c. *Ex Petro habemus* (verba ſunt Chamieri) *Baptiſmum eſſe* ἀντίτυπον *Arcæ, id eſt, alterum typum* ejuſdem rei, *nempe ſalutis.* Et Gomarus: *Ea autem vox* Heb. 9. 24. typum *notat* diſtinctè *ab archetypo, cui reſpondet: Hic vero* typum *cum* altero typo *ſignificatione convenientem.* Neque ipſe abludit Coccejus, dum inſit: Ἀντίτυπον *hic non notat* præfiguratum *quid,* ſive

Chamier. Panſtrat. Tom. 4. lib. 2.
Gomar. in loc.
Coccej. de Foeder. cap. 13. §. 418.

ſive adumbratum, *ſed habens* figuram *in conformitate alterius* ſymboli *ſignificantem.* Σύντυποι proinde *Diluvium* & *Baptiſmus* proprie ſunt, eodem ſpectantes, eadem loquentes, res easdem repræſentantes; τύπȣς ἀντιςρόφȣς, *imagines correſpondentes* alii vocant. Sed ſequiturne jam inde, *Diluvium* gratiæ N. T. *typum* extitiſſe? Me judice, contrarium potius ſequi inde videtur. Eodem enim modo *Diluvium* typum dicit Apoſtolus, quo *Baptiſmum*; vocat enim hunc illius ἀντίτυπον ſenſu, quo diximus; at quis dicere auſit, *Baptiſmum* gratiæ N. T. *typum* eſſe? niſi *typi* vocabulo latiſſimè ſumpto, pro qualicunque rei cujuſdam repræſentamine & ſigno; quo ſenſu hic de eo non agimus, ut ex ſuperioribus liquet. Cum ergo Petrus Baptiſma *Diluvii* ἀντίτυπον vocat, nihil aliud vult, quam, prout Deus jam in N. T. gratiam ſuam Eccleſiæ per aquas *Baptiſmi* ſignificat & obſignat; ita eum per aquas *Diluvii* eandem gratiam ſuis ſignificare & obſignare olim voluiſſe: Sive, quo omnia redeunt, prout Baptiſma *Novi* Teſtamenti Sacramentum eſt, ita *Diluvium* V. T. Sacramentum utut extraordinarium fuiſſe. Atque ita capienda etiam puto Viri cujuſdam Docti verba, qui panen Euchariſticum Mannæ *antitypum* nuper dixit. Neque enim veroſimile mihi ſit, ipſum contra communem Reformatorum ſententiam velle, Sacramenta V. T. (quale fuit *Manna*) eorum, quæ Novi Teſtamenti ſunt, *typos* proprie dictos extitiſſe; quod ſequeretur utique, ſi ἀντιτύπȣ vocem alio, quam jam explicuimus, ſenſu accipiendam eſſe pertenderet. Utcunque enim *Sacrificia* vet. Teſt. quæ *typi* erant, Sacramenta etiam fuerint, ut ante dictum eſt, nullum tamen Sacrificium Sacramenti Novi Teſtamenti *typus* unquam fuit, licet rei fuerit *typus*, quæ Sacramento illo repræſentatur. Sunt, ſcio, inter ipſos Orthodoxos, qui mactationem *Agni Paſchalis*, quæ revera Sacramentum Veteris Teſtamenti fuit, *Sacrificium*, id eſt, *typum* etiam faciunt. At nunquam tamen deprehendi, eos mactationem illam S. *Cœnæ*, quæ in ejus locum alias ſucceſſit, *typum* conſtituiſſe, ſed Chriſti quidem, qui tum hac ipsâ tum *Paſchate* ſignificabatur. *Typum* Paſcha facere eos video rei per *Cœnam* ſignatæ, neutiquam ſigni, quod Chriſtum animæ repræſentat. Neque negatur (ut ad Opponentem revertar) quod obtendit Clar. D. *Coccejus*, Deum *extra ordinem* in Vet. Teſt. *geſta eo fine ſic feciſſe, ut fides promiſſionis per ea confirmaretur.* At quid ratio *typi* ideo iis opus?

Molin. apud Sedanenſ. part. 1. pag. 753.

Polan. Syntagm. lib. 6. cap. 51.

Alting. Problemat. Nov. Loc. 14. Problem. 9.

Coccej. Summ. Theolog. cap. 53. §. 539.

Digitized by Google

Sufficiebat ad hoc, ſi *Sacramenta* eſſent (quibus *Diluvium* lubentes accenſemus) quorum non minus eſt, ſi non magis, *promiſſionis fidem confirmare*, quam *typorum*. Quodſi ergo *Diluvium* gratiæ N. T. *typum* facere quis velit, eumque in finem locum hunc *Petri* adducere (ut *Frater* ille faciebat) inde id colligere non debet, quod qualemcunqne cum ſe invicem conformitatem duo hæc habeant, illudque *modo* quodam *extraordinario* immiſſum a Deo Mundo ſit (quæ Opponentis hypotheſis eſt, ſupra profligata) ſed ex hoc ſolo argumento, quod Deus in verbo ſuo per Petrum (ſi per ἀντίτυπον rem figuratam innuere voluiſſet) gratiæ ſuæ ſalutari applicare & accommodare id ipſum voluerit; quæ ipſiſſima noſtra ſententia eſt, novo εὑρήματι repugnans.

Oecumen in Hebr. 7.

XI. Diximus etiam, *ſolam* inter rem & rem analogiam *typum* facere non poſſe: Quod verum certe eſt; at requiritur tamen neceſſario quædam analogia, idque adeo quidem neceſſariò, ut ſine eâ relatio *typica* ne ad momentum quidem conſiſtat. Genus enim *typi*, ut ſupra diximus eſt imago vel *ſignum*; ſed quis imaginem vel ſignum unquam concepit, quæ nullam, ſive ex naturâ rei, ſive ex inſtituto humano vel Divino, cum re cujus imago erat habuerit conformitatem? Neque tamen *perfectam* & totalem typi cum antitypo convenientiam *neceſſariam* putes, ſufficit quandoque & partialis, imò ſemper ea ſufficit. Ἡ εἰκὼν (verba ſunt *Theodoreti*) οὐ πάντως ἔχει, ὅσα τὸ ἀρχήτυπον ἔχει. Semper quidem *in formali* typus & antitypus conveniunt, id eſt, in eo, ſecundum quod cum ſe invicem comparantur, non vero *in materiali*, cum ſimile ſemper aliquo modo debeat eſſe diſſimile, quia alias ſimile non eſſet, ſed idem. *Imò ne ullus quidem datur* (inquit) Clariſſ. Spanhemius) *typus* ὁλικὸς *in universâ Scripturâ, neque dari etiam poteſt, quia figura & figuratum, umbra & corpus ſemper diverſiſſima ſunt, alioqui vel utrumque figura vel utrumque figuratum foret.* Adeoque *neceſſe non eſt* (addit Gomarus) *ut in hoc typo* (verſabatur in Prophetiâ Zachariæ a Matthæo citatâ) *aut in aliis* ſingula minutatim *conveniant, ſed tantum ut ſumma capita, quæ divinitus intenta ac propoſita ſunt.* Nemo explanatius *Chryſoſtomo*, qui ſic infit: Οὐκ ἀπηλλοτριῶσθαι πάντη χρὴ τὸν τύπον τῆς ἀληθείας· ἐπεὶ οὐκ ἂν εἴη τύπος. οὔτε πάλιν ἐξισάζειν πρὸς τὴν ἀλήθειαν, ἐπεὶ πάλιν καὶ αὐτὸς ἀλήθεια ἔσται· ἀλλὰ δεῖ μένειν ἐπὶ τῆς οἰκείας συμμετρίας, καὶ μή-

Theodoret. Dialog. 1. & in 2 Corinth. 2. 16.

Gulich. Theolog. Prophet. part. 1. p. 13

Spanhem. loc. cit.

Gomar. Tom. 1. pag. 187.

τε τὸ

Digitized by Google

τε τὸ πᾶν ἔχειν τῆς ἀληθείας, μήτε τοῦ παντὸς ἐκπεπτωκέναι. Ἂν μὲν γὰρ τὸ πᾶν ἔχῃ, ἀλήθεια πάλιν ἐστὶ καὶ αὐτός· ἂν ᾖ τοῦ παντὸς ἐκπέσῃ, τύπος εἶναι λοιπὸν οὐ δύναται, ἀλλὰ δεῖ τὸ μὲν ἔχειν, τὸ δὲ τῇ ἀληθείᾳ θηρεῖν. *Non oportet omnino alienum eſſe typum a* veritate *alioqui non eſſet* typus: *neque omnino adæquari* veritati, *quia rurſus ipſe foret* veritas; *ſed oportet manere in ſuo modo, & neque omnem habere* veritatem, *neque omni* veritate *deſtitui. Nam ſi totum habeat, iterum ipſe ipſa eſt* veritas, *ſin toto deſtituatur, deinceps* typus *eſſe non poteſt; ſed oportet, ut* partem *quidem habeat, partem vero* veritati *reſervet.* Ita *Jonas* dubio procul Chriſti *typus* fuit, ſed quis convenientiam inter hos ad omnia, quæ vel in *typo* vel *in antitypo* fuêre, ullo jure extendat? Præfigurabat is Chriſtum, at non totâ ſua perſonâ & vitâ, ſed illâ tantum hujus parte, quâ per triduum in Cetis viſceribus delituerat. Ejus etiam *antitypus* Salvator fuit, ſed non ratione omnium, quæ concernebant ipſum, ſed ratione tantum ſepulturæ & reſurrectionis ſuæ. Perſtringebat hinc non immerito *Hieronymus* quoſdam ſui temporis hæreticos, eo quod derogandam Chriſti *typis* omnem fidem dicerent, niſi toti conſentirent & ne minima quidem ſui parte nutaret ſimilitudo adeoque, eo quod in *Adamo* Chriſti figuram poſitam fuiſſe tradidiſſet Paulus, quæcunque in Geneſi de *Adamo* ſcripta ſunt, *Chriſto* applicanda eſſe exiſtimarent. Neque locum tantum hæc habent in typis ſtrictiſſimè & propriiſſime dictis, quos nos hic ſpectamus, ſed in iis etiam, quæ latiori ſignificatu *typi* dicuntur, quatenus rem aliquam qualicunque modo ſignificant & repræſentant, ut *panis* in Cænâ corpus, *vinum* ſanguinem Chriſti. Quodſi enim horum reſpectu μετουσία & συνουσία introducatur, ut fit a Pontificiis, ſigni & figuræ rationem evaneſcere neceſſe eſt, cum quid ſui ipſius ſignum, Symbolum, figura eſſe non poſſit, adeoque nec corpus ipſum ſignum illius corporis, cujus ſignum dicitur.

Hieronym. in Eph. 5.

XII. Quinimò tantum abeſt, ut quicquid in *typo* eſt ſemper etiam in *antitypo* eſſe neceſſe ſit, & vice verſâ, ut e contra nunquam non excellentius ac ſublimius aliquid in *antitypo* eſſe debeat, quod non eſt in *typo*. Ita exertim Chryſoſtomus: *Oportet figuram minus ſemper habere quam veritatem, quia alioqui non eſſet figura futurorum.* Conferatur ſemel Moſis & Joſuæ *typus* cum Chriſto ſuo *antitypo*; uterque genuina Chriſti *figura* quidem fuit; *ille* noſtræ redemptionis, *hic* noſtræ in Cælum, veram Patriam, introductionis; at

Chryſoſt. in Geneſ. Hom. 61.

 quam

quam modus tamen utrobique non variavit, & quanto plus in *antitypo* hoc non fuit, quam in figuris & *typis*? In *typis* fuit liberatio tantum corporalis, in *antitypo* etiam ſpiritualis. In *typis* redemtio ſimplex, in *antitypo* talis, quæ facta eſt mediante λύτρῳ, ipſoque antitypi ſanguine. Rom. 3. 24. In *typis* redemptio & in terram *Canaan* introductio per Moſem & Joſuam, ut Dei tantum miniſtros, in *Antitypo* ut per αἴτιον τῆς σωτηρίας, id eſt, per ipſam ſalutis principalem cauſam. Act. 3. 15. Heb. 5. 9.

XIII. Adde, quod neque ex ſingularum *typi* partium conflictu, ſed ex totius comparatione efflorescere & ſpectari *typi* & *antitypi* ſimilitudo debeat. Non enim ex digiti extremi, aut pedis, vel imæ auriculæ inſpectu hominem, alias notiſſimum, dignoſcere potes, ſed ex integro corporis filo, eâque ſpecie, quæ ex omnium partium compage & convenientia exſurgit. Sigillatim ergo non ſunt ſumendæ parallelíſmi partes, neque ex truncatis membris faciendum judicium, ſed tota conſideranda ſeries eſt, cum res rei operam poſtulet, & amice conjuret. Quæ ſeries univerſa ſi in Jeſum vel res Jeſu quadret, pateſcet utique, σχέσιν quandam *typicam* ſubeſſe, e contra non ſubeſſe, ſi talis ſeſe *parallelíſmus* non prodat.

SECTIO. III.

I. *Typi* in V. Teſtamento fuêre non unius generis. Varias eorum differentias exhibet Doctiſſimus D. Junius in præſtantiſſimis ſuis *Parallelis*, quibus examinandis non inſiſtimus, ne περιεργάζεσθαι videamur. Unum tantum monendum eſt; ſumere paſſim Virum illum Magnum *typi* vocabulum ſignificatione multo latiori, ac nos eam ſuminus, & ſumendam eſſe exiſtimamus; quæ & cauſa eſt, ob quam nonnullas *Typorum*, quas adducit, ſpecies non recipimus. Nos *Typos* diſpeſcimus in *Reales* & *Perſonales*, id eſt, tum per Res tum per Perſonas quaſdam ſingulares expreſſos, Populoque Iſraelitico exhibitos. Ad *Perſonas* referimus *Adamum, Noam, Moſem, Joſuam, Melchizedecum, Iſaacum, Simſonem, Davidem &c.* Ad *Res* Agnum *Paſchalem, Tabernaculum, Propitiatorium, Altare, Templum, Victimas, Serpentem aneum*, aliaque plura, quorum aliqui integros catalogos texuerunt. Non deſunt, qui Typos in *Hiſtoricos* & *Propheticos* etiam diſtinguunt, ſed dubito an ſatis accuratè. Objecta enim, Hiſtoriâ vel Prophetiâ contenta, ſi conſideres, vel *Rerum* (quò & *facta* referenda) vel *Perſonarum* typum habebis; ſi *verba* tantum & *voces*, nullum habebis

Jun. Oper Theolog. Tom. 1. pag. 632. 633. 634. 1389. 1390. 1415 1584. 1596

Cotther. Protheor. de Typis. pag. 7. 6. 5.

bis *typum*: quippe qui, ut ante dictum eſt, in *vocibus* & *verbis* locum non habet; ſed vel *Allegoriam* tantum, vel qualemcunque *ſenſum myſticum*, quo dictione qualiquali impropriâ res Chriſtum vel aliquid Chriſti adumbrans ob oculos ponitur.

II. Fuerunt etiam *compoſiti* Typi, id eſt, iſtiuſmodi res quædam repræſentativæ, quæ geminum habuere complementum, *litterale* unum in Typo, *myſticum* alterum in Antitypo. Exemplum eſt Exod. 12. 46. Quod enim dictum ibi eſt de *Oſſe non comminuendo*, typicè referendum eſt ad *Agnum Paſchalem*, myſticè ad *Chriſtum*, Agni illius antitypum. Unde & contingere certum eſt, ut id quod *typus* eſt, cum re *typo* adumbratâ per ſynechdochen, & typicâ, ut ſic dicam, myſticâque unione, uno *Typi* nomine in Scripturâ nonnunquam veniat. Sic *Davidis* nomine & *Davidem ipſum* Iſai filium immediatè, & *Chriſtum alterum Davidem* mediate, per priorem adumbratum, in Scripturâ venire nulli dubium eſt. Confer Jer. 30. 9. Ezech. 34. 23. 24. & 37. 24. 25. Hoſ. 3. 5. Pſ. 1. 32. 10. Eſ. 37. 35. & 55. 3. Amos. 9. 11. Act. 13. 34. & 15. 16. Neque plures tamen, ut videri poſſet, unius ejuſdemque loci ſenſus tum inferuntur, cum dici poſſit, ſenſum illum *myſticum* locorum illorum peculiarem ſenſum non eſſe, ſed ſenſus *litteralis* accommodationem tantum ad μυςηριῶδές τι ſignificandum. Tametſi neque alieni quicquam forte ſtatueris, ſi uni eidemque loco duplicem *ſenſum* attribueris, modo id de *duobus* vel *pluribus* ſenſibus *litteralibus* non intelligas, ſed de *litterali* tantum unico, reliquis *myſticis*, anagogicis, tropologicis &c. Diſertè Spanhemius: *Diſtinguendi etiam ſenſus* (inquit) *aliâ ratione: nam plures unius ejuſdemque loci ſenſus conſtitui intelliguntur vel* unius generis: *V. G. plures litterales, vel* diverſi generis, *E. G. litterales & myſtici.* Prius *abſurdum eſt, ob rationes allatas.* Poſterius *non item; quod probari poteſt tum ratione, tum exemplis, idque* ἀναντιῤῥήτως.

Spanhem. Dub. part. II. pag. 506.

III. Perſtringitur, quantum video, a Salomone Glaſſio *Aretius*, quod *typos* in eos qui *Facti*, *Hiſtoriæ* & *Sacramenti* ſunt, etiam diſtinxerit. At nullo ſuo merito; quum Aretii *locum*, in quem digitum intendit *Glaſſius*, inſpiciens, manifeſte deprehendam, eum non *typos*, ſed *Allegorias* (de iis enim expreſsè ibi agit) diſtinxiſſe; adeoque perabſurde hoc a *Cenſore* ſuo incommodo urgeri, quod *Typos* cum *Allegoriis* confuderit; quoniam, ut dictum eſt, de ſolis *Allegoriis* agit, neutiquam de *Typis*. Prout neque percipio, quo colore *trimembris* typorum vel potius Al-

Glaſſ. Philolog. Sacr. p. 1. lib. 2. Tr. 2. §. 3. 4.

Digitized by Google

Allegoriarum diſtributio *Aretio* adſcribatur, cum notoriè non *trimembrem* ſed *quadrimembrem* habeat, eamque non quidem a ſe fictam vel excogitatam, ſed ab *Auguſtino* mutuo ſumptam. Hæc verba ejus ſunt: *D. Auguſtinus lib. de verâ Relig.* quadruplicem *facit Allegoriam, Hiſtoriæ, facti, Sermonis & Sacramenti.* Siquid proinde peccatum diſtributione illa fuiſſet, oportebat certè non *Aretio* ſed primò & primariò *Auguſtino* imputatum id fuiſſe. Sed de hoc verbo tantum, ad ἀνακριβείας maculam eluendam, quam immerenti *Aretio Glaſſius* temere nimis adſparſit.

Aret. Probl. Theol lib. 2. pag. m. 323.

IV. Quæritur jam porro *An ſtatus protaplaſtorum ante lapſum* Typos *etiam noverit.* Poſito enim, quod Redemptore *Chriſto* tunc opus non fuerit, ut non fuit, non admittenda etiam videntur, quæ ipſum præfigurarent, vel quibus mediantibus in cognitionem ejus homines deducerentur. Reſp. De *Arbore vitæ*, ſub innocentiæ ſtatu *typo*, varii habent varia. Tribuit *Pareo* Mareſius, quod rem ejus ſignificatam fecerit Chriſtum, *aut ejus crucem*; ſed dubito, an *Pareus* ſomniando id unquam cogitarit. Verba ejus ſunt: *Denique ſignificabat Chriſtum, in quo & Adam & ipſi angeli tunc obtinebant vitam, & homines lapſi erant recuperaturi.* At quid hoc ad *crucem?* eſtne Chriſtus ipſe *crux* Chriſti? Digladiantur quidem inter ſe Eruditi, an *Arbor ſcientiæ boni & mali* Sacramentum hominis integri fuerit; negantque id quidam, affirmante contra *Mareſius*, *Witſius*, &c: qui Poſterior variis rationibus ſententiam ſuam confirmat, oppoſitamque confutat. At pauci, quod ſciam, ex *Arbore* illa πειραστικὸν ſive *ſcientiæ boni & Mali* Typum, nedum vitæ æternæ *Typum* fecerunt: ſecus ac *Arbori vitæ* accedit; cui multo ante *Pareum* σχέσιν *figurativam* modo adſcripſit *Jacobus Sarugenſis*, apud *Moſem Bar-cepham*, aſſectantibus ipſum multis ex Neotericis, *Coccejo*, *Heideggero*, *Hulſio* *Burmanno*, *Witſio*. Neque a vero ſententia illa procul abeſt, modo rectè explicetur. Quod ut fiat, diſtingui neceſſe eſt inter Chriſtum ut *Mediatorem* & ut *Dei Filium*, ſive ſecundam Trinitatis Perſonam, conſideratum. Chriſti *quâ mediatoris* typus neutiquam fuit *Arbor vitæ* ante lapſum, quippe tum neque neceſſarii neque promiſſi. Ut neque Chriſti, ut *Filii Dei* typus propriè fuit. *Typus* enim, ut ſupra adſtructum eſt, non eſt, niſi *rei futuræ*, qualis Dei Filius neque tum erat, neque eſſe unquam poteſt, vel potuit; quippe χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Heb. 13. 8. Dicendum

Amyrald ap. Salmur. pag. 27.

Mareſ. Sylleg. Diſp. p. 2. p. 414.

Paræ. in Geneſ. 2. Oper Theol. tom. primo p. 66. b.

Tilen. Syntagm. part. 1. Diſp 40.

Zanch. de Creat. Hom lib. 1. cap. 1. §. 8.

Moſ. Bar-Ceph. Tract. de Paradiſ. diſput. part. 1.

Digitized by Google

dum tamen, Chriſtum *ut Dei Filium* in *Arbore* illâ, tanquam in expreſſâ imagine, Protoplaſtis exhibitum & repræſentatum fuiſſe, non quidem ut Mediatorem & Salvatorem, inquam, ſed ut *omnis vitæ fontem* & *originem.* Innuunt id ſequentia Scripturæ loca Prov. 8. 18. Apoc. 2. 7. & 22. 2. Sic etiam D. *Coccejus*, ac ex ipſo Burmannus: *Neque abſurdum* (inquit) *videri debet, Filium Dei Adamo manifeſtatum fuiſſe in Symbolo & Sacramento, ut cauſam vitæ, quia etiam ab initio conveniebat Deo, eum, quem diligit, & propter cujus gloriam omnia fecit & facit, imo cui monſtrat omnia, quæ facit, ut ea ipſe ſimiliter faciat.* Joh. 5. 19. *homini Vitæ Autorem per ſymbolum demonſtrare, ut, ſi non ſtatim, certè aliquando ut Servator & ſanator manifeſtandus erat, Adam & filii ipſius eum in ipſo initio per Symbolum demonſtratum recognoſcerent.* Addit Witſius: *Propterea Chriſtus dicitur* ξύλον ζωῆς. Apoc. 22. 2. *Quod quidem nunc eſt merito ſuo & efficaciâ quâ* Mediator, *ſemper tamen fuiſſet, quâ* Filius *Dei, Patri ſuo* ὁμοούσιος. *Uti enim per ipſum homo conditus & vitam animalem nactus eſt, ita etiam per ipſum transformandus, & cæleſti vitâ beandus fuiſſet. Neque potuiſſet adeo Vita peccatoris fieri, ut Mediator, niſi & vita hominis ſancti fuiſſet, ut Deus* ἀπὸ ζῶν καὶ αὐτοζωή.

Cocceji Summ. Theolog. cap 23. 12.

Witſ. de Oeconom. Fœder. Dei. lib. 1. cap. 6. §. 13.

V. Adhæc alii etiam, præter *Vitæ Arborem*, ante lapſum *typi* extitere, materialiter nempe; id eſt, tales quædam res, quæ non quidem Adamo Evæque integris, ſed jam lapſis, Chriſtum præfigurarunt, & propagini eorum præfiguraturæ eum erant. Ita *Matrimonii* inſtitutio conjugumque arctiſſima cum ſe invicem unio primæva *typus* conjunctionis Chriſti cum Eccleſiâ fuit. Epſ. 5. 28. 29. 31. 32. Gen. 2. 24. Sic *Paradiſus* tum *Eccleſiæ* tum *Cœli*, id eſt, cæleſtis Paradiſi *typus* fuit. Hinc Auguſtinus: *Poſſunt hæc etiam de Eccleſiâ intelligi, ut ea melius accipiamus, tanquam Prophetica indicia futurorum.* Et quid ipſe *Adam*? An non expreſſiſſimus Chriſti *typus* fuit? conteſtante exertim Apoſtolo: Ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος. Rom. 5. 14. *Admirandaque* (ut ſcite in illum locum Paræus) *Dei* φιλανθρωπία *inde cognoſcitur, qui in morbo remedium, in morte vitam, in perditore Servatorem adumbratum voluit.* Analogiam inter Adamum *typum* & Chriſtum *antitypum* hanc indicat *Theophylactus*: ὡς ὁ παλαιὸς Ἀδὰμ, πάντας ὑποδίκους ἐποίησε τῷ οἰκείῳ πταίσματι, καὶ τοὺς μὴ πταίσαντας. οὕτω καὶ ὁ χριστὸς ἐδικαίωσε πάν-

Auguſt. de Civit. D. lib. 13. 21.

Huet Demonſtrat. Evang. part. 2. pag. m. 1058.

Paræ. in Rom. 5. Verſ. 14.

Theophyl. in Rom. 5. 14.

τὰς, καὶ τοι μὴ δικαιώσεως ἄξια ποιήσαντας. διὰ τοῦτο τύπος ἐστὶ τοῦ μέλλοντος. Ut vetus Adam *omnes obnoxios fecit proprio ſui ipſius lapſui, etiamſi non erant lapſi, ſic etiam* Chriſtus *omnes juſtificavit, etiamſi juſtificatione digna non feciſſent. Propter hoc* typus *eſt* Futuri.

VI. Sunt tamen, qui *Adamum* Chriſti *typum* fuiſſe inficias eunt, hoc certantes argumento: Quodſi Adam Chriſti typus fuit, cogitare tum prius Deum oportuiſſe de *Chriſto*, in cujus *figuram* ordinandus *Adam* erat, quam de ipſius *Adami* creatione, adeoque prius de ſtatu lapſus, hunc enim præſupponit Chriſtus, quam de ſtatu innocentiæ & integritatis, quod abſurdum eſſe putant. Et certe, ne quid diſſimulem, nodus hic pene Gordius mihi videtur, ſecandus facilius, quam ſolvendus. Sed eſto ita: ideone mox perſpecta Scripturarum veritas in dubium trahenda eſt, quod cunctis ei objectis difficultatibus expediendis impares forte ſimus? Μὴ γένοιτο. *Viæ Dei non ſunt ut noſtræ viæ, nec cogitationes ejus, ut noſtræ cogitationes. Eſ.* 55. 8. Habet *ἄπορα* ſua Verbum Dei, ad quæ ingenioli noſtri acies non pertingit, & quæ credenda tamen ſunt. Quid enim de tot verbi Divini myſteriis alias fieret, plane quidem perplexis, imò inexplicabilibus, fide tamen a Chriſtianis omnibus recipiendis & tenendis? Committere non poſſum, quin aurea *Cyrilli Alexandrini* verba hic appingam: Εἴκειν (inquit) *ἀναγκαῖον οἷς ἂν λέγοι θεός. αὐτὸς οἶδε ἰδίων ἔργων τὴν ὁδὸν, ἀπολυπραγμόνητα δὲ τὰ παρ' αὐτοῦ τεχνουργούμενα, καὶ ἀνενδοιάστῳ πίστει τὰ ὑπὲρ νοῦν ὄντα, τὴν καθ' ἡμᾶς τιμᾶσθαι προσήκει. Iis obtemperandum, quæ Deus dicit: ipſe ſuorum, operum viam novit; res etiam ab eo creatæ a nemine, ne curioſo quidem, carpi poſſunt, & quæ mentem ſuperant, ab hominibus noſtri ſimilibus indubitatâ fide honorari & ſuſcipi debent.* Et alio loco: Τὸ *πίστει παραδεκτὸν ἀπολυπραγμόνητον εἶναι χρή.* Τὸ *γὰρ τοι βασανιζόμενον, πῶς ἔτι πεπίστευται? Quod fide percipitur non curioſe inquirendum; nam quod adhuc inquiritur, quonam pacto creditur?* Reponere tamen aliquid ad oppoſitionem hanc conatus eſt *Vir* quidam *Doctus*, ſed dubito, an cogitatis ſuis, ſatis cæteroquin eruditis, naſutioribus quibuſvis ſatisfecerit. Simpliciſſime, noſtro judicio, reſponderi poteſt. 1. Falſum eſſe, conceptum de Chriſto lapſum hominis ſemper involvere; conſiderari is enim poteſt ut Dei Filius, & omnis vitæ fons in communi; & quidni ita Deo obverſatus eſſe po-

Cyrill. Alexandrin in Eſ. 45.

Id. Ad. verſ. Julian. lib. 10.

Adrian. Pauli, Specim. Typic. pag. 35. 36.

potuit, etiam ante conceptum de *Adamo* condendo, lapſumque ejus permittendo? 2. Deum quidem *Adamum* abſque σχέσει illâ *figuratâ* primum condidiſſe, at jam lapſum in futuri Soſpitatoris *typum* tamen ordinaſſe; ut ſimile quid in *Iride* ratione Mundi, per aquas nunquam deinceps perdendi, locum habuiſſe certum eſt. Utcunque enim neque Adam neque plura alia homini integro cum in finem propoſita ſint, ut vel ipſum Chriſtum ut Mediatorem, vel aliquid Chriſti ſignificarent, ſapienter tamen ita a Deo diſpoſita ſunt, ut homo retrogrado quaſi cogitationum ſuarum greſſu ad ea remeans, poſt lapſum animadvertere in iis potuerit, adumbrationem quandam earum rerum, quas novâ promiſſione Deus ipſi jam revelaverat.

VII. Iterum quæritur: *An impiorum vel irregenitorum perſonæ typi etiam fuerint?* Reſp. Videtur primo intuitu hoc vix aſſerendum; ſed, re penſiculatius conſideratâ, patebit ſine periculo affirmari id poſſe. Quis enim neſcit, *ſuſpenſum* in V.T. Chriſti Servatoris *typum* extitiſſe? Deut. 21.22. Gal. 3. 13. Vel ſi probari poſſe quis neget, quemcunque in V. T. *ſuſpenſum* impium præciſe fuiſſe; vel dicat, rationem illam *typicam* non in *ſuſpenſo*, ſed in ipsâ *ſuſpenſione* reſediſſe, quippe quæ maledictiſſimam Chriſti crucem procul dubio portendebat, quod juxta nonnullos veriſimilitudine non caret, quis inficiari tamen poteſt, *Iſmaelem*, verè impium, *Legis* vel eorum potius, *qui ſub Lege ſunt*, ex eâque juſtitiam ſuam quærunt, *typum* geſtitaſſe? innuente id ſatis manifeſte Apoſtolo, in Ep. ad Galatas cap. 4. Ne inceſtuoſum *Judam* & *Lothi filias* addam, quibus, ut conſtat, σχέσις etiam *typica* adſcripta a quibuſdam fuit; bene ne an male jam non excutio. Fuere interim inter Antiquos, qui quod de impiorum ratione *typicâ* mox diximus, juſto latius extenderunt, eam ſcil. non ad impiorum *perſonas* tantum, ſed & ipſiſſima eorum *peccata* & maleficia trahentes. *Hieronymi* enim, *Gregorii* M. aliorumque expreſſiſſima regula fuit: *Homines malos in re etiam* non bonâ, *ſanctiſſimarum rerum, atque adeo ipſius Dei typos eſſe poſſe.* Cui geminum hoc *Auguſtini* eſt. *Nequaquam* (inquit) *offendat, quod de quibuſdam* malis operibus *hominum in Scripturis ſanctis quædam* non mala *ſed* bona *futura ſignificabantur. Servat enim ubique Divina Providentia virtutem bonitatis ſuæ, ut, quemadmodum ex adulterorum concubitu formatur & naſcitur homo de hominum opere malo, bonum opus Dei de fœcunditate, non de turpitudine vitiorum. Ita in Scripturis Propheticis non tantum* bona

Hieron. Ep. ad Rufin.

Gregor. in Job. cap. 21.

August. c. Manich. lib. 22. cap. 83.

bona hominum ſed etiam malefacta *narrantibus, quoniam prophetica eſt ipſa narratio, ſignificetur aliquid de* malis *operibus hominum etiam futurorum* bonorum, *non peccantis opere, ſed ſcribentis.* At nimis liberaliter, inquam, Patres illi proceſſêre, quia ne ullo quidem Verbi Divini adſtruunt teſtimonio, quod tam fidenter aſſirmant; Quod enim de *Lothi* ejuſque *Filiabus*, vel etiam de *Iſmaele* obtenditur, parum ad rem facit, quoniam *vel* cum ratione negari de *Lothi Filiabus* poteſt, quod reſpectum aliquem *typicum* habuerint, *vel* de *Iſmaële* dici, rationem *typi* non in profligatiſſimis ejus moribus, ſed, ut ante dictum, in perſona ejus, eo quod non ex *libera* ſed *ancilla* natus eſſet, hæſiſſe. Adhæc quæſtio non eſt, an ſapientiſſimus Deus ex peſſimis etiam hominum actionibus elicere boni aliquid poſſit, quod *Auguſtini* argumentum eſt, nemo enim id negat; ſed an *in typorum* hoc negotio Deum revera id feciſſe, evinci e Scripturis poſſit? quod nos negamus, neq; a poſſe ad eſſe valere conſequentiā exiſtimamus.

Glaſſius Philolog. Sacr. Lib. 2. part. 1. Tract. 2. §. 4. can. 7. VIII. Quapropter eorum præferenda videtur conſideratio, qui concedunt quidem, homines, etiam *impiiſſimos*, in Vet. Teſtamento Chriſti, vel rerum earum, quæ Chriſti actiones, paſſiones vel Eccleſiam ſpectant, figuras *vel typos* fuiſſe, ſed ſalutari hâc adjectâ clauſulâ: *Non in quo impii fuerunt.* Eo quod nequaquam probabile, Deoque dignum eſſe videatur, quod in Veteri Teſtamento nullâ juſtâ de cauſâ ipſiſſima peccata, quæ abominatur alias, & ne ipſe *adſpicere* quidem poteſt, conſpicienda
Habac. 1. 13. Populo ſuo tradidiſſet, ut in iis ipſis Chriſtum, & per Chriſtum gratiam ipſius cæleſtem, tanquam in ſpeculo, contemplaretur. Dico, *nullâ juſtâ de cauſâ*; quæ enim neceſſitas eſt, ut ipſa *peccata typi* ſint? quidni enim, prout imago picta prototypum referre omnibus lineamentis exacte quidem poteſt, etiamſi maculæ illi adſperſæ eum non repræſentent, ſimiliter *perſonæ* ſacrarum rerum figuræ eſſe poſſunt, utut *vitia* earum id ipſum non ſint, nec eſſe poſſint? Neque dici juvat, *peccatorum* & *peccantium perſonarum* eandem rationem eſſe, adeoque, ſi impiorum peccata typi eſſe nequeant, ne quidem ipſas eorum *perſonas* eſſe id poſſe. Legitima enim conſequentia illa non eſt; tum quod de Impiorum *perſonis*, figurativo reſpectu conveſtitis, expreſſa exempla in Verbo Dei extent, qualia de peccatis eorum hactenus adducta non ſunt; *tum* quod *perſonæ*, utut *moraliter* impiiſſimæ, ſemper tamen *metaphyſicam* quandam bonitatem adhuc habeant, Deique creaturæ ſint; peccata ex adverſo omnimode mala ſint, in quibus ne ullius quidem ullius

boni-

Digitized by Google

bonitatis, ſive *moralis* ſive *metaphyſica*, umbra ſtatui imò ne concipi quidem poteſt. Dicit quidem Clar. Heideggerus, *ad typos communes exempla tam* mala *quam bona pertinere.* At nos *typos* illos *communes*, quos alii *illatos* vocant, ſupra exploſimus, nullos alios agnoſcentes *typos*, quam qui *imperati* & *deſtinati* ſunt; ſive, ut ipſe loquitur, *diſertis e Scripturâ verbis probari poſſunt.* Et quodſi ad *typos communes* tantum exempla tam bona quam *mala* pertineant, ſequitur ad *typos innatos*, quos ſolos nos pro *typis* genuinis habemus, ea promiſcue non pertinere, ſed *bona* tantum, non *mala*; atque hoc id ipſum eſt, quod nos volumus. Confecit negotium hoc Illuſt. Spanhemius, dum dixit. *Notum eſt, in iis tantum quærendam eſſe* typi *rationem, quæ* perfectionis *ſunt*, *non imperfectionis.* *Heidegger. Hiſtor. Patriarch. part. 2. Exerc. 14. 431.* *Spanhem. Dubior. Evang. part. 2. pag. 633.*

VIII. *Dicis*, an igitur *Pharao*, *Nebucadnezar*, *Saul*, *Achab*, *Sanherib* &c. *typi* hoſtium Chriſti & Eccleſiæ ſub N. T. non fuerunt? &, ſi ſic, per quid aliud hos illi præfigurarunt, quam per cruentas & *peccaminoſas* ſuas perſecutiones, quibus, dum viverent, fideles divexarunt? *Resp.* 1. Eſſe Theologos video, qui id volunt, ſed quomodo id probent, non video. Unum tantum argumentum eſt, quod urgent, congruam nempe inter hoſce & illos convenientiam; ſed hanc *ſolam* ad conſtituendum *typum* & *antitypum* non ſufficere, ſupra ſatis aſſeruimus. Non apparet, Deum Tyrannos illos in hoſtium Chriſti ſub N. T. *typos* unquam ordinaſſe, neque tectius, neque explanatius: quod requiri tamen diximus, ſi σχέσις *typica* locum habitura ſit. Maxima, fateor, difficultas eſt in *Babylone*, cujus tota conſtitutio *figurativa* fuiſſe videtur Regni Antichriſtiani ſub N. T. etiam quoad ipſa utriuſque *peccata*. Confer. Jer. 51. 6. cum Apoc. 18. 2. At 1. Non negatur, *Babylonem* Regno Antichriſti *accommodari* poſſe, imo debere, ſed omnis *accommodatio* non eſt *typus*, ut ex ſuperioribus liquet. 2. Potuit *Babylon* Regni Antichriſtiani *typus* fuiſſe, licet relatio illa *typica* in utriuſque *peccatis* non reſederit, ſed in multiplici aliâ utriuſque cum ſe invicem conformitate, quam textus allegati ſufficienter innuunt. Totum complexum in genere, quod Jeremias de *Babylone* narrat, applicari poteſt Regno Antichriſti, licet non quoad ſingulas ſui partes *eodem modo*; ut neque opus id eſſe ad rationem *typi* conſtituendam, ante diximus. 3. Addi poteſt, nos per *typum* hic non intelligere quicquid aliquid præſignificat, ſed illud tantum, quod *res* aliquas *Chriſti* præſignificat, tum *fidei* tum *futuris promotioni* inſervientes; at vero *peccata* Antichriſtianiſmi *res Chriſti* non *Vid. Diſſ. Select. part. 1. pag. 1062.*

 ſunt

ſunt, ſed *res Diaboli*, rebus Chriſti directè oppoſitæ. Prout qualiacunque *peccata*, ut ſic, ad *Fidem* ſtabiliendam & *Pietatem* promovendam nequicquam quidem facere poſſunt, e contra utramque illam extinguere ac plane convellere apta nata ſunt. *Peccatum qua tale in ſe* (inquit Cl. Voetius) *eſt inutile*, *noxium*, *damnoſum*, nullum habet uſum, *neque ad aliquid conducit*. Quid *per accidens* inde elicere poſſit Deus, alia quæſtio eſt.

Voet. Diſput. Select. tom. 1. pag. 1062.

IX. Poſito autem jam, peccatum qua tale rationem *typi* habere non poſſe, duo inde fluere conſectaria palam eſt: 1. Hallucinatos hactenus eſſe quotquot *Achitophelem* Judæ proditoris *typum* fecerunt. Vel enim Achitophelis *perſona* Judæ *perſonam* præfiguravit, vel *mors* Achitophelis *mortem* Judæ. *Prius* ne ullâ quidem aſſeri veriſimilitudine poteſt: quamnam enim inter duos hoſce (ne de Verbi Divini indicio dicam, quod hic evidenter deeſt) *ſi perſonas* ſpectes, conceperis analogiam qualicunque modo congruentem? quæ inter omnes tamen *typos* & *antitypos* neceſſario requiritur. *Ille* Abſolomi conſiliarius fuit, *hic* Chriſti diſcipulus; *ille* merâ indignatione & ambitione, hic φιλαργυρίᾳ ad αὐτοφονίαν adactus eſt; quæ utique animæ paſſiones perquam diſcrepantes ſunt, ſi non contrariæ & ſe mutuo fere evertentes. Nullâ in re convenerunt, niſi quod ambo homines, vel hominum potius καρκινώματα fuerint. Ut neque probabile eſt *poſterius*; mortem enim *Achitophelis* morti *Judæ* conſimilem fuiſſe, quis juſtis unquam rationibus aſſeruit? Planè mihi incertum eſt, quomodo interierit Achitophel, an *ſuſpendio* ſui, an *alio* mortis genere. Eo magis, quod inter ipſos Hebræorum Magiſtros non deſint, qui mero mærore animique ægritudine conſumptum ipſum fuiſſe arbitrati ſunt. Et perierit *ſui ſuſpendio* Achitophel, unde conſtat, eadem ratione & non aliâ *Judam* quoque periiſſe? Video quidem judicari ſic vulgo, ſed argumenta ſententiæ illius omni exceptione majora hactenus non vidi. Imò vero (quod fuſius alio demonſtrandum eſt loco) ſui eum *præcipitatione* periiſſe nullus dubito, non ſui ſuſpendio. Vel eſto, quod uterque *eodem* ceciderit modo, ſequiturne inde mox, alterum alterius *typum* extitiſſe? quis hoc dicat? Niteretur id utique falſâ illâ hypotheſi, ſupra profligatâ, qualemcunque inter rem & rem, perſonam & perſonam analogiam ac conformitatem *typum* ſtatim facere. Et quodſi ſuſpendio & *Achitophel* & *Judas* periiſſent, non poteſt tamen *ille*, mortis ratione, ut *hujus* conſiderari *typus*; quia ſui illud ſuſpendium in Achitophele

Oran. de Apoſtaſia Judæ Conc. 29. pag. 337.

Rupert. in libb. Reg. lib 2. cap. 35.

phele *atrox* procul dubio peccatum fuit; at vero actiones impiorum *peccaminoſas* rationem *typi* proprie dicti habere non poſſe, id ipſum eſt, quod jam demonſtravimus. Sequitur 2. Αὐτοχειρίαν *Simſonis*, de quâ Judic. 16. 30. quâ mediante, ut Philiſtæos perderet, ſe ipſum ſimul perdidit, pro *peccato* habendam non eſſe; eo quod non tantum perſona, ſed & ipſa mortis ejus ratio (ut apud omnes in confeſſo eſt) mortis Chriſti *typus* fuerit, &, ut jam dictum, quod peccatum eſt, *typus* eſſe non poſſit. Nihil quidem naturæ humanæ magis inimicum eſt, quam propriam ſibi mortem conſciſcere; *Nemo enim propriam carnem odio unquam habuit*. Eph. 5. 29. Attamen de *Simſonis* hoc facto favorabilius pronunciandum eſt, *tum* ob rationem allatam, *tum* quod oppreſſerit ſe ipſum cum hoſtibus ſuis ruinâ domus, non ex deſperatione, præſumptione, vel qualicunque alio inordinato animi motu, ſed ut Dei *Nazaræus*, publicuſque Populi tum Judex tum Vindex, cujus poteſtati Deus propriam ipſius vitam ſubjecerat, impulſu plane extraordinario; vel (ut verbis loquar Auguſtini) *quia Spiritus latenter hoc juſſerat, qui per ipſum miracula faciebat; non humanitus deceptus, ſed Divinitus juſſus, non errans, ſed obediens. Cumque* (ut idem alibi) *Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis obſequium pietatis accuſet?* Actum vero Spiritu extraordinario *Simſonem* fuiſſe, manifeſtum eſt, quia Scriptura, Judic. 14. 19. expertè id dicit. Cum vero in aliis actibus Heroicis & miraculoſis peculiariter ipſum moverit egeritque Dei Spiritus, quis crediderit eum, in hoc omnium maximo motu illo deſtitutum fuiſſe? Accedit, quod ſingularem Dei operam, antequam columnas domus convelleret, oratione piiſſima petierit ſimul, atque impetrarit. Ne addam univerſum Theologorum chorum, cujuſcunque profeſſionis ſint, in hoc conſpirare, quod inſignem hunc DEI miniſtrum peccato hic abſolvant. Sic, præter laudatum mox *Auguſtinum* alioſque Patres, *Pellicanus*, *Calvinus*, *Martyr*, *Piſcator*, *Rivetus*, *Ameſius*, *Voetius*, *Turretinus*, *Burmannus*, *Lyranus*, *Serarius &c.* Quin, *Saliano* Authore, *Bacchiarius* hoc nomine *Martyrem* ipſum dixit; ut & cædem ejus *virtutem* vocitavit Ambroſius, *Virtutis* (inquit) *fuit, quod victoriarum numero diem clauſit, neque captivum exitum ſed triumphalem invenit*. Prudenter tamen monuerunt omnes, in imitationis exemplum factum hoc trahendum non eſſe; *quia neſcimus, cujus Spiritus ſimus*. *Luc.* 9. 55.

Heb. 11. 32.

Turretin. Inſtitut. Theolog. Elenct. part. 2. *pag.* 16. 129.

Auguſt. in Judic. 16. 30. *Et. de civit. Dei. lib. c.* 16. & 21.

Voet. Select. Diſp. part. 4. *pag.* 259.

Salian. Ann. V. T. ad Ann. M. 2899.

Ambroſ. Ep. 24. *ad Vigil.*

X. Adhuc quæritur. *An etiam Novo Teſtamento typi quidam* *adſcri-*

adſcribendi ſint? Reſp. Quod ſic, licet multo pauciores, ac fuere ſub V. Teſtamento. Poſito enim quod *typorum* ſit, non ea præciſe ſignificare, quæ Chriſti perſonam, actiones, paſſionesque concernunt, ſed etiam, quæ Eccleſiam ejus ſpectant, id eſt, Chriſtum Myſticum; horumque varia plene impleta necdum ſint, conſequi neceſſe eſt, rationem eorum *typicam* ac figurativam ceſſare necdum poſſe. Sic Ex. Gr. variis in Veteri Teſtamento rebus adumbrata eſt *Mortuorum reſurrectio, Judicium extremum, Vita æterna, Caſus Antichriſti, Liberatio Eccleſiæ* &c. Quæ omnia cum necdum evenerint, imo quædam ne ex parte quidem, quis non videt res ea adumbrantes *typicas* ſive figurativas adhuc manere? Rurſus Clariſſ. Junius: *De futuris* (ait) *extant exempla innumera, ex quibus id certo conficitur, ingrati eſſe animi, ſi parvi feceris, inſani, ſi abjeceris typos & allegorias rerum futurarum; ut cum a Scripturis futura Dei judicia in rebellem hunc mundum & in Antichriſtum ipſum prædicantur, quum ſecundus Chriſti adventus & gloria ejus figuratur, quum adumbratur ultimum judicium illius, quum Eccleſiæ Catholicæ dignitas & cæleſtis Jeruſalem majeſtas exornatur, & alia ejuſmodi, quæ non mediocriter poſſunt mentes humanas afficere.* Iunii veſtigia premit Voſſius, ut enim Samariæ excidium Hieroſolymitani, ita Hieroſolymitanum, quod ſub Novo Teſtamento incidit, excidii univerſalis in extremo judicii die *typum* facit: *Hoſeas* (inquit) *cap.* x. 8. *de* Samaria *loquitur. Sed hujus excidium* typus *fuit excidii Hieroſolymitani, ut Hieroſolymitanum* typus *eſt excidii univerſalis.* Iohannes de Parma, monachus Italus, in peſtilentiſſimo ſuo libro, quem *Evangelium Æternum* inſcripſit (Cl. Uſſerius *Novum Fratrum Alcoranum* eum vocat) eo uſque proceſſit, ut, dum totus eſſet in *Novo* Teſtamento cum *Veteri* componendo, prout *hoc* typicum fuit, & impletis typis evaneſcere debuit, ita & *illud* aliarum etiam rerum *præfigurativum* fecerit, ita quidem, ut, cum res illæ præſentes eſſent, N. Teſtamentum plane etiam evacuandum & projiciendum foret. Diſerta ejus verba ſunt: *Novum Teſtamentum eſt evacuandum, ſicut Vetus evacuatum eſt.* Et alio loco: *ſicut, veniente Johanne Baptiſta, ea, quæ præceſſerunt, reputata ſunt vetera propter Nova ſupervenientia, ita, adveniente tempore Spiritus Sancti, ſive tertio ſtatu mundi, ea, quæ præceſſerunt, reputabuntur ut* vetera, *propter* nova, *quæ ſupervenient. Per quod datur intelligi, quod* Novum Teſtamentum *reputabitur* Vetus, *& projicietur.* Sic monſtroſus ille Autor. Quinimo omnes illi Theologi, quos tamen abſit ut cum im-

Iun. Parall. Lib. 1. Parall. 6.

Voſſ. Harmon. Euang. lib. 2. cap. 6. §. 12.

Uſſer. de Succeſſ. Eccl. in Occident. pag. m. 345.

Nic. Emeric. Directr. Inquiſit. part. 2 qu. 9. § 4.

puro

puro hoc Hæretico comparem, qui per *τὰ μέλλοντα ἀγαθὰ* Bona *futura*, Hebr. 10. verſ. 1. indicata volunt cæleſtis Patriæ beneficia, ut *Cajetanus*, *Arias Montanus*, *Thomas*, *Anſelmus*, *Calvinus*, nec non *Beza*, licet ſcrupuloſius, univerſum N. Teſtamentum *typicum* pene faciunt, hoc tantum a *Lege Moſaicâ* diſcrimine, quod *hæc* typus fuerit obſcurior, *illud* typus ſit expreſſior; hæc *σκιά*, illud *εἰκών*; per *σκίαν* intelligentes adumbrationem ſive repræſentationem rei *involutiorem*, per *εἰκόνα* ſive *ipſam imaginem*, explanatiorem & *evolutiorem*. Sumptâ metaphorâ a pictoribus, qui primum cretâ vel carbone delineare aliquid ſolent, deinde vivos colores penicillo inducere, ut diſtinctior & expreſſior ſimilitudo fiat, neque plus tamen, quam *ſimilitudo*, non ipſa rei *veritas*. Similitudo vero, *futuram* aliquam de *Chriſto* vel *rebus Chriſti* veritatem portendens, quid aliud eſt quam *typus*? At vero, cum ea interpretatio loco illi analoga non ſit, non eſt quod temere eam adoptemus. Scopo quippe Apoſtoli nequaquam convenit, qui eſt Legis *Veteris* præ *Nova* imbecillitatem tantum demonſtrare; ſive autem apertè ſive obſcure ceremonia cæleſtem gloriam repræſentet, non ideo plus aut minus valebit ad eam præſtandam. Apoſtolus ſic argumentatur: Quod *umbra* eſt, non autem *imago* futurorum *bonorum*, non poteſt populum ſanctificare, quia ſanctificatio inter *bona futura* continetur; Atqui hoſtiæ Legales ſunt *umbræ*, Ergo non poſſunt Populum ſanctificare. Quodſi vero *umbra* & *imago*, ut magis & minus præſignificantes hic tantum diſtinguantur, quomodo hæc certius, quam *illa* dici poteſt populum ſanctificare? Ne dicam, opponi hic e diametro *σκιαν* & *εἰκόνα*; atque illa oppoſitio, ſi *εἰκῶν*, non minus figura & *typus* ſit, quam *σκία* ſive umbra?

XI. Quapropter ſequentia hæc de *Typis* Novi Teſtamenti potius obſerves? I. In præſentem Foederis œconomiam nullos de novo *typos* a Chriſto vel Apoſtolis introductos eſſe: manere quidem antiquorum *aliquos*, donec acceſſus corporis, id eſt, eventus evaneſcere eos facit, ſed non inſtitutos eſſe *novos*. Hoc enim N. Teſtamenti prærogativis directè repugnat; quas inter non minima eſt, quod ſub eo viventes modo non amplius abſcondito, ſive per *umbras* & figuras, ſed aperto & manifeſto in Sacrarium Dei intromittantur. Niſi forte in *figuratis* quibusdam rebus geſtis, ſub initium Novi Teſtamenti, non adeo e longinquo præcedaneis, præcedentibus tamen

Digitized by Google

proxime rem ſignificatam, *typos* aliquos, vel quicquam iis analogum, obſervare velis: V.G. *Morborum ſanationem* per Chriſtum *portationis Spiritualium morborum* typum, quæ in Cruce peracta fuit. Matt. 8. 17. 1 Pet. 2. 2. (2) Ceſſare jam in totum onus illud importabile *Ceremonialis* legis, quæ univerſim conflata ex umbris *typiſque* fuit. Omnes *typi* nondum ceſſant, ceſſat tamen omnis ea obſervatio, quæ præceptis *typicis* præſtanda olim fuit. *Veritate apparente inutilis utrique eſt* Figura & *umbra*, inquit *Damaſcenus*. Gal. 4. 5. Epheſ. 2. 14. 15, Coloſſ. 2. 14. Heb. 7. 18. & 8. 13. Media enim non adhibentur, niſi in ordine ad finem; at quis *typorum* alius finis, quam *ſignificandi* utilitas, quæ ſenſu, quo diximus, ceremoniarum reſpectu, eſſe jam deſiit? (3) Ipſiſſimos illos *typos*, qui obſervationis reſpectu jam modo evanuerunt, varium tamen ſub N. Teſtamento uſum adhuc habere. Uſum (a) *Inſtructionis*, docentibus nos illis *figuris*, priſcum Dei Populum non minus ac nos, naturaliter impurum, peccatis immerſum, maledictionique obnoxium fuiſſe. Dictabant id certè crebræ ejus *lotiones*, *maciationes*, *Sacrificia* &c. Quæ tametſi, ut ante dictum, interni ipſius ſtatus coram Deo *typi* propriè dicti non eſſent, ut qui rerum *futurarum* tantum ſunt, ejus certa & indubitata indicia tamen erant; adeo ut per *Aquas*, ad quarum uſum, in purgationem corporis externam obligabantur, immundities ejus ſpiritualis διαῤῥήδην repræſentaretur. Heb. 9. 13. 14. Pſ. 51. 9. Ut & per effuſum in victimis *ſanguinem* maledictio, cui per peccata ſua ſubjectus erat. Quæ ipſa & nobis jam eadem via repræſentantur. (b) *Obligationis*, non quidem ad obſervationem rerum, quæ Ceremoniis imperantur, externam, ab hac enim liberati ſumus, ad obedientiam tamen earum analogicam, & quoad genus. Etiamſi enim ſpecies earum ſive *jus particulare* Iſraelitis præſcriptum jam ceſſet, genus tamen vel *jus commune* rectè adhuc inde eruitur. Sumantur leges de *Decimis*, de *Immundorum purificatione*, de *Abſtinentiâ a ſanguine & ſuffocato*, de *Leviratu* &c. Omnes illæ fuere *typicæ*, neque ſecundum litteram nos amplius obligant; quoniam tamen intentio earum generalis *moralitatem* aliquam involvit, eatenus nos adhuc ſpectant, neque obſervatio earum ſuſque deque eſt habenda. (c) *Gratiarum actionis*; ut agnoſcamus gratanter ſingularem nobis, ſupra Populum illum antiquum, a Deo demonſtratam benivolentiam, quâ a ſervitute *elementorum mundi* liberare nos Deus dignatus eſt, cui ſubjacere hactenus Iſraelem ſuum

Damaſcen. de Fid. Orthod. lib. 4.
Dan. 9. 27.
Matt. 11. 12.
Act. 15. 6. & 10. *verſ.* 11.

ſuum voluit. *Nunc abſque lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, cui teſtimonium perhibet Lex & Prophetæ; ſic ut perſtare jam poſſimus in libertate, quâ Chriſtus nos liberavit, neque opus ſit, ut ſervitutis jugo rurſus implicemur.* Rom. 3. 21. Gal. 5. 1. (4) Utcunque conſiderandi adhuc ſedulo ſint, qui ſuperſunt in N. Teſtamento, *typi*, imo neque ipſi illi plane negligendi, qui complementum ſuum jam modo habent, nunquam tamen ita affigendum & mancipandum animum iis eſſe, quin potiori ſemper loco habeantur iſtiuſmodi Chriſti Apoſtolorumque Inſtitutiones, tum *doctrinales* tum *morales*, quæ aperte & abſque involucro Sacra nobis myſteria ob oculos ponunt. *Hiſtoriæ ſimplices* (verba ſunt Munſteri) *ſemper majoris faciendæ ſunt* allegoriis, *vel typis.* Et Veſthemerus: *Hæc non ſunt* (loquitur de *Typis* & figuris) *in quibus fidei cardo verſatur, quare in his rebus nequaquam contendere* fas eſt. *Spirituales ſunt delitiæ, quæ mentem piam oblectant & recreant, quas impia mens rejicit & contemnit. Hiſce* enim facilius ac felicius procul dubio in cognitione divinâ proficere datur, quam *illis*; quibus accidere fere videas, quod *Prophetiis*, quæ, donec impletæ ſint, obſcuritate non carent. *Priuſquam enim* (dicit Irenæus) *effectum habent*, ænigmata & ambiguitates *ſunt hominibus.* Ad rem Epiſcopus Saliſburienſis: *Euangelica doctrina clarè jam proponit omnia illa myſteria, quæ obſcurè tantum innuebantur in Ceremoniis. Carnalis itaque celebratio jam quieſcat, cum Spiritualis ſignificatio luceſcit; quid enim opus parvulâ lucernâ Sole ſplendente?* Invehitur in eos, qui ſecus procedere hic ſolent, Celeber. *Junius* hunc in modum: *Non poſſum ſatis mirari audaciam illorum, quibus nihil omnino ſapit, niſi quod* typis *legalibus & Allegoriis involvitur; quâ ratione lux Euangelii non modo reflectitur, ſed etiam obſcuratur, corrumpiturque, & indigniſſimè tenebris commutatur.* Aliud eſt, ſi ad Doctrinæ Chriſtianæ explicationem ex variis & elegantibus potius V. T. *typis* illuſtrationes & amplificationes deſumi contingat, quam ex rebus terrenis aliis, fictiſque ab hominibus ſimilitudinibus. Nemo enim eſt, qui illaudabile id dixerit; quin convincendis e contra & emendandis animabus multo forte conducibilius eſt, quam ſi rethoricationibus commentitiis, ludicriſque verborum ἀφορμίαις res agatur. *Quæ enim* (ut bene alicubi Zepperus) *ſimilitudines in majori apud nos eſſent pretio? Quænam ſalutis noſtræ in Chriſto myſteria, & Eccleſiæ ſingulorumque fidelium erga Deum & proximum officia pietatis & charitatis evidentius exprimerent, quam a Deo ipſo uſurpatæ in Lege ſua.*

Munſt. in *præfat. ad V. T.*

Veſthemer de Tropis S. *Script. Fol.* 368. *v.*

Irenæus. lib. 4. *cap.* 43.

Davenant in Coloſſ. 2. *verſ.* 17.

Jun. Oper Theolog. T. I. *pag.* 1390.

Zepper. de legib. Moſaic. lib. 5. *cap.* 14.

XII. Diſquiſitu etiam dignum eſt, cum jam quid *typus* ſive figura ſit, conſtat, *unde quid genuinus ejus* antitypus *ſive* figuratum *ſit*, *dignoſci poſſit*. E. G. Conſtat mihi (inquis) *Limbum aureum*, qui Arcam foederis olim cinxit, Veteris Teſtamenti *typum* extitiſſe, pertinuit enim ad legis *Ceremonias*; at unde jam ſciam, quid pro *figura* illius figurato ſit habendum, ſive quid ſingulariter *Limbo* illo ſignificatum voluerit Deus, quid non ſignificatum? *Reſp.* (1.) Et quidſi nunquam id ſcires, num cum ſalutis tuæ impendio conjunctum id ferret? Abſit. Omnium enim Ceremonialium res *figuratas* præciſè noſſe fundamentalis fidei cognitio non requirit. Maxime cum de iis omnibus & ſingulis μετὰ μέρος agere, ne ipſi quidem Apoſtolo viſum fuerit. Heb. 9. 3. 4. (2.) *Typo* ſive figurâ cognitâ, omne illud pro *figurato* & *antitypo* ejus habendum eſt, quod verbum Dei præfiguratum eâ eſſe diſertis verbis declarat. Matt. 12. 34. 40. 41. Joh. 3. 14. 1 Cor. 14. 4. atque hoc procul dubio *antitypi* indicium eſt omnium certiſſimum. (3.) Pateſcere tamen & *typus* poteſt ex *ſimilitudine*, quam inter *figuram* & rem aliquam N. T. intercedere deprehendimus. *Quando in typo* (verba ſunt Cl. D. Witſii) *aliquid reperitur*, *in quo cum* antitypo *ſimilitudinem habet*, *merito aſſeritur*, *Deum*, *qui omnia ab initio novit*, typum *ita diſpoſuiſſe*, ut *eam*, *quæ in* antitypo *eſt*, *veritatem præſignificaret*. Cognoſci aliquando *figura* poteſt, nullâ ejus ſimilitudine adhuc cognitâ, per Sacræ Scripturæ vel generale vel ſpeciale, vel tectius vel explanatius, vel directum vel indirectum indicium. E. G. Scire quis olim potuit, *Propitiatorium*, eo quod ad cultum *ceremonialem* pertineret, Chriſti Soſpitatoris *figuram* eſſe, etiam antequam, qualisnam inter hunc & illud *convenientia* intercederet, perſpectum haberet. At, niſi Deus κατὰ τὸ ῥητὸν declaret, antitypum vel figuratum quid eſſe, cognoſci id nunquam poteſt, niſi comparatione ejus cum *figura* ſuâ inſtitutâ; quæ comparatio nunquam rite fit, niſi convenientiæ vel ſimilitudinis illius cognitione interveniente. *Sola ſimilitudo*, ut ante dictum eſt, neque figuram facit neque figuratum, attamen hoc vel illud figuratum hujus, & non alterius rei figuratum eſſe, vix bene cognoveris, niſi ſimilitudine, quæ inter utrumque intercedit, rite etiam perceptâ. 4. Neque de *qualicunque* tamen *ſimilitudine* intelligendũ id putes, ſed de tali tantum. (a) Quę facili negotio ſe prodit. (b) Quæ, non ex ſingularum (ut monuimus) *typi* partium conflictu ſed totius comparatione eluceſcit. (c) Quæ rei figuratæ, alio expreſſiori modo in verbo Dei ut talis non in-

Witſ. Oeconom. fœder. Dei. lib. 4. cap. 6.

indicatæ (nam tum regula hæc non tenet) *per excellentiam* propria eſt, id eſt, ita ei peculiaris, ut eo modo & gradu in res alias neque cadat, neque cadere poſſit. Sic *Manna* figuratum fuit *Chriſtus*; quare & in ſolo *Chriſto* ita prodere ſe oportuit, quod *Manna* illa repræſentabat, *panem* nempe *e Cælo eſſe*, ut in nullâ re aliâ ſenſu illo apparere potuerit. Atque hoc reſpectu non abſurde dici forte poteſt, unius typi *unum* tantum *antitypum* eſſe poſſe, niſi quoad aliam ſui partem, etiam alia quædam cum re aliquâ aliâ ſimilitudo ſe prodat, quæ illi iterum rei ſingulariter & καθ' ἐξοχὴν propria ſit; tunc enim, ſecundum id, in quo conveniunt, *typi* & *antitypi* dici quoque poſſunt. Præcipue (quod obſervatum Magno *Turretino*) ſi myſteria, *quæ præfigurantur, ſubordinata ſint, & σχέσιν ad ſe invicem habeant*: Quod *Tabernaculi* exemplo confirmat. Sic *Tabernaculum* (inquit) *fuit typus* Chriſti *Joh.* 1. 14. Eccleſiæ *& fidelium Eph.* 2. 20. *&* Cæli. *Apoc.* 7. 1. 2. Sacerdotes Chriſtum *repræſentabant, qui ſummus eſt Pontifex N. T.* & Miniſtros *Evangelii, qui debent λειτουργεῖν Deo, &* fideles, *qui facti ſunt* regale Sacerdotium. *Paſcha fuit non tantum memoriale* tranſitus Angeli per Ægyptum *& liberationis ab Ægypto, ſed Symbolum* redemptionis per Chriſtum futuræ *a ſervitute Diaboli & peccati, & figura tranſitus fidelium a ſervitute ad libertatem, a morte ad vitam.* 1 *Cor.* 5. 7. Veriſſimè hæc ita ediſſeruntur, neque obſtat tamen, quo minus res vel perſona una multo excellentiori modo hujus illiuſve Typi *antitypus* eſſe poſſit, quam alia. Quo ſenſu intelligendi tum etiam ſunt, qui Chriſtum non tam *vulgarium Sacerdotum*, quam ſolius ſummi *Pontificis* antitypum proprie faciunt; quod nempe in *hoc* peculiare quid fuerit, quod in *illis* vel plane non fuit, vel ſenſu ſaltem perquam diminuto & analogice tantum. Prout iidem vulgares Sacerdotes etiam pro typis quidem habent ſed, non tam pro Chriſti, quam pro fidelium N. T. typis, quos quippe primario repræſentarunt, ut Pontifex primario Chriſtum; adhæc Sacrificia expiatoria, quæ offerebantur, non tam pro perſonæ Chriſti, quam pro Sacrificii ejus *typis*. (d) Quæ denique ad doctrinam tum *veritatis* tum *pietatis*, juxta Scripturas, illuſtrandam, confirmandam & adjuvandam ſingulariter comparata eſt, ut ſupra etiam monuimus. *Eorum* (dixit ſupra Calvinus) *quæ non obſcura ſunt, & apta ad fidei ædificationem*: Hæc enim omnium *typorum* & *antityporum* finis eſſe debet. Quamobrem ſi *ſimilitudo* non niſi in titivillitus quibuſdam hæreat: id eſt, in rerum, quæ præfigurari dicuntur, adjunctis, proprietatibus, effectiſve quibuſdam nullius pene momenti vel uſus, *antitypi* vel figurati ratio elici inde nec debet, nec poteſt.

Turretin. Inſt. Theolog. Elenct. part. 3. *pag.* 167.

1 *Petr.* 2. 5.

Apoc. 1. 6.

XIII. Maximè tandem perplexum eſt, *quâ viâ fideles V. Teſtamenti veram typorum & antityporum rationem cognoſcere potuerint?* Certum quidem eſt, noſtris hiſce temporibus cognitu poſſibile eſſe, oculatioribus imprimis, quænam perſonæ vel res *typi* figuræque ſub V. T. fuerint, quidque ſignificatum iis Deus voluerit; in quantum nempe Scripta N. T. accommmodationem earum ad Chriſtum vel res Chriſti nobis ob oculos ſæpe ponunt; at quomodo etiam ipſi olim *Iſraelitæ*, omnibus hiſce accommodationibus & applicationibus deſtituti, reſciſcere id potuerint, non ita in propatulo eſt. E. G. *Iſaac*, *Moſes*, *David* &c. Chriſti fuerunt *typi*, quod nos per N. T. revelationem jam percipimus, ob eamque credimus; at quo medio *pii* Veteris Teſtamenti id ſciverunt? quid docebat eos, dum *Iſaacum*, *Moſem*, *Davidem* &c, conſiderarent, ſe *tum* Chriſtum ipſum, *tum* res Chriſti quærere & contemplari in iis debuiſſe? Animadvertit etiam hanc difficultatem
Salmurienſ. Part. 3. pag. 26. Amyraldus, dum dixit: *Proclive eſt rem jam* exhibitam *atque poſitam ante oculos conferre cum* typo, *atque ex eâ collatione deprehendere alterius in altero imaginem delineatam & adumbratam. At antequam exhibeatur, cum ſolus* typus *verſatur ante oculos, tam multa eos fugiunt in illâ imagine, ut nihil fere in eâ cernant, niſi admodum confuſe. Reſp.* Dubitandum non eſt (ne repetam quæ ſupra hanc in rem dixi) cum Deus priſcis illis temporibus erudire ac dirigere ſuos voluerit mediantibus variis *typis*, quin docuerit etiam eos, quidnam *typi* illi eſſent, quidque inculcatum iis populo ſuo vellet. Neque enim ſuos ut equos, aut aſinos, aut animalia bruta tum ducebat, ſed ut homines ratione præditos, quos ſcire conveniebat, quò & quomodo, præſertim in cultu Deo ſuo exhibendo, adeoque & propriæ ſalutis negotio, ducerentur ac dirigerentur. Tametſi neque minus certum ſit, cunctos ſingulosque homines ſub V. Teſtamento genuinæ illius *typorum* & figurarum intelligentiæ æqualem menſuram non habuiſſe, nedum quod ad tam perſpicuam earum cognitionem, ac nos jam fere habemus,
Rom. 16. 25. acceſſiſſent. *Tacitum* enim *myſterium hoc fuit a temporibus ſecularibus*, inquit Apoſtolus. *Et lux Solis ſeptupla jam eſt, velut ſeptem dierum*,
Eſ. 30. 26. Paruit id in Reginæ *Candacis* Eunucho, qui quid vellent
Act. 8. 34. *Eſaiæ* verba cap. 53. 2. 3. ſine interprete non intelligebat. Act. 8. 34. Tantum nihilominus cæleſtis ſui luminis unicuique eorum procul dubio tum impertiit Deus, quantum ad *fundamentalem* de Chriſto Soſpitatore futuro cognitionem, ut & ad ſingula-

larium quorundam munerum, quæ hi illive ſorte obibant, executionem opus eſſe ſciebat: ob quam munerum executionem credibile etiam eſt, pluſculum Ipſum paſſim de materiis illis Patriarchis & Prophetis ſuis revelaſſe, ac fidelium quidem vulgo; eo quod illi doctores & ductores hujus eſſent.

XIV. Abſit tamen, ut Deus Populum ſuum ἐκλεκτὸν in *typorum*, quos ipſi proponebat, ſenſum eâ induxerit viâ, quam ſomniantes & ſuperbientes Judæi poſtmodum commenti ſunt. Artem eorum reſpicio *Kabbaliſticam*, ſive *Logicam myſticam*, turgicam illam Magiam, ſuperſtitionis ῥαψῳδίαν, quâ verba & nomina & litteras, σποράδην in Scripturâ poſitas, pro arbitrio ſuo colligentes, dividentes, transferentes, alterumque ex altero facientes, membra ſolvere ſolent veritatis; vel, ut Genebrardus, artem illam *quæ languet circa litterarum apices, numeros, tranſpoſitiones, anagrammatiſmos, vocum inverſiones, alluſiones, amphibologias, homonymias &c.* Artem adeo inſulſam, ut mirari nunquam non ſubierit, quomodo ipſe etiam *Hieronymus*, vir ſubaƈtiſſimi aliàs judicii (quem ſecutus eſt a *Lapide*) ad nugaciſſimum hunc Scripturas explicandi modum induci nonnunquam ſe paſſus ſit. Specimen ejus exhibet (ut alia prætercam) in obſervationibus ſuis ad *Jeremiam* cap. 25. Ubi, probaturus per *Seſacum* intelligi debere *Regem Babylonis* ſive *Babylonem* ipſam, rationemque redditurus, ob quam *Jeremias Seſac* potius dixerit quam *Babylon*, ſic procedit: *Quomodo Babylon, quæ Hebraicè dicitur* בבל *intelligatur* ששך *non magnopere laborabit, qui Hebrææ linguæ parvam ſaltem habuerit ſcientiam. Sicut apud nos Græcum Alphabethum uſque ad noviſſimam litteram per ordinem legitur, hoc eſt, α. β. γ. &c, uſque ad ω, rurſumque, propter memoriam parvulorum, ſolemus lectionis ordinem vertere, & primis extrema miſcere, ut dicamus α. ω. β. ψ. ſic & apud Hebræos primum eſt* א. *ſecundum* ב. *tertium* ג, *uſque ad vigeſimam & extremam* ת, *cui penultima eſt* ש. *Legimus ita* ת. א. & ש. ב. *cumque venerimus ad medium* ל, *littera occurrit* כ, *& ut ſic rectè legatur, legimus* בבל *ita, ordine commutato, legimus* ששכ. At quam diluta hæc ſunt! Vix ſolidiora certe, quam ſi quis cum *Antiquorum* quibuſdam ex Græco nomine Ἀδαμ *quatuor* Mundi *plagas*, Ἀνατολὴν, Δυσμὴν, Ἄρκτον, & Μεσημβρίαν extunderet. Vel *Trinitatem* exſculperet ex duabus primis dictionibus Geneſios בראשית ברא; intelligentes per ב. בן *Filium*, per ר. רוח *Spi-*

Genebrard. Chronograp. lib. 2.

Hieronym. in Jerem. 25. 26.

Beda in Iohann.

Spiritum, per אב ,א *Patrem*; poſito in medio *SpirituSancto*, quod hic nexus & vinculum mutui amoris inter *Patrem* & *Filium* ſit: ut nugatur *Reuchlinus*, & cum ipſo *David Chytraus*. Quibus ingenii luſibus, vel potius nugationibus, utinam plus juſto favere etiam non deprehenderem Virum alias Doctiſſimum, *Andream Acoluthum* in Tractatu ſuo de *Aquis Amaris*, ubi ſic de *Kabbaliſticis* ſemel iterumque: *Experire, non ride*. Et pag. 281. *Quæ quidem rudis in litteraturâ* Cabbaliſticâ *Davus nugas dixerit, non item gnarus iſtius ſcientiæ Oedipus.*

Acoluth. de Aquis. Amar. cap. 3. §. 29. 57.

XIV. Bellula nihilominus & ſuperſtitioſa hæc μέθοδος fuit, quâ Judæorum plurimi, poſt puriora Iſraelitarum tempora, ut univerſæ Scripturæ V. T., ſic omnium præcipuè *Legalium* & *Typicorum* ſenſum expiſcari conati ſunt; aliiſque eam, quos quisquiliis iſtiuſmodi delectari videbant, dictatorie ſatis obtruſerunt. Prout neque aliâ quâpiam ratione, quam hac, *Salomonem* inſignem ſuam, quâ polluit, ſapientiam ſibi comparaviſſe gloriari etiamnum ſolent. *Hæc ſapientum noſtrorum* (inquit Menaſſeh Ben-Iſrael) *Theologia eſt, quâ probant Theologi nullam artem, nullam eſſe ſcientiam, quæ non in* Lege *contineatur. Ex hac tanquam ex Epilogo omnium, omnia colligunt.* Et Joſeph Ben-Gorion: *Pharisæi dicebant, ſervemus* Legem, *quam tradiderunt Patres noſtri in manus noſtras, expoſitam juxta os Sapientum, qui expoſuerunt* Legem *per Cabbalam.* At quis, obſecro, crediderit Deum τρόπῳ παιδείας tam lubrico, nullis Scripturis nixo, mero humanæ vanitatis figmento, Populum ſuum, de ſummis Fidei myſteriis, quæ ſub ænigmatibus *Typiſque* V. T. nunquam non deliteſcebant, erudiri unquam voluiſſe? Ego quid *Kabbala* hæc ſit, corculum Magiſtrorum tam dilectum, quæque exercendæ & uſurpandæ ejus ratio olim fuerit, vel etiamnum ſit, pluribus hic non ediſſeram: fecerunt id ante me alii, inter alios maxime perſpicuè ὁ πάνυ *Voetius*, qui univerſo Artis illius apparatui paucula hæc tantum opponit, omni certè exceptione majora: *A nominum aliquâ convenientiâ ad rerum convenientiam, a reali rerum ſimilitudine ad earum identitatem, a Literis ad nomina, a nominibus ad res, nullam ſolidam deduci conſequentiam. Præterea numerorum, vocum, figurarum & characterum nullam eſſe efficaciam.* Adhæc: *quidlibet ex quolibet per mentem hanc artem deduci ac probari ſic poſſe; vel per* notarikon *ejusque varios modos; vel per* temoura, *ſeu anagrammatiſmum; vel per* gematriam.

Menaſſ. Ben-Iſr. Concil. pag. 170. 171.
Gorionid. Hiſtor. Iud. Lib. 4. c. 6.
Hotting. Theſauro Philol. lib. 1. cap. 3.
Witſ. Iudæ. Chriſtianiz. pag. 242.
Voet. Diſp. Select. part. 3. pag. 226. 227. 233.

XV. Hac ergo ratione Veteres Iſraelitæ in genuinum *Typorum* intel-

intellectum *non* pervenerunt. Explanandum jam, quomodo *imò* eò pervenerint. Cognoverunt illi quid *typi* eſſent, quidque ſignificarent, viâ vel *generaliori* vel *ſpecialiori*. In *genere* ſe per multos *typos* figuraſque a Deo duci, modumque acquirendæ ſalutis doceri, colligere potuerunt ex inſigni & numeroſiſſimo tot corporearum rerum, tot *Lotionum*, *Feſtorum*, *Ciborum*, *Sacrificiorum* apparatu, quo detinebantur continuo & onerabantur. Non neſciebant, Deum eſſe *Spiritum*, adeoque coli velle in *Spiritu & veritate*, neque ullis rebus externis in ſe conſideratis, affici poſſe, ut ipſe teſtatus eſt, Pſ. 50. 13. *An veſcor carne robuſtorum Juvencorum, aut ſanguinem Hircorum bibo?* Quinimo ipſa naturalis ratio Paganos id ſemper docuerat. Utcunque enim inter eos fuerint, qui Deos ſuos κνίσσῃ delectari, & δαιτὶ παρῆσθαι καὶ ἀντιάαν ταυρώντε καὶ ἀργειῶν ἑκατόμβης, id eſt, hominum veluti more *aſſidere epulo & benevolenter occurrere Hecatombis taurorum & agnorum* putavêre; illa tamen θῦμα κάλλιστον καὶ θεραπείαν μεγίστην *pulcherrimum Sacrificium* fuiſſe, *& cultum*, nunquam dixerunt, imò contrarium apertè ſemper profeſſi ſunt. Ita *Plinius Secundus* ad Trajanum: *Animadvertito* (inquit) *Deos ipſos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentiâ & ſanctitate lætari, gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carnem intulerit.* Ita *Ovidius*:

Joh. Gerard. Locc. Theol. Tom. III. pag. 117.

Juſtin. in Tryph. pag. 227.

Tertullian. adv. Marcion. lib. 2. c. 11.

Plin. Panegyr. ad Trajan.

> *Non bove* mactato *cæleſtia Numina gaudent,*
> *Sed quæ præſtanda eſt, & ſine teſte, fide.*

Ita Perſius:

> *Quin damus id ſuperis, de magno quod dare lance*
> *Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,*
> *Compoſitum jus faſque animi, ſanctoſque receſſus*
> *Mentis, & incoctum generoſum pectus honeſto:*
> *Hoc cedo, ut admoveam Templis, & farre litabo.*

Perſ. Satyr. 2.

Nec non alius quidam apud Clementem:

> Τίς ὁ δὲ μωρὸς καὶ λίαν ἀνειμένως,
> Εὔπιστος ἀνδρῶν, ὅστις ἐλπίζει θεοὺς
> Ὀστῶν ἀσάρκων, καὶ χολῆς πυρουμένης,
> Ἃ καὶ κυσὶν πεινῶσιν οὐχὶ βρώσιμα
> Χαιρῶν ἀπαρχῇ, καὶ γέρας λαχεῖν τόδε
> Τούτων τι τοῖσι δρῶσιν ἐκτίνειν χάριν.

Clem. Stromat. lib. 7.

Pp   Κ'αὶ

Κ'ἀν πειράται, κ'ἀν λησαὶ, κ'ἀν τυράννοι [δὴ]
Τύχωσιν [ὄντες]

Quis gente in hominum tam ſupine credulus,
Aut ſtultus adeo eſt, qui Deo exiſtimet,
Seu bilis uſta, ſive crudorum oſſium
Projecta, quæ vix tangit eſuriens canis,
Gaudere donis idque honori ducere?
Facientibuſque gratiam reponere?
Licet Tyranni immanes, piratæ licet,
Licet latrones rapto viventes ſient.

Quum ergo antiqui populi oculis tot rerum corporalium continuo obverſarentur repræſentamina, neque is neſciret, omnia illa per ſe ad cultum Deo dignum nequicquam facere, quid cogitare aliud poterat, imo quid aliud debebat, naturæ Dei convenienter ſi judicaret, quam ſubeſſe iis aliquid, quod altioris ordinis eſſet, reveraque præſtaret, quod corporalia illa ſpecietenus tantum referebant? *Promittebantur Antiquis* (verba ſunt Auguſtini) *temporalia, figurabantur Spiritualia; attendebant promiſſa per Moſem, attendebant promiſſa per Chriſtum.* Idque hoc quidem magis, quod exploratum eſſet Iſraeli, Deum omnem ceremonialem ſui cultum nullius facere, quinimo planè repudiare, quoties ſine penitiori ad Spiritualia, eo intenta, penetratione perageretur. Geneſ. 4.7. 1 Sam. 15.22,23. Pſ. 40.7. & 50.8, 14 & 51.18, 19. & 69.31,32. Eſ. 1.13. & 66.3. Jer. 5.11. & 6.10. & 7.4,21.22. Ezech. 20.3.5. Hoſ. 6.6. Amos 5.21.22. Mich. 6.7. Ut neque ipſæ iterum Gentes, teſte *Iſocrate*, id ignorarunt.

Auguſtin. in Joh. Tr. 25.

Iſocrat. ad Nicocl.

XVI. *Specialius*, non tantum rem quandam figurativam eſſe, ſed & quid inſignitè adumbraret, *quadruplici* docebantur viâ. (1) *Prophetarum inſtructione*; quibus Deus immediate tum temporis inſpirabat, quid *typis* hiſce illiſve teſtatum & deſignatum vellet. Liquet id ex Apoſtoli Petri Verbis, Ep. 1. cap. 1. vſſ. 10, 11, 12 *De quâ ſalute inquiſiverunt & ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetarunt. Scrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuncians ea, quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias, quibus revelatum eſt, quia non ſibi ipſis vobis autem miniſtrabant, quæ nunc nunciata ſunt vobis.* Conf. Num. 12.8. Dan. 12.10. Mal. 2.7. Eccleſ. 1.7. Inquirebant nempe Prophetæ, ut & ante ipſos Patriarchæ, in *umbrarum* Sacrarum ſenſum, eumque exploratum cognitumque Populo fideliter exponebant; eratque &

Digitized by Google

& tum modo ἡ μαρτυρία τοῦ Χριστοῦ τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας, *Teſtimonium Chriſti Spiritus Prophetiæ.* Apoc. 19. 10. Faciebant huc etiam Prophetarum Collegia, in quibus docebantur imprimis *Filii Prophetarum*, quis ſcopus & ſignificatio Sacrificiorum ceremoniarumque Legalium eſſet, quibus redemptio per Meſſiam, definito tempore eventura, præſigurabatur. At vero, prout temporum lapſu omnia in pejus ruunt, ita dies quoque docuit, in turpiſſimum tandem abuſum *typos* hanc explicandi rationem abiiſſe, dum non tam *obvio* & litterali quam *myſtico* rerum a Deo revelatarum ſenſui intenti Hebræi petulantiores, חַכְמֵי הַמֶּחְקָר *Sapientes* ſuos *perveſtigatores* vel *Sapientes ſcrutationis* introduxerunt; quorum erat ἐξιχνιάζειν ſive ἐξιχνεύειν, hoc eſt, in rerum abſtruſarum penituſque latentium inquiſitione plane occupari. Derivatâ voce ἀπὸ τοῦ ἴχνους *veſtigio*, quia canes venatici, prædam perſequentes, ejus vel odorem vel *veſtigia* inquirere ſolent, ut capere eam poſſint. *Decompoſitum* ejus eſt ἀνεξιχνίαστος *Imperveſtigabilis*; quo utitur Apoſtolus Rom. 11. 33. Ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ, *Viæ imperveſtigabiles.* Licet ſint, qui horum *Perveſtigationem* ad res tantum *phyſicas* & naturales reſtrinxerunt; eos vero qui Sacrarum tum rerum tum verborum ſenſus explorabant, συζητητὰς dicendos eſſe opinati ſunt; quam vocem habet etiam Apoſtolus. 1 Cor. 1. 20. ποῦ σοφὸς; ποῦ γραμματεὺς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; Ubi Sapiens? Ubi ſcriba? *Ubi* inquiſitor *hujus ſeculi?* Acceſſerunt hiſce etiam alii, qui futilibus & inſubidis ſuis interpretamentis Sacra Dei myſteria involverunt magis, quam evolverunt, quorum ſcopus & genius nullus alius videtur fuiſſe, quam adinſtar *Platonis* omnia ἀλληγορίζειν. Quod certe mirum non erat; cum *Philonem Judæum* ducem ſequerentur, qui totus *Platonicus* fuit (Unde ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει) & damnoſo exemplo Sacram Moſis Hiſtoriam & præcepta Legis Ceremonialis arguto ingenii ſui luſu variis allegoriis, a genuino ſuo ſenſu detorſit, imò ne ipſum quidem *Paſcha* intactum reliquit, de quo ſic: Πάσχα δ' ἐστιν, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀπομαθεῖν μελετᾷ: τὴν δὲ εὔλογον εὐπάθειαν ἑκουσίως πάσχῃ. *Eſt vero* Paſcha, *quando anima irrationalem affectum dediſcere meditatur: rationalem vero rectum affectum volens patitur.* Reſpexit ad hos forſan *Origenes*, dum ſic *con-*

Maim. Kel. cap. 18.

Druſ. in Exod. & Obſervat. lib. 4. c. 6. Fuller. Miſcell. Sacr. lib. 3. cap. 7.

Buxtorf. Lexico Talmud. pag. 819.

Philo in Lib. Τίς ὁ τῶν θείων &c. *pag. 344. Edit. Græc.*

tra Celſum: Quæcunque ſecretiora erant, & iis tantum tradi digna, quibus intima patebant myſteria, quæque diſciplinæ erant reconditioris & ſtudii, utpote quæ vulgarem captum ſuperarent, hæc per obſcuros ſermones per ænigmata & Allegorias, per parabolas & parœmias explicarunt, ut qui labori ſuo non parcerent, ſed pro virtute & veritate operam omnem ſubire erant parati, eorum aſſequerentur intellectum, eoque reperto, ut ratio poſtulat, uterentur. Myſteria (NB.) per *ænigmata* & *obſcuros* ſermones explicarunt, ſcil. minus obſcura per magis obſcura; ὕστερον πρότερον. Meminit etiam *Aſcetarum* quorundam *Philo*, quos θεραπευτὰς vocat, &, ſi quæ ſequioris ſexus inter eos eſſent, θεραπευτρίας vel θεραπευτρίδας (utrumque enim habet Valeſius) a quibus, ut teſtis eſt *Euſebius*, ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἐγίνοντο δὲ ὑπονοιῶν ἐν ἀλληγορίαις, id eſt, *explicationes Sacrarum litterarum tropicè quoque & per Allegorias fiebant.* Exiſtimabant quippe, *verba ipſa nihil aliud eſſe, quam imagines & ſigna rerum abditarum, quæ per allegorias declaranda erant*, σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας ἀποκεκρυμμένης φύσεως, ἐν ὑπονοίαις δηλουμένης. Qui *Therapeutæ* ſi Chriſtiani fuerint, ut vult *Euſebius*, iniquum forte eſſet, ſi explanationibus eorum minus tribueremus; ſed ponit id tantum *Euſebius* non probat, receditque ab eo exertim *Valeſius* in doctiſſimis ſuis ad *Euſebium* notis? Qui utcunque *Scaligeri* ſententiam, eoſdem *Therapeutas* hos cum *Eſſenis* fuiſſe ſtatuentis, non adoptet, pluribus tamen, iiſque quidem invictis argumentis adſtruit, eos *Chriſtianos* non fuiſſe. Summa rationum ejus huc redit: Quod *Therapeutæ* illi habuerint Scripta veterum quorundam ſuæ ſectæ Autorum, qui Legem allegorice interpretati erant; quod de *Chriſtianis* dici non poterat, quippe novellis tum adhuc & nudiuſtertius demum natis. Quod *bis* tantum de die preces fuderint, oriente ſcil. Sole; & occidente, quod non magis in *Chriſtianos* tum quadrabat, quam prius. Quod Cantica vario metrorum genere in Dei honorem compoſuerint; ut neque hoc verum eſſe tum poterat de *Chriſtianis*, utpote qui poſt *Antoninorum* tempora contexere hymnos demum cœperunt. Quod denique per univerſum Orbem diffuſi fere fuerint; quod falſum etiam de *Chriſtianis* tum erat, quippe exiguo numero tantum exiſtentibus. Fuere itaque procul dubio Therapeutæ illi Judæi non Chriſtiani, adeoque Legum Moſaicarum corruptoribus & obſcuratoribus potius, quam juſtis earum explanatoribus annumerandi, qui tempo-

Origen. contr. Celſ. lib. 7.

Lightfoot. Hor. Hebr. in Luc. 10. 25.

Philo de Vit. contemplat.

Euſeb. de Præparat. Evangel. lib. 8 cap. 10. Et Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 17.

Huet. Demonſtrat. Evangelic. pag. m. 1084

Valeſ. in Not. ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. pag. 34. 35.

Scultet. Medull. Patr. pag. 792. 793.

po-

Digitized by Google

pora illa non parum calamitoſa reddebant. Alias, quamdiu in *typorum* eviſceratione & explanatione tum Patriarchæ tum Prophetæ debite perſtiterunt, non vile antiqui Populi privilegium fuit, quod *typis* ceremoniiſque a Deo non tantum manuduceretur, ſed neque deeſſent, qui fidei pietatiſque arcana, iis involuta, pro gratiæ a Deo ſibi conceſſæ menſurâ, ei explicarent & applicarent. Iterum Clar. Witſius: *Quartum* (*inquit*) *V.T. Bonum in Ceremoniis earumque quotidiano uſu erat. Fateor certo reſpectu Ceremonias fuiſſe grave jugum, ſed & in iis fuit inſignis pictura Chriſti, ac gratiæ per ipſum impetrandæ. Et quoniam Deo libebat myſteria ſua illis temporibus non niſi per ænigmata & parabolas figuraſque proponere, inſignis erat felicitas Iſraelis, quod, aliis Gentibus ſibi relictis, has Divinæ bonitatis ac venturi Soſpitatoris picturas continuo ante oculos haberent. Eo magis, quod electi per* Patriarchas *&* Prophetas, *& qui ab iis edocti erant, de* myſtico *earum* ſignificatu *pro modulo iſtorum temporum erudirentur.* (2.) Propriâ eâque quidem ſedulâ & attentâ *Typorum* conſideratione. Neque enim fidelium tunc erat, obiter tantum & perfunctorie *Typos* intueri, vel in mero eorum cortice conſiſtere; hinc enim, ut ſupra monuimus, præfracta Judæorum incredulitas præcipue orta eſt: ſed, indiciô generaliter per Patriarchas vel Prophetas facto, quod res aliqua alterius rei *figurativa* & ſignificativa eſſet, jugiter & ſtudiose eam volvere, revolvere, ἀναλύειν, *typi* & *antitypi* analogiam ponderare, uſque dum in intima ejus viſcera penetrarent. Diximus ſupra, etiam noſtrarum partium hoc eſſe ſub N. Teſtamento, quibus major lux affulſit, quanto itaque magis Veterum Iſraelitarum officium id fuit, quibus primo obtutu nil niſi ænigmata *typi* eſſe poterant. Fuit hæc *Eunuchi*, de quo in *Actis*, pia cura, qui caput *Eſaiæ* 53. expendens, quid eo innueret Propheta, doceri a *Philippo* petiit: *Rogo te*, dicens, *de quo hoc dicit Propheta, de ſe ipſo, an de alio?* Perſtinxitque acerrime Judæos Salvator, quod negligentiores in ſtudio hoc eſſent. *Hypocritæ* (inquit) *faciem quidem Cœli noſtis, ſigna temporum non poteſtis diſcernere? Et quis eſt cæcus, dicit Dominus, niſi ſervus meus, & ſurdus, ſicut nuncius meus, quem mitto? Quis cæcus ut donatus pace? Cæcus, inquam, ut ſervus Jehovæ, videndo multa tamen non obſervas, aperiendo aures tamen non audis.* Eſ. 42. 19. Attendebant auribus ad myſteriorum propoſitionem, corde vero & opere negligebant ea, ſæpe etiam contemnebant. (3) *Divinâ mentium illuſtratione.* Eſ. 50. 4. *Dominus*

In Oecon. Fœd. Dei. lib. 4 cap. 1.

nus Jehova dedit mihi linguam eruditorum, &c. Excitat unoquoque mane; Excitat mihi aurem ad audiendum, ut audiuntur eruditiſſimi. Dominus Jehova aperit mihi aurem, & ego non rebello. Conf. Deut. 29. 4. Neque enim quotquot erant Iſraelitæ hujus notitiæ participes fiebant, ſed illi tantum, quibus *aures* ad audiendum, *oculos* ad videndum, *corda* ad intelligendum, concedere Deo libebat. Unde & hodiedum palam eſt, Judæos, Spiritu Dei deſtitutos, licet *Moſem* legentes, nihil tamen minus, quam *Chriſtum* in eo invenire, quin obſtinate potius eum tum negare tum blaſphemare. *Quis* (inquit Munſterus) *intellecturus erat, Serpentem æneum in ſtipite ſuſpenſum, præfiguraſſe Chriſtum crucifixum, niſi Dominus ipſe dignatus fuiſſet exponere? Quis porro ſuſpicaturus erat*, Jonam, *devoratum a ceto, ac tertio die vivum redditum, adumbraſſe Chriſti ſepulturam & reſurrectionem?* (4.) *Precum ad Deum indeſinenti profuſione.* Ita David Pſ. 119. 8. *Aperi, Domine, oculos meos, ut adſpiciam mirabilia* Legis *tuæ.* Et Salomo 1 Reg. 3. 9. 14. *Des igitur ſervo tuo animum intelligentem ad judicandum populum tuum, diſcernendo inter bonum & malum: quis enim poteſt judicare hunc poulum tuum numeroſiſſimum?* Quæ oratio a Deo gratioſe recepta & exaudita etiam fuit. Vid. verſ. 12. 13. 14. Cum enim non exigui momenti & moleſtiæ negotium tunc eſſet, in *figurarum* inquiſitione rem acu ſemper tangere, tum ob rationem earum perquam ſæpe perplexam & involutam, tum ob Divinæ gratiæ, etiam illuminantis, ſub veteri Oeconomiâ parciorem diſpenſationem, eo certe pluribus ſuſpiriis precibuſque pulſandum fidelibus cælum tum erat, quo difficilius eſſet, genuinum *Typorum* ſenſum rite penetrare. Atque hæc quidem de Typorum V. T. *uſu* & *abuſu*,

Munſter. Loc. citat.

ſtudio fallente laborem,

meditari, Eruditorumque examini committere ac ſubmittere animus fuit. Vaſtum, fateor, ingreſſus ſum Oceanum, idque humili quidem cymbâ; at præſtiti tamen quod potui, licet forſan non ſine quali quali ab aliorum ſententiis divortio; prout rem *voti* magis eſſe quam *ſpei* certum eſt, in materiâ tam denſis, qualibus hæc eſt, tenebris involutâ, omnem cogitationum *διαφωνίαν* plane evitare.

EX-

Digitized by Google

EXERCITATIO IV.

DE
CREATURARUM
BONITATE.

BREVIARIUM.

Loci Geneſ. 1. 26. *brevis* ἐξήγησις. *Creaturarum* bonitas *in quibus proprie conſtiterit?* Secundi diei *opera an* bona *etiam pronunciata? Ratio dubitandi.* Lxx. *Interpretum temeritas. Sententia* negativa *ad incudem vocata.* Lutheri, Paræi, Freidlibii ἐποχή. Gehenna *quo die condita? Numerus* binarius *an ominoſus? Cur* Hieronymus *in eum iniquior? Sententia* affirmativa *recepta & confirmata.* Coccejus *cum ſe ipſo commiſſus.*

I. DEus, cum ipſa *Bonitas* ſit, producere per Creationem nihil aliud potuit, quam *bonum*; quod licet ex naturâ rei evidenter ſatis fluat, publico inſuper edicto ſuper omnibus ſuis operibus promulgare voluit. Sic enim habet ejus nomine Moſes: *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat,* *Geneſ.* 1. *& erant valde bona.* Erat *omne* bonum ſive *omnia* erant *bona*, nullâ 31. creaturarum exceptâ. Erant *explorate* bona; *videbat* enim hoc, non homo, non aliud animal, ſed Deus, omnium rerum Judex & æſtimator infallibilis; neque dubio quidem examine, ſed certiſſimâ comprobatione & beneplacito. Erant *impenſe* bona, *valde* bona, id eſt, cuncta in ſuo genere perfecta, partibus, gradibus numeriſque omnibus abſolutiſſima; ſic ut quicquid labis, vel indigentiæ in mundo vel rebus ſingulis jam cernitur, non Authori Deo, ſed corruptori Diabolo ipſique homini, huic magis, quam illi obtemperanti, adſcribendum ſit. Hactenus de ſingulorum dierum operibus dixerat quidem, quod eſſent *bona*, ſed jam de univer-

Digitized by Google

univerſis dicit, quod fuerint *valde* bona, id eſt, optima: quia unumquodque per ſe creatum *bonum* quidem erat, ſed cum aliquod opus ſit ab aliquo opifice, fieri poteſt, ut ſingulæ ejus partes per ſe pulchræ ſint, ſed non ſit apta omnium inter ſe proportio; at hic ſignificat & quodque per ſe opus *bonum*, & totam univerſitatem ejus ſimul ſumptam *bonam* atque *optimam* eſſe. Nimirum *uſum* 1. *habebant* ſingula (ut nervoſe *bonitatem* hanc primævam expoſuit Clar. D. Coccejus) 2. *Perfectionem habebant.* 3. *Imago Dei in medio Creaturarum erat.* 4. *Teſtabantur Creaturæ ad imaginem Dei conditæ omnia, quod Deus eſſet finis & bonum illius.* Ad rem etiam Chryſoſtomus: *Et vidit*, (inquit) *Deus omnia quæcunque fecit, & ecce valde bona. Conſidera, quomodo creaturas omnes verbo* omnia *ſimul complexus, omnes ſimul magna laude proſecutus eſt. Neque enim, ut dixit,* omnia, *contentus fuit eo verbo: ſed ſubdidit* quæcunque fecit. *Et neque hæc tantum dixit, ſed & Ecce bona* & valde *bona. Igitur cum Deus, qui res ex nihilo ut eſſent produxit, eas* bonas & valde bonas *dicit: quis tam inſanus, ut vel os aperire & contradicere Dei verbis audeat?* Uſum habuerunt Creaturæ primigeniæ (atque in hoc earum *bonitas* conſiſtebat) 1. *Proximum*, propriam ſcil. & formalem ſuam operationem ut. V. G. Cibi & potus eſt alere, medicamentorum ſanare. 2. *Remotum*, quem beneficio proximi toti præſtare poterant univerſo, ad cujus conſervationem omnes conſpirabant. 3. *Remotiorem*, quem ſingulæ præſtare aptæ natæ erant *homini*, ob quem omnes creatæ Pſ. 8. 7. Hoſ. 2. 20. 21. &c. Ejus *tum* vitam ſuſtentando, ut ſit, *bene* ſit, *honeſte* bene ſit, *jucunde* bene ſit. Pſ. 104. 14. 15. *tum* occaſionem ei præbendo, Deum agnoſcendi & quærendi in Creaturis ſuis. Rom. 1. 20. Act. 17. 26. &c. 4. *Remotiſſimum*, per quem homo creaturas referebat & transferebat ad Creatorem, ut in ſummum & ultimum finem. Rom. 11. 36.

Merc. in Gen. 1. 31.

Coccei. Summ. Theolog. cap. 15. §. 42.

Chryſoſt. in Gen. 1. verſ. 31.

Maſtricht. Theol. Pract. lib. 3. cap. 3. §. 18.

II. At mirari quis poſſet, cum omnes creaturæ, juxta Moſis narrationem, tam *bonæ* pronuncientur, quam ob cauſam *Secundæ* diei opera approbatione illà deſtituta appareant? Sic enim Geneſ. 1. verſ. 6. verba ſimpliciter habent: *Deinde dixit Deus, eſto expanſum inter aquas, ut ſit diſtinguens inter aquas unas & alteras. Fecit ergo Deus hoc expanſum, quod diſtinguit inter has aquas, quæ ſunt ab inferiori Expanſi iſtius, & aquas illas, quæ ſunt a regione ſuperiori Expanſi, & fuit ita. Expanſum hoc autem Deus vocavit Cœlum, ſic fuit veſpera & fuit mane ſecundi diei.* Teſtimonium autem *bonitatis*, quod

ibi omittitur, duplicatur ſuper operibus ſequentis, id eſt, *Tertii* diei: *Poſtea dixit Deus, confluant Aquæ iſtæ, quæ ſub hoc Cœlo ſunt, in locum unum, & conſpicua ſit arida & fuit ita. Aridam autem vocavit Deus Terram, ſingula vero Aquarum conceptacula vocavit Maria, & vidit Deus id eſſe* bonum. *Iterum dixit Deus: herbeſcat* &c. *Uſque ad* finem verſ. duodecimi, qui ſic clauditur: *Et vidit Deus, id eſſe* bonum; *ſic fuit veſpera & fuit mane* Tertii *diei*.

III. Neque parum deſudarunt Eruditi, ut difficultatem hanc tollerent. Putârunt LXX. confectam rem eſſe, ſi verſiculo, opera *ſecundæ diei* finienti, idem *Bonitatis* illius, quam reliquis diebus inſcripſerat Moſes, elogium immediate ſubnecteretur; quam ob cauſam contextui Moſaico addiderunt: *Sic fuit veſpera, & fuit mane ſecundi diei*, hæc verba: καὶ εἶδεν ὁ θεὸς, ὅτι καλὸν &c. Multorum e Judæis opinio fuit, *ſecundo* die *Gehennam* creatam, ac *diabolos* in eam protruſos eſſe, atque ideo *bonitatis* elogium operibus ejus non eſſe appoſitum. Alii, comprobationem hanc omiſſam cenſent, quia cælum tunc necdum perfectum erat, quippe ſideribus nondum exornatum. Sunt etiam, qui *binarii numeri* malitiam obtendunt: quos inter eſt *Hieronymus*, cujus error poſtea a *Lombardo* videtur adoptatus, dicente: *Non eſt dictum* (ſcil. *bonum* eſſe, quod Deus *ſecundo* die videbat) *quia numerus binarius eſt principium alternitatis & ſignum diviſionis.* Alii denique ſecare nodum maluêre, quam ſolvere; quos inter eſt *D. Pareus*, qui ſic habet: *Nihil opus eſt, ut ea cum crimine definiantur, quæ ſine crimine neſciuntur. Relinquimus itaque cauſam in Sp. S. arbitrio*; qui *Lutherum Freidlibiumque* ὁμοψήφους habet. *Præſtat cum Luthero* (verba ſunt Freidlibii) *profiteri, tutius eſſe, illa non inquirere, quæ cura ſalutis diſpendium neſciri poſſunt. Et voluit Deus in ipſo frontiſpicio hoc dubium proponere, ut oſtenderet, quam profunda myſteria in Sacris lateant.* Licet hanc alibi rationem *Lutherus* adducat: *Deum poſtea de Terrâ* bis, *de firmamento* ne ſemel *quidem pronunciaſſe, quod ſit* bonum, *ut ſignificaret, ſe plus ſollicitum de* noſtrâ, *quam de* ſuâ *habitatione, ut eo magis attenderemus ad gratiarum actionem.*

Hieron. lib. 1. ad Jovin. c. 9.

Lombard. lib. 2. Diſt. 14.

Pareus in Geneſ. pag. 36. edit in Fol.

Freidlib. Op. Exeget. Tom. 1. pag. 28.

IV. Sed non ſine ratione ambigas, an ullus quidem prædictorum rem dextre expedierit. LXX. enim interpretes quod attinet, vix excuſandæ audaciæ videtur eſſe, quod ipſi S. Scripturæ contextui ſuperaddere & attexere quicquam præſumſerint. Nam in Hebræo Chaldæove Codice ne umbra quidem additamenti illius apparet. Unde & mirari ſubit, etiam inter Patres Doctiſſimos

 quoſ-

Digitized by Google

quoſdam non deeſſe, E.G. *Baſilium*, *Ambroſium*, *Chryſoſtomum*, *Auguſtinum*, &c. qui ipſiſſimum hoc aſſumentum in tranſlationibus ſuis retinuerunt.

V. Adhæc, utut *Gehenna* creata eſſet *ſecundo* die, an ideo omnia iſtius diei opera pro verè *bonis* non ſunt habenda? adeoque ſolenni hoc divinæ approbationis encomio defraudanda? Quis hoc dicat? Imo vero eo ipſo *Gehenna* verè *bona* fuit, quod optimi Dei artificium & creatura eſſet. ὅτι πᾶν κτίσμα θεοῦ καλὸν, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον, teſte Apoſtolo, 1 Tim. 4. 4. Ut neque *Loci* ſive receptaculi damnatorum rationem, cum crearetur, modo habebat, quod homines damnandi tum nulli adhuc eſſent, imo ne radix & principium quidem eorum naturale *Adamus*, quippe *ſexto* demum die procreatus. Et quidſi rationem habitaculi damnatorum tum modo habuiſſet, non tamen id vetat, quo minus metaphyſicè & *in genere entis* bona fuerit dicenda, Porro non magis imperfectum erat *Cœlum* ſine ſideribus & aſtris, quam *terra* ſine plantis, *aqua* ſine piſcibus, *aër* ſine volucribus, &c. quibus tamen divina hæc approbatio negata non fuit. Et quid mali ominis in numero *Binario*? cum Deus ipſe dicat, *non eſſe homini bonum, ut ſit ſolus, eoque uxorem ei in adjutorium dederit, ut* nempe *duo eſſent in carnem unam.* Gen. 2. 24. *Nam meliores ſunt duo quam unus, quia ipſis eſt præmium bonum ex labore ſuo.* Eccleſ. 4. 5. Videtur in has nænias prolapſus *Hieronymus*, quod *vel* ex genio ſingulari, *vel* ex præjudicio, in ſtatum matrimonialem (qui non niſi *duorum* eſſe poteſt) ſemper ſeſe præbuerit iniquiorem. Favorabilius de numero binario pronunciavit *Radulph Ardentius. In* duobus (inquit) *oſtenditur & veritatis teſtimonium & charitatis exemplum.* Veritatis teſtimonium, *quod in ore duorum vel trium omne verbum fiat*; Charitatis exemplum, *quod non minus quam inter duos amor demonſtratur.* Infauſti quidem ominis numerum hunc dixit Ovidius,

Martyr. in Geneſ. 1. pag. 4.

Georg. Michael in Gaffarell. pag. 116.

Ergo ego vos rebus duplices *pro nomine ſenſi,*
Auſpicii numerus non erat ille boni.

Ovid. de Amorib. 1. Elig. 12.

Sed profligat id iterum alibi, dum numerum *binarium* in *expiationibus* uſitatum fuiſſe conceptis verbis aſſerit:

Bis caput intonſum fontanâ ſpargitur undâ.
Bis ſua fagineâ tempora fronde tegit.

Idem 4. Faſtor.

Bina etiam inſtituit *Numa Pompilius* ſacrificia; quid ergo is mali in numero illo deprehendit?

Ge-

Geminas *Rex Numa mactat oves*

Prima cadit fauno, leni cadit altera ſomno.

Ultimò, modeſtiam forte redoleret, ſi quis mallet hic ἐπέχειν, ſi res hæc adeo eſſet abſtruſa & operta, ut perſpicere ipſam impoſſibile eſſet. At vero planè contrarium verum eſt. Sat maniſeſtè e Verbo Dei mox patebit non de ænigmate boëotico, ſed de tali hic diſquiri materiâ, de qua quid *ſtatui* vel non ſtatui, credi vel non credi oporteat, nemini non, niſi malitioſe cæcutienti, obvium eſſe poteſt. Scutari velle, quæ Deus ſilentii ſipario obvelata voluit, temeritas eſt, at inertem quadantenus ſcrupuloſitatem ſapit, in res illas, etiam ſacras, inquirere nolle, quas ſatis perſpicue Deus in verbo ſuo conſpiciendas nobis dedit.

VII. Tenendum itaque, *Secundi* diei operibus, ut ſupponitur vulgo, divinum *bonitatis* elogium minime denegatum eſſe; ratio enim nulla dari poteſt, dicente *Moſe* ſuper omnibus, quæ Deus condiderat Gen. 1. 31. *inſpexit Deus quicquid fecerat, & ecce* bonum *erat valde*, cur generalis illa approbatio peræque applicanda non ſit operibus *hujus*, quam reliquorum *quinque* dierum. Verba enim generalia & univerſalia, אֶת־כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה *omne quod fecerat*, nullam creaturarum excludunt. Quod enim Clariſſ. D. *Coccejus* bonum illud, de quo ibi ſermo eſt, ad *unitatem mundi unumque tantum hominem* creatum reſtringat, quaſi dicere tantum voluiſſet Deus, vidiſſe ſe, *bonum* eſſe, quod *unus* tantum eſſet *mundus*, unuſque tantum homo, ex quo, tanquam principio, reliqui omnes orirentur, cum univerſalitatis particula (*omne*) convenire *non* videtur. Unitas enim creati hominis unitaſque mundi ſive diſpenſatio illa Dei, quod mundus non niſi unicus eſſet, non ſunt *omne* illud, quod Deus creando condiderat. Et miror, ita locutum eſſe Virum illum Doctum, qui paulo ante exerte dixerat, elogium hoc *bonitatis* ad omnes indefinite creaturas extendendum eſſe. *Verſu* (inquit §. 173.) 30. *in fine* וַיְהִי־כֵן *concernit totam γένεσιν, & ponitur propter ſequentia in verſ.* 31. *in quo eſt elogium* omnium *operum Dei. Quod ſcilicet fuerint valde bona.* At §. ſequente 174. infit: *Cæterum cum Moſes dicat*, vidiſſe Deum omnia quæ fecerat, *ſignificat, Deum illa tantum feciſſe, quæ in hoc mundo continentur. Et ſic fuiſſe* valde bonum, unum mundum creare & unum hominem, *& ex uno ſanguine totum genus humanum. Et quemadmodum ſupererat ipſi Spiritus ad plures homines, aut plura paria hominum, aut*

Coccej. in Geneſ. cap. 1. §. 173. & 174.

Digitized by Google

aut plures uxores fabricandum, ita etiam ad cælum amplius & terram ampliorem vel etiam ad alios mundos fabricandos &c. Sed hoc quod fecit optimum viſum eſt feciſſe, ut non eſſent homines niſi ex uno, & *mundus hoſpitium ipſorum non* niſi unus. Quæ quomodo componi cum ſe invicem poſſint, doceri a Viro Docto velim.

VIII. Imo vero non *generali* tantum ſed & *ſpeciali* Dei approbatione non minus gaudent *ſecundi* diei opera, ac illa quæ ſunt reliquorum dierum; fruſtrà enim contrarium hactenus ſumtum eſt, a nemine vero probatum. Origo erroris eſt, quod ibi finiri narrationem operum *ſecundi* diei putent in textu Moſaico, ubi revera non finitur, verſu nempe *octavo*, cum finiatur demum verſu *decimo*, qui eodem effato approbationis, quo aliorum dierum enarratio, terminatur & clauditur. Obſervandum ergo, capite Geneſeos *primo* inter opera *ſecundi* diei *duplicis* aquarum ſecretionis mentionem fieri: *unius* ſuperiorum aquarum ab inferioribus, *alterius* inferiorum iterum aquarum a terrâ ſive Tellure ipſa, poſtque utramque narratam additam demum fuiſſe *divinam* approbationem verſ. 10. expreſſam, *& vidit Deus id eſſe bonum*, nempe non ſolum bonam eſſe ſeparationem aquarum a Tellure, ſed & aquarum ſuperiorum ab inferioribus, quæ verſſ. 7. 8. comprehenſa erat. *Sic colligimus* (inquit Magnus Voſſius) *geminam aquarum ſecretionem diei ſecundæ a Moſe eſſe attributam, unam ſuperiorum ab inferioribus*, alteram *inferiorum a Tellure, ac proinde ſingulis diebus, & quotus is foret, apponi & bonitatem ab ipſo commendari Deo.* Conſentit Voſſio *Eſtius*, hac præcipue ductus ratione: *Quia congregatio aquarum in unum locum quædam fuit continuatio & conſummatio ejus operis, cujus deſcriptio præcedebat, nempe diviſionis aquarum ab aquis. Nam credibile eſt uno continuo motu locali, conſequente condenſationem aquarum inferiorum, totum hoc factum fuiſſe, ut & ſepararentur a ſuperioribus, & loca decliviora petendo, ſuperficiem terræ relinquerent, & Maria conſtituerent. Quare non erat hujuſmodi ſeparatio dividenda in duos dies.* Unde nec Viri docti deſunt, qui illud וַיֹּאמֶר quod eſt in principio verſus 9. non per *perfectum*, ut Junius & Tremellius, ſed per *plus quam perfectum* interpretati ſunt, id eſt, non per *& dixit Jehova, ſive Deus*, ſed per & *dixerat Deus*; quomodo & initio cap. 12. Geneſ. collatione factâ cum fine capitis 11. & *Stephani* verbis Act. 7. verſ. 2. 3. 4. neceſſario ſumendum eſſe certum eſt. Prout & hyſteroſes iſtiusmodi ſæpius inveniuntur, *tum* hoc capite tum aliis in locis. Παραφράζει itaque non male *Petrus Picherellus* apud *Gathakerum* nonum hunc ver-

Voſſ. de Idol. Gentil. lib. 2. cap. 67.

Eſtius. in lib. Sentent. Tom. 2. pag. 140.

Digitized by Google

verſum hunc in modum: *Sed tamen poſtquam Deus dixiſſet, in unum congregarent ſe locum, quæ ſub extento erant, aquæ, & ſiccum appareret, ſicque extitiſſet; & ſiccum illud appellaſſet Deus terram, aquarum vero congregationem mare.* Præviderat *autem illud fore bonum.*

Gathaker. Cinn. p. 168. 169.

EXERCITATIO V.

DE
HORTO HEDENIS.

BREVIARIUM.

Vocum עֵדֶן & Παραδείσου *etymologia.* Paradiſi *in* ſuperiorem & inferiorem; exteriorem & interiorem *diſtinctio exploſa. De Paradiſi* loco *opiniones variæ. Inſula* Zeilan *qualis? Adami in eâ cacumen* & Spelunca. *Vox* ἅδης *quid?* Grotius *defenſus.* Paradiſi *Hiſtoria in* allegoriam *ab aliquibus verſa.* Error & Hæreſis *ut differant?* Meſopotamiæ *Regio Paradiſi* locus. *Viri cujuſdam Docti ſententia ad limam vocata.* Jordanes *fluvius quis? An* Paradiſum *irrigarit? Loca Eſ. 57. 12. Ezech. 27. 23. illuſtrata. Paradiſi* amplitudo *incerta. Omnium animalium expers non fuit.* Probæ Falconiæ *laus. Locus Gen. 7. 19. illuminatus.* Avis Paradiſi *cur ſic dicta? Quæ & qualis fuerit? De* Paradiſo *adhuc* ſuperſtite *Papicolarum inter ſe pugna.* Juſtinus Martyr *minus eis favens.* Hopkinſoni *ſententia recepta.* Paradiſus *quouſque fuit myſterio non caruit. Veterum Hebræorum de* ejus æternitate *opinio explicata & vindicata.* Hieronymus *partim notatus partim excuſatus. Iudæorum de magno ſuo* Jehoſua *fabellæ exſibilatæ.*

I. QUid de voce עֵדֶן ſit, non operosè inquirimus: indubium eſt, quandoque *propriè*, quandoque *appellative* in Sacrâ Scripturâ eam uſurpari. Græci παράδεισον vocant, trito, apud

Agell. lib. 2. cap. 20.

Digitized by Google

apud Veteres vocabulo, quo, teſte *A. Gellio*, *ſepta quædam loca*, in quibus vivæ paſcebantur feræ, deſignabant. Compoſitâ voce, juxta nonnullos, ex περὶ & δεῦσος, quod a δεύω, *rigo*, deducitur, quaſi *hortum irriguum* dixeris, ita *Suidas*. Juxta alios derivatâ a *Pardes*, פרדס, quod occurrit Nehem. 2. 8. Eccleſ. 2. 6. Cantic. 4. 13. & apud *Perſas* loca paſſim amœna, Regum venationibus dicata, ſignificabat. Sunt, qui παράδησον legunt pro παραδείσῳ: ſic *Junius* & *Tremellius*, aliique. Hebræi ut mox notavi, dicunt גן, quod L x x. vertunt per *agrum conſeptum ac diligenter conſitum*; unde & factum, ut jure quodam præcipuo παράδεισος vocetur Helleniſtis, etiam *Philoni*, beatus ille *Hortus*, in quo Adamum Deus collocaverat. Eſt, qui *quadruplicis* Paradiſi Scripturam meminiſſe dicit: Superioris & Inferioris, Exterioris & Interioris. Superiorem vocat *cœleſtem*, inferiorem *terreſtrem*, Interiorem *Spiritualem*, Exteriorem *corporalem*; Cæleſtem locat in *Patriâ*, Terreſtrem in *viâ*, Spiritualem in *mente*, Corporalem in *Oriente*. De *ſuperiori* loqui putat Ezechielem cap. 27. 23. De *Inferiori* Chriſtum, Apoc. 2. 7. De *Spirituali* rurſus Chriſtum, Luc. 23. 43. Sed neſcio, quomodo hæc conſiſtant. Quis enim *Paradiſus* ille *interior*? quid per eum intelligit? an τὴν εἰρήνην τοῦ Θεοῦ τὴν ὑπερέχουσαν πάντα νοῦν, *Pacem Dei, quæ ſuperat omnem intellectum*? Philipp. 4. 7. primitias cæleſtis gloriæ? Has revera eſſe, piorumque animas nonnunquam tranquillare & exhilarere, certum eſt, ſed *Paradiſi* notione in Scripturâ venire, nusquam liquet. Adducitur locus, Luc. 23. 43. Sed illene de *Spirituali Paradiſo* agit, ſive de pace conſcientiæ, omnem intellectum exſuperante? quis id affirmet? Loquitur ibi Chriſtus de *cæleſti Paradiſo*, Beatorum ſede, in quam non tantum Latro, ſed ipſe etiam erat recipiendus. Melius dicitur, vocem παραδείσου *dupliciter* in Scripturâ ſumi, *generaliter* vel *localiter*, id eſt, vel *latius* vel *ſtrictius*: Latius vel *generaliter* ſumpta ſub ſe comprehendit omne illud, quod per excellentiam amœnum & delectabile eſt. Cant. 4. 13. Strictius vel *localiter* accepta notat *tum* hortos quoslibet jucundos, Eccleſ. 2. 6. Neh. 2. 8. *tum* Thronum SS. Trinitatis, piorum receptaculum cæleſte, Luc. 23. 43. *tum* Edenis hortum, Gen 2. 8. ubi ſic Moſes: וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים גַּן בְּעֵדֶן מִקֶּדֶם. *Et plantavit Dominus Deus* hortum *in* Eden *ab oriente*. Vel, juxta Aben-Ezra, Vulgatam, alioſque in *pluſquamperfecto*: *Et* plantaverat

Plutarch. in Demetrio.

Vide Dicter. Antiq. Biblic. pag. 74. Edit. in Fol.

Hofman. Lexic. Univerſ. p. 2. p. 97. a. m.

Innocent. 11. Comm. 3. pag. 166.

Digitized by Google

rat *Dominus Deus hortum*,&c.hac nitentes hypotheſi,quod Hortum illum Deus non de novo demum ſed *tertio* modo die plantaverit, idque peculiari quidem in loco, certâ arborum electiorum ſerie adornatum; ita ut, licet tota terra ante peccatum cultiſſima quidem fuerit, *Paradiſus* hic tamen habuerit cultum multo meliorem; fueritque non tantum prima patria Adami & Evæ, ſed & terreſtre veluti Cælum, Amphitheatrum Divinæ bonitatis, ſpectaculum munerum cælicorum, & omnium felicitatum compendium.

II. Laborarunt apprime Scriptores in proprio hujus *Horti* loco ſituque aſſignandis. Tribuerunt ei *quidam* novum quaſi orbem, quem eum in finem effinxerunt; *Alii* in inferioris & cognitæ hujus machinæ parte eum locarunt, de quibus videndi *Munſterus*, *Scarpius*, *Junius*, &c. Quò & illi referendi, qui vel ad *Fortunatas Inſulas* vel ad Inſulam *Zeilan*, vel *Zeilon*, vel *Trapobanam* in Americâ, utramque Navigatoribus noſtratibus frequentatiſſimam, eum retulerunt. Eſt vero *Zeilon* Inſula *Indiæ Orientalis*, e regione Promontorii Commorini,quod regnum *Calecutium* claudit, ſita, nec lato mari disjuncta. In eâ mons præcelſus caput inter adjacentes alios longe effert, quem *Adami Cacumen* vocant, hujus e ſummo faſtigio collis aſſurgit, *dulces* velut ex umbilico & perennes effundens aquas; juxta ſilex viſitur, impreſſo hominis veſtigio, longitudine duarum ſpithamarum; Hoc ferunt ab *Adamo* relictum poſteris monumentum, cum illinc in cælum adſcenderet. Verum & Spelunca prope oſtenditur, in quâ lapſum ſuum diu defleverit. Atque hæc quidem opinio ita per univerſum *Orientem* recepta eſt, ut Saraceni Paganique peregrinationibus ſacris locum illum frequentent. Ac quoniam neque pedibus ad eum acceſſus eſt, neque manibus licet adrepere, ita arduum in cælum minatur iſte collis, ſcalis catenisque adjuti conſcendunt, ſua quique crimina in ſacrâ illâ Speluncâ deploraturi. *Inſulam* (inquit Dietericus) Arabes *Tanazizim appellant, quaſi dicant* πάσης ἡδονῆς ταμεῖον; *Damaſcenus* Paradiſum, *vel ad verbum Terram delitiarum.* Judæi paſſim veterumque Chriſtianorum non pauci in loco quodam excelſiſſimo, Lunæque *orbi* proximo eum conſtituerunt, ſimulque animarum piarum ad diem uſque judicii receptaculum ex eo fabricarunt. Sic *Maimonides*, *Menaſſeh Ben-Iſrael*, *Petrus Comeſtor*, *Rupertus Tuitienſis*, nec non *Damaſcenus* cujus hæc verba ſunt: *In Oriente vero omni Terrâ excelſior*

Munſter. in Geneſ. 2. 8. *Scarp. Symphon. pag. 28.* *Jun. in Gen. 2. 8.* *Hofmann. Lexic. Univerſ. part. 1. pag. 419.* *Valeſ. Annot. in Euſeb.* *Maffeus, Hiſt. Judic. lib. 3.* *Magin. Geograph. p. 2. pag. 264.* *Dieteric. Tract. Cit. p. 67.* *Maimon. in cap. 10. Sanhedr.* *Menaſſ. Ben-Iſr. de Creat. Probl. 17.* *Petr. Comeſt. Hiſt. Schol. in Gen. 13.*

Auguſt. in Ep. ad Oroſ. *celſior* Paradiſus *collocatus eſt*, *optimâ temperie & aëre ſubtiliſſimo atque puriſſimo ſplendidus.* Neque abludit *Auguſtinus*, dum dicit: *Paradiſus in Oriente ſitus eſt*, *interjecto Oceano*, *& a noſtro orbe longe remotus*, *in altiſſimo loco conſtitutus*, *pertingens uſque ad Lunarem circulum*, *unde illuc aqua Diluvii minime perveniſſe dicitur.* Meminit etiam *Stephani* cujuſdam *Gobari* Doctiſſ. *Valeſius*, eique adſcribit, quod *Paradiſum* in supernâ Hieruſalem collocaverit, & in tertio cœlo; ſtatueritque, arbores ibi fuiſſe intellectu & ſcientiâ prædítas, Adamumque exinde poſt transgreſſionem in terram dejectum eſſe. Pro quâ ſententia hæc *Tertulliani* adducit: *Innocens erat* (Adam) *& Deo de proximo amicus & Paradiſi colonus*; *at ubi ſemel ſuccidit impatientiæ*, *deſivit Deo ſapere*, *deſivit cæleſtia ſuſtinere poſſe*; *exinde homo terræ datus*, *& ab oculis Dei dejectus.* Neque dubitandum, eandem quoque mentem *Conſtantino M.* ſediſſe, dum ſic in Oratione ad *Sanctorum cœtum* habet: Καὶ παραρχῆμα μὲν εἰς μακάριόν τινα καὶ εὐανθῆ, καρπῶν τε διαφόρων βρίθοντα χῶρον ἀπῳκίσαι τοὺς νεωστὶ τεχθέντας ἀδαεῖς τ' αὐτοὺς καὶ τ' ἀρχὰς ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἶναι θελῆσαι. *Et illos quidem* (Protoplaſtos) *recens in lucem editos*, *ſtatim in beatum quendam locum*, *& floribus omnique fructuum copia refertum tranſtulit*, *& boni malique imperitos initio eſſe voluit.* Verba autem hæc de *terreſtri* aliquâ ſede capi non *poſſe* hinc liquet, quod lineis mox ſequentibus *terreni* habitaculi mentionem peculiarem demum faciat: Τέλος δ' ἀπένειμαι μόνην λογικῷ ζώῳ πρέπουσαν τὴν ἐπὶ τῆς γῆς ἕδραν. *Tandem vero convenientem animalibus ratione præditis ſedem* in terrâ *conſtituit.*

Damaſc. de Orth. fid. l. 2. c. 11.

Valeſ. loc. Cit.

Euſeb. in Orat. Conſ. ad Sanctor. Cœt. cap. 5.

Mareſ. Syllog. Diſp. part. 2. pag. 386. III. Imò ne defuerunt quidem, qui Clariſſ. *Mareſio* teſte, *infrâ* terram hortum hunc collocarunt, *Paradiſum* quo Chriſtus migraturum ſeſe cum Latrone edixerat, cum *Inferno* confundentes: inter hos illuſtrem & doctiſſimum *Grotium* etiam recenſet, licet, quantum liquet, meticuloſius; dum eum, explicantem articulum ſymboli *de Deſcenſu Chriſti ad inferos*, hoc modo concludentem inducit: *Quodſi Chriſti anima fuit* ἐν παραδείσῳ, *ſequitur*, *eum etiam fuiſſe* ἐν ᾅδῃ. Sed neſcio, quo colore, vel quâ probabilitatis ſpecie hujuſmodi Vir Magnus e verbis allegatis errorem elicere, *Grotioque* innocuo affricare potuerit. Neque enim Paradiſum in iis *terreſtrem* reſpicit *Grotius*, ſed *cæleſtem*, de cujus loco ſituque nulla quæſtio inſtituitur. Ut neque ᾅδης ibidem ipſi *locale* quippiam eſt, E. G. *ſepulchrum* vel infernus, ſed nihil

Momma Oeconom. part. 2. pag. 634. 635. 636.

aliud

aliud quam ſtatus animæ à corpore ſeparatæ. *Notum eſt* (inquit Lichtfootus) *ut ᾅδης Græcis, atque inferi Latinis comprehendant & ſedes beatorum & damnatorum, & generaliter denotent ſtatum mortuorum, ad gaudia vel pœnas diſpoſitorum, pro qualitate perſonarum.* Prout juxta eundem vocabuli ſenſum multi etiam ex Patribus non ſolum impios ſed ipſos etiam pios εἰς ᾅδην in *infernum* poſt mortem deſcendere ſuſtinuerunt. Ita *Irenæus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Lactantius &c.* Quibus & digitum attollit Celeberr. *Voſſius*, cujus hæc verba ſunt: Si *ᾅδης eis* (Patribus ſcil.) *nihil aliud eſt, quam mortuorum ſtatus, certe hic omnium ſeparatarum animarum eſt communis, eoque nihil prohibet, quo minus tam pii, quam impii εἰς ᾅδην dicantur deſcendere.* Atque adeo inficias ire quis poteſt, quin eodem hoc ſignificatu veriſſime pronunciârit Grotius: *Si Chriſti anima fuit ἐν παραδείσῳ, ſequitur eam etiam ἐν ᾅδου fuiſſe?* Potuitne enim in *Paradiſo*, cœleſti Gloriâ, Beatorum loco eſſe, niſi a corpore vere ſeparata? Quinimò ſi localiter vocem ᾅδης ſumere velis, patebit mox, tum ex Ægyptiorum doctrinâ, tum ex Græcorum Scriptoribus plurimis, non tantum *Tartarum*, ſed & *Campum Elyſium* eâ ſæpe indicari, adeoque, juxta illos, ſitus ratione non *infernum* tantum, ſed & *Beatorum ſedem* infra terram collocari. Homerus *Tartarum* imum τοῦ ᾅδου fundum fecit: quo *Jovis* hæc verba quidam referunt:

Lichtfoot Hor. Hebraic. in Luc. 16. 26.
Iren. lib. 5. cap. 31.
Tertull. lib. de Anim. cap. 55.
Lactant. lib. 7. cap. 21.
Voſſ. Diſpp. Theol p. 97.
Joſeph. Antiqq. lib. 18. cap. 2.

Ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ἀπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός.
Τόσσον ἔνερθ', Ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐς ἀπὸ γαίης.

Projiciam in Tartarum obſcurum, valde procul, ubi profundiſſimum eſt ſub terra barathrum, ubi porta ferrea & æneum pavimentum: tantum ſub inferno, quantum Cœlum eſt a Terrâ. *Iliad. Θ. Vers. 13.*

Et hæc *Protei* ad *Menelaum* de Campo *Elyſio*:

Σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Αθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς.
Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν.
Οὐ νιφετός, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολύς, οὔτε ποτ' ὄμβρος.

Odyſſ. Δ.

Te ad Eleuſium *campum & finis terræ Dii mittent; ubi eſt fluvius Rhadamanus: ubi facillima eſt hominibus vivendi ratio; non nix,*

Pearſ. in Symbol. Apoſt. art. 5.

neque longa hyems, nec unquam imber. &c. Addit hoc *Virgilii* Pearſonus:

Hic locus eſt, partes ubi ſe via findit in ambas;
Dextera *qua Ditis magni ſub mœnia tendit:*
Hac itur Elyſium *nobis; at* Læva *malorum*
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Quodſi ergo D. *Mareſius* antecedentia *Grotii* verba cum ſequentibus ritè contuliſſet, mentem ejus procul dubio clarius & diſtinctius percepiſſet: ſic enim dictionis filum perſequitur *Grotius*: *Sicut παραδείσου & γεέννης vocabula diſtinctiam bonorum malorumque ſortem ſignificant, ita ᾅδης communiter deſignat ſtatum animarum a corpore ſeparatarum, opponiturque tum vitæ huic, tum reſurrectioni; quomodo & שאול uſurpant S. Literæ.*

Grot. in Luc. 23. 43.

Ambroſ. Ep. lib. 6. Ep. 42. *Origen. lib. 4. περὶ ἀρχῶν.* *Irenæus Adv. Hæret. cap. 1.* *Auguſt. de Hæreſ. cap. 59.* *Philo. de Opif. Mund lib. 2.* *Moſes Bar-Ceph. de Paradiſ.* *Bellarm. de Grat. Primi Hom. cap. 10.*

IV. Adhuc ſunt, qui univerſam de Horto hoc hiſtoriam in meras *allegorias* commutarunt. Ita magnus allegoriopæus *Origenes*, eumque ſecutus *Ambroſius*, hoc argumento, quod neminem uſq; adeo ſtupidum eſſe exiſtimarint, ut putet, Deum *Agricolam* fuiſſe, *& arbores in* Paradiſo *plantaſſe*. Quod hauſere forſan ex *Philone*, adoptato eodem ex ipſo errore a *Valentinianis*, *Hermianis* & *Seleucianis* hæreticis, ut videre eſt apud *Irenæum* & *Auguſtinum*: ſtatuentibus per Paradiſi *arbores* Angelos, per *flumina* virtutes cæleſtes &c. intelligendas eſſe. Qui conceptus licet ſatis abſurdi ſint, univerſæ enim Hiſtoriæ Moſaicæ advertantur, ut probavit *Moſes Bar-Cepha* & ex ipſo *Scarpius* loco antea citato, nec minus ſolide ipſe *Bellarminus*, hæreſin tamen non inducunt, ut perperam putarunt *Auguſtinus* & *Hieronymus*. Neque enim omne illud hæreticum habendum mox eſt, quod qualitercunque a veritate recedit, ſed illud tantum, quod fidei fundamenta vel luxat vel evertit, accedente ejus, qui errat, pertinaciâ. Id vero fieri per mox dicta allegorizantium cogitata, fateor me non videre. Vel ſumpſerunt forſan Patres illi *hæreſios* vocem ſignificatione latiori, quatenus qualiſcunque etiam *error*, a communi opinione recedens, eâ indicatur; ſaltem ſic ſæpe vocabulo eo uſi ſunt Scriptores quidam Veteres, præprimis *Philaſtrius* in libro de *Hæreſibus*, ut in continuo ejus textu videre eſt. *Subinde tamen a nonnullis* (inquit Voetius) *uſurpatur vox* hæreſios, *præſertim Hæreſiologis, pro quolibet errore in Hiſtoriâ aut Philoſophiâ, aut interpretatione alicujus dicti S. Scripturæ, aut in Quæſtione Theologicâ pure problimaticâ.* Et iſtiuſmodi certe hæreſium Autores multo magis veniâ quam acri cenſurâ digni ſunt.

Voet. Diſpp. Select. part. 3. pag. 723.

De

De talibus *Agathias Scholaſticus* (Σχολαστικὸν Σμυρναῖον vocat, *Suidas*, quia Smyrnæ Advocatus erat) Ἐλεεῖσθαι μὲν οὖν ἢ χαλεπαίνεσθαι, δίκαιοι ἂν εἶεν, καὶ πλείστης μεταλαγχάνειν συγγνώμης ἅπαντες, ὅσοι δὴ τοῦ ἀληθοῦς ἁμαρτάνουσιν, οὐ γὰρ δή που ἑκόντες ἀλῶνται, καὶ ὀλισθαίνουσιν. *Commiſeratione equidem & veniâ potius quam odio digni ſunt quotquot a vero aberrant, neque enim volentes errant & labuntur.* *Agath. Scholaſt. de rebus Geſt. Juſtinian. lib. 1.*

V. Probabiliſſime, meo judicio, de quæſtione hac pronunciant, qui *Meſopotamiæ* regionem, prope Babylonem ſitam, *Paradiſo* attribuunt, quos inter excellit Clariſſ. D. *Mareſius* loco ante allegato; ubi rationes ejus videndæ. Utcunque enim recedere ab illâ opinione videatur Vir quidam Doctiſſimus, haud video tamen, ſat ſolide eam ab ipſo refutari, multo minus probabiliorem ei ſubſtitui. Quæ enim de loco *Geneſar* (quem mare Galilææ ſive *Tiberiadis* appellant) *Paradiſi* τόπον ibi ſtatuens, citato loco diſſerit, vix tanti ſunt, ut ullâ veriſimilitudinis ſpecie rationes pro ſententiâ Meſopotamicâ, vel a *Mareſio* vel ab aliis allegatas, exæquare poſſint. Penes Lectores, quorum rationes ferunt, utriuſque opinionis fundamenta expendere, & cum ſe invicem conferre, ejus quod dico, judicium eſto. Interim non leve (ut paucula hæc opponam) contra ſententiam Viri illius Doctiſſimi præjudicium eſt, quod talibus nonnullis pro eâ certet telis, quæ ipſe alias pro plumbeis & ſtramineis haberet. In ſubſidium enim vocat *tum* Scriptorem Apocryphum *Libri Eccleſiaſtici*, *tum* Veterum Judæorum στοχασμὸς, in terra Iſraeliticâ *epocham dies numerandi* ponentium, eo quod *Adamus* eo loci habitaſſet, ſicque numerare ibi cœpiſſet, *tum* argumentum a vocis ſignificatione deſumptum, quod nunquam non elumbe eſt; rationem denique mere conjecturalem; *Conveniens* nempe *fuiſſe, ut eodem loco* primus *Adam perderet humani generis felicitatem, in quo eandem* ſecundus *Adam reſtitueret.* Quæ de *Paradiſi Fluviis* adducit, incerta quoque ſunt & dubia, quibuſque ab aliis pro ſententiâ *Meſopotamicâ* etiam decertatur, ortum, ductum, fluxumque eorum aliter atque aliter tantum explicantibus & deducentibus. Quare modeſtiæ eſſe *Mercerus*, *Willetus*, *Voetius*, *a Lapide* aliique arbitrati ſunt, ignorantiam ſuam hic profiteri. Potiſſima, ut videtur, viri Celeberrimi ſuppoſitio eſt, *Jordanem* fluvium illum fuiſſe, qui *Paradiſum* irrigavit, ex eoque profluxiſſe quatuor fluvios *Phiſonem*, *Gihonem*, *Chiddekelem*, *Euphratem*, ſatis celebres; hacque conceſſâ hypotheſi confectum

Eſ. 37. 12. & Ezech. 27. 23. *Voet. Diſp. Select. part. 3. pag. 686.*

Mercerus. Willetus. a Lapide in Geneſ. 3. S. Voet. loco. cit.

 eſſe

eſſe negotium putat. Sed adſtrui ego hypotheſin illam ſolidius optem. Ortus Jordanis vulgo ſtatuitur ſub monte *Libano*, longitudoque ejus *centum* præter propter *milliarium* habetur, uſque ad deſertum *Pharan* ſe extendens; vel (ut Talmudici in Bava Bathra) *Jordanes oritur e ſpeluncâ Paneadis, & fluit in mare Sibbechaum*, Syriâ diſterminans a Galilæâ, ſtratuſque ſuper eo fuit Pons ſplendidus, qui ob duas rationes *Pons Jacobi* nuncupabatur. 1. Quod illic congreſſus fuerit *Jacobus* cum fratre Eſavo. 2. Quod ibi luctatus fuerit cum Angelo. Quę an omnia vel olim vel poſtea quadrarint in fluviũ *Paradiſi*, nunquam hactenus demonſtratum eſt. Quæ de Jordanis *Oriente*, regioniſque ejus *amœnitate* & *fertilitate* addit, non magis pro illius, quam pro eorum opinione militant, qui tractum *Meſopotamicum* Hedeni aſſignant. Eludere etiam ſatagit Vir Doctus vim locorum S. Scripturæ, Eſ. 37. 12. Ezech. 27. 23. quæ pro ſententiâ *Meſopotamicâ* adferri ſolent. Sed argumentatur 1. a *poſſe* ad *eſſe*, cujus, ut notum, nulla conſequentia eſt. Dicit 2. non ſequi, *Edenem prope Haran in Meſopotamiâ fuiſſe, quia Haran, Chene & Eden inter Tyri negotiatores numerantur*: Quod conceditur: neque id inde conficiunt Scriptores, quod inter Tyri negotiatores *numerentur* ſimpliciter, ſed quod eodem verſu locoque ab utroque Propheta (quorum alter *Jeſaias* nempe negotiatorum ne quidem mentionem ullam facit) conjungantur & conſocientur: quod haud temere factum eſt, ſed hanc procul dubio ob cauſam, quod Gentes regioneſque fuerint conterminæ.

Lightfoot. Diſq. Chorograph. ad Joban. Hor. Hebraic. p. m. 319.

VI. Atque hæc quidem vere hactenus de tractu, qui *hortum* hunc olim continuit; ſed frigida & diluta plane ſunt, quæ de *magnitudine* & *amplitudine* ejus aliqui narrant. Sunt qui univerſum Terrarum Orbem eum circumdediſſe aſſeruerunt. *Toſtatus* ſat confidenter longitudinem ejus ad duodecim circiter milliaria, ambitum vero ejus ad triginta ſex vel quadraginta milliaria determinavit, ſed unde id certo colligat, ignoro. Dubitandum non eſt, quin in genere ampliſſimus fuerit & patentiſſimus, ut loquitur *Moſes Bar-Cepha*, tantæque ſaltem περιφερείας, ut ſuffecerit beatitudini Protoplaſtorum, quâ Deus in ſtatu innocentiæ dignatus eos erat. Atque huic beatitudini procul dubio etiam inſerviit, quod vario animalium genere repletus fuerit, inſtructus nempe non tantum frondibus & fructibus, ſed & numeroſo creaturarum viventium grege. Adeo ut detrahere ejus tum ornatui tum voluptati & amœnitati non parum videantur, qui cum *Damaſceno*, omnia inde animan-

Toſtat. in. Geneſ. 13. qu. 98.

Perer. Lib. 3. de Parad. cap. 3.

Moſ. Bar-Ceph. Lib. m. pag. 287

Bellarmin. de Grat. Primi Homin. cap. 12.

Digitized by Google

mantia exturbarunt. Verba ejus ſunt: ***Divinus profecto locus eſt Paradiſus, ac dignum ejus, qui ad imaginem Dei creatus fuerat, habitaculum*** (ἐνδιαίτημα) *in quo nullum habitabat irrationalium, ſed ſolus homo*, τῶν θείων χειρῶν τὸ πλαστούργημα, *Divinarũ manuum ſigmentum*. Animalia enim omnia ſi plane exulare inde debuerint, quo colore credideris, Serpentem ſeductorem *Hortum* illum tam audacter ſubiiſſe? Et quam ſane attonitam ſtetiſſe oportet *Evam*, videntem beſtiam quandam domũ ſuam intrantem, cui aditus ad eam nullo modo erat conceſſus. Et quem in finem dixit Deus primis hominibus, ut *piſcibus, volucribus, cæteriſque animantibus dominarentur*, ſi nulla adfuerint, quæ imperio illi ſubeſſent? Hinc *Damaſceno* opponimus *Auguſtinum*, qui ſic infit: *In* Paradiſo *corporali cum duobus illis hominibus maſculo & fœminâ, animalia etiam terreſtria cætera ſubdita & innoxia verſabantur.* Dicitur quidem *Deus animalia ad Adamum* in Paradiſo commorantem *adduxiſſe* Gen. 2. 19. ſed non ſequitur inde nulla ergo in eo antea fuiſſe; ſed omnia tantum in iſtâ *Paradiſi* parte non ſubſtitiſſe, ubi *Adamus* tunc erat (neque enim is poterat omnibus iis ſimul adeſſe) adeoque collectioné & adductione tali locali opus fuiſſe, ut juſto coram ipſo ordine ſiſterentur. Nequaquam tamen pro aſſerendis in Horto hoc animalibus facit, quod de *Paradiſi Ave* vulgo narratur; ea enim nominis id gerit, non quod e *Paradiſo* magis, quam aliæ volucres prodierit, ſed a plumarum pulchritudine, quâ aves alias antecellit. Soli etiam Latini, quos ſequuntur Belgæ, eam ſic indigitant. *Moluccarum* incolæ (in horum *Inſulis* enim præcipue apparet) eam vocant *Monuco diata*, quaſi *avem Dei* dixeris; Luſitani *Paſſores de Sol*. Referunt de hac Ave, quod nunquam viva viſa ſit, ſed mortua duntaxat & exanimis ex alto decidat; quod adverſus Solem ſemper volet in aëre, nullo terræ contactu; quod pedibus careat, roſtro repanſo in aëre ſe libret pendula, ſibi ipſi incubet, defeſſa teneriorem arboris ſurculum amplectens, oblongioribus caudæ pennis pendula quieſcat. Quod corporis mole ſatis parva ſit, licet longiores, quas habet, pennæ faciant, ut mediocris magnitudinis eſſe videatur. Quæ omnia an vera ſint, penes *Diariſtas* fides eſto; ſaltem vix bene conſtare mihi videtur, quomodum nunquam *viva* viſa dicitur, adverſus Solem volare, ſeſe in aëre librare, arboris ſurculum amplectentem, oblongioribus caudæ ſuæ pennis pendulam quieſcere, aſſeratur. Saltem non niſi viva præſtare id poteſt, nec quiſquam de ea id teſtari, qui *vivam* eam nunquam *vidit*.

Damaſcen. de Fid. Orth. lib. 2. cap. 11.

Auguſt. de Civit. Dei cap. 11.

Rivet. in geneſ. Exerc. 49.

Digitized by Google

Vict. Mar. comment. in Geneſ. lib. 1.

VII. Etiamſi autem hortus hic *Hedenis* amœniſſimus principio fuerit & inſtar deliciarum generis humani, de quibus ſignificantiſſime *Victor Marius*, hunc in modum:

Eoos aperit felix qua terra receſſus
Editiore globo nemoris Paradiſus amœni
Panditur: & teretis diſtinguitur ordine Sylva
Hic ubi, jam ſpatiis limes diſcernitur æquis
Solis, & æternum paribus Ver temperat horis.
Illic quæque ſuis dives ſtat fructibus arbor,
Pomaque ſucciduis pelluntur mitia pomis:
Quæ jucunda oculis, & miri plena vigoris
Membra animoſque fovent, paſcuntque ſapore & odore.
Sidereos hic terra vibrat diſtincta calores,
Semper flore novo frondens, fructuque recenti:
Hic fragiles ſolvunt calamos animata vigore
Muneris ambroſii ſpirantia cinnama odores.
Sed nec quod Medus redolet, vel crine ſoluto
Fragrat Achæmenius, quod molli dives amomo
Aſſyrius, miſſiſque rubens Mareotica nardo,
Quod Tarteſiaci frutices, quod virga Sabæi,
Quodque Palæſtinus lacero flet vulnere ramus,
Omnia certatim hunc congeſta putabis in hortum.
Namque huc cuncta Deus pariter quæ ſingula certis
Accepit natura locis, confecta regeſſit.
Motaque dum leni vibrat nemus aura meatu
Unum ex diverſo nectar permiſcet odore.
Fitque novum munus ſibi nulla quod afferat arbor.
Quaque tremens blando ſenſim jactata fragore
Commotis trepidat foliis, ſonat arbore cuncta
Hymnum Sylva Deo, modulataque ſibilat aura
Carmina, nec vacuus tacitum quatit aëra motus.

Proba. Falcon. in Centon. Biblioth. P.P. Tom. 8. pag. m. 227.

Neque minus eleganter, licet contractius, *Proba Falconia*, Fœmina celeberrima, *Adolph:* Romani Proconſulis uxor, Græcè & Latinè eruditiſſima, altera Chriſtianorum quaſi *Sapho* Latina, quæ prima truncatos *Virgilii* verſus, quem totum memoriâ tenebat, ad Chriſtianæ doctrinæ myſteria metrice inculcanda, in centones redegit. Hæc ita de *Paradiſi* oblectamentis:

Ecce autem primi ſub lumine ſolis & ortus
Devenere locos, ubi mollis amaracus illos

Flo-

Floribus & dulci adſpirans complectitur umbra.
Hic per purpureum, atque alienis menſibus æſtas,
Hic liquidi fontes, hic cali tempore certo
Dulcia mella premunt, hic candida populus antro
Imminet, & lenta texunt umbracula vites:
Invitant croceis ad laudes floribus horti
Inter odoratum lauri nemus, ipſaque Tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.

Hæc, inquam, licet ita fuerint in *Paradiſo*, non tamen ſemper is ita remanſit, nedum quod eâdem adhuc formâ in hunc uſque diem ſuperſit, *Henochque* & *Elia* in eo delitescant, reverſuri ſcilicet hafce in terras, ad Antichriſtum debellandum, prout ex Apoc. cap. 11.3. *Pontificios* nugari notum eſt. In ſubſidium advocatis *Irenæo*, *Athanaſio*, *Iſidoro*, ac imprimis *Juſtino Martyre*, qui ſic in *Quæſt. & Reſp. ad Orthodoxos*: Δι' ἣν αἰτίαν οὐδὲ ἐτελεύτησαν πάλιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐν ἀθανασίᾳ. Καθάπερ ὁ Ἐνὼχ καὶ ὁ Ἠλίας καὶ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ παραδείσῳ, ἀναμένοντες τὴν ἤδη αἰωνίαν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως γινομένην κατὰ ἐναλλαγήν, καθ' ἣν φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, πάντες ἀλλαγησόμεθα. *Quam ob cauſam reſuſcitati illi denuo mortem non oppetiêre, ſed in immortalitate manent, ſicut* Enoch *&* Elias: *cum quibus in* Paradiſo *ſunt, reſuſcitationem Jeſu Chriſti, & reſtitutionem ſempiternam primo quoque tempore, per mutabilitatem futuram, qua (ſicut ait Apoſtolus) omnes immutabimur, expectantes.* Ita quidam. Alii tamen divortium ab his faciunt; & *vel* plane de commorationis *Henochi* & *Eliæ* loco tacent; ſic *Tertullianus*, *Epiphanius*, *Ambroſius*; niſi poſtremum huncipſum *Cœlum* eum ſtatuiſſe dixeris, prout diſerte loquitur; *vel* quæſtionem de eo inter *curioſas* habent, ut *Chryſoſtomus*; vel dubitanter de *eo* loquuntur, ut *Auguſtinus* & *Theodoretus*; vel exerte dicunt, nec ratione nec Scripturis probari poſſe, quo abierint duo illi Heröes. Ita *Eugubinus* (qui vehementer ideo vapulat *Saliano*) & præcipue *Eſtius*, cujus hæc verba ſunt: *Quæri ſolet, quo tranſlatus ſit* Henoch, *id enim Moſes tacuit.* Et paulo poſt: *Si quæſtio ſit de* Paradiſo, *e quo pulſi ſunt primi Parentes, non male dubitatur, num vel Henoch vel Elias illuc fuerint tranſlati, ibique nunc maneant. Id enim nec ratione, nec certâ authoritate doceri poteſt.* Recte quidem; quinimo contrarium ſat manifeſte probari poteſt: Obſtat enim perſpicue figmento illi locus Gen. 7. 19. ubi ita invaluiſſe Diluvii aquas narratur, ut altiſſi-

Juſtin. Mart. pag. m. 444
Athanaſ. c. 3.
Iſidor. in Gen. cap. 4
Ambroſ. Lib. de Paradiſo.
Auguſt. Homil. in Gen. 21.
Theodoret. in Geneſ. quæſt. 45.
Salian. Ann. V. T. pag. m. 139.
Eſt. in Ep. ad. Hebr. cap. 11. 5.

tiſſimis quibusvis montibus *quindecim cubitis evaſerint ſuperiores*, adeoque & procul dubio voluptatis hocce ſtupendum promontorium ſimul contexerint & everterint. Ut neque *Arcæ* ſtructura ullo modo opus fuiſſet, ſi hortus hic *Paradiſi* extra perditionis periculum conſtitutus fuiſſet; ad illum enim potuiſſet ſe tuto *Noachus* cum ſuis recepiſſe, uſque dum reliqua viventia *Diluvii* inundatione periiſſent. Sic iterum *Eſtius*, qui *Janſenium* & *Bellarminum* ut ὁμοφώνους laudat: *Accedit* (inquit) *argumentum ex Scriptura Sacrâ, quæ Geneſ. 7. memorat, totum orbem terræ aquis diluvii coopertum fuiſſe, adeo ut etiam altiſſimos montes aquæ ſuperaverint 15. cubitis. Quare neceſſe eſt, etiam Paradiſum, cum cæteris totius terræ Hortis cultiſque locis illo diluvio inundatum periiſſe. Quodſi hoc argumentum conjungas cum ſuperiori, plus habebit roboris. Si enim* Paradiſus *fuit in partibus* Armeniæ, *vel* Meſopotamiæ: *dicit autem Scriptura Arcam Noe decreſcentibus aquis, requieviſſe ſuper montibus* Armeniæ, *plane conſequens eſt*, Paradiſum *in illis regionibus ſitum, nec montibus altiorem, iisdem aquis, quibus & montes, obrutum fuiſſe.* Ne dicam, ſiquidem ſtare hic *Papicolis* volupe ſit *Juſtini* teſtimonio, rationem dari non poſſe, ob quam *hanc* ejuſdem de *Paradiſo adhuc ſuperſtite*, deque *Enocho* & *Elia* in eo commorantibus, ſententiam magis adoptent, quam *illam*, quæ huic immediate connexa eſt, animas nempe eorum, qui poſt Dominicam paſſionem excitati ſunt, ante illam excitationem, in terreſtri quoque hoc *Paradiſo latuiſſe*, ut & animam *Latronis* converſi inibi morari, ad diem uſque univerſalis reſurrectionis; imo poſt exitum animarum e corpore *illico* (εὐθὺς) juſtos ab Angelis adduci ad condignum ſibi locum, id eſt, *Paradiſum, ubi conſuetudine & adſpectu fruuntur Angelorum & Archangelorum*: Quam opinionem ut ut exertè profiteatur *Juſtinus*, nemo tamen credo opponentium facile admittet, ſaltem cum lepido ſuo *Purgatorio* nunquam conciliabit. Dixi tantum, non credi oportere, *eadem formâ* Paradiſum in hunc uſque diem ſupereſſe, nam quod locus ejus ſedeſque nequaquam amplius extarent, quis credat? Aſſurgo hic *Hopkinſoni* ſententiæ, qui ſic procedit: *Crediderunt alii, Paradiſum fuiſſe in Orbe terrarum, ſed nunc judicio Dei ademptum eſſe, quod an admittendum plane ſit, ambigo. Patres aliter omnino ſtatuunt, & contra illam ſententiam eunt. Potuit quidem variis caſibus mutari ejus facies, ſed ejus locum ſedemque non amplius extare, quis propterea auſit dicere? Et fuit Paradiſus caſibus obnoxius, ſicut &*

Eſt. in Lib. Sentent. lib. 2. Diſt. 17. §. 18.

Juſtin. loc. cit. & Quæſt 75. 76.

Tertullian. lib. de Animâ.

Turretin. Inſt. Theolog. Elenct. part. 1. *pag.* 633.

Hopkinſ. de Parad. pag. 9. 10.

ca-

cætera mortalia omnia. Ea enim eſt hortorum natura, ut facile poſſint ſqualeſcere. Atque hæc eſt cauſa fortaſſe, quod hortus ille, qui jam incultus ac informis jacet, a noſtri ſeculi hominibus non ſine magna difficultate inveniatur. Nec mirum alicui videri id debet, Jeruſalem Civitas Dei florentiſſima nunc everſa eſt, & Sion mons Dei, Sacroſancta quoque Dei Arca jam dudum vetuſtate contabuit. Et paulo poſt: *Quamobrem dicamus, ornatum & elegantiam Paradiſi cum tempore aut Diluvio ſublatam eſſe, non tamen terræ flumina & loca, quæ diſerte a Moſe deſcribuntur, una interiiſſe exiſtimandum eſt.*

IX. Quamdiu tamen fuit hic *Hortus*, quoad elegantiam ſuam & ſingularem loci κοσμότητα, myſterio non caruit; quum enim tum Chriſtus tum Paulus *Paradiſi* vocem ad æternam gloriam ſignificandam traduxerint. Luc. 23. 43. 2 Cor. 12. 4. quis dubitet, quin & ſingularem hæc cum illo analogiam habeat? quinque intenderit Deus, ejus tum creatione tum inhabitatione meliorem aliquam *Adamo* manſionem præſignificare. Apoc. 21. 22? Quo & *Paradiſi* deletio referenda eſt, indicante per eam procul dubio Deo, alium longe feliciorem quærendum & paratum eſſe fidelibus *Paradiſum* per Chriſtum, quam terreſtris is fuit, in quo locatus eſt Adam, conſitum innumeris fructibus ſaluberrimis, irriguum fluvio perenni aquæ vivæ, unde peccatum & mors in æternum exulant, & quo Satan ſemel pulſus, nunquam reverti poteſt. Maximè cum poſt *Ezræ* tempora, quando res poſt vitam hanc mortalem eventuræ, obſcurius olim indicatæ, propriis diſtinctiſque nominibus appellari jam incipiebant, felicitas poſt hanc vitam mortalem, & præcipue piarum mentium, a corpore ſeparatarum & reſurrectionem expectantium, ſtatus גַּן עֵדֶן, id eſt, *Hortus Hedenis* nuncupari cœperit. Prout voces illæ iſtoc ſenſu in Scriptis Talmudicis paſſim obviæ ſunt. Hinc etiam ἐυφημισμὸς eorum de mortuo uſque adeo ipſis familiaris: *Sit anima ejus in horto Eden*; aut, ut mutare fere voces ſolent: *Animus ejus collectus eſto in horto Eden.* Vel, *Requieſcat anima ejus, & ſit dormitio ejus in pace, donec veniat conſolator, qui facit audire pacem patrum ſeculi, dormientium in Hebron. Portas* Paradiſi *aperite ei, & dicite pacem. Venite qui cuſtoditis theſauros Paradiſi.* Quare neque unquam tam mirum mihi viſum fuit, inventos olim eſſe, qui *Paradiſum* ante *mundi* primordia extitiſſe aſſeruerunt. Neque enim intellexêre id *illi* de *Paradiſo* hoc *corporeo*, de quo jam egimus, ſed de

Witſ. de Oeconom. Fœd. cap. 6. §. 5.

Turretin. Inſt. Theolog. Elenct. part. 1. pag. 636.

Grot. in Luc. 23. 43.

Digitized by Google

cœleſti, corporei hujus re ſignatâ & repræſentamine? & quis negare auſit, Scripturam exertè *dicere* ante ipſum mundum eum extitiſſe? *Regnum* enim *verè* eſt (ut ipſe Chriſtus teſtatur) *ante jacta mundi fundamenta præparatum* Matt. 25:34. *Septem*, uti conſtat, habuerunt Veteres Hebræi, quæ *ante-mundana* dixerunt: *Legem*, *Juſtum*, *Meſſiam*, *Iſraelem*, *Solium Gloriæ*, *Jeruſalemum*, ac præter illa *Paradiſum*. Sed *ſolium gloriæ* ſive Paradiſum cœleſtem a *terreſtri* diſertè tunc diſtinguunt; quo quidem ſenſu intelligendi ſi forent, & non juxta verborum Chriſti argumentum, qui Paradiſum *ante mundum* fuiſſe aſſeruerunt, veritati ſane Scripturiſque convenienter minime eſſent locuti. Sed, ut Vir quidam doctus obſervat, quod Antiqui olim tectè & ænigmaticè intellectum voluerunt, Judæi poſtmodum juniores & indoctiores in ſequiorem ſenſum rapuerunt; & litteraliter explicârunt, atque exinde factum, ut velut hæreſios loco imputatum antiquis Hebræis ſit, licet perquam injuſte, quod de *Paradiſo ante-mundano*, per quem (ut dixi) nihil minus quam corporeum *Adami* hortum intelligebant, locuti nonnunquam ſint. Verba Viri illius Docti hæc ſunt: *Quidam* (inquit) *putant Onkelum reſpexiſſe ad ſententiam illorum, qui tenent, Paradiſum cum quibuſdam aliis adhuc rebus ante conditum mundum extitiſſe. Quod non ita craſſè juxta litteram, ut recentiores Judæi ſtultè putant, intelligi voluerunt. ſed quod æterna vita ac beatitudo, cujus Paradiſus ille terrenus quodammodo typus fuit, ab æterno ante conditum mundum pro electis extiterit, juxta illud dictum Apoſtoli Eph.* 1. Quod nos Deus Pater Cœleſtis in dilecto Filio ſuo elegerit antequam jacerentur fundamenta mundi &c. *Sic tectè multa dixerunt Veteres Hebræi, quæ juniores Judæi ridicule & inepte juxta litteram accipiunt.* Et quid non ipſe *Hieronymus* de *Paradiſo* ante-mundano conceptis verbis habet? adductâ enim *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis* interpretatione, qui τὸ מִקֶּדֶם, quod habetur Geneſ. 2. verſ. 8. non per *ad Orientem*, ſed per *in principio* vertunt, *manifeſtiſſime* inde *comprobari* dicit, *quod priusquam Deus cælum & terram faceret*: Paradiſum *ante condiderat*, *ſicut legitur in Hebræo, Plantaverat autem Deus* Paradiſum *in Eden in principio.* Quod ſi de *Paradiſo corporeo* Pater ille intellexerit, multo certè durius eſt, quam quod Veteribus Hebræis mox attribui diximus. Quare & conati duo Viri Docti ſunt, ut craſſo hoc errore eum abſolverent: *Bellarminus* ex aliorum ſententiâ ſic locutum eũ putat; *Mercerus* cum *Engubino* eum in ſententiâ illâ non perſtitiſſe exiſtimat.

Fagius in Paraphraſ. Chaldaic. in Gen. 2. 8.

Hieronym. Oper. Tom. 4. *fol. m.* 91. *verſ.*

Bellarm. Controverſ. tom. 4. *pag.* 11.

Mercer. in Gen. p. 47.

X. Excuſatas tamen minime velim alias *Judæorum*, quas de *Paradiſo*

radiſo ſuaviter ſomniarunt, *φλυαρίας*; imprimis quas de magno ſuo *Jehoſuâ* fabulati ſunt: quomodo nempe Deus ad illum, jamjam moriturum, Angelum mortis miſerit, qui peteret ab eo, nunquid ſibi vellet aliquid ante mortem ſuam? iſque ſolum poſtulaverit, ut oſtenderetur ſibi locus manſionis ſuæ in גַּן עֵדֶן, ductuſque ad ſeptum Paradiſi, ut introſpiceret, elapſusque e manibus Angeli, ſubito inſilierit pede in Paradiſum, ibique luſtrans omnia, invenerit *ſeptem* manſiones, ſingulas longitudine centum millia milliarium, & latitudine decem millia. In *primâque* vidiſſe paganos, qui, relicto Ethniciſmo, ad Deum ſe converterant; in *ſecundâ* poenitentes; in *tertiâ* Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, & omnes filios Iſrael, qui Ægypto egreſſi mortem obierant in ſolitudine; in *quartâ* meminem; in *quintâ* Meſſiam filium David, & Eliam; in *ſextâ* eos, qui hinc migraverant in triſtitiâ; in *ſeptimâ* illos, qui exceſſerant ex infirmitate aut ſupplicio. Paulo aliter ac plenius enarrat hæc Carpzovius: *In* Primo (inquit) conclavi *offendebat* [Jehoſua] *Proſelytos Juſtuiæ ſub præfecturâ* Obadiæ Juſti: *In* ſecundo *peccatores per poenitentiam converſos, ſub præfectura* Manaſſis *Filii Hiskiæ: In* Tertio *Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, omneſque Iſraelitas, qui olim ex Ægypto exierant, quique in deſerto obierant, & omnes Davidis Liberos, excepto* Abſalomo. *Davidem ipſum & Salomonem, atque omnes Reges Juda, Præter* Menaſſem *Hiskiæ filium, utpote pœnitentibus in ſecundo conclavi præfectum; præerat autem his* Moſes *&* Aaron. *In* Quarto *conclavi reperit perfectè juſtos & Fideles: In* quinto, *omnium ſplendidiſſimo, Meſſiam, Filium Davidis & Eliam: In* Sexto *Mortuos in via præcepti: In* Septimo *denique Mortuos ægritudine propter Iſraelitarum iniquitates, At* meræ hæc delirantis, ne dicam inſanientis cerebri chimæræ ſunt, quas Auctoribus ſuis relinquimus; nam

Carpzov. in S. hickard. de Jur. Reg. Hebr. cap. 6. pag. m. 475. 476.

Qualiacunque volunt Judæi *ſomnia vendunt.*

EXERCITATIO IV.

DE

FRATRICIDIO CAINI.

BREVIARIUM.

Verba Moſis de Caino & Habele *e Gen* 41.15. *allegata. Fratricidii occaſio.* Cain & Habel *an gemelli? An ipſi dona ſua obtulerint an* Adamus *pro ipſis? Solo* naturæ *inſtinctu non ſacrificarunt.* Juſtinus Martyr & Chryſoſtomus *notati.* Euſebius, Athanaſius, Plutarchus, Arnobius, Suarez *ad partes vocati. Nulli non populo ſacrificandi ritum communem eſſe a vero alienum. Cauſæ, ob quas ab ipſo Mundi primordio ſacrificari ſibi Deus voluerit, indicatæ. Unde* Sacrificandi *præceptum primis parentibus innotuerit?* Veſtes pelliceæ *an mandati ſacrificii indices?* Mundorum & immundorum *animalium diſcrimen quando ortum? Spiſſus* Theodoreti *circa illud error.* Epiſcopius, Simſonius, Coccejus *pulſati.* Fides & ratio *ut differant?* Grotius *ex* Grotio *confutatus.* Data *non tantum ante legem Sacrificia ſed &* imperata. *Sacrificii utriuſque Fratris* Materia *quæ? Hebræorum de eâ opinio. De rejecti* Caini & *accepti* Habelis *Sacrificii causâ conjecturæ variæ. Vera Sententia aſſerta. Per* fidem *aliquid* offerre *quid? Unde ſcire potuerit Habel, Sacrificium ſuum* acceptum *Caini* rejectum *a Deo fuiſſe? Sacrificiorum* ἐμπυρισμὸς. *Ratio ejus a* Chryſoſtomo *reddita. Apud ipſos* Paganos *etiam aliqua ejus umbra. Quid locutus ſit Habeli* Cain, *cum ad campum eum educeret? Lxx. Interpretum audacia.* Sixtus Senenſis, Magdalius

dalius Gaudenſis & Lucas Brugenſis *cum ſe invicem commiſſi.* Talmudicorum *nugamenta exploſa. Quo mortis genere necaverit Fratrem ſuum* Cain *& quo inſtrumento?* Ὁδὸς τοῦ Κάϊν *quæ?* Hemmingius *notatus.* Quartam *Mundi* partem *in Habele non occidit Cain. Erroris illius origo.* Burmannus *notatus. Authoritas* humana *in rebus fidei quouſque ſuſpicienda? Exilium Fratricidii Cainici pœna.* Cur *tam levi ſupplicio & non ipſâ morte vindicaverit id Deus?* Joſephi & Heideggeri *conſiderationes rejectæ. Exulceratæ* conſcientiæ *tormenta. Veterum* Inſcripti & Inſcriptiones *varii generis.* Samiis *cur nemo* literatior *dictus?* Servorum *apud Romanos ſtigmata.* Tabellæ *collo eorum appendi ſolita.* Athenienſium Σεμάινα. *Signa* פָּחַד & חָמַר *quid? De* Signo, *Caino impreſſo, opinionum divortia. Sententia maximè probabilis. De Protoplaſtorum ſuper morte* Habelis *Luctu anilis Hebræorum fabula. Male is e voce* הבל *a nonnullis deductus.* Auguſtinus *notatus.* Cainæi *ſive* Cainiani *qui, & quando orti? Perperam hi cum* Cajanis *a quibuſdam confuſi. Genuina eorum ſententia.* Sethianorum, Abelianorum, Antitactorum *dogmata impia & abſurda. An Cain* Chriſti Hoſtium *typus fuerit?* Ambroſius *leviter tactus.*

I. NArratur *Caini* fratricidium Geneſ. cap. 4. verſ. 3.-- 15. *Et factum eſt a fine dierum & adduxit Cain de fructu humi oblationem Domino. Sed & Habel quoque adduxit de primitiis ovium ſuarum, & de adipe illarum: Et reſpexit Dominus ad Habel & ad oblationem illius. Ad Cain vero & oblationem illius non reſpexit: quapropter iratus eſt Cain valde, conciderantque vultus illius... Et dixit Cain ad Habel fratrem ſuum, factumque eſt, cum eſſent in agro, inſurrexit Cain in Habel fratrem ſuum, & occidit eum.* Continent verba hæc *Fratricidii* tum *occaſionem*, tum *fratricidium ipſum*, tum quæ *conſecuta* illud ſunt. De ſingulis pauca.

II. *Occaſio* fuit ſacrificium a *Caino* ejuſque fratre *Habele* oblatum, at impari plane more & favore a Deo exceptum. *Fuit ergo*

(habet textus) *poſt dies multos, cum obtulit Cain de fructu terræ munus Jehovæ, & ipſe quidem Habel obtulit.* Iunguntur hic ut germani fratres duo Adami filii: unde collegerunt quidam, eos *gemellos*, eodemque partu editos fuiſſe; in ſubſidium vocatâ hac ratione, quòd de Evâ Moſes dicat, quod *pergens parere*, ſcil. poſt Caini nativitatem, *pepererit etiam Habelem*, non injectâ mentione, quod prius eum *conceperit*, quod verſ. 1. de Caino dictum erat. At futile hoc Iudæorum deliramentum eſt, de quo non immerito Clar. Gathakerus: *De geminis intra horulæ ſpatiolum conceptis & editis ecquid opus eſt quicquam adjicere:* ſtipites *meri ſunt, quibus iſta probantur.* Nam qualis, quæſo, illatio eſt; Conjunguntur in narratione hiſtoricâ *Cain* & *Habel*, ergo in ipſâ etiam parturitione conjuncti fuere; Conjunguntur ſæpe a *Sacris* Scriptoribus *David* & *Jonathan*, *Petrus* & *Johannes*, *Paulus* & *Barnabas* &c. Ergone gemelli illi fuerunt? *Perrexit Eva parere*, ſed an eâdem horâ & tempore? *ubi* hoc habetur? probandum hoc erat. Et quid opus *Moſi* fuit, ut *conceptionis* Habelis ſpecialem mentionem faceret, quum de partu ejus loquens, conceptionem ejus evidenter ſupponeret? Placuit (quantum ex omnibus circumſtantiis videre eſt) Spiritui S. in enarrandâ Protoplaſtorum propagine, ſingulariter Laconiſmus ſive conciſa docendi ratio, ex quâ factum, quòd ambagibus inutilibus datâ procul dubio operâ abſtinuerit. *Solitâ* (inquit Mercerus) *utitur Scriptura* brevitate, *conceptum ſive graviditatem* (Evæ) *omittens.*

Gathak. Cinnus pag. 192.

Mercer. in Gen. 4.

III. *Sacrificarunt* hi fratres: proprié eſt *attulerunt*: Inferunt hinc quidam, eos ipſos non ſacrificaſſe, ſed victimas ad Patrem *Adamum* attuliſſe, ut, ab eo ſacrificarentur tanquam familiæ capite, cujus erat fungi ſacerdotio. Sed negat *Mercerus*, certum hoc eſſe, nixus hac ratione, *quia quiſque ante legem ſua offerebat ſacrificia.* Cui geminum hoc Aben-Ezræ eſt; *quia coluit Cain terram, adduxit munus ad locum cultui divino deſtinatum, neque tamen placent mihi, qui dicunt, quod adduxerint ſacrificium ad Patrem ſuum.* Fuit procul dubio & tum modo locus quidam publicus, quo tam ad ſacrificandum quam ad concipiendas preces conveniebant; huc ergo *adduxerunt* vel *attulerunt* fratres quæ offerenda habebant, ibique ea obtulerunt. At quomodo (*dicis*) adducti, ad ſacrificandum ſunt? quo præcepto-

Heidegg. Hiſt. Patr. p. 1. pag. 177.

Digitized by Google

ceptore, quo monitore? Statuêre nonnulli, ſolo *naturæ lumine* illos impulſos eſſe, neque Dei aliquo mandato opus ad id habuiſſe. Quâ etiam hypotheſi Romanenſes poſtmodum ſacrificium ſuum Miſſaticum ſuſtentare conati ſunt. Senſit ſic inter Veteres *Juſtinus Martyr*, qui hunc in modum: Οὐδεὶς τῶν θυσάντων τὰ ἄλογα θυσίαν τῷ Θεῷ πρὸ τοῦ νόμου μετὰ τὴν θείαν διάταξιν ἔθυσε, κἂν φαίνεται ὁ Θεὸς ταύτην προσδεξάμενος, τῇ ταύτης ἀποδοχῇ δεικνύων τὸν θύσαντα εὐάρεστον αὐτῷ. *Nemo, eorum qui ante legem pecudes Deo obtulit, divino id juſſu fecit, quanquam patet talia acceptaſſe Deum, & acceptando oſtendiſſe, charum ſibi eſſe eum, qui offerebat.* Cui σύμφωνος fuit *Chryſoſtomus*, cujus, juxta Illuſtr. *Grotium*, hæc verba ſunt, (hujus enim fide hic nitor, non αὐτοψίᾳ, cum locum ipſi citatum neque in ejus textu *Græco*, neque in *Interpretamentis* Latinis invenire potuerim) Οὐ γὰρ παρά τινος μαθὼν, οὐδὲ νόμου περὶ ἀπαρχῶν διαλεγομένου ταῦτα ἀκούσας, ἀλλ᾽ οἴκοθεν καὶ παρὰ τοῦ συνειδότος διδαχθεὶς, τὴν θυσίαν ἐκείνην ἀνήνεγκε. id eſt: *Non enim ab ullo edoctus* (Habel) *non lege acceptâ, quæ de primitiis aliquid conſtitueret, ſed apud ſe, ſuapte motus conſcientiâ, ſacrificium illud obtulit.* Simile quid habet *Homil. 17. in Geneſ.* Addunt alii *Hieronymum* & *Theodoretum*, aſſectantibus ipſos *Socinianis* & *Remonſtrantibus*, neque procul ab iis recedentibus fratribus quibuſdam, cætera Reformatis, ut hypotheſin ſuam, de *novâ Triplici* Oeconomiâ ſuffulciant. Quos de ponte nuper dejecit Acutiſſimus Theologus *Melchior Leideckerus*, in erudito Opere, quod *Vim Veritatis* inſcripſit. Procul enim a vero abſunt, qui hæc tenent. Utcunque enim negari non poſſit, naturæ lumen, Deum colendum in generē eſſe, hominum mentibus dictitare, imo & docere eos, non internè tantum ſed & actionibus qualibuscunque *externis* colendum eum eſſe: haud concedendum tamen eſt, id ipſum ſpecialem hunc vel illum cultus ritum, qui Deo verè gratus eſſe poſſit, homini unquam indicaſſe. Tum quia de debito omnipotenti Creatori cultu tribuendo actum facile eſſet, ſi ſolam in præſtando eo naturam, eamque quidem corruptam &

Selden. de Jur. Nat. & Gent. lib. 3. cap. 2.

Bellarm. lib. 1. de Miſſ. cap. 10.

Juſtin. Martyr. Reſp. ad Orthodox. 83.

Grot. de Ver. Rel. Chriſt. lib. 5

Simſon Chron. Catholic. p. 1. pag. 2.

Coccej. in dagat. Natur. Sabb. §. 6. 7.

Leideck. Vis Verit. lib. 4. Controv. 1.

& perverſiſſimam, magiſtram ducemque ſequerentur, cum nullam ratio humana inter Deum, qui Spiritus eſt, & Sacrificiorum externorum ritum ἀναλογίαν invenire vel excogitare poſſit. Ut enim apud Poëtam eſt,

Non bove mactato cæleſtia Numina gaudent,
Sed, quæ præſtanda eſt, & ſine teſte, fide.

Joh. Gerard. Locc. Theol. pag. 106. Tom. III. *Tum* quod exertè Apoſtolus teſtetur, *Habelem* fide *Deo ſacrificaſſe*, Heb. 11.4. at vero *fides* non eſt, niſi *ex auditu, auditus autem ex Verbo Dei.* Rom. 10.17. per quod *verbum Dei* non *naturæ* ſed Scripturæ *lumen* intelligendum eſt. Et certè, niſi Divini verbi directorio, in *Deum* ritè colendi modo, ducantur piæ animæ, quomodo unquam certæ & tranquillæ eſſe poſſunt, ſacrificia ſua accepta Deo eſſe? quis enim docere illas id poteſt, præter eum, cui cultum ſuum præſtant & offerunt? Et quomodo is aliter id docet, quam per verbum ſuum; de quo ſolo non de *naturâ* dixit David, Pſ. 119. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum eſt, & lux itineri meo.* Melius itaque *Euſebius Neo-Cæſarienſis:* *Euſeb. de Præp. Evang. lib. 1. cap. 10* Τοῦτο δὲ τὸν λογισμὸν ἡγοῦμαι εἶναι οὐ τὸν τυχόντα, οὐδ' ἀνθρωπίνως κεκινημένον, κατὰ θείαν δὲ ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον; id eſt, *Ad id faciendum* (ſacrificandum) *non fortuito conſilio, nec humano motu vel ratiocinatione, ſed Divinitus ſuggeſtâ cogitatione eo inductos fuiſſe exiſtimo.* *Leideck. Vis Verit. lib. 4. controverſ. 1. p. 186.* Nec non Athanaſius (quem locum debeo laudato mox Leideckero) ἃ γοῦν Μωσῆς ἐδίδασκε ταῦθ' Ἀβραὰμ ἐφύλαττεν· ἃ δὲ Ἀβραὰμ ἐφύλαττε ταῦτα Νῶε, καὶ Ἐνὼχ ἐγίνωσκον, διακρίνοντες καθαρὰ, καὶ εὐάρεστοι γενόμενοι τῷ Θεῷ. Καὶ γὰρ καὶ Ἄβελ οὕτως ἐμαρτύρησεν, ἐπιστάμενος ταῦτα ἅπερ ἦν μαθὼν ἀπὸ τοῦ Ἀδάμ, καὶ αὐτοῦ μαθόντος ἀπὸ Κυρίου. *Quæ enim docuit Moſes, eadem ab Abrahamo obſervata ſunt, quæ porro obſervavit Abraham, eadem Noe & Enoch agnoverunt, diſtinguentes munda & immunda, & gratioſi apud Deum fuerunt. Abel quoque hujus rei teſtis habendus eſt, qui ea, quæ ab Adam acceperat obtulit Deo: Adam autem magiſterio Dei inſtructus fuit.* Cauſæ vero, ob quas ab ipſo Mundi exordio *Sacrificia* hominibus *mandata* voluerit Deus, ſunt, tum ut commune eſſent pietatis exercitium, dum ſe profitebantur Dei eſſe, ſuaque omnia illi accepta ferebant, tum ut ritè commonefierent, expiatione aliquâ opus ſibi eſſe, ſi Deo reconciliari vellent.

Outram. de Sacrif. lib. 1. cap. 1. IV. Neque obſtat, quod Sacrificiorum cultus omnibus pene Gentibus, quæ Scripturâ tamen carent, communis ſit. Non

enim

enim conſequitur inde, ſolam naturam gentium ducem & magiſtram in eo fuiſſe. Poteſt enim hinc id eſſe, *vel* quod per vetuſtiſſimam Traditionem acceperint, cultus iſtiuſmodi rationem ab ipſis mundi incunabulis uſitatam fuiſſe; *vel* quod Satanas, impudens Dei ſimia, ſuis quoque cultoribus talem Dei ſerviendi rationem ſuggeſſerit, qualem a Deo vero populo ſuo præſcriptam eſſe non neſciebat. Præclarè Tertullianus: *Ipſas res de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, æmulanter affectavit* [Diabolus] *exprimere in negotiis Idololatriæ. Tingit enim & ipſe quoſdam, uti credentes & fideles ſuos: celebrat & panis oblationem. Cæterum ſi Numa Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi ſacerdotalia officia & privilegia, ſi ſacrificalium miniſteria & inſtrumenta, & vaſa ipſorum Sacrificiorum ac piaculorum, & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſte Diabolus moroſitatem illam Moſaicæ legis imitatus eſt? Porro inter alia ſacramenta nulla magis quam* ſacrificia *Judæorum affectavit.* Neque (addo) *Judæorum* tantum, ſed procul dubio aliorum etiam ante conſtitutionem Populi Iudaici, imo ipſorum *Protoplaſtorum.* Inter ipſos fuiſſe Ethnicos, qui *ſacrificandi ritum* non a naturæ dictamine ſed ipſo Deo derivarunt, teſtatur Numæ ὑπεράλλου ſacrarum apud Romanos religionum reſtauratoris exemplum, qui non niſi *Egeriæ* Deæ monitu ſacra ſe inſtituiſſe dixit; *Quem in finem* (verba ſunt Plutarchi) *Nymphæ* illius *amorem congreſſuſque ſecum occultos & cum muſis conſuetudinem prætendebat.* Exertim Valerius: *Numa Pompilius, ut populum Romanum ſacris obligaret, volebat videri ſibi cum Deâ Ægeriâ congreſſus eſſe nocturnos: ejusque* monitu accepta Diis immortalibus ſacra *inſtituere.* Quid docuerit *Numam* Iupiter, pluribus perſecutus eſt *Arnobius*, qui ei adſcribit, quod dixerit: *Illo* ritus genere *minas meas placabitis, & ſi quando per fulgura ſignificavero aliquid imminere facile, hoc & illud, ut quod fieri ſtatui, inane fiat & vanum.* Saniores etiam ex Pontificiis eandem ſententiam amplexi ſunt; ſic Suarez: *Nullum eſt* naturale *præceptum* (inquit) *ex quo ſufficienter colligi poſſit, determinationem illius* ad talem modum *cultus, ſcil. per ſacrificium, eſſe omnino neceſſariam ad morum honeſtatem.* Ne dicam, falſum eſſe, *ſacrificandi* ritum nulli non hominum genere communem eſſe, vel fuiſſe. Nulla olim ſacrificia facta eſſe a *Germanis*, exertim teſtatur *Cæſar*, dum ait: *Nec Druydas habent, nec ſacrificiis ſtudent.* Idem verum eſt de Barbaris *Americanis*, a Chriſtianis nondum ſubactis. Et, ſi ſolo *naturæ* impulſu ſacrificarint Gentes, unde tantum inter ipſas *tam* quoad materiam quam quoad formam

Tertull. Præſcript. cap. 40.

Plutarch. in Numâ.

Valer. Maxim. lib. 1. cap. 2.

Arnob. c. Gentes lib. 5. pag. m. 92.

Suarez part. 3. Summ. Thom Art. 1. Diſt. 71. §. 8.

J. Cæſar de Bell. Gallic. lib. 6.

Digitized by Google

ſacrificiorum diſcrimen? Perſæ *equum* olim immolabant ſoli, Latini *porcum* Telluri; neque ulla unquam naturalis inclinatio fuit, ad mactandum potius *hircum*, quam *canem*.

V. At nullum (dicis) extat de *ſacrificando* præceptum, Protoplaſtis vel *Habeli* datum? *Reſp.* Verum id eſſe, ſi de præcepto κτ τὸ ῥητὸν propoſito intelligatur. Neque enim id egit Moſes, ut ſingula, quæ ad primos illos homines tum pertinebant, diſtinctè & diffuſè ſcripto nobis relinqueret. Sed conciſè tantum & paucis verbis expedire voluit, quæ Iſraelitis de iiſdem & Eccleſiæ, uſque ad Abrahami tempora, ſcitu neceſſaria eſſe, arbitrabatur. Procul dubio Deus cultus hanc rationem loquelâ quadam internâ primis parentibus inſtillavit, qui poſtea per manus quaſi ad poſteros filioſque ſuos eam propagarunt. Neque abſimile vero eſt, cum Deus mox, poſt propoſitum primitus promiſſionis vitæ nuncium, veſtes pelliceas Protoplaſtis paraverit, quin voluerit etiam animalia, quibus detracta coria illa erant, ſtatim in victimam ſibi comburi & ſacrificari, atque adeo oblationum talium rationem deinceps continuandam inſtituere & ordinare Quo & facere videtur, quod ante univerſale Diluvium ad animalium *mundorum & immundorum* diſcrimen attendendum quoque fuerit, cujus diſcriminis in ſacrificiis & victimis præprimis ratiò erat habenda. Adeo ut ſtupidum ſatis *Theodoreti* παρόραμα ſit, quo diſcriminis hujus inſtitutionem ad tempus commorationis Iſraelitarum in Ægypto non tantum retulit, ſed & ipſa ſacrificia tum demum Populo Dei conceſſa fuiſſe, exiſtimavit. Verba ejus ſunt: Ἐπειδὴ χρόνον συχνὸν ἐν Αἰγύπτῳ διὰ πιπλεχῶς ὁ λαὸς θύειν δαίμοσιν ἐδιδάχθη, συνεχώρησε τὰς θυσίας, ἵνα ταῖς δεισιδαιμονίαις ἐλευθερώσῃ. ἵνα τὰ μὲν ὡς ἀκάθαρτα βδελυπτόμενοι μὴ θεοποιήσωσι τὰ δὲ ὡς θύοντες μὴ θεὺς ὑπολάβωσιν. *Quoniam populus in Ægypto diu commoratus Dæmonibus immolare didicerat, ideo ſacrificia Deus iis conceſſerat, quo a Dæmonum cultu & ſuperſtitione illa averteret.* Et paulo poſt; ut iſta (animalia nempe immunda) *tanquam impura averſati, Deos ne facerent; illa cum mactarent, nec Deos eſſe reputarent.* Manifeſtum enim ex Dei Verbo eſt, etiam

Momm. de Triplic. Oeconom. pag. 64. 65.

Theodor. in Levit. qu. 1.

Digitized by

etiam *ante ipſum diluvium* diſcrimen illud obtinuiſſe Gen. 7. 8. Quin ab ipſis protoplaſtis animalia immolandi ritum, ut ex jam dictis liquet, derivandum eſſe. Nequaquam ſaltem ad captivitatem Ægyptiacam referendum eum eſſe, unico *Abrahami* exemplo, quod Geneſ. 22. 13. occurrit, invictè demonſtratur.

V. Ut neque caſſâ nuce dignum eſt, quod *Epiſcopius* habet. (Cui juſto propius accedit *Eduardus Simſonius*, Theologus *Anglus*, licet ab *Epiſcopii* hypotheſibus alias ſatis alienus) *Abelem* nempe *fide ſolâ, nullo præcepto divino adductum, id eſt, rationis rectæ ſolius inſtinctu judicaſſe, Deum colendum eſſe rebus, quas habebat in peculio ſuo, optimis, id eſt, ſacrificiis primogenitis pecudum ſuarum, & de eorum adipe.* Tum quod ſic loquens Vir, cæterà bené doctus, vitulo aret impiiſſimi Chriſtianæ Religionis ſubſannatoris *Porphyrii*, qui planè gemina verbis mox citatis habet, quibus *Gentium Sacrificia* e naturæ lumine educere ſategit: factum certe Theologo Chriſtiano indignum, cum hominibus achriſtianis tam apertè colludere! Tum quod manifeſte ſibi ipſi contradicat, ponens nempe, ex *fide*, eâque quidem *ſolâ*, Habelem ſacrificaſſe, & tamen *ſolius rationis inſtinctu* id ipſum egiſſe. Quaſi vero *fides* & ratio idem eſſent vel fides quædam daretur ſalutaris, nullo verbo Dei vel præceptivo vel promiſſorio ſuperſtructa. Et utcunque dictaret ratio in genere, offerenda Deo eſſe *optima* & *præſtantiſſima*, unde haurire ea tamen potuit, in ſpecie ex *animalium viventium* genere ſumenda illa eſſe, igne ea comburenda, totamque illam *rituum* rationem obſervandam eſſe, quæ ab *Habele* in ſacrificio ſuo obſervata fuit? Imo vero, ſi & illa omnia naturalis ratio tum demonſtraſſet, accuratiſſimam tamen eorum obſervationem cultum vere divinum, & non potius meram ἐθελοθρησκείαν fuiſſe, quo ſolido argumento *Epiſcopius* demonſtrabit? *Quaſi quis* (inquit Owenus) *aliquid in fide agere poſſit, nullo præcepto divino adductus, vel idem eſſet ex fide agere, & ex rectâ ratione ſine præcepto ullo, vel ulla fides eſſet, quæ non reſpiceret & præceptum & promiſſum.* Et quid dicemus de illuſtri *Grotio*, qui ad *Epiſcopium* hac in materiâ accedens, non minus

Epiſcop. Inſtitut. Theol. lib. 1. cap. 8. §. 3.

Simſon Chron. Catholic. p. 1. p. 2.

Porphyr. περὶ ἀποχ. ἐμψύχων *lib. 2.*

Spanhem. Hiſt. Job. cap. 13. §. 4.

Owen. de Ort. & progreſſ. Theolog. lib. 2. cap. 1.

ſibi ipſi contrarius eſt, ac *Epiſcopius*. Dicit alicubi: *Non ullo Dei juſſu, ſed* dictante ratione, *honorem Deo etiam conſpicuum habendum, idque optimè fieri poſſe, datis Deo iis, quæ homini ſunt cariſſima.* Et alibi: *Jus naturale eſt* (inquit) *dictatum rectæ rationis actui alicui ex ejus convenientiâ aut diſconvenientiâ cum ipſa naturâ ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab ipſo naturæ Autore Deo, talem actum aut vetari aut præcipi*; Adhuc alibi: *Jus naturale eſt immutabile, ut ne quidem a Deo mutari queat.* Sed quomodo hæc cohærent? Quodſi enim quod de *ſacrificiis* aſſerit, proprie de *jure naturali* ſit, & quod *juris naturalis* eſt, *neceſſitatem* habeat *moralem*, & tam *immutabile ſit, ut ne quidem a Deo ipſo mutari queat*, quomodo extricabit ſe Vir Magnus, ſi quis inde inferat, ergo nulli non hominum imperata eſſe *ſacrificia*, idque non uno tantum ſed nullo non tempore; quod enim *adeo* eſt *immutabile, ut ne ab ipſo quidem Deo mutari poſſit*, quomodo abrogatum eſſe poteſt? Et quidem invictè inde tum ſequitur, etiam in hunc ipſum diem continuanda eſſe *ſacrificia*, eaque non ſpiritualia & euchariſtica tantum, ſed hilaſtica etiam & externa hircorum & ovium? quo nihil dici poteſt abſurdius. Neque juvant cauſam ſed proſtituunt, qui *data* quidem ante legem ſacrificia fuiſſe obtendunt, ſed non *imperata*: Quorſum enim *dedit* ea Deus? nonne in cultus ſui partem? & quid *datio* illa aliud quam *imperium*, quam mandatum? Deditne etiam alio unquam fine ſacrificia ἱλαστικὰ, quam ut ſacrificium Chriſti præfigurarent? at an ullus ἑκουσιασμὸς figura Chriſti eſſe poteſt? Mitto ἐμπυρισμοὺς, quibus teſtificatus fere eſt Deus ſuper ſacrificiis etiam ante-vitulinis; at quis feciſſe id eum credat ſuper mero humanæ rationis εὑρήματι, omni Dei ordinatione deſtituto?

Grot. in Gen. 4. ver. 3.

Idem. de Jur. Bell. & Pac. lib. 1. cap. §. 10. pag. m. 3.

Et. pag. 4.

Coccej. Indag. Natur. Sabbat. §. 6. 7.

Apoc. 13. 8.

VII. Quid vero obtulerint tum *Cain* tum *Habel* haud ita in propatulo eſt, niſi quod indicet Moſes genericè, fuiſſe *fructum terræ* reſpectu prioris, & *primogenita gregis adipemque eorum* ratione poſterioris. In ſpecie *Mincham* Caini *Sagmen* fuiſſe exiſtimat *Grotius*, licet ſcrupuloſius id aſſerat. Sunt qui *Habelem* obtuliſſe putant, non animalia viventia, ſed *lac* eorum & *lanam*; per *adipem*, cujus meminit Moſes, intelligentes *lac pinguiſſimum*: ſed nullo id adſtruunt argumento. *Eſtque* falſa plane hypotheſis, quæ ipſos in errorem eum induxit: Tempore nimirum ante-Diluviano veſci animantibus, nedum ſacrificare ea, in uſu non fuiſſe, quo hoc *Ovidii* referunt.

Grot. in Gen. 4.

Vetus

Vetus illa ætas non polluit ora cruore.

Et falſa (inquam) hypotheſis illa eſt a *Curcellæo* nuperquidem recocta, ſed tam eruditè a Clariſſ. *D. Heideggero* profligata, ut jam mortua pene & ſepulta eſſe videatur.

Curcell. de Eſ. Sanguin. & Suffoc.

Heidegger. de Libertat. Chriſtian in uſu Sangu.

VIII. Uterque ergo frater ſacrificavit, ſed diſpari eventu: *Caini* quippe victimam repudiavit Deus, eam vero, quæ *Habelis* erat, acceptavit. Diſquiri dignum eſt, quænam hujus diſcriminis ratio fuerit; de quâ variæ extant variorum conjecturæ. Deum ad *Caini* ſacrificium non reſpexiſſe quidam volunt, quia, utut *fructus terræ*, non tamen *primitias* eorum obtulit, vel parcâ nimis manu, neque ſatis liberaliter ſacrificavit. Unde adſcriptum *Habeli*, quod dixerit

Martyr in Geneſ. 4. fol. 20. a.

Sacrum pingue dabo; nec *macrum ſacrificabo*:

Caino e contra, quod repoſuerit:

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue ſacrum.

Hebræorum ſententia eſt, *Cainum* ſemen lini obtuliſſe, ejuſque munera minus grata Deo fuiſſe, quod eſſent fructus terræ jam a Deo maledictæ. Scribit *Joſephus*, ideo id fuiſſe, quod fructus terræ, ab ipſo oblati, ſtudio & induſtriâ avari hominis nati eſſent, non vero tales eſſent hoſtiæ *Abelis* e grege deſumptæ, quæ quippe ſponte ortæ erant, ſoloque naturæ ductu, nulla humanâ arte intercedente, procreatæ. Sed (ut bene obſervavit *Martyr*) quænam harum rationum efficacia? ſiquidem ad terram etiam pertinent animantia non minus quam fruges, cum oriantur etiam inde & nutriantur; & ad gregum fructus percipiendos induſtriæ magiſtrorum pecoris neceſſario etiam requiratur. Adhuc alii rejectionem *Caini* hinc derivant, quod victimam ſuam obtulerit plenus odio & excandeſcentiâ contra fratrem ſuum, quæque adeo Deo placere non poterat, juxta Matt. 5. 24. *Invenimus* (inquit *Chromatius* P. de quo videre eſt in Biblioth. P. P.) *offerentis Cain munera idcirco a Deo repudiata, quia charitatis jura non ſervans, adverſus fratrem iram animo retinebat*; quippe

Joſeph. Antiq. lib. 1.

Martyr in Geneſ. 4.

Chromat. in Matt. 5.

Prudent. in Pſychom. in Præf.

Ad aram cumlitare quis velit,
Quod dulce cordi eſt, quod pium, quod unicum
Deo libenter offerendum credito.

Sed manifeſtus hic error eſt, cum odium *Caini* in fratrem oblationem ipſius non anteceſſerit, ſed ſecutum fuerit, imo occaſione diſſimilis horum ſacrificiorum ſucceſſus obortum demum ſit. Aliunde itaque arceſſenda diſpenſationis hujus cauſa eſt, nimirum non

Digitized by Google

tam ex pretio & qualitate victimarum oblatarum, quam ex habitudine & diſpoſitione offerentium. Diſplicuit *Caini* ſacrificium Deo, placuit illud quod *Habelis* fuit. (1.) Quod ille Sacrificans operi operato, ut paſſim Gentes, hic non niſi Semini mulieris niteretur. (2.) Quod is fructum tantum terræ, *hic* ſe ipſum Deo obtulerit. Rom. 12. 1, 2. Unde & ἀρνίον τοῦ χριστοῦ, *Agnus Chriſti* Chryſoſtomo dictus. 3. Quod *illius* perſona Deo ingrata fuerit, *hujus* vero gratiſſima, per *fidem* nempe, quâ in Meſſiam Servatorem recumbebat. Ex *fide* enim (inquit Apoſtolus) *ſacrificium fecit Habel*, Heb. 11. 4. Fuitque *Fides* illius manifeſtum indicium, quod *Habel* ſupplicationem ſuam pro peccatorum remiſſione conjunxerit cum ſacrificii hilaſtici ſanguinolentâ oblatione, quæ ſine *fide* Deo placere non potuit, Heb. 9. 22. *Cenſemus* (inquit Cl. Cloppenburgius) *hac parte potiorem fuiſſe* Abelis *oblationem præ oblatione* Caini, *quod ipſe ſupplicationem ſuam pro impetrandâ peccatorum remiſſione, teſtatus ſit per ſacrificii propitiatorii cruentam oblationem, cum* alter *dona ſua Euchariſtico ritu offerret* χωρὶς αἱματεκχυσίας. Quod exemplo *Publicani*, cum *Phariſæo* collati, illuſtrat. Offert vero quis aliquid *per fidem* 1. Cum ſacrificii actum a Deo in Verbo ſuo, vel aliâ qualicunque revelatione imperatum vel permiſſum eſſe novit. *Fides enim eſt ex auditu, & auditus ex Verbo Dei.* Rom. 10. 17. atque hoc etiam *Caino* non defuit. 2. Cum Sacrificium ejus fiduciam remiſſionis peccatorum per Mediatorem exhibitum vel exhibendum connexam habet. 3. Cum ſacrificans cum oblatione ſuâ *ſe ipſum ſacrificium vivum, ſanctum & Deo acceptum* etiam offert. Rom. 12. 1. At hiſce duobus deſtitutus fuit *Cain*: non enim ad Deum acceſſit cum fiduciâ in ejus gratiam, nec cum certo conſilio Deo ſe devovendi. Terræ fructum obtulit Deo, at non fructum labiorum confitentium nomini ejus. Aut, ſi labiis Deum honorabat, cor ejus procul aberat. Per opera eum negabat, quem ore confitebatur. Victima ejus cor nullum habebat, fellis plurimum habebat; ac proinde rejecta a Deo fuit. Ut compendio agam, cuncta hæc ſummatim exhibet *Fagius*: *Sacrificium* (*inquit*) *Cain non ideo repudiatum fuit, quod non fuerit ſatis ſplendidum, magnificum, aut recte diſpoſitum, ſed ob id potiſſimum, quod illi defuit primum & præcipuum, quod in omnibus ſacrificiis & ceremoniis requiritur, nempe* fides, *veraque animi* gratitudo *de Dei beneficiis. Sunt enim ſacrificia gratiarum actiones, deditiones in obſequium Dei, animique atteſtationes, ſeſe Deo mancipantis, ac de gratuito favore gratiam haben-*

Bochart. Hierozoic. part. 1. cap. 49. p. 557.

Chryſoſt. Lib. 2. de Provident. cap. 5.

Cloppenb. Schola Sacrificior. p. 15.

Fag. in Ge. 4. c.

bentis. His certe carebat Cain, *ideo repulſam paſſus eſt, nimium ſecurus apud ſe de prærogativâ primogenituræ: Quodſi quid a Cain negligentia & non rectâ ſacrificii diſpoſitione peccatum eſt, ea certe ex incredulitate & indigentia Fidei profecta eſt, ſine qua omnia noſtra opera non tantum non ſunt grata Deo, ſed & peccata & abominatio in conſpectu Dei, juxta illud Apoſtoli,* Rom. 14. 23. *Quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt.*

IX. Quæritur amplius, quo indicio demonſtraverit Deus alterius ſacrificium ſe ratihabere, alterius vero rejicere? Scivit id procul dubio *Habel* quoad ſeipſum ex *fidei* ſuæ conſcientiâ; ſed non ſufficiebat id, opus etiam erat *ſigno* quodam *externo*, quo & *Cain* potuit cognoſcere, repudiatum ſe cum victimâ ſua a Deo eſſe: nam certo etiam id cognovit, *iraſcebatur* enim exinde, ut textus habet, *Fratri ſuo.* Verum haud ita conſtat, qualenam *ſignum* externum id fuerit. Sunt, qui volunt, Deum Angelo e cælis miſſo, teſtatum id feciſſe. Alii, *Cainum* ex adverſo rerum ſuarum ſucceſſu colligere id potuiſſe. Alii Fratres hoſce animadvertiſſe, quod fumus ſacrificii *Habelis* recta ſurſum, *Caini* deorſum tenderit, atque inde percepiſſe, utriusnam victima grata Deo vel ingrata fuerit. Alii malunt ἐπέχειν, & nihil determinare: ita Clariſſ. *D. Mercerus.* Nos putamus, impune dici poſſe, Deum per ἐμπυρισμὸν acceptationem ſacrificii *Habelici* oſtendiſſe, atque exinde videre potuiſſe *Cainum*, ſacrificium ſuum, eo quod igne cælitus demiſſo non accenderetur, ingratum Deo fuiſſe. Ratio pro hac ſententiâ militans eſt, quod multa poſteriorum temporum exempla doceant, tali modo Deum indicaſſe, acceptas ſibi horum illorumve victimas fuiſſe. Conf. Lev. 9. verſu ult. 2 Cron. 21. 26. 1 Reg. 18. 38. 2 Chron. 7. 1. Jud. 6. 21. Pſal. 21. 4. neque ulla excogitari poſſit cauſa, ob quam Deus circa *prima* hominum ſacrificia alio proceſſiſſe modo dicendus ſit, quam circa ea, quæ poſtmodum *ſecuta* & oblata ei ſunt. Conſentientes multos Theologos habemus: *Theodotionem*, qui vocem ideo Hebræam וישע & *reſpexit* Jehova ad *Habelem* &c. per ἐνεπύρισεν *inflammavit*; interpretatus eſt) *Hieronymum*, *Lutherum*, *Fagium*, *Hunnium*, *Rivetum*, *Eſtium*, *Freidlibium*, *Owenum*, *Heideggerum*, &c. Neque ipſe *Coccejus* id negat, licet hypotheſi ſuæ, de Sacrificiis ante-Moſaicis *datis* tantum *non imperatis*, parum, ut diximus, convenienter: Deus (inquit) *ad Habelis donum reſpexit, hoc eſt,* *ali-*

Hulſ. Nucl. Prophet. par. 2. p. 1024. &c.

Bochart. Tr Citat. Tom. 1. pag. mihi 539. a.

Urſin. Qu Bibl. lib. 3. quæſt. 4.

Hieronym. in Quæſt. Hebr.

Coccei. Summ. Theolog. cap. 53 §. 2.

Digitized by Google

aliquid fecit, quod & Cain *potuit obſervare, quo teſtaretur, ſibi munus* Habelis, *in fide oblatum, gratum eſſe; quod vix eſſe aliud potuit, quam ἐμπυριſμὸς, ſive inflammatio doni per cœleſtem ignem. Pſ. 21. 4. quum dicit,* Recordetur omnium munerum tuorum, & holocauſtum tuum incineret, *ſignificat, id holocauſtum a Deo ut gratum accipi, quod miſſo cœlitus igne conſumit.* Ubi ſimul rationem *typi*, quæ ἐμπυριſμῷ illi ſubfuit, ſic explanat: *Facile autem fuit animadvertere, pecudem puram igne accenſam cœlitus habere analogiam carnis per ſpiritum & ardorem Charitatis conſumpta, quæ eſt Chriſti charitas & obedientia.* Pſ. 69. 10. Zelus domus tuæ devoravit me. *Quod cum in re ipsâ non eſſet obſcurum, non eſt mirum, Deo id ſymbolum ſic inſtituente Sanctos, illuminante eos Sp. S. id in fide frequentaſſe, & hocolauſta in recordationem promiſſionis de ſemine, cui Satanas contriturus eſſet calcaneum, quodque per Charitatem ſe ipſum in calce conterendum exhibitum eſſet, coram Deo in altari accendiſſe. Chryſoſtomus* Deum per ignem οὐρανόπεμπτον piorum Sacrificia ideo approbaſſe exiſtimat, ut indicaret, nihil victimarum etiam pretioſiſſimarum ad ſe pervenire, neque opus eſſe, ut ad ſe earum quicquam perveniat, eo quod nullius indigus ſit: Verba ejus habent: *Et propterea conceſſit, ut* igni *conſumerentur: ut ex iis, quæ fiunt, diſcant, etiam ii, qui offerunt, quod omnia propter ſuam utilitatem fiant, non Dei.* Si ipſas Gentes reſpiciamus, manifeſtum fiet, apud illas etiam indicium *boni ominis* habitum fuiſſe, ſi, ut putabant, in Sacrificiis ſuis *flamma*, non ab alio excitata, ſed *ſponte* & uberius erumperet. Sic inter prodigia, quæ *Tiberio* imperium portendebant, relatum etiam fuit, quod *apud Philippos Sacratæ victricium legionum aræ ſubitis ultrò ignibus collucerent.* Ut loquitur *Suetonius.* Licet & factum nonnunquam ſit, ut *ignes* illi non tantum boni ſed & infauſti quicquam præſignificarint. Ita *Virgilius:*

Chryſoſt. Hom. 26. in Geneſ.

Sueton. in Tiber. cap. 14.

Virg. Æneid. 7.

> *Præterea caſtis adolet dum altaria tædis,*
> *Et juxta genitorem adſtat Lavinia Virgo,*
> *Viſa (nefas) longis comprendere crinibus ignem:*
> *Atque omnem ornatum flammâ crepitante cremari*
> *Regaleſque accenſa comas, accenſa coronam*
> *Inſignem gemmis: tum fumida lumine fulvo*
> *Involvi, ac totis Vulcanum ſpargere tectis.*
> *Id vero horrendum ac viſu mirabile ferri.*
> *Namque fore illuſtrem fama fatiſque canebant*
> Ipſam, *ſed* populo *magnum portendere bellum.*

Quod

Digitized by Google

Quod vero Hebræorum aliqui doceant, in *igne* illo *cœleſti*, ſacrificia abſumente, *Leonis* ſemper faciem apparuiſſe, atque alii exinde colligant, D. *Jeſum*, qui *Leo* eſt *ex tribu Judâ*, in omnibus ſacrificiorum Vet. Teſtam. inflammationibus, viſibili quaſi formâ exhibitum fuiſſe, aſſeri quidem video, demonſtrari non video.

X. At ſatis de fratricidii *Cainici occaſione*, quæ, ut liquet, fraterni ſacrificii præ ſuo gratioſa Dei acceptatio fuit; nam *ea propter* (habet textus) *accenſa eſt Caini ira valde, &c.* verſ. 5. Duxit ergo, utut a Deo præmonitus, *Cain* fratrem ſuum verborum procul dubio blandimentis, in agrum, & *inſurgens ibi in eum, interfecit illum.* Quid vero in anteceſſum cum *Habele* locutus ſit iratus frater, non docet nos Hiſtoria; in genere tantum habetur: *Poſt colloquebatur Cain cum Habele fratre ſuo.* LXX. adſcribunt ipſi hæc Verba, *tranſeamus in campum*; quæ quum in originali non habeantur, inferunt inde Pontificii, Textum ſacrum corruptum vel mutilum eſſe, maximè cum ſpatiolum hoc loco in Hebræo vacuum reperiatur: ita *Lucas Brugenſis* aliique. At quomodo exinde *corruptum* vel *mutilum* dici aliquid poteſt, quod id non habeat, quod, an habeat vel non habeat perparum refert?. Conſtat enim ſat bene loci hujus ſenſus, etiam ſine hoc additamento. Nonne mutilari dici poteſt textus, cum id non habet, quod ad ſui perfectionem non pertinet, ſuique pars non eſt, vel *ſuperfluo* tantum ei additur? prout de aſſumento hoc non incelebres quidam inter ipſos Pontificios loquuntur. Ita Sixtus Senenſis: *Septuaginta Interpretes*, inquit, *ſuperfluo addiderunt de ſuo*, egrediamur in campum, *quos ſecutus Interpres Vulgatæ Editionis noſtræ dixit:* Egrediamur foras, *quorum neutrum eſt in Hebraâ lectione; in quâ duntaxat legitur hoc:* Dixit Cain ad Abel fratrum ſuum, *nec additur quid dixerit.* Conſonat huic *F. Magdalius Gaudenſis* in *correctorio Bibliorum* A. 1508. *Coloniæ* excuſo, ubi exertim: Egrediamur foras *non eſt de textu, nec habetur in Hebraico.* Dicunt alii, duriſſimis in *Habelem* verbis invectum eſſe *Cainum*, ut occaſionem inde favorabiliorem nanciſceretur inſurgendi in eum; Alii amice eum fratrem ſuum compellaſſe, quo parricidalem animum obtegeret melius, minusque caveret ſibi *Habel*, atque ita incautus occideretur.

Luc. Brugenſ. in Gen. 4. 8.

Sixt. Senenſ. Bibl. lib. 5.

Hakſp. Not. Theol. part. 1. pag. 114.

Martyr. in Gen. 4. Fol. 21.

Digitized by Google

Druſ. in Geneſ. 4.

Narr. Clariſſ. *Druſius* ex verſione Chaldaicâ, inſignem inter fratres hoſce rixam obortam fuiſſe, antequam inciderit funeſtum hoc fratricidium; *Dixit* (inquit) *Cain ad Habel, fratrem ſuum, veni & exeamus foras* (verbum e verbo, *in faciem agri*) *& fuit, cum egreſſi fuiſſent ambo foras, reſpondit Cain & dixit ad Habel, non eſt judicium neque judex, neque ſeculum aliud, neque dabitur merces bona juſtis, neque pœna ſumetur ab improbis, neque in miſerationibus conditus eſt mundus, neque per miſerationes ipſe gubernat, eo quod accepit oblationem tuam a te cum benevolentiâ, & a me non accepit cum benevolentia. Reſpondit Habel, & dixit ad Cain: Eſt judicium & eſt judex & ſeculum aliud, & dabitur merces bona juſtis & pœna ſumetur de improbis, & in miſerationibus conditus fuit mundus, & per miſerationes ipſe regit; verum ſecundum fructus operum bonorum ipſe gubernat, quia fuerunt opera mea tuis rectiora & meliora accepta fuit oblatio a me cum benevolentiâ, & a te non fuit accepta cum benevolentiâ. Sic ambo rixabantur in agro.* Hactenus *Druſius.*

Selden. de Jur. Natur. & Gent. lib. 3. cap. 2. p.

At Planè aliter concertationem illam refert *Seldenus* ex vetuſtiſſimis orientalium quorundam monumentis. *Utroſque* (inquit ille) *Cainum* nempe & *Habelem*, ex *Adæ* Patris monito ſacrificaſſe, cum contenderent de ſororum conjugiis, atque eam deperiret *Cainus*, quam ei conjungi nefas pronunciaret Pater. Nam cum *Abele* gemellam natam *Awinam*, cum Caino *Azronam* ajunt: hanc autem ſibi in uxorem jungere voluiſſe *Cainum*, refragante Ada, & *Awinam* ei, uti & *Azronam* Abeli (ne alteruter ſuam haberet gemellam) deſtinante, & demum ad hunc modum utrumque monente; *Sumite vobis ex fructu Telluris & ex fœtu gregis, & aſcendite in montis hujus ſancti cacumen, & offerte oblationes veſtras, atque tum accipietis uxores veſtras. Attulit autem Cainus e frugibus Terræ oblationem Dei opimam mundamque Abel ex primogenitis gregis oblationem opimam mundamque. Cum autem ſimul aſcendebant in montem, Diabolus ſuggeſſit Caino, ut interficeret fratrem ſuum Abelem ob Azronam ſororem ſuam. Unde fiebat, ut non acciperet Deus oblationem Caini. Et cum offerebant oblationes ſuas, accepit Deus oblationem Abelis, Caini vero reſpuit.* Hæc *ille*, ut inquit, ex antiquorum Chriſtianorum ſcriptis, ſpeciatim *Saido Batricide*, Patriarcha Alexandrino; refertque R. *Eliezer* (ut addit) ſimilia de *Gemellis*, ac Caini in fratrem ob *Gemellæ* ſuæ amorem malevolentiâ. Sed quis non videt cuncta hic ad Judæorum ἐθελήματα otioſorumque hominum figmenta releganda eſſe? Nihil enim, certi determinari ſic poteſt, utcunque, ſi conjectu-

R. Elier. in Pirke cap. 21.

ræ dari quid liceat, non uſque adeo improbabile ſit, eadem locutum *Cainum* Habeli tum fuiſſe, quæ a Deo ipſo paulo ante audiverat. Vel (ut mox dictum) Cainum verborum lenociniis *in agrum* fratrem ſum pellexiſſe, quippe locum ſolitarium, & ab hominum conſortio adſpectuque (qui alias, accurriſſent forſan intentatum fratri flagitium præpedituri) notabiliter remotum.

XI. Cum itaque ſolus cum fratre ſuo eſſet *Cain*, nequiter eum frucidavit. Nam (ut inquit Johannes, *Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν, καὶ ἔσφαξε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ* 3 Joh. 3. 12. Neſcitur autem, quo id peregerit *inſtrumento*. Rabbini ex verbo וַיַּחַר גָּחוֹ (*diſſecavit, diſtraxit*) colligunt, quod *dentibus ipſum* tanquam rabida fera *diſcerpſerit*. At quis probabile dixerit, in tantam inhumanitatem *Cainum*, qui hominem nec dum planè exuerat, quoad *ipſum fratrem ſuum* proruere tam ſubito potuiſſe? Pictores manum Caini *mandibulâ* paſſim armant, authore proprio judicio, Chryſoſtomus *gladiò*, Irenæus *falce*, quidam *laqueo*, alii ruſticaquadam ex agriculturâ *furcâ*, ſive lignea ſive ferrea ea fuerit, peractam cædem putant. *Prudentius*, Poëta Chriſtianus; fratricidæ *ſarculum* tribuit, hoc Carmine:

Frater probata ſanctitalis æmulus
Germana curvo colla frangit ſarculo.

Textus ſnuplicilit habet, *Cain occidit fratrem*; & hoc ſufficit; modus enim mediumque abſque periculo ignorantur. Interim pura puta *invidia* fuit, quæ Cainum in hoc flagitium præcipitavit. Unde pathetice iterum *Victor Marius*, antea laudatus: *Vict. Mare. in Geneſ. lib. 2.*

Inde Cain tamen inſanas flammatur in iras,
Invidiæ *ducens illoc de fonte venenum.*
Unde propinarat ſerpens: fratremque cavendi
Ignarum ſævâ mactatum cæde trucidat.
Heu facinus, quo non miſeros furioſa libido,
Quo non ira, recens odium, & vis improba cogit?
Quid meret innocuus frater? num ſanctior ille
Quod fuit, interimi meruit?

XII. Sed *quartamne* (quæris) *mundi partem* in hoc *fratre* ſuo trucidavit *Cain*? Miror certé non deeſſe, etiam inter viros cætero quin doctiſſimos, qui in errorem hunc lapſi ſunt; prout nominatim eum, cum vulgo, adoptavit Clariſſ. D. *Burmannus*, cujus expreſſa hæc verba ſunt: *Welken* (Habel) *Cain doodſlaande dood-* *Burm. in Geneſ. 4. p. 65.*

Digitized by Google

de by het vierendeel der menſchen, die doe in de wereld genaemd wier- *den. Voor welken hoe ruym of de wereld was, ſoo wierdſe nogtans voor deeſe twee Broederen te enge.* *Quem occidens*, nempe Cain, *necabat* quartam *hominum partem, qui in mundo tum nominabantur, qui utcunque alias anguſtiſſimus, duobus hiſce fratribus juſto tamen anguſtior erat.* At frigida hæc hallucinatio eſt: nititur enim ut bene obſervavit *Eſtius*, hac ſuppoſitione, quod cum cædes hæc perpetraretur, *quatuor* tantum in mundo homines fuerint, *Adamus* nempe, *Eva*, *Cain* & *Habel*; quod evidentiſſimè falſum eſt. Incidit quippe fratricidium hoc in annum ætatis *Habelis* præterpropter 129. Nam poſito, quod haud diu poſt lapſum Adami natus ſit *Habel*, ut ponendum certe videtur; quod etiam non diu poſt Habelis mortem natus ejus loco ſit *Sethus*, conteſtante ipſo etiam D. *Burmanno*; iſque in lucem prodierit, ut Moſes exerte habet, anno ætatis Adami 130.; conficitur inde neceſſario, *Habelis* vitam tum modo 129. vel 128. annorum præterpropter fuiſſe. At quis crediderit, univerſo illo 128. vel 129. annorum ſpatio, quo vixit *Habel*, nullos præterea ex *Adamo* Evâque vel ex *Caino*, quin & ipſo forſan *Habele* homines prognatos eſſe? Præſertim in ipſo univerſitatis primordio, quando, ſi unquam, genus humanum quam citiſſime erat multiplicandum. Imò vero ſi credatur, ut credendum omnino videtur, *Adamum*, memorem dicti *Creſcite & multiplicamini*, conjugio non abſtinuiſſe; neque *Evam* tam cito effoetam redditam eſſe, quis veroſimile non habet, ſingulis eos annis ſingulos filios, nonnunquam etiam geminos, produxiſſe? Niſi nugari quis velit cum Talmudicis, Adamum toto illo tempore non niſi Dæmonas generaſſe, quod de Viro hoc Docto abſit, ut cogitem; præcipue cum ipſe *Maimonides* Talmudis illum locum allegorice explicet, per *Dæmonas* ipſos quoque homines intelligens, ſed *nequam* & *pravos*, *rationeque abutentes ad omnis generis perniciosa conſilia*, ut expreſſim loquitur. Imo vero quis e contra non credat, quum, notante *Saliano*, filii Iſrael intra 215. annos, quos in Ægypto poſuêre, uſque ad ſexcenta millia virorum armatorum excreverint, non numeratis mulieribus & parvulis, etiam tum cum *Habel* moreretur, vehementer modo amplificatum humanum genus fuiſſe? Quis dubitet etiam, quin fœmellæ aliquæ præter Evam in rerum naturâ tum fuerint? unde enim alioqui uxorem ſuam habuit *Cain*, quam non multo poſt nefandum hoc ſcelus duxiſſe dicitur? Flagitii etiam

ſui

[illegible] Lib. 15. cap. 8.

Eſtius in Diffic. Loc. Script. pag. 7.

Broughton de Temp. Loc. & Perſon. S. Script. pag. 2[illegible].

Burm. pag. 77.

Oſiander. in Grot. de Jure B. & Pac. pag. m. 351.

Maimonid. Mor. Neboch. part. 2. cap. 4.

Salian. Ann. V. T. pag. 114. tom. 1.

Digitized by Google

ſui conſcientiâ poſtmodum turbatus, metuebat ſibi, ne a quocunque obviam ſibi facto interficeretur: at a quo ſibi metuebat miſer, ſi, præter ſolos parentes & ſe ipſum, nulli alii homines extiterint? quod ad hominem urgeo, quia ipſe *D. Burmannus* alibi ſic ratiocinatur. Neque opponi debet *Ambroſii* authoritas, qui dixit, *Cainum* compellans: *cur neſcis ubi eſt frater tuus*? ſoli eratis cum duobus parentibus, *inter paucos frater te latere non debuit*. Authoritas enim ea humana tantum eſt, quæ divinæ veritati præjudicare non debet. Amicus *Plato*, amicus *Socrates*, ſed magis amica *veritas*. Errandi procul dubio Viris Doctis cauſa fuit, quod aliorum hominum, tum viventium, mentio in Hiſtoriâ Moſaicâ non fiat. At quid tum? ſequiturne inde plures non fuiſſe? nihil minus. Argumentum enim id mere iterum negativum eſt, quod in rebus hiſtoricis momentum non habet. *Non ideo* (inquit alicubi Auguſtinus) *conſequens videri debet*, *ſolos* Cainum & Habelem *generatos ex Adam fuiſſe*, *quia ſoli nominati ſunt*. In totâ quidem generationum ſerie ad Diluvium uſque pauciſſimas *fœminas* memorat *Moſes*, quas tamen natas procul dubio fuiſſe, nemo negabit. Notandum interim, utut flagitium hoc *quartam* mundi partem non extirpaverit, multas tamen ob cauſas valde deteſtandum fuiſſe, vere quippe σύνδεσμον ἀδικίας; ut de Simone olim Petrus. Sic ut non immerito in ſui temporis ſeductores pronunciarit *Judas* Apoſtolus: Οὐαὶ αὐτοῖς, ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν: *Væ illis*, *quia* viam Caini *ingreſſi ſunt*; quæ ſane profligatiſſima fuit, Via nempe *Ingratitudinis*, *Hypocriſeos*, *Superbiæ*, *Invidiæ*, *Impoſturæ*, *Odii* in proprium fratrem, *Homicidii*; ut &, ſi ſequentia reſpiciamus, *Mendacii* (dicebat enim *ſe ignorare ubi eſſet frater*) *Securitatis*, accinxit enim ſe, non ad deplorandas prævaricationes ſuas, ſed ad *urbes* ædificandas; deniq; etiã *Deſperationis*, clamavit enim, *graviora peccata mea ſunt, quam ut remitti poſſint*. Atque hiſce tandem gradibus *Cain* ad illud θρωμῶδες ἐπίφθεγμα *væ* pervenit. Sunt, qui per τὴν ὁδὸν τοῦ Κάϊν indicari volunt *Caini* æternam mortem, ſed manifeſto errore: hæc enim non fuit *via Caini*, ſed *terminus*. Dicuntur ſeductores ingreſſi *viam Caini*, in præterito, at viam mortis æternæ ingreſſi necdum erant, cum tum in vivis adhuc eſſent. Mors æterna *Caini* per τὸ οὐαὶ, quod hominibus illis denuntiat *Judas*, indicatur, quod & ſuperventurum ipſis erat, quia viam *Caini* imitabantur; πορεύεσθαι enim ὁδῷ eſt *facta alicujus imitari*. 2 Pet. 2. 15.

Ambroſ. de [illegible] *lib. 2. cap. 9.*

Simſon. Chron. Cathol. part. 1. cap. 3. pag. 3.

Auguſtin. de Civit. D. lib. 15.

Perkinſ. in Ep. Iudæ. verſ. 11.

Hemming. in Ep. Jud. verſ. 11.

Digitized by Google

XIII. Reſtat *pœna*, quæ Caini fratricidium ſecuta eſt, ut umbra corpus; iquo referendum eſt *exilium*, cui adjudicatus eſt parricida, & forſan parte etiam *ſignum* ipſi impoſitum, ne a quovis occurrente ipſi enecaretur. De *priori* quæritur, ſuffeceritne tam atroci flagitio tam brevis exilii *pœna*, præſertim cum ex ipſâ Dei lege ſanguis illius fundendus ſit, qui alienum ſanguinem fudit? Ad quod *reſpondeo*: hallucinari plane *Joſephum*, dum dicit, fratricidium hoc expiatum quaſi, Deumque placatum ſuper eo ipſius *Caini* ſacrificio fuiſſe. Nam quali, quæſo, id factum ſacrificio; an præcedente; ſed repudiatum id fuit. An ſubſequente? quodnam id fuit, ſilet de eo ſcriptura. Ne alia adferam, quibus commentum hoc convellam. Sunt, qui Patrem *Adamum* filiale delictum ſacrificio expiaſſe volunt, prout ſimile quid *Jobo* tribui, exiſtimant, cap. Hiſtoriæ ejus 1. verſ. 5. Sed æque improbabile id eſt, cum ſacræ litteræ ſacrificium iſtiuſmodi *Adamiticum* non minus ignorent, quam prius illud *Cainiticum*. Prout neque ullam mentionem faciunt luctus & mæroris, cui Adamus ſe tradidiſſet, ut *tum* Abelem occiſum Cainumque degenerem & extorrem defleret, *tum Deum* ob horrendam cædem iratum pænitentiâ ſuâ placaret; quod fabulatos eſſe priſcos Hebræos refert *Johannes Groſſius*, Theologus *Baſileenſis*; Clar. D. *Heideggerus* ideo Cainum *Morte* mulctatum non fuiſſe putat, quia *pauci ad huc Homines terram tum incolebant, adeoque exemplo opus non erat*: ſed neque illa ratio pondus habet, cum ſupponat, quod probandum erat quatuor nempe vel pauculos, ſaltem homines in mundo tum extitiſſe; profligavimus enim mox errorem illum in D. *Burmanno*. Ut neque cum ipſiſſimis Viri Docti Hyphotheſibus ſententia conſiſtere hæc poteſt, dum quippe ipſemet nobiſcum ſtatuit, in Annum a M. C. 129. cædem hanc *Habelis* incidiſſe, quod certè verum eſſe potuiſſe quis credat, ſi tam pauci tantum homines tum exſtiterint; vel ſi numeroſa modo hominum turbatum fuerit, ut procul dubio fuit, quî dici poteſt, *exemplo* non fuiſſu opus, quo ab nifando hoc ſimiliſe homicidii crimine reliqui deterrerentur; Melius itaque & certius ſtatuas, Deum non gladio ſed *exilio* Cainum punire voluiſſe ob has rationes. (1) Quia jus gladii inſtitutum tum necdum erat; & tum quidem non minus, quam jam, æquitatis naturalis, ſicarium capite plecti, ſed jus illud poteſtaſque pænam talem irrogandi, nemini hominum delata adhuc erat. (2) Quia Deus eo in caſu terreſtrem judicem non egit, ſed cæleſtem.

Joh. Gregor. Obſerv. cap. 17.

Groſſ. Theatr. Bibl. tom. 2. pag. 203.

Heidegg. Hiſt. Patr. parte 1. Exerc. 5.

Quia

Digitized by Google

(3) Quia non *ſimplex* tantum *exilium* hoc fuit, ſed continuâ morte ſociatum, angore ſcilicet lancinantis conſcientiæ, quæ mille mortium tormentorumque dolores non exæquat tantum, ſed & ſuperat; occidit enim continuis morſibus & ictibus, *Ambroſ. de Caini & Abel. lib. 2. cap. 10.*

Morſque minus pœna quam mora mortis habet.

Et iſti Cain longævitas indulta vindicta eſt: eo quod vixit in metu, *& prolixum ſpatium multo cucurrit & infructuoſo labore, quâ pœnâ nihil gravius, quam ut quis ipſe ſibi majorum cauſa pœnarum ſit* ut piè loquitur *Ambroſius.* Tiberius *ſponte* exul (fugerat eum in Campaniam, ut vexatorem domeſticum effugeret) ubique tormentum ſuum circumferebat, neque aliud agebat, quam correpti inter navigandum nauſeâ ſolent: ſi in linttem e lembo, rurſumque inde triremen conſcendant, nihil tamen efficiunt, quia *bilem* & *metum* ſecum transferunt. Adde (4) quæ nonnullorum apud *Philaſtrium* obſervatio fuit, *quia Dominus per unum illum Cainum omni humano generi velut generalem docendo modum per patientiam tribuebat bonitatis ſuæ indulgentiam copioſam, ut jam deſinente ſcelere bonorum operum fructuoſitatem ſequerentur, certaque ab eo cuncti cognoſcerent amplectenda, dicente Domino*: Nolo mortem peccatoris, quam ut revertatur & vivat. *Ut tanti ſceleris cunctis per eum pateſceret pœnitentia, inque eo indulgentia pariter copioſa, ut pœnitentiam jam bona fructuoſitas, hortamento Dei monſtraretur hominibus, quo eam pervidentes, ſalutem potius, quam mortem ſibi deſiderent acquirendam.* *Plutarch. de Tranquilli. Animi.* *Bibl. Patr. tom. 5. pag. 47.*

XIV. Denique, ut textus habet, *impoſuit Deus Caino ſignum, ne eum cæderet ullus, qui foret inventurus eum.* Fuere quondam veteribus *Inſcriptiones* ſuæ, quibus *ſervorum* ſuorum, præſertim ſi criminis cujuſpiam rei eſſent, capitibus vel frontibus vel manibus ferales quaſdam litteras ceu ſtigmata inurebant. *Hic continuo rodat* (verba ſunt Petronii Arbitri) *non ſolum capita ſed etiam ſupercilia: ſequar ego frontes notans* Inſcriptione *ſolerti, ut videamini ſtigmate eſſe puncti.* Et Seneca: *Varia vinculorum genera ſunt, varia pœnarum, lacerationes membrorum*, Inſcriptiones frontis, *beſtiarum immanium caveæ.* Nec non Juvenalis: *Salmuth. in Panciroll. p. 2. tit. 2. pag. m. 84.* *Petr. Arbit. in Satyr. 363.* *Senec. lib. 3. de Irâ cap. 3.*

Quem mire adficiunt inſcripta *ergaſtula.* *Alex. ab Alex. pag. 539. 540.*

Hinc ſervos iſtiuſmodi *Inſcriptos* vocitavit *Plinius.* Et *Martialis.*

Quatuor Inſcripti *portabunt vile cadaver.* *Martial. lib. 8. Ep. 75.*

Aliis *Stigmatici*, *Nebulones Stigmatici*, *fronte notati* dicti ſunt,

Proſcriptum famulus ſervavit fronte notatus. *Id. lib. 3. Epig. 21.*

Quibuſdam etiam *litterati*, quaſi litteris inſigniti. *Samii* olim (relatore

Digitized by Google

[*Plutarch. in Pericle.*] (relatore *Plutarcho*) victis *Athenienſibus* frontem *noctuâ* ſignabant, at per retaliationem *Athenienſes* quotquot *Samiorum* captivos abducebant, hiſce inſigniebant litteris Σαμαινα, navigii a *Samiis* inventi genus, quod in proverbium poſtea abiit: *Samiis neminem eſſe litteratiorem.* [*Ælian. Var. Hiſt. l. 2. cap. 9.*] Habebant ergo Veteres notas, *Inſcriptiones*, ſtigmata varii generis, (1) *Superſtitionis*, quæ apud Ethnicos ſuperſtitioſi quidam, quaſi pro honore Idolorum ſuorum zelantes, ſibi inurebant. Vid. Levit. 19. 28. (2) *Indicii*, eò ſimpliciter inſervientiâ, ut rem vel perſonam aliquam aliis innoteſcere facerent; ſic notabantur ſervi, ut, ſi aufugerent, cognoſcerentur; vel, ſi venales eſſent, collo eorum tituli ſuſpendebantur; qui nihil aliud erant, quam tabellæ albæ nigris *literis* notatæ, quæ quid morbi vitiive in ſingulis eſſet, ſubindicabant; quod uſurpatum maxime fuit apud *Orientales* populos. Referenda huc etiam inſcriptio *crucis* Chriſti, & ſignatura *ſuſpirantium* apud Ezechielem ſuper *frontibus ſuis.* Ezech. 9. 4. Meminit nonnullorum quoque *Plutarchus*, quibus *equi* character inuſtus fuit, quod *ſervitutis* argumentum eſſe volebant. (3.) *Triumphi*, quo referendum, quod de *Athenienſibus* & *Samiis* mox dictum eſt, qui notam devictis a ſe hoſtibus inſcribentes, eo ipſo de reportatâ victoriâ triumphos agebant. Gloriatus etiam eſt Apoſtolus in *ſtigmatibus Chriſti, quæ in corpore ſuo portabat*; id eſt, in vinculis, carceribus, colaphis, plagis, cicatricibus, vibicibus, &c. Gal. 6. 17. quæ, tametſi coram mundo contumelioſa eſſent, Chriſti tamen piorumque ratione honorifica & glorioſa erant, devictique Mundi inſignia. (4.) *Obligationis*: ſic Romani, militiæ nomen daturi, picturis & punctis quibuſdam in cute inſigniebantur; quod ſacramento erat, ipſos Romanæ Reip. ad mortem uſque devotos fore. Ita Vegetius: [*Veget. de Re milit. lib. 2. cap. 5.*] *Nam picturis* in cute punctis milites *ſcripti, & matriculis inſerti jurare ſolent.* Et Prudentius: [*Prudent. Periſt. Paſſ. Rom. p. 210*]

Quid cum ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutos ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere, utque igniverint,
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmârit, hanc ſic conſecratam prædicant.

[*Iren. lib. 1 cap. 24.*] Neque diſſimili modo *Magi* Diaboli ſervitio devincire ſe ſolent, impreſſo & accepto *ſtigmate.* Quin & de *Carpocratis* diſcipulis Irænëus: *Alii* (inquit) ſignant cauteriantes *ſuos ſemper* diſcipulos, *in poſterioribus partibus exſtantia dextra auris.* (5) *Supplicii*: Ita ſervis, qui

criminis

Digitized by Google

criminis alicujus rei erat, feralis quædam nota imprimebatur apud Romanos, ut apud nos furibus; unde, ut dictum, *literati* dicebantur. Nonnunquam etiam *crucis* ſignum in veſte ferebant, ignominiæ causâ. Licet *literatum* eſſe generatim etiam de omni eo quandoque uſurpatum ſit, cui ſimpliciter tantum inſculptum vel ſuperſcriptum quid erat. Ita *Plautus*:

Haud ſecus tu videas litteratas *ibi epulas.*

Placuit autem & Deo (ut hic liquet) Cainum *litteratum* vel *inſcriptum* talem hominem facere, vel potius *nebulonem litteratum*, ſingulari ipſi *ſigno* impoſito; ut ut præcipue quidem in ipſius conſervationem, juxta textus verba, procul dubio tamen etiam in ignominiæ & juſtiſſimæ ſuæ indignationis notam. Sunt qui vocabulum אות, quod hic occurrit, non per *ſignum* in communi ſed per *litteram* vertunt, ſicut & tam *litteram*, quam *ſignum* revera ſignificat, nomenque dat omnibus Alphebeti litteris. Quinimò, ſecundum Magos naturales & Kabbaliſtas, primus homo Adam, ac ipſius jure omnes homines, ſigna divina orginalia impreſſa habuerunt, ipſius *Dei digito*; quorum unum פַּחַד *alterum* חֶסֶד dictum volunt, *prius* ad beſtias in ſubjectione tenendas, *alterum* ad mutuum amorem conciliandum. Sed ἄτερ γραφῆς hæc ſunt, ſcriptoribus & fictoribus ſuis reddenda. Saltem (ut dictum eſt) ſine quali quali divinâ *inſcriptione* & *ſigno fratricida* hic non proceſſit; licet haud adeo planum ſit, quod & qualenam id fuerit. Hebræorum quidam exiſtimant, in fronte ejus cornu fuiſſe poſitum. Alii litteram quandam e Nomine Tetragrammato יהוה, & forſan litteram ה. Alii litteram ex voce תְּשׁוּבָה quæ *Pœnitentiam* notat, ut nempe omnes, videntes eum, admonerentur, pœnituiſſe eum cædis ſuæ, eoque illi parcerent. Alii *Canem* cuſtodiæ ejus appoſitum fuiſſe, eumque quidem ipſum, qui *Habelis* oves cuſtodire ſolitus erat. Alii tres litteras שבת, quæ Sabbatum ſignificant. Somniarunt alii ubicunque eſſet *Cain*, partem circumſtantis ipſi terræ mox tremuiſſe. *Socinus* miraculo quodam *Caino* Deum demonſtraſſe & obſignaſſe putat, neminem occiſurum eum eſſe, ſicut promiſſum ipſi erat. Patrum plerique *ſignum* hoc fuiſſe cenſent *tremorem* & concuſſionem, totum *Caini* corpus omniaque ejus membra continuo occupantem. Addunt alii, eum propter *terrores* conſcientiæ, quos nunquam non patiebatur, horrendum adeo adſpectu in aliorũ oculis fuiſſe, ut omnes inde adficerentur & turbarentur, adeoque

Hofmann. Lexic. Univerſ. p. 2. p. 300. b. p. Ravanel. Bibl. Sacr. in Voce Stigma.

Saubert. de Sacrif. Veter. p. 200.

Muis Var. Sacror. in Geneſ. 4. 15.

Joh. Gregor. Loc. Cit.

Socin. Ep. ad Radec.

ſorti ejus miſerrimæ condolentes, manus ab eo abſtinerent. Adhuc ſunt, qui *lepram* in fronte ejus vultuque effloruiſſe arbitrati ſunt; ne quid de iis dicam, qui ſignum *Crucis* ridicule ei attribuerunt. Ita Scriptores etiam non minimæ notæ ſuper hac re, quæ vix dentiſcalpio forſan digna eſt, inſtar Cadmæorum fratrum inter ſe concertant. Meo judicio, negotium hoc paulo aliter videtur concipiendum: ſcilicet non attendendum in hoc *ſigno* tantum, eſſe qualemcunque notam vel characterem, huic vel illi corporis *Caini* parti vel forte univerſo ejus corpori impreſſum, ſed iſtiuſmodi quidem notam, per quam innoteſcere quibusvis occurrentibus poterat, cæde & trucidatione ejus abſtinendum ſibi eſſe. Ita enim exerte dicit Moſes: *Impoſuit Jehova ſignum Caino, ne eum cæderet ullus, qui foret inventurus eum.* Adeoque haudquaquam ſufficiens fuiſſe, quod de fronte ejus aliquod cornu pullularit, litteræ quædam corpori ejus fuerint impreſſæ, vel toto corpore continuo tremuerit, &c. Nam quomodo aliquis, obviam ipſi factus, colligere inde poterat, hominem, ſigno iſtiusmodi notatum, præciſè *occidendum* non eſſe. Potuiſſet is forſan ex indiciis illis concludere, virum taliter inſignitum, ſingulari cuidam Dei judicio ſubjacere, vel ſimile quippiam; at quid hoc ad trucidationem vel cædem in eum committendam vel non committendam? Citra dubium itaque aliud quid ſubfuit, quod an bene ſatis hactenus expiſcatus quisquam ſit, vehementer dubito. Nobis alterutrum videtur dicendum: *Vel* quod Deus *Caini* vultum adeo exitialem & terribilem in obviantium oculis fecerit, ut unuſque ab inſultando eo, nedum occidendo, ultro fuerit deterritus. *Vel* quod publico & generali quaſi edicto (cui inſervierunt forſan verba mox præcedentia, *Quisquis interfecerit Cainum ſeptuplo vindicator*) tanquam *ſigno audibili* promulgarit ubique, vel promulgari fecerit, integrum nemini eſſe, homini huic, utcunque fratricidæ nefario, ultrices manus injicere. A quâ opinione non multum abludere videtur Clariſſ. *D. Burmannus*, Comment. in Gen. 4. verſ. ubi & locum Eſ. 66. 19. pro eo allegat. Prout etiam Lamech edicti hujuſmodi cognitionem quandam videtur habuiſſe, cum diceret: *Dum ſeptimo vindicandus eſt Cain, utique Lamech ſeptuageſies ſepties tanto.* Interim ſine luctu *Habel* e numero viventium non diſceſſit, ut nonnullorum opinio eſt: fleviſſe enim dicuntur eum Parentes totis centum annis, idque in *Adami* ſpeluncâ (loco in tribu *Juda*) in quâ videri etiam narrant Protoplaſtorum *lectos*

Muis in Var. Lect. ad Gen. 4. 15.

Burm. Tr. Cit.

ſaxeos

Digitized by Google

ſaxeos triginta pedibus longos, ut *& fontem*, e quo bibiſſe ambo perhibentur: At Λῆρος μακρὸς ταῦτα, Gerræ germanæ, atque liræ liræ! Luxiſſe dilectum filium Parentes, non eſt quod dubites; ſed fabuloſa eſt annorum illa ſeries, quæ obtenditur, nec non quod de gigantæis eorum lectis adjicitur Prout perperam etiam ex voce הבל luctus ille elicitur; quaſi ea per Ἄβελ cum LXX interpretanda eſſet, quos ſecuti ſunt *Joſephus*, *Origenes*, *Theodoretus*, ac præcipue *Euſebius*, cujus hæc ſunt verba: Ἄβελ ἑρμηνεύεται πένθος, τοῦ τοιοῦδε πάθους γεγονὼς καὶ αὐτὸς τοῖς γονεῦσιν αἴτιος. Abel *exponitur* luctus, *quia hujus affectus Parentibus autor factus eſt*. Vox enim Hebraica הבל, quicquid de Græcâ Ἄβελ ſit, non πένθος *luctum*, ſed *halitum*, *vanitatem*, *vaporem* ſignificat, ut in multis locis videre eſt. Pſ. 62. 10. Prov. 21. 6. Eſ. 57. 13. Eccleſ. 7. 15. 9. Job. 7. 16.

Joſeph. Antiqq. lib. 1. cap. 3.
Origen. in Matt. Tract. 26.
Theodoret. in Geneſ. q. 60.
Euſeb. de Præp. Evangel. lib. 11.

XV. Adeo itaque infelix fuit noſter hic *Cain*, ita fraterno ſanguine madidus, ita conſcientiæ furiis exagitatus, ita in exemplar divinæ quadantenus vindictæ, quadantenus etiam miſericordiæ & longanimitatis toti orbi expoſitus. E quibus duo hæc colligas velim. 1. Quam mirum ſit, Auguſtinum *Cainum* hunc primum in orbe *Monarcham* conſtituiſſe, hominem tam miſerum, deſperabundum, tam ignominioſe litteratum, *Eadem* (inquit) Civitas, *quam* Cain *in nomine* Enoch *filii ſui condidit*, *longe lateque regnare potuit*, *& reges habere non ſimul plures*, *ſed ſuis ætatibus ſingulos*, *quos genuiſſent ſibi ſucceſſuris quicunque regnaſſent. Horum Regum* primus *eſſe potuit ipſe* Cain, *ſecundus filius ejus Enoch*. At qualis illa, quæſo, *monarchia*, quæ *unam* tantum ſub ſe civitatem comprehendit? qualis ille *monarcha*, qui non niſi *unius* urbis, quinimo *urbeculæ* (ut alibi diximus) dominus fuit? Liberalius certe dignitas hæc viro ſceleſtiſſimo in præjudicium Patris adſcribitur, niſi per *monarchiam* qualecunque regimen politicum tantum intelligas. 2. Quam inſana *Cajanorum*, juxta *Epiphanium*, ſive (ut alii) *Cainæorum* vel *Cainanorum* (aliam enim ſectam conſtituebant *Cajani*, aliter *Aphthardocitæ* dicti) hæreſis olim fuerit, qui *Cainum*, quoad Habelis hanc cædem, omni plane culpâ abſolverunt, ut apud *Irenæum*, *Tertullianum*, *Philaſtrium*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, *Auguſtinum*, *Theodoretum* alioſque videre eſt. Retulerunt quidam commenti hujus incunabula ad annum a partu virgineo, 160. Alii ad Ann. 195. præter propter. Prodierunt primum

Philaſt. de Hæreſ. §. 2.
Iren. adv. Hæreſ. lib. 1. cap. 35.
Epiphan. Hæreſ. 38.
Clemens στρωματ. *lib. 7.*
Flokken. Th. Elenct. §. 34.
Bellarm. Chronolog. part. 2. pag. 43.
Auguſtin. de civit. Dei lib. 15. cap. 20.

mum

mum ejus authores & fautores e ſcholâ *Valentini*, juxta cum aliis hæreticorum monſtris: *Sethianis*, qui *Sethum* habuerunt pro Chriſto, Angeloſque cum mulieribus coire dictitarunt; *Abelianis*, vel (ut alii) *Abeloitis* aut *Abeloinis*, qui *Habelis* imitatione ſalvandos ſe eſſe ſperaverunt. Quæ imitatio in hoc conſiſtebat, quod, ſupponentes *Abelem* cœlebem mortuum eſſe uxores, quidem ducerent, ſed illis cum non commiſcerentur, neque filios generarent, ſervatâ nihilominus multitudine per adoptionem. Quilibet duo, nempe Vir & uxor, adoptabant ſibi puerum atque puellam, hac lege, ut ipſi quoque non commiſcerentur, illoſque hæredes inſtituebant. Et hoc ſibi facere licere exiſtimabant, cum pauperes homines onuſti filiis nunquam non invenirentur, qui filios ſuos aliis libenter adoptandos darent, ut facultatibus eorum frui poſſent. Inædificabant hanc praxin ſuam *Pauli* dicto: Οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι. 1 Cor. 7. 29. *Habentes uxores, quaſi non habentes.* Sed

Martyr in Gen. 4. fol. 19. b.

August. de Hæres. ad Quodvult D. Hæreſ. 87.

Epiphyllides hæc ſunt, & argutæ nugæ.

Cum neque Habelem ἄπαιδα obiiſſe, neque hominibus in exemplum id datum eſſe, probari poſſit, multo minus Apoſtolum allegato loco huc digitum intendiſſe. Quare & ſunt, qui hæreſin hanc non ab *Abele* ſed *Adamo* deducunt. Occupabat enim olim totum Orientem fabula, Adamum poſt *Abelis* necem, per 130. annos uxore plane abſtinuiſſe. Ita Judæi Doctores. Atque inde etiam Arabicum verbum, ex *Abele* factum, תאבל theabbala *ab uxore ſe continere* ſignificat. Erat autem propriè horum *Cainiſtarum* ſive *Cainæorum* doctrina, omnes eos improbandos eſſe, quos Scriptura nobis commendat, probandos e contra, qui a Scripturâ condemnantur & rejiciuntur; Adhæc *luxuriam* ad ſalutem prodeſſe delirarunt, innumeros finxerunt angelos, & quemque eorum inſigni quodam flagitio conſpicuum, ut facinus aliquod enorme commiſſuri, haberent quos adorarent. Librum etiam compoſuerunt, cui tit. *Aſcenſio S. Pauli* in cœlum, horrendum & penitus execrabilem. Sed tædet ineptiarum. *Cainum* enim fratricidam turpiſſimum humani generis propudium fuiſſe, plus ſatis adſtruximus. Quæ in *Judæ* patrocinium ab ipſis iis hæreticis adferri ſolent, huc non pertinent, cadentque plane per illa, quæ infra, cum ex profeſſo de *Proditore* illo agemus, allaturi ſumus.

Tertullian. de Præſcr. adv. Hæret. cap. 47.

Voſſ. Harm. Evangel. lib. 2. cap. 3. pag. m. 219.

August. de Hæreſ. cap. 18.

XVI. Magis forte ad ædificationem facere credas eorum inſtitutum, qui, ſicut *Habelem* Chriſti, ita *Cainum* malevolorum Judæorum *typum* conſtituere, quam fratricidalem ejus nequitiam excuſare vel pallia-

Digitized by Google

palliare qualitercunque maluerunt, ſaltem ad vexationes Chriſti, quas ſubire ab hoſtibus ſuis debuit, non inconcinne quæ hactenus diximus accommodarunt; nam rationem *typi* proprie dicti locum hic habere, non exiſtimo, ob rationes alibi allatas. Venuſtam enim hiſtoriam hanc inter fratres hoſce & Chriſtum, ejuſque ſanguinolentos adverſarios, exhibere conformitatem, non eſt quod dubites. *Habel*, vir integer, *Cain* ſibi invidiam pietate ſuâ conflavit, ita *Jeſus* probitate ſuâ *Judæorum* in ſe odium traxit: ovium paſtor fuit *Habel*, animarum paſtor *Chriſtus*. Joh. 10. 14. *Habelis* cultus gratus Deo fuit, oblatio *Chriſti* Deo fuit in odorem bonæ fragrantiæ. *Habel* optima quæque Deo obtulit, *Chriſtus*, cum nihil haberet melius, per *æternum Spiritum inculpatum* ſe Deo dedit. Heb. 9. 14. *Habel* ab ipſo fratre eſt trucidatus, *Chriſtus* ab ipſis fratribus ad mortem poſtulatus. *Cain* Habelem fratrem occiſurus *foras* cum eduxit, *Jeſum* Judæi extra Hieroſolymam ad ſupplicium rapuerunt: *Cain* cum Habele locutus eſt, ut fratrem dictis ſuis irretiret, *Judæi* fucatis alloquiis tendiculas Chriſto non ſemel ſtruxerunt: *Caino* in pœnam irrogatum eſt, ut deteſtabilis & ſacer in hac terrâ eſſet, *Judæos*, Chriſti hoſtes, vulgo execrabiles eſſe quis neget? Exilio mulctatus eſt *Cain*, ſic tamen ut tuta ei & incolumis vita præſtaretur; profugi etiam & extorres oberrant *Judæi*, neque penitus tamen exſcinduntur. Jer. 31. 35. 36. Signo notatus ſpeciali eſt *Cain*, *Judæi* variis in locis inſignes eſſe jubentur. Multo adhuc plura hic ἀλληγορίζει *B. Ambroſius*, ſed quæ, ut piam ex parte mentem indicant, ita magnam partem frigida plane & impertinentia ſunt.

Ambroſ. de Cain & Abel Oper. tom. 4. pag. m. 136. 137. &c.

EXERCITATIO VII.

DE POLYGAMIA V.T.

BREVIARIUM.

Polygamia *V. T. an* peccatum *fuerit diſquiritur.* Negantis *ſententiæ explicatio. Ejus primarium fundamentum. Ad varias contra eam* objectiones & exceptiones *reſponſio. Viri cujuſdam Docti* χρηστοφύγετον *excuſſum. Locus 2 Sam. 12. 8. elucidatus.* Affir-

manțis *ſententiæ fulcimenta. Locus Malach. 2. 15. illuſtratus. Diſcrepantes de* genuino *ejus* ſenſu *ſententiæ. Locus Deut. 17. 17. examinatus.* Alexander Magnus, Ahaſuerus, Thraces πολυγαμώτατοι. *Tum* Regi *tum* perſonis privatis *quot olim* uxores *conceſſæ?* Jus naturale *quotuplex? Inter ipſos* Paganos *quidam a* πολυγαμίᾳ *alieni.* Polygamiæ *an eadem, quæ inceſtus, ratio? Diſpenſaritne Deus quoad Patres* πολυγάμους*? Unde conſtare ea* diſpenſatio *ipſis potuerit? Quomodo* Polygamia *licita eſſe potuerit ſub V. Teſtamento illicita ſub Novo? Palmariæ* diſpenſationis *ſub V. T. rationes. Autoris* ἐπίκρισις. Polygamia *ſub N. T. abſolutè damnabilis.* Bernardinus Ochinus *quis? Quo artificio* Polygamiam *defenderit? Cur* Tiguro *urbe ejectus ſit?* Cajetanus *notatus.* Lutheri *incommodè dictum.* Calvinus *vindicatus. Quoad* Polygamiam *V. T. peccatumne fuerit an non, hæſitatio* Autoris. *Controverſiæ momentum.* Eruditorum, *Patres* πολυγάμους *a peccato abſolventium, ingens turba. Iudicium aliud de* perſonis *aliud de* rebus. *Iudicium* Charitatis *in quo conſiſtat? An in hac quæſtione admittendum? Sententia, Patres* πολυγάμους *abſolvens, cur premenda potius, quam vulganda?* Fred. Spanhemii *prudens monitum.*

I. Quæſtio principalis hic eſt, *An Patres V. T.* polygamiâ *ſuâ peccarint, an non peccarint?* binæque ſeſe circa hanc offerunt oppoſitæ Theologorum ſententiæ: *Negantium* una, *Affirmantium* altera; neutra, ut videtur, gravibus rationibus deſtituta. Ego utriuſque partis argumenta breviter adducam, paucis deinde, quid ipſe ſtatuam, explicaturus.

II. Qui pro parte *Negante* ſtant, commodiſſime negotium expediri putant, ſi dicatur, In primævâ Conjugii inſtitutione ordinaſſe Deum, ut vir unus unâ tantum gauderet uxore, idque in Adamo omnibus hominibus, poſteriſque ejus, injunxiſſe, iis tantum exceptis, quos pro tempore ab inſtituti illius obligatione & vinculo, pro abſolutiſſimo dominii ſui jure, eximere placeret;

atque

Digitized by Google

atque exemiſſe ipſum ab eâ Gentem ſuam Iſraeliticam, quò *proles* Abrahami abundantius multiplicaretur. Adeoque Patres in V. T. in pluribus ſibi uxoribus copulandis, propriè non peccaſſe, niſi forſan aliquando ex accidenti, cum vel modum in eo excederent, vel ex ſolo libidinis æſtu id agerent.

III. Suffulciunt qui ſic ſentiunt, ſententiam ſuam *Dilemnate* quodam vulgatiſſimo quidem, ſed quod ἄλυτον hactenus & inſolubile planè habuerunt. Sic enim dicunt: Si Patres Vet. Teſtam. polygamiâ ſuâ peccarunt, vel *ſciverunt* peccatum eam eſſe, vel *non ſciverunt*. Quis dicat (*inquiunt*) eos id *neſciviſſe*, cum eorum aliqui excelluerint omnis boni malique cognitione. David enim, etiam πολύγαμος, fatetur, *ſapientiorem ſe fuiſſe omnibus doctoribus ſuis*, Pſ. 119. 99. Et quis diffuſiore ſapientiâ imbutus fuit ipſo *Salomone*? iiſque omnibus, qui ſpiritu prophetico donati fuerunt? Eoque incredibile ipſis videtur, viros illos excellentes, qui vix quicquam ignorabant, circa unum hoc *polygamiæ* peccatum talpâ ipſâ cæciores extitiſſe.

IV. Si dicatur Patres peccatum id ſuum *ſciviſſe*, tum *regerunt*: ſi id ſciverint, eos vel pœnitentiam ejus egiſſe, vel non egiſſe. Quod *pœnituerit* ipſos, nullibi legi dicunt, imo ne ibi quidem, ubi aliorum peccatorum, etiam longe πολυγαμίᾳ leviorum, pœnitentiam profeſſi ſunt. Imo vero contrarium planè conſtare exinde putant, quod uxores ſuperinductas nunquam abjecerint (quod tamen veræ eo in caſu reſipiſcentiæ argumentum & indicium eſſe oportebat Ezr. 10. 16) ſed ad finem uſque vitæ iis cohabitaverint. Si dicatur, eos non pœnituiſſe, tum conciliari id poſſe *negant* cum genuinâ pietate æternâque ſalute, indubie ipſis adſcribendis.

Turretin. Inſt. Theol. Elenct. part. 2. pag. 17. 18.

V. Siquis ajat, pœnituiſſe quidem ipſos, ſed *in genere* tantum & implicitè, prout de tali pœnitentiâ loquitur Pſaltes Pſ. 19. 13. dicens: *Errores ſuos quis intelligit? ab occultis munda me, Domine.* Tum *reſpondent*, ſufficere generalem illam pœnitentiam non in peccatis *manifeſtis* nobiſque notis, ſed in *occultis*, ut ipſa Davidis verba innuunt; id eſt, talibus, de quorum jure vel facto nihil nobis conſtat, vel quorum obliti ſumus. Adduntque, quod ſi *polygamia* verè peccatum ipſis fuerit, haud ἥττημα ſive minutiam tantum eam fuiſſe, (quod aliter ſentientium πρῶτον ψεῦδος nunquam huc uſque probatum eſſe putant) ſed peccatum enorme, imo ſpeciem *adulterii*, ejuſque non tantum tranſeuntis, ſed & permanentis

nentis & continuati, vitæque impuræ curſum, quæ omnia quâ ratione cum inſigni eorum pietate, in Verbo Dei ita commendatâ, conſiſtere poſſint, rurſus dicunt, ſe videre non poſſe. Concedunt quidem, etiam piiſſimos in atrocia quandoque peccata prolabi, ſed eos in iis, jam cognitis, ſine ullo particularis pœnitentiæ indicio, ad noviſſimum vitæ halitum perſeverare poſſe, non putant S. Scripturæ convenienter dici.

VI. Si iterum dicatur, potuiſſe eos pœnituiſſe, licet Scripto id exaratum non ſit, prout pœnitentiam procul dubio egerunt Abrahamus & Lothus, *hic* deflens ebrietatem ſuam, abominandumque inceſtum, *ille* mendacia ſua ſemel iterumque repetita, cujus tamen nulla mentio in Scripturâ inſtituitur. Tum *reponunt*, conſiderandum non eſſe, quid eſſe potuerit, ſed quid revera fuerit; neque enim a poſſe ad eſſe valere conſequentiam, ut notum eſt. Et quare (inquiunt) ſi præſtita fuiſſet iſtiusmodi a Patribus *Polygamiæ* ſuæ pœnitentia, Deus eam nobis non revelaſſet? Præcipue cum quorundam ex iis vitam, mores, virtutes, vitia, mortem, emortualia &c. quam accuratiſſime deſcribi curaverit? Neque ad rem facere, quod de Abrahamo Lothoque adfertur; peccata enim eorum fuiſſe tranſitoria & tumultuario præcipitanterque commiſſa, adeoque haud adeo mirum eſſe, quod pœnitentiæ eorum in Scripturis vix ulla mentio reperiatur; at ſecus ſe habere cum *Polygamia*; illam enim (ſiquidem peccatum fuerit) non fuiſſe actum *tranſeuntem* ſed, (ut dictum eſt) *permanentem*, neque ex carnis ſubitâ abreptione, ſed deliberato conſilio commiſſum & continuatum. Adhæc *Lothi* peccatum Lotho, Abrahami Abrahamo peculiare *fuiſſe*, *Polygamiam* vero multis extitiſſe communem: adeoque quis credat (*dicunt*) ſi tam atrox ea malum fuerit, ex omnibus iis viris piis ne ullum quidem fuiſſe, qui ex animo id defleverit, & ſiquis id defleverit, Deum nos id ipſum celare, quam omnibus, ad eluendum ſcandalum, in reſipiſcentiæ & pœnitentiæ exemplum, revelare maluiſſe, maximè cum eorum minoris momenti pœnitentias manifeſtare nobis non detrectârit?

Eſt. in lib. Sentent. Lib. 4. Diſtinct. 33.

Turretin. Inſt. Theol. Elenct. part. 2. pag. 17. 18.

VII. Ut neque ullius pretii eſſe *putant*, quod Vir quidam Doctiſſimus prætexit: Scilicet non ita *explicitè* Patres peccati hujus pœnitentiam egiſſe, quod, utcunque primam conjugii inſtitutionem non ignorarint, haud tamen probè ſatis mentem ejus aſſecuti ſint, ac proinde vix clarè conceperint, ſe *polygamia* ſuâ contra illam impingere. Dilutum (inquam) ſubterfugium id eſſe putant. Quid enim

Joh. Gerard. Locc. Theol. tom. 7. p. 116.

Digitized by Google

enim (*dicunt*) intelligit Vir ille Doctus per *primam conjugii inſtitutionem*? illamne Dei tantum voluntatem, quâ in genere homines conjugali ſibi invicem copulâ colligari ſancivit, uxori maritum & marito uxorem? at quis credat,id ſolum primævæ illius Legis argumentum eſſe? vel an illud etiam Dei placitum, quo *unum* præciſè virum cum *unâ* muliere copulari voluit, ut verba Gen. 2. 22. exertè indicant. Et ſi hoc (ut impoſſible eſt, ipſum aliud quid per *inſtitutionem primævam* intelligere poſſe) putatne tum (ajunt) Patres πολυγάμυς inſtitutionem illam ſciviſſe? Prout hoc concedit: at qui ergo dicere poteſt, eos genuinam ejus *mentem* non ſatis perſpectam habuiſſe, cum mens ſeu ſenſus inſtitutionis vita & anima ejus ſit? adeoque qui eum non aſſequitur, neque *ipſam inſtitutionem* ſcire dicendus ſit; præſertim cum ipſa inſtitutionis verba tam clara ſint & perſpicua (quemadmodum hic ſunt) ut primâ fronte ſenſum ſuum διαῤῥήδlω ſatis exhibeant.

VIII. Hactenus famoſum *Negantis* partis dilemma. Addunt alii aliud argumentum, ſumptum ex 2 Sam. 12. verſ. 8. Ubi tanquam *beneficium ſingulare*, Davidi a Deo præſtitum, refertur: Quod *uxores Domini ipſius* (Saulis) *in ſinum ei dederit*. Hinc dicunt; ſi traditio *plurium* uxorum fuerit Davidi *beneficium*, quomodo poſſeſſio earum poteſt fuiſſe *peccatum*? At pro planè plumbeo *Affirmantes* telum illud habent; induci enim non poſſunt, ut credant, de Davidis *matrimonio* cum Saulis uxoribus inito, ſermonem dicto loco eſſe; idque ob ſequentes rationes: (1.) Quia phraſis illa, *in ſinum alicui quid dare* conjunctionem *matrimonialem* neque ſemper neque neceſſariò ſignificat, ſed ſæpe tantum *ſimplicem rei poſſeſſionem* poteſtatemque in eam: quem in finem ſequentia loca adducunt: Luc. 6. 38. Pſ. 74. 12. & 35. 13. 1 Reg. 1. 20. Eſ. 65. 7. (2) Quia, ſi verba illa Davidis cum Saulis uxoribus *matrimonium* innuerent, *Nathan* non tantum πολυγαμίαν, ſed & turpem *inceſtum* Davidi attribuiſſet, Deumque autorem ejus conſtituiſſet. Adſciverat enim David *Michol*, Saulis filiam, in uxorem ſuam, ac proinde *gener* Saulis factus erat; per conſequens quomodo is ſoceri ſui uxorem vel uxores potuit ſuperinduxiſſe, ſine manifeſtiſſimo *inceſtus* crimine? Quodſi enim juxta Legem Levit. 18. 15. interdicatur ſoceri conjugium cum nuru ſuâ, vice etiam verſâ interdici putandum

verſâ interdici putandum eſt generi conjugium cum ſocru ſuâ. Neque *acquieſcunt*, ſi dicatur: uxores illas Saulis *Micholis* novercas tantum fuiſſe, adeoque ſecundo affinitatis genere Davidi duntaxat conjunctas; nam unde etiam ipſiſſimam *Micholis* matrem inter eas non fuiſſe probari poſſit, non vident. Adduntque, prout *David* cum *Michole* erat, ita Saulem etiam cum uxoribus ſuis per conjugium unam carnem factum eſſe, adeoque ſi David duxerit illas uxores, eum conjugium certe cum talibus iniſſe, quas matrum loco habere & revereri oportebat. (3.) Quia Propheta plane ad aliud quid loco allegato videtur intendiſſe: nempe non affari Regem de negotiis *matrimonialibus*, ſed inſignia tantum Dei beneficia, in ipſum collata, efficaciſſime exaggerare; quod ſcil. Deus in regium ipſum evexerat ſolium, plenamque ipſi Regni Iſraelitici poteſtatem largitus erat; idque eo quidem uſque, ut & ipſiſſimæ Regis Saulis uxores imperio ipſius jam ſubeſſent. Sique dicatur, dubitari vix poſſe, quin ad Davidis conjugium cum dictis uxoribus regiis reſpexerit *Nathan*, quia exaggerari exinde ejus adulterium præcipue poterat, quod nempe, dum tot, divina gratia, uxoribus, etiam regiis, gaudere poſſet, *Bathſebam* tamen, quæ *Uriæ* unica erat, rapuiſſet &c. Tum *reſpondent*, peræque exaggerari exinde Davidis culpam potuiſſe, quod univerſo regno jam potitus, etiam ipſiſſimis Adverſarii ſui uxoribus, ab hoc tamen unico *Uriæ* corculo continere manus ſuas non potuerit, vel potius noluerit, in quo inſignis certe in Deum, tam munificum εὐεργέτην, ingratitudo emicabat. Præterea, utut *Nathan* in Davidis cum Saulis uxoribus conjugium citato loco digitum intendiſſet, non tamen conſequi inde *arbitrantur*, ipſum carnalem hanc copulam approbaſſe; quod probandum eſſe putant, ſi quicquam pro πολυγαμίᾳ elici inde poſſet. Neque enim (*ajunt*) ut beneficium, a Deo Davidi collatum, memoratur, quod duxerit uxores illas, ſed quòd Deus eas poteſtati ejus ſubjecerit. Et ſane (ut *putant*) aggravabat apprimè Davidis coram *Deo* culpam, quod, dum jam modo tot uxores regias, contra Dei præceptum, ſibi matrimonio ſociâſſet, quibus laſcivienti ſuæ carni abunde poterat ſatisfeciſſe, iſti nihilominus peccato hoc novum voluerit adjicere, quod & unicam fortiſſimi Herois ſociam vitiârit, atque adeo oſtenderit, turpiſſimæ libidinis æſtu ſe totum tradidiſſe & mancipaſſe. *Addunt* denique, neceſſarium non eſſe, ut per *mulieres* Saulis, præciſe *uxores* ejus intelligantur; poſſe

Oſiand. in Not. ad Grot. de Jur. Bell. & P. pag. 747.

Burman. in 2. Sam. 12. verſ. 7.

Digitized by Google

poſſe enim etiam per eas indicari fœminas quaſdam innuptas, quæ in Palatio ejus tum morabantur, ejuſque uxoribus miniſtrabant, quaſque in uxores ſuas adſciſcere integrum Davidi erat, ſiquidem e re ſuâ eſſe exiſtimaſſet, tantum carnis ſuæ concupiſcentiis indulgere; atque ideo deteſtabilius fuiſſe ipſius factum, quod, dum tot mulierum nemini copulatarum copiam haberet, talem tamen deperierit & ſibi rapuerit, quæ & maritata erat, & a bellicoſiſſimo Duce pro unico & jucundiſſimo pignore habebatur. Quod ſi enim τὸ נְשֵׁי, quod in textu hic eſt, *Coccej.*
pro *ſingulari* habeat (ut vult Clariſſ. *D. Coccejus*) אִשָּׁה, non *pu-* *Lexic. p.*
tant ſonare id tantum mulieres *conjugatas*, ſed etiam *liberas*, prout *542.*
Gen. 3. 15. *Semen* mulieres *ſerpentis caput contriturum eſt*, citra dubium pro muliere *virgine* ſumi debet. Et ipſa vox נָשִׁים in ſtatu conſtructo נְשֵׁי ita uſurpatur; כל חַטַּק בַּנָּשִׁים *omne parvulum in fœminis*. Num. 31. 18. id eſt, omnis *parvula fœmina*; quæ certe conjugata eſſe non poteſt. *Mulieres habent animum levem* *Schab. fol.*
(inquiunt Talmudici) עליהן נשים רעתן קלה, at quis illud ſo- *33.*
lis uxoribus applicatum velit, & non quoque mulieribus innuptis?

IX. Atque hæc quidem argumenta *Negantis* partis ſunt, quæ Patres πολυγάμους abſolvendos a peccato exiſtimat. Vix pauciora videntur habere, qui diverſum ab eâ ſentiunt. Urgent hi imprimis *Malachiæ* verba cap. 2. 15. ubi ſic legitur: *Nam nonne* unum *fecit, quamvis reliqui ſpiritus ipſius eſſent? quid autem unum? niſi quæſiturum ſemen Dei: ideo cauturi eſtis ſpiritui veſtro, & in uxorem adoleſcentiæ tuæ perfidè ne quicquam agit*. Sed reponunt *Negantes*: vix certi quicquam de loci illius ſenſu dici poſſe, cum tantam ſe in eo obſcu- *Calvin. in*
ritatem inveniſſe teſtetur *Calvinus*, ut judicet, *nullum quidem In-* *Malach. 2.*
terpretem ad Prophetæ mentem acceſſiſſe. Adhæc eſſe, qui plane ali- *cap. verſ.*
ter verba illa vertunt, ac fecit *D. Tremellius*; Hebræoſque fere *15.*
omnes pro *unum* legere *unus*, in nominativo caſu, per quem *Abrahamum* deſignari volunt; ad quem quaſi verbis hiſce provocaſſe *dicunt* Judæos, ut talem, qui proprio πολυγαμίας ſuæ exemplo *ipſis* præluxerat; verſionemque illam multos etiam ex Chriſtianis ſecutos eſſe, ut *Munſterum*, *Vatablum*, *Iſid. Clarium*, *Pellicanum*, *Ariam Montanum*, *Caſtalionem*, *Grotium* &c. Licet omnes eundem verbis iis ſenſum non attribuant. Eſſe enim, qui Prophetam anticipare illis volunt Judæorum exceptionem, provo-

 cantium,

Digitized by Google

cantium, ut dixi, ad *Abrahami* exemplum, eoque polygamiam ſuam palliantium & excuſantium, q. d. Vos Judæi male arguitis, nam quiſque veſtrum fertur carnis ſuæ libidine ad *polygamiam*, Abrahami autem alia & diverſa ratio fuit; nempe quod eſſet *unus* & ſolitarius, adeoque adactus quali quali neceſſitate, ut aſſumeret ſibi aliam uxorem, nempe quia erat orbus, neque ſpem habebat promiſſæ ſobolis. Libido itaque non impulit patrem veſtrum *Abrahamum*, ſicuti vos, ſed deſiderium tantum gignendæ prolis; & ille *quærebat ſemen ſanctum*, id eſt, longe aliud fuit propoſitum ſancto *Abrahamo*, quam ut æſtuanti, carni indulgeret, quærebat enim *ſemen* illud *ſanctum*, cujus ſpes erat ablata per uxoris ſuæ ſterilitatem, quod jam modo effoeta eſſet. Atque hanc quidem explicationem vero proximam eſſe arbitrantur, juxtaque illam non taxare Prophetam *polygamiam* ipſam, ſed ejus tantum *abuſum*, quod præcipue ex libidinis æſtu in illam ruerent Judæi, ac invitis quidem & reluctantibus propriis uxoribus, cum Abrahamus, non niſi conſentiente Sarâ Hagarem ſuperinduxerit. Quo & hæc *Munſteri* reducunt, qui dicit: *Hebræi poſt Jonathan locum hunc intelligunt de Abraham, qui unus quidem ſuperinduxit Hagar, ſed non cauſa libidinis id egit, cum abundaret ſpiritu Dei, quin magis interventu uxoris id fecit, quærens ſemen Dei.* Eſſe etiam, *dicunt*, qui aliud plane Judæorum vitium perſtringi verbis hiſce volunt, quam polygamiam, *ſumptionem* nempe *filiarum peregrinarum* & gentilium in uxores ſuas, de quâ verſu *undecimo* locutus erat Propheta: atque adeo moneri illos ab eo, ne ſibi *Abrahami* exemplo in peccato illo abblandirentur; quod Abrahamus unus tantum eſſet, id eſt, non niſi ſingulare exemplum, quod regulam non facit; iſque *Hagarem* ancillam peregrinam & Ægyptiam ſuperinduxiſſet quidem, ſed ex Spiritus exuperantiâ, id eſt, ductu & impulſu ejus, intentiſſimoque *Sancti Seminis*, hoc eſt, Chriſti, promiſſi Meſſiæ, deſiderio; ut & citra perfidiam in priorem uxorem *Saram*, quippe quæ ipſa eam ſuppoſuerat, non minus Sanctum illud ſemen anhelans, ac ipſe maritus.

Munſter. in Malach. 2. 15.

X. Pugnant etiam loco, qui habetur Deut. cap. 17. verſ. 17. ubi exertè iſtorum temporum Regibus uxorum pluralitas videtur prohiberi; & ſi Regibus, quanto magis & quibuſvis aliis. Textus ſic habet: *Neque multiplicato* (Rex nempe) *ſibi uxores, ut non recedat animus ejus a me.* At reſpondent *Negantes*, ne ullum quidem pondus argumento iſti ineſſe, quod ſequenti modo probatum eunt:

Hakſp. Not. Philol. part. 1. pag. 350.

1. Quia

1. Quia verba illa loquuntur de uxorum *multiplicatione*, non de ſimplici *polygamiâ*; quarum *hæc* committitur, cum duæ vel tres tantum uxores ducuntur, *illa* cum magnus earum numerus ſimul adſciſcitur, quod *Joſephus* per γάμοις πολλοῖς χρᾶσθαι, id eſt, *multis nuptiis uti*, expreſſit. Quemadmodum (ut teſtis eſt Grotius) *multi in Oriente Reges multa millia fœminarum, ipſis inutilia, aliorum honeſtis uſibus ſubtrahere faſtus cauſâ ſolebant. De Alexandro* M. Juſtinus. *Inter Pellicum regiarum greges electæ pulchritudinis nobilitatiſque noctium vices diviſit, illas autem voluit tot numero eſſe, quot Darius habere conſueverat. Nempe quot dies ſunt in anno, hoc eſt, trecentas ſexaginta quinque e totâ Aſiâ ſelectiſſimas.* Ingens *ſane* uxorum numerus, at minor tamen eo, quem Rex *Ahaſuerus* habuit, cui tanta erant multitudine mulieres, ut pleræque earum, non niſi ſemel in vitâ ipſorum colloquerentur. Nam ſic de Regibus illis Herodotus; *In more eſt, ducere unumquemque ipſorum multas quidem puellas virgines, multo autem plures pellices habere.* Et in genere Cicero: *Reges Syriæ ſinguli plurimas habuere uxores. Et, præter Reges, alii etiam pro numero facultatum.* Nuncupatim *Thraces* honori duxiſſe feruntur, multiplici conjugio & uxorum numero gloriari, licet *Herodotus* Thracibus, qui ſupra *Creſtonas* ſunt, id tantum attribuat. 2. Quia multiplicationem uxorum non vetant niſi propter rationem adjectam, quæ eſt, *ne anima Regis a Deo averteretur*; at ejus periculum vix erat per ſimplicem *polygamiam*, ut in Davidis exemplo palam eſt; ſed quidem per *uxores alienigenas*, ut damno ſuo doctus eſt Salomo. Ne igitur, *dicunt*, Rex, magnum ſibi uxorum numerum ſociando, tandem etiam ad *alienigenas* pelliceretur, harumque lenociniis ad falſos traheretur Deos, cautum ſimpliciter Deus voluit, ne uxores ſuas multiplicaret. 3. Quia non aliter uxorum iis pluralitas prohibetur, quam *equorum multiplicatio*. At quis dicat, Regi temporibus illis licitum non fuiſſe plures quam unum equum poſſidere? præcipue cum Antiquiores Judæi privato homini quatuor, Sacerdoti unicam, Regi *octodecim* uxores conceſſerint: quo verba Auguſtini tunc allegant, dicentis: *Manifeſtum eſt, Salomonem hoc præceptum tranſiiſſe, David autem plures habuit, nec præceptum præteriit. Permiſſum eſt enim plures habere, non plurimas, quæ alliciant animum, multiplicare. Cum tamen additur*, ut non devetur cor ejus, *alienigenas habere vetitum eſſe videtur; verumtamen* multiplicatio uxorum *generaliter prohibita eſt. Permiſſum eſt Regi plures habere, ſed non multiplicare, ne multiplicando perveniat ad* alie-

Riv. in Geneſ. 4.

Grot. in Mal. 2. *cap. verſ.* 17.

Juſtin. lib. 12.

Herodot. lib. 1.

Solin. lib. 2. *cap.* 7.

Herodot. lib. 5.

Becan. Anal. V. & N. Teſtam. cap. 16. *qu.* 10.

Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. *cap.* 5. §. 9.

Selden. Ux. Hebr. lib. 1. *cap.* 8.

Auguſtin. in Deut. 17. *qu* 27.

Druſ. in Quæſit. per Ep. pag. 31.

Friſmuth Diſcurſ. de Reg. eligend. §. 27. alienigenas. Ut & R. *Salomonis Jarchi* textum, qui ſic habet: *Non multiplicet ſibi Rex uxores ultra* octodecim; *invenimus enim, quod David habuerit ſex, & tamen illi dicitur* (2 Sam. 12. 8.) *ſi parum eſt, addam tibi ſicut illa, ſicut illa*; id eſt, (ut adjicit Schickardus) *bis totidem alias.* *Schickard. de Jur. Regio Hebr. cap. 3. §. 9.* Licet pro ſtramineo fundamento id habeat *Friſmuth*, & poſt eum Clariſſ. *Carpzovius* in obſervationibus ſuis ad *Schickardum* de *Jure Regio Hebræorum*.

Gemar. Sanh. cap. 2. §. 8. XI. Adhuc dicunt, & ſpecioſe quidem, Patrum *polygamiam* in jus *naturæ* impegiſſe, adeoque peræque illicitam fuiſſe ſub *Veteri* ac jam eſt ſub *N. Teſtamento*; cum jus illud omnibus tum hominibus tum temporibus commune ſit. Quamobrem (ajunt) *L. 1. ff. de his, qui notant. infam.* & inter Gentes ipſas fuere, quæ ſollicite contra *polygamiam* caverunt. *Ariſtoteles* tum in *Politicis* tum in utroque *Oeconomico* contra illam diſputat. Romani *infamiâ* notabant, qui *duas nuptias eodem tempore inſtitutas habebant.* Sic etiam *Euripides*:

Eurip. Andromach.

οὐδὲν γὰρ καλὸν
Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν' ἡνίας ἔχειν.

non etenim decet
Unum imperare fœminis binis virum:

Et *Tacitus* de Veteribus *Germanis*: *Severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris, nam propre ſoli Barbarorum* ſingulis uxoribus *contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.* *Tacit. de Germnor. Morib.* Sed varia ad id *regerunt* Diſſentientes. 1. Etiam alia in V. T. fuiſſe juri naturali adverſantia, quæ tamen tum temporis peccaminoſa non erant. V. G. *Conjugium cum Fratriâ*, Deut. 25. 5. *Nuptiæ* in mundi primordio *cum ipſis ſororibus* initæ, &c. 2. *Aliquo quidem* modo jure naturæ repugnare *polygamiam*, ſed non *omni modo*; quod ſic explicant: Finem matrimonii dicunt eſſe triplicem: *Primum* propagationem prolis, *Secundum* mutuum conjugatorum obſequium, *Tertium* remedium concupiſcentiæ: primumque eſſe finem *principalem*, reliquos duos *minus principales*: adeoque *polygamiam* non repugnare fini primario, id eſt, procreationi liberorum, quia quo quis habet plures uxores, eo & plures poteſt liberos procreare, ſed finibus tantum ſecundariis: atque inde conſequi, *polygamiam* ratione primarii finis non abire a jure naturæ, ſed e contra plane conformem

Digitized by Google

formem ei eſſe. 3. Jus naturale *dupliciter* conſiderari poſſe, vel ut *Deo hominique ſimul*, vel ut *ſoli homini* naturale, *Prius* fatentur, quod ex ipſâ naturâ Dei fluit, planè eſſe indiſpenſabile, neque enim poſſe Deum ſe ipſum abnegare. Sed *poſterius*, quod ex voluntate & beneplacito ejus promanat, licet fundatum in naturâ hominis, tale eſſe exiſtimant, ut Deus, qui naturæ humanæ Autor eſt, potuerit, pro plenitudine poteſtatis ſuæ, hoſce illoſve homines obligationi ejus ſubducere, utcunque nullus hominum ſeipſum ſubducere ei poſſit, cum propriæ naturæ autor & dominus non ſit. Ac proinde concedi impune poſſe, Patrum *polygamiam* fuiſſe quidem contra jus *homini*, non autem *Deo* naturale; adeoque non ſemper eos peccaſſe, cum illam committerent; diſpenſante nempe Deo quoad ipſos de jure illo, cujus ut ut primogenius author, dominus tamen eo uſque ſemper manebat, ut ſolvere ab ejus obligatione creaturam, quam alias ei ſubjecerat, pro arbitrio ſuo potuerit. Niſi enim hunc in modum negotium illud concipiatur, imperceptibile videri ſibi *dicunt*, quomodo lex *Leviratus*, matrimoniumque fratris cum propriâ ſorore in mundi exordio cum legibus Levit. 18. & 20. de vitando *inceſtu* promulgatis, conciliari poſſint.

Hulſ. Nucl. Prophet. part. 1. pag. 150.

Turretin. Inſtitut. Theolog. Elenct. part. 1. pag. 19.

XII. Cum vero excipitur, diſparem *matrimonii cum propria ſorore* in mundi primordio ac *polygamiæ*, poſtea ſecutæ, rationem eſſe, eo quod illud pro *inceſtu* propriè dicto non fuerit habendum, quippe qui juri naturali Divino repugnare tantum dici poteſt, *ſuppoſito hoc rerum ordine*; qui, cum Adami filii ſorores ſuas in conjuges adſciſcerent, conſtitutus nondum erat: *Hac* vero, id eſt, *Polygamiâ* ordinem illum a Deo conſtitutum notorie fuiſſe turbatum & violatum. Tum *regerunt*, fruſtra id obtendi. Nam (dicunt) vel *ordo* ille a Deo conſtitutus promanavit ex ſanctiſſimâ ejus naturâ, vel non: Si *imo*, eandem *putant* manere difficultatem; quod enim ex naturâ Dei fluit, nunquam non inde fluxit, adeoque etiam a Mundi primordio, & per conſequens ipſiſſimos quoque Adami filios neceſſario obligavit. Si *non*, iſque liberrimo ſummi Legiſlatoris arbitratu ordinatus ita ſit, quidni (dicunt) potuit Deus eâdem libertate homines aliquos ab illo *ſuo ordine*, cujus abſolutus ſemper arbiter & dominus manebat, eximere? Et quæ tunc alia hic ratio eſt, quam in ipſo *polygamiæ* negotio? Ut neque ſtringere *putant*, ſi addatur, inceſtuoſum concubitum non eſſe, niſi qui *contra pudorem naturalem* committitur, at concubitum

Burmann. Apol. pro Sentent. de Sabbat. cap. 1. pag. 35.

Digitized by Google

bitum *fratris* cum *ſorore* in primordio mundi *non* fuiſſe contra *pudorem naturalem*; quoniam quæri tum rurſus poſſe *exiſtimant*, undenam ſit, quod idem concubitus poſtmodum factus fuerit *contra pudorem naturalem*, qui antea talis non erat? An quia ex ipſâ Dei naturâ fluebat, ut talis tum non eſſet? Idque ſi dicatur, *rogant*, quomodo tale quid, quod per ipſam Dei naturam *pudori naturali* reluctabatur, ullo tempore dici potuit, ei non reluctari? An autem quia eundem concubitus actum, quem *pudori naturali* repugnare antehac Deus noluerat, poſtea repugnare ei voluit, idque ipſum humanæ menti, ut legem fixam impreſſit, quod antea ei non impreſſerat? At id tum haudquaquam differre iterum *ajunt*, ab eo, quod ipſi aſſeruerunt; jus nempe aliquod eſſe *homini* tantum, *non Deo* naturale; a cujus obligationis vinculo ſolvere nonnunquam creaturam ſuam pro arbitrio Deus poteſt. Atque ita etiam ſingulari diſpenſatione in hoc *Polygamiæ* negotio eum proceſſiſſe. *Diſtinguendum eſt* (inquit Clar. Hulſius) *inter* Polygamiam & inceſtum *ex* neceſſitate, *diſpenſante Deo*, & *utrumque ex* libidine, *prohibente lege naturali*, *adeoque Deo. Quæ* prioris *generis ſunt pœnitentiâ non indigent. Nec ideo maledictus Cain, quod ſororem duxerit, ſed quod fratrem occiderit. Nec dubium, quin fidelibus Patriarchis, ut* Abrahamo, Jacobo *ex Dei revelatione conſtiterit*, Polygamiam *ſuam eſſe ex Divino conſenſu, eâque multiplicationem poſterorum intendi.*

Hulſ. Nucl. Prophet. part. 1. p. 104.

VIII. Si quæratur, unde liqueat, Deum hoc modo cum Patribus πολυγάμοις *diſpenſaſſe*? tum *dicunt*: Patuiſſe id procul dubio ipſis Patribus, atque hoc iis ſuffeciſſe ad non peccandum. Et utcunque nobis diſpenſatio illa in Verbo Dei revelata nuſquam eſſet, non magis tamen ſequi, eam reverà factam non eſſe, quam Patres eoſdem *polygamiæ* ſuæ pœnitentiâ revera ductos non eſſe, quia neque illud in S. Scripturâ ullibi revelatur; quod ad hominem contra *Opponentes* ſuos urgeri poſſe putant. Adhæc nihil etiam de expreſſâ Dei *diſpenſatione* legi quoad *fratrum nuptias* cum propriis ſuis ſororibus initas, neque tamen negari oportere, Deum notoriè circa illas diſpenſaſſe. Eſſe etiam inter *Opponentes*, qui locum *diſpenſationis* pro bis-mortuorum animabus ſtatuerunt, utcunque ne hilum quidem legi de *diſpenſationis* iſtiuſmodi loco in Sacra Scripturâ certum ſit. Ne quid addant de *Abelis* ſacrificio, quod Deum procul dubio præceptorem & inſtitutorem habuit, ut ut neque ejus αὐτολέξει in verbo Dei mentio ulla inſtituatur.

Mareſ. Syllog. Diſp. part. 1. pag. 778.

Cenſent

Cenſent ergo, Deum Patriarchis *diſpenſationem* illam revelatione immediatâ, quæ perquam familiaris in V. T. erat, primum patefeciſſe, eoſque tum porro per manus ad poſteros eam derivaſſe; quinimò Nationem Iſraeliticam *polygamiam* ipſam, ipſis viris piiſſimis ita receptam, nunquam ullius, utcunque fidiſſimi & animoſiſſimi Prophetæ verbo culpatam, neque ullo Dei judicio vel pœna ſingulari in πλυγάμυς vindicatam, pro rationabili ſatis *diſpenſationis* divinæ indicio habere potuiſſe. Sique porro urgeantur ab Opponentibus, juris naturalis eſſe, ut uxor poteſtatem habeat in corpus mariti, idque cum *polygamiâ* conſiſtere non poſſe; *reſpondent:* Juris naturalis quidem eſſe, ſi una uxor totum maritum poſſideat, ut ſola etiam poteſtatem in mariti illius corpus habeat; at eo tamen non tolli, ſi vir quiſquam plures habeat uxores, etiam illas omnes eandem poteſtatem in corpus ipſius habere, licet inadæquate: prout non ſequitur, ſi pater aliquis, unum tantum habens filium, omnem paternum ſuum affectum illi ſoli debeat, ideo, ſi plures poſtmodum filios acceperit, eundem affectum iis omnibus naturaliter non deberi, vel communicari non poſſe. *Oſiand. Tract. cit. pag. 751.*

XIV. *Dicunt* tandem, ſi *Polygamia* peccatum non fuerit in V. Teſtamento, demonſtrari non poſſe peccaminoſam eam eſſe in N. T. At *reponunt* Diſſentientes: Nequaquam id ſequi, eo quod *diverſa plane* Teſtamentorum ratio ſit. Neutiquam quidem recurri volunt ad Legem quandam Euangelicam, quâ jam prohibita eſſet *Polygamia*, in V. T. non prohibita; quia non putant, Euangelium eſſe legiſlatorium, ſed mere tantum promiſſorium. Ut neque Chriſtum Matt. 19. 5. novum dediſſe præceptum cenſent, ſed repetiiſſe tantum antiquum, prout verba exerte Loc. c. habent: *A principio non fuit ſic.* Sed illicitam ſub N. T. *Polygamiam* eſſe pertendunt ex vi primigeniæ inſtitutionis: *Erunt duo illi in carnem unam* Gen. 2. 24. Legemque illam primævam jam *Polygamiæ* obſtare, non vero Patribus in V. T. obſtitiſſe, non quod tum plane non fuerit, ſed quod *diſpenſatione* Dei dictâ temperata fuerit, quâ jam non eſt temperata ſub N. Teſtamento.

XV. *Diſpenſationem* autem illam ceſſare jam ſub N. Teſtamento hinc manifeſtum eſſe *putant*, quod fundamentum ſeu ratio ejus plane jam evanuerit, adeoque ſublatâ cauſâ æquum ſit, ut effectus etiam ceſſet. Quo verba *Petri Martyris* tum reducunt, ſic diſſerentis: *Chriſtus declaravit legem, illamque ad primam Inſtitutionem revocavit; itaque qui eam jam tranſgreditur, facit contra apertum* *Martyr. Locc. Cc. Claſſ. 2. cap. 10.*

verbum Dei. Deinde ſublatâ cauſa neceſſe eſt tolli etiam effectum; cauſa autem erat propagatio, ea nunc nihil opus eſt: Deus enim habet jam cultores per univerſum terrarum orbem: Cumque *de rationibus* illius *diſpenſationis* ſub V. T. rogantur, has fere allegant. 1. Multiplicationem prolis in Eccleſiâ Dei, quæ, cum tunc eſſet intra cancellos populi Iſraelitici arctata, & ubivis homines impii extra iſtum populum, etiam mediante ipſâ *polygamiâ*, in immenſum multiplicarentur, placuit (*inquiunt*) Deo, etiam filiis ſuis eam concedere, ut & ſanctum ejus ſemen numeroſius fieret. Quod & innuiſſe *Auguſtinum* volunt, cum diceret: *Eo tempore multiplicandæ poſteritatis gratia multas uxores habere nulla lex prohibebat.* 2. Statum populi Iſraelitici tum plane infantilem & ſubobſcurum per tot ceremoniarum umbras & involucra; putantque certum eſſe, concedere ſubinde plurima infantibus ſuis *Patres* terrenos, quæ ætatis provectioris liberis largiri non ſolent; atque ita etiam Deum cum populo ſuo Iſraelitico proceſſiſſe, permittentem nempe ei benigniter *polygamiam*, quâ tamen nobis ſub N. Teſtamento ſevere interdixit. Quibus *tertiam* quidam ex *Auguſtino* conſiderationem addunt, a futurâ nempe conjunctione Judæorum & Gentium cum uno marito Jeſu ſub N. T. deſumptam, quam volunt per Patrum plurium, quam *unius* uxoris, ſumptionem fuiſſe adumbratam, & per Gentium vocationem adimpletam. Quod tamen εὕρημα, quia plus ſubtilitatis quam ſoliditatis videtur habere, alii ſuo loco malunt relinquere. Atque adeo concludunt qui Patribus V. T. magis hic favent, quum *duæ* ſaltem rationes *priores* non amplius durent ſub N. T. dictam etiam *Diſpenſationem*, iis quippe inædificatam, ceſſare jam oportere, primigeniumque de monogamiâ ſimultaneâ inſtitutum quibuſvis eſſe obſervandum. Pari modo ac jam ſub N. T. *fratrum* vel proprias ſorores ducere non amplius licet, non ex novo quodam, de eâ non ducendâ, mandato, ſed vi antiquorum interdictorum Levit. 18. & 20. nobis præſcriptorum; quia nempe rationes & fundamenta ducendæ fratriæ, &c. quæ in Veteri Teſtamento obtinebant, jam evanuerunt. Bene Hipponenſis Doctor: *Cum non eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent,* Adamo *nempe &* Evâ, *viri ſorores ſuas conjuges acceperunt; quod profecto quanto eſt antiquius compellente neceſſitate, tanto poſtea factum eſt damnabilius religione prohibente.*

Auguſtin. Lib. 22. cont Fauſt. cap. 47.

Chemnit. Exam. Concil. Trident. p. 2. de Matrimon. Seſſ. 24.

Auguſtin. de Civit. Dei lib. 5. cap. 16.

XVI. Hactenus *eruditorum* conflictus, cui hanc meam qualemcunque ἐπίκρισιν jam ſubjicio: Dico itaque. 1. Tenendum

omnino

Digitized by Google

omnino eſſe, *polygamiam* ſimultaneam ſub N. T. plane & abſolute illicitam eſſe: idque ob conjugii inſtitutionem Gen. 2. 24. a Moſe primitus *promulgatam*, & poſtea Matt. 19. 5. a Servatore Jeſu *repetitam*. Contra omnium eorum errorem, qui non Patrum tantum V. T. ſed & Chriſtianorum *polygamiam* ἀναμάρτητον eſſe pronunciarunt. Primipilus horum fuit *Bernardinus Ochinus* Senenſis, quem ſecutus poſtmodum eſt Cardinalis *Cajetanus*; qui ſic alicubi: *Conſideret pius lector, de* Polygamiâ *nullam diſertis verbis ſcriptam eſſe legem*. Quibus verbis utut haud directe declaret, quod dixi, non obſcure tamen teſtatum facit, in quam ſententiam proclivior fuerit. Nam neque ipſe *Ochinus* polygamiam plane & aperte propugnavit, ſed tecte tantum & ſub perſonâ quaſi alienâ, quam in *Dialogo* quodam, de eâ materiâ evulgato, induxit, idque hac quidem doloſâ & ingenioſâ μεθοδείᾳ, quod, utcunque opponens contra *Polygamiæ* aſſertores videri vellet, validiore tamen argumentorum acie collocutores illos inſtruxerit, qui tuerentur eam, quam quorum partes erant, eam oppugnare & confutare. Quamobrem etiam Senatus *Tigurinus*, ut ut annum ſeptuageſimum ſextum jam pene agentem, intercedentibus etiam aliis quibusdam cauſis, eum urbe ſuâ ejecit. Aperit vero mentem ſuam explanatius *Cajetanus* alio loco, dum dicit: *Jure divino non fuit prohibita* uxorum pluralitas. *Multi in primitivâ Eccleſia habebant* duas *uxores*, *imitantes Patres V. T. Jure naturæ* pluralitas *uxorum non eſt prohibita*. Etiam *Luthero* erroris hujus dicam ſcripſit *Bellarminus* haud *uno* loco. At patrocinium *Luthero* præſtare conatus eſt *Johannes Gerardi*, etiamſi (ne quid diſſimulem) maculam illam tam plene eluere non potuerit, quin concedendum ſit, Virum illum Magnum imprudentiusculè nonnunquam de materiâ hac locutum eſſe. Præprimis hæc ejus verba vix excuſabilia videntur, dum ait: *Apud Ethnicos fortaſſe ſcandalum fore, ſi Chriſtianus plures uxores habeat, tamen inter Judæos non eſſe ſcandalum, & ideo non poſſe oſtendi, id eſſe illicitum.* Qualis enim hæc argumentatio? Apud *Judæos* ſcandaloſa non eſt πολυγαμία, ergo non eſt peccaminoſa; quaſi vero recutitæ Gentis putidus ſtupor, quo ex hujus illiuſve peccati conſideratione juſto modo non afficitur, ipſe potius peccaminoſus non eſſet, quam quod e peccato faceret non peccatum; vel hominum maleferiatorum perverſitas in favorem rei illicitæ divinæque Legis præjudicium rapi fas eſſet. Niſi dicere forſan auſus fuerit

Cajetan. in Geneſ.

Hotting. Hiſt. Eccleſ. part. v. pag. 480.

Cajet. Comment. in N. T. fol. 196.

Bellarm. de Matrimon. cap. 10.

Joh. Gerard. Loc. Theol. tom. 7. pag. 105.

Luther. Propoſit. de Bigam. Epiſc. §. 62.

Digitized by Google

Lutherus (quod minime credo) haud convenienter ſatis in rerum primordio non πολυγαμίαν ſed μονογαμίαν ſimultaneam a ſapientiſſimo rerum Arbitro præſcriptam fuiſſe, ut blaterabat olim ille âpud *Stobæum* ex *Euripide*:

Stob. ex Euripid. Serm. 66.

Nuptiales leges non bene conditæ ſunt,
Oportet enim hominem felicem quam plurimas habere
Uxores, ſi viro victus domi ſuppeteret.
Ut malam expelleret foras,
Bonam vero libenter ſibi ſervaret.
Nunc autem ad unam ſolum reſpiciunt vehementer
Periclitantes.

Non deeſt etiam, qui ipſiſſimum *Calvinum* Polygamiæ patronum fecit. *Ab his ſteterunt*, inquit, *partibus noſtri temporis Novatores, inter quos in Germania* Lutherus, *in Galliâ* Calvinus, *qui quidem* Polygamiam *ad pelvim uſque tuetur, imo plurimis argumentis (ſi argumenta dicenda ſunt, quæ ab orco proveniunt) quam nunquam Mahometes prædicavit.* Pellucidum mendacium, cujus vel ipſum pudeat Diabolum! Calvinuſne *Polygamiæ* aſſertor, infenſiſſimus ejus oſor & impugnator! Unde habet id calumniator? e *Bolſeci* tabulis, credo; minime ſaltem e *Calvini* Scriptis; quæ ſi vel unquam inſpexiſſet, facile injuriam præſtanti Viro illatam animadvertiſſet. Adeat, cui vacat, modo *Indicem* Commentariis ejus in Pentateuchum ſuffixum, & oculis ſuis potius, quam effræni huic ψευδηγόρῳ fidem adhibeat. 2. Quoad V. T. *Polygamiam* vix certi quicquam determinari poſſe; quum diſſentientes utrimque armis quidem certent probabilibus, haud vero apodicticis. Saltem ego lubens fateor, me neque *Affirmantis* neque *Negantis* partis difficultates ſingulas expedire ita poſſe, ut in alterutrius ſententia ſecurus acquieſcam, ſed dicere libet cum Poëtâ,

Ioh. Chokier. Fac. Hiſtor. Cent. 2. cap. 43.

Tibull. Panegyr. ad Meſſ.

Juſta pari hic premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hæc plus parte ſedet, nec ſurgit ab illâ.

3. Controverſiam ſuper hac re non niſi Theologicam & mere problematicam eſſe, de quâ ſalvâ fidei analogiâ, pietate & charitate, tum *pro* tum *contra* diſputari poteſt. Nullibi enim in Concordiæ vel Confeſſionum formulis quicquam ſtatutum vel decretum de eâ eſſe certo eſt certius. Unde neque aſſentiri poſſum Theologo cuidam, cæteroquin magno, veritatiſque & Orthodoxiæ vindici oculatiſſimo, quod ſententiam quæ Patres V. T. πολυγάμους a pec-

Auguſtin. de Civ. D. cap. 38. Hieron. in Ep. ad Gerunt. Martyr. Loc. Cit. cap. 10.

a peccato abſolvit, inter ſeculi hujus (ſatis alias novaturientis) periculoſiſſima paradoxa recenſere placuerit. Neque enim verum eſt, opinionem illam tam *novam* inſolentemque eſſe, ac vulgus quidem judicat, & Theologus ille cum vulgo. Amplexi enim jam dudum illam ſunt e Patribus antiquis plurimi, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Clemens*, *Juſtinus Martyr* &c. ut & varii ex modernis Doctoribus: *Petrus Martyr* (licet dubitem, an is ſibi probè ſatis conſtet) *Brentius*, *Rivetus*, *Heerbrandus*, *Tarnovius*, *Hackſpan*, *Seldenus*, *Carpzovius*, *Grotius* &c. ne verbum addam de celebribus inter Pontificios Theologis, *Lombardo*, *Bellarmino*, *Eſtio*, aliiſque innumeris. 4. Neque bene tamen illos rem concipere, qui, eo quod dubii hæreant, utriuſnam partis argumenta vel pro vel contra *Polygamiam* V. T. magis vel minus ſtringant, impune determinari poſſe exiſtimant, eam peccatum non fuiſſe; nixi ſcil. uſurpatiſſimo apud Theologos axiomate: *In dubiis in partem favorabiliorem concedendum eſſe.* Nam licet certiſſima regula illa ſit, ſi de *perſonis*, de quarum ſtatu coram Deo pio vel impio dubitamus, quæſtio eſt, minimè tamen tenet, ſi bonitas vel malitia *rerum* veniat conſideranda. Quod enim de *perſona* hac vel illâ dubitantes benignius judicare de eâ teneamur, fit ex *charitatis judicio.* At judicium, quod *Charitatis* eſt, circa *rerum* moralitatem locum non habet, ſed judicium tantum *veritatis*: quoniam exactiſſima & certiſſima omnium moralium regula in Verbo Dei revelata nobis eſt, licet forſan mens noſtra eam tam clarè non videat, vel minus quandoque attenta ad eam ſit; De *perſonis* autem adeo exacta in Scripturis judicandi regula non datur, ut certitudine abſolutâ ſtatuere aliquid de iis poſſimus: quia ſi quis judicare de iis infallibiler vellet, non tantum exteriora earum cognoſcere deberet, ſed & interiora; at hæc mentem humanam omimode fugere, ſic ut *intuitive* penetrare ad ea non poſſit, nemini non manifeſtum eſt. Præterea ſiquidem externi *perſonæ* alicujus mores, ita ſe habeant, prout quoad externa viri verè pii vita in S. Scripturâ deſcribitur, quid peccare poſſum, ſi verè piam eam eſſe pronunciem, licet interiores animi ejus receſſus non ita pervideam? quum id omne, quod pium virum externè refert, verè oſtendat, neque ulla ratio, pietatem ejus ſynceram non eſſe, apodictice evincens, produci poſſit. Deberet enim illa, ſi produceretur, a cordis illius perſonæ diſpoſitione contrariâ id eſt, hypocryticâ deſumi; at hanc mentibus hu-

Heerbrand. Loc. de Conjug.
Tarnov. lib. 2. cap. 21.
Brent. de Cauſ. Matrimon. qu. 4.
Hakſp. Not. Philolog. p. 1. pag. 582. 671.
Rivet. in Gen. 4.
Grot. paſſim in Comment. Selden. de Jur. Nat. & Gent. lib. 5. cap. 6.
Carpzov. lib. 2. cap. 1. defin. 3.

humanis opertam plane eſſe, mox aſſeruimus. Ergo, ſi E. G. de *Titio* vel *Sempronio* judicandum ſit, ſitne vir probus & integer, an non; prodantque ſe argumenta, quantum nobis ſaltem videtur, in utramque partem æque ſpecioſa, omnino officii noſtri eſt, in meliorem partem de eo determinare; tum quod eo in caſu *charitas* argumentis favorabilibus pondus qualecunque addat, efficiatque, ut ea minus favorabilibus præponderent; *tum* quod pro ſententiâ adverſâ e verbo Dei nullum argumentum abſolute certum proferri poſſit; quia id ipſum (verbum nempe Dei) infallibilem, ut jam dictum eſt, de *perſonâ* hac vel illâ in *hypotheſi* judicandi regulam, nullibi exhibet. Hinc non male Thomas: *ubi non apparent manifeſta indicia de malitiâ alicujus, debemus eum ut bonum* Thom. 2. 2. qu. 6. rat. 4. *habere, in meliorem partem determinando quod dubium eſt.* Sed vero ſi de *actione aliqua morali*, ſitne peccatum nec ne. V. G. de *ſcortatione*, judicandum ſit, rationeſque nobis iterum tum *pro* tum *contra* videantur æque ponderoſæ, ideo tamen in melius non eſt determinandum, quia argumenta apodictica in contrarium e Scripturis deſumpta, in promptu ſunt, utut a nobis forſan non bene ſatis percepta; genuinaque chriſtiani hominis *charitas* argumentis hoc in caſu favorabilioribus momentum nullum adferre poteſt, quum notorie Verbo Dei tunc adverſaretur, adeoque genuina Leſſ. de Juſt. & Jur. lib. 2. cap. 29. dub. 4. *charitas* amplius non eſſet. *Dubia itaque de* rebus (inquit Leſſius) *in meliorem partem non ſunt determinanda, ſed ſuis quaque momentis æſtimanda.* Multo proin melius θεολογȣ̃σι, qui in hoc ſimilive caſu tam diu ſuſpendendum judicium noſtrum putant, donec argumentis cogentibus pro parte alterutrâ ſufficienter ſimus inſtructi & Auguſtin. de doctrin. Chriſt. in Princ. §. 3. convicti; *quicquid* enim *ex fide non eſt peccatum eſt.* Rom. 14. 23. Et *ille* (verba ſunt Auguſtini) *pie & juſte vivit, qui rerum integer æſtimator eſt, in neutram partem* (quam diu nempe juſtæ rationes non ſuppetunt) *declinando*; 5. Tutiſſimè denique ab iis, qui non aliter quam *Patres* πνευματικȣς a peccato abſolvere poſſunt, procedi, ſi ſententiam eam abſolutoriam premant potius, quam temere, imprimis coram vulgo imperitiore, promulgent & effutiant. Licet enim inter Litteratos peregrina adeo opinio hæc non ſit, ut jam diximus, parum tamen hactenus innotuit plebi. Et utcunque foret veriſſima, nequaquam tamen publica ejus denunciatio tantum ædificationis adferet; quantum periculi ſecum trahet, ne homines, vel ignorantes vel concupiſcentiis & libidini ſuæ dediti, eam *ad polygamiam*, etiam hiſce temporibus intro-

trodu-

Digitized by Google

troducendam, abutantur & intorqueant. Malim itaque attendi ad Apoſtoli *Pauli* monitum, *πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. Omnia mihi licent quidem ſed non omnia ædificant.* Prout axiomatis hujus præcipuam quidem rationem haberi fas eſt, ſi in eâdem Eccleſiâ miniſtri ſint, qui, quoad hoc aliave quædam problemata, in diverſa eunt. Metuendum enim alias eſt, ne, unoquoque eorum jure ſuo ſtricto uti volente, concordia inter Fratres pereat, Eccleſia turbetur, factiones excitentur, idque unice quidem ob rem mere Theologicam, cujus non *veritas* tantum conſideranda eſt, ſed & *momentum*. Neque enim ob res omnes eodem ſemper gradu zelandum eſt, ſed ob eas maxime, quæ majoris ponderis neceſſitatiſque ſunt, inter quas, fatentibus credo omnibus, diſceptatio hæc non eſt recenſenda. Attexere hic lubet aureum Cl. *Spanhemii* Junioris conſilium, quod hiſce complexus eſt verbis: *Nec enim* (inquit) *Theologi tantum eſſe cenſeo, non ſtruere altare contra altare, nec ingenio ſuo cum pacis Eccleſiaſticæ perturbatione velificari, ſive in novis litibus ſerendis, ſive in iis premendis, definiendiſque, quæ non in commune ſuffragium miſſa, vel nondum conſentientibus calculis deciſa, vel ſaltem nec neceſſaria ſunt, nec opportuna: ſed etiam id Theologo accurandum eſſe cenſeo, ut, ſi quid in hoc genere peccatum ſit in pacem Eccleſiaſticam, id manſuetudine Chriſtiana curetur,* &c.

1 Cor. 10. 23.

Spanhem. Orat. de offic. Theolog.

EXERCITATIO VIII.

DE

JUDA ISCARIOTE.

BREVIARIUM.

Plures in N. T. Judæ ***nomine inſigniti.*** Judas Proditor ***cur*** Iſcariotes ***dictus?*** Cajanorum ***ſive*** Cainæorum ***inſania detecta.*** Caſp. Barlæus ***&*** Sedulius Presbyter ***laudati.*** Judam ***licet non ſalutariter*** vere ***tamen pœnituiſſe. Voces μετάνοια & μεταμέλεια indiſcriminatim uſurpatæ. Judæ*** pœnitentia ***in quibus conſtiterit? Peccatum qua tale*** dolere ***&*** odiſſe ***quo ſenſu***

ſenſu ipſi etiam reprobi poſſint? Iudas pœnitentiâ *ſuâ multos* προσκαίρους *ſuperavit. Idem, credere ſi potuiſſet, ſalvari etiam potuiſſet. An* Cœnæ *interfuerit, diſquiritur.* Pontificiorum *de hoc opinio. Quæſtionis momentum.* Iſcariotæ *hæretici qui?* Dominicus Soto *pulſatus. Sententia* negativa *recepta & adſtructa.* Seldeni *exceptio diſcuſſa. Locus Luc.* 22.24. *vindicatus. Novum* Lichtfooti *pro ſententiâ* affirmante *argumentum examinatum & confutatum.* Confeſſio Belgica *an* Judæ *in Cœnâ* præſentiæ *faveat?* Tria *in* Concordiæ formulis *curatè diſtinguenda. Iudas an* ſuſpendio *perierit, an alio mortis genere?* Prior *opinio vulgatior,* poſterior *verior. Voces* ἀπάγχεσθαι *&* ſtrangulari *quid? Hebræorum* חנק *quid notet?* Achitophel *an ſe ipſum ſuſpenderit, dubitatur.* Suſpenſionis *apud* Hebræos *modus.* Mors *Iudæ non Matt.* 27. 5. *ſed Act.* 1. 18. *narrata.* Præcipitatione *periit Iudas, non laqueo.* Lapidatio *Iudæorum duplex.* Præcipitationis *pœna quibus præcipuè populis uſurpata?* Dejectio e Rupe Tarpejâ *apud Romanos. Item ea, quæ hominum Saturno devotorum olim fuit qualis, & quo tempore abrogata?* Liber, *Thebanorum Tyrannus, cur* a Lycurgo *in mare* præcipitatus? Ἀυτοφονίας *uſitatiſſimum genus* Præcipitatio. *Circumcellionum furor.* Ephiphanii *error detectus.* Vox πρηνὴς *quid?* Eraſmus *&* Burmannus *notati.* Verba Scriptutæ omne id ſignificare, quod ſignificare poſſunt, *quomodo intelligendum?* Grotius, Pricæus, Suicerus *in conſenſum adducti.* Arii *mors qualis?* Lichtfooti *de morte Iudæ* εὕρημα *excuſſum. Diabolus an* Judam *obſederit, & quo ſenſu?* Grotius *notatus. De* tempore mortis *Iudæ* Voſſii, Grotii *aliorumque Eruditorum placita.* Barradius, Auguſtinus, Ignatius *ad partes vocati.* Sepulchrum *Iudæ ignotum.*

I. TRes in N. T. occurrunt perſonæ, quibus nomen *Judæ* impoſitum fuit: *Primus* eſt *Judas*, dictus *Lebbæus* ſive *Thaddæus.* Marc. 10. 3. fuit is *Jacobi* frater. Marc. 6. 3. Luc. 6. 16. authorque

thorque Epiſtolæ Canonicæ, quæ nomen ejus gerit. *Alter* eſt *Judas Galilæus*. Luc. 5. 37. princeps ſeditionis, de quâ legitur Act. 5. 37. *Joſepho* dictus *Gaulonites*, eo quod *Gaulone* eſſet oriundus; ut Galilæus, *vel* quia, utcunque *Gaulon* ad *Galilæam* proprie dictam non pertineret, cenſeri tamen de *Galilæâ* poterat, ſi vox *Galilæa* latiuſcule ſumatur; *vel* quia pro *Galilæo* vulgo habebatur, eo quod ſeditiones ſuas *in Galilæa* potiſſimum excitaſſet, indeque incepiſſet. *Tertius* eſt *Judas* hic *Iſcariotes*; Græcé Ἰσκαριώτης, Hebraic. איש קריות *Vir Kerioth*, ab urbe ita nuncupatâ, cujus mentio fit Jud. 15. 25. unde & oriundus procul dubio fuit. Plurima de cognomine hoc habent *l'Empereurius*, *Joſephus*, *Klebitius*, *Lud. Capellus*, *Althoferus*, *Lichtfootus*. &c. quæ ibi videnda.

Joſeph. Antiq. lib. 18. cap. 1. l'Empereur ad Bertram. de Rep. Hebr.cor. cap. 19. Lud. Capell. in Act. 5. 36. Klebit. de Bucell. intinct. Althofer. Harmon. Euangel. p. 635. Lichtf. in Matt. 10. 4.

II. De homine hoc miſerrimo tria tantum diſquiram. 1. An vere pœnitentiam egerit? 2. An Cœnæ interfuerit? 3. Quò mortis genere interierit? Fuerunt olim hæretici, qui non negarunt tantum *Judam* pœnituiſſe, ſed id ne opus quidem fuiſſe pertenderunt, ut qui proditione ſuâ nequaquam peccaſſet; imovero mirandis *Judam* laudibus extulerunt, eo quod Chriſtum tradiderit, quia traditio illa humani generis ſalutem mirum in modum promovit. Quin & *Euangelium Judæ* finxerunt, nomen ejus referens, quo religioſiſſime utebantur. Quodque omnem excedit impudentiam, fuere qui inter ipſos cælites proditorem hunc retulerunt. *Cedrenus* de Imperatore Balbo; *Conſtantinopolitanus Imperator* (inquit) Michael Balbus, *Copronymi*, *impii hominis*, *imitator ſtudioſiſſimus*, *inter eos*, *qui æternâ ſalute jam fruuntur*, *eundem* Judam *collocavit*: Dicti hi Tertulliano, Irenæo, Auguſtino, Hieromymo fuerunt *Cajani* ſive *Cainæi*, quia *Cain* etiam fratricidium, ut factum bonum, ſummopere celebrabant; de quo ſupra. At quid opus eſt, ſtupidiſſimam hominum illorum inſaniam multis refellere, quum ipſiſſimus *Judas* confeſſione ſuâ abunde eam profliget? diſerte enim dixit: *Peccavi*, *prodendo ſanguinem innoxium*, Matt. 27. 4. Παθητικῶς conglomerata ejus ſcelera diduxit ſummus Belgarum Vates (ſemper *Hugenium* noſtrum excipio) *C. Barlæus* hoc carmine: *Judas* loquitur,

Tertull. de Præſcript. adv. Hæretic. cap. 47. Voſſ. Harm Euangel. lib. 2. cap. 3. Epiphan. Hæreſ. 38. Martin. Kemp. de Oſcul. pag. 1014. 1015.

Non unâ ſum lege nocens, Dominumque Deumque
Prodidit, e facto perfida lingua ſuo eſt.
Quique mihi vultus fuit, & qui geſtus amantis,
Cuncta notæ famuli decipientis erant.

Barlæi Orat. de Jud. Suſpend. ſibi parant.

Digitized by Google

Ipſe dedi ſummis multum peramica labellis
Oſcula; ſed tacitis inſidioſa dolis.
Auximus ingenio facinus docteque fefelli,
Ne crimen levius ſimplicitate foret.
Vendidimuſque Deum pretio, ſervique Redemptor,
Ipſe ſui faſtus merx ſcelerata fuit.
Traditur infami mercabilis ære Creator,
Et cedunt lucro nomina tanta meo.
Polluit una meos obſcœna pecunia mores,
Et ſacer ingenii ſuavit iniqua furor.
Triſtis avaritiæ rabies, dum colligit aurum,
Hunc quoque cum poſſet vendere, vendit Herum.

Et paulò poſt.

Sit funeſta dies, quâ me dignatus amicum eſt;
Et voluit ſociis annumerare ſuis.
Ah graviter cecidi, quid enim mirabile ſi quis
Tactus avaritiâ vulnus amoris habet?

Philaſtr. de Hæreſib. Sedul. Carm lib. 5.

Adde *Sedulii* Presbyteri *in Judam* invectivam, qui paucioribus licet verbis, non tamen pauciora ei crimina improperat. Sic ait:

Tune cruente, ferox, audax, inſane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor immitis, fere proditor, impie latro
Prævius horribiles comitaris ſignifer enſes?
Sacrilegamque aciem, gladiis ſudibuſque minacem
Commoveas, ori ora premis, melliqve venenum
Inſeris & blandâ Dominum ſub imagine prodis?

Et hiccine tamen *Judas* ille fuit, qui prodendo Dominum ſuum, nil deliquiſſe, e contra multorum encomia laudeſque promeruiſſe dici poteſt?

Iuvenal. Satyr. 2.

Haud pueri id credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

III. De *pœnitentâ* ejus ſic habet Matthæus. cap. 27. 3. Τότε ἰδὼν Ἰούδας, ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, ὅτι κατεκρίθη, μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε &c. *Tunc videns* Judas, *qui eum prodiderat, quod damnatus eſſet*, pœnitentiâ *ductus*, *retulit.* Pœnituit ipſum & quidem verè At nota, dum *verè* dico, non id oppono τῷ *non-ſalutari*, ſed *ficto*, *hiſtrionico*, *fucato*; ſic ut pœnitentiam, quam habuit, non ſimulârit vel mentitus tàntum ſit, ſed *vere* ea in ipſo fuerit; unumquodque enim dum eſt, verè eſt, quod eſt, quia *ens* & *verum* con-

Digitized by Google

convertuntur. De *pœnitentiâ Judæ* (inquit Johannes Gerardi;) *non admodum ſolliciti ſumus, interim tamen certum* eſt, *contritionem ipſius fuiſſe* veram & ſeriam, *quam* μεταμελείας *nomine Scriptura exprimit.* Voſſius dicit eum *ſeriò* doluiſſe.

Ioh. Gerard. Locc. Theolog. tom. 3. p. 214.

IV. Neque tamen *ſalutariter*, ſanctè & ſpiritus regenerantis dono ipſum pœnituit, quod experientia docuit; ad meliorem enim mentem nunquam rediit, dum viveret, neque vita functus, Cælum ingreſſus eſt, quæ gratuita alias quorumvis pœnitentium apud Deum retributio eſt. Sunt, qui pœnitentiam ejus ſanctam ac ſalutarem fuiſſe hinc quoque negant, quod in Textu mox citato non μετάνοια ſed μεταμέλεια ipſi adſcribatur: Μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε &c. Exiſtimantes τὸ μετανοεῖν ſignificare proprie *poſt factum ſapere*, & de errore admiſſo ita dolere, ut emendes eum; adeoque σωφρονισμὸν ſemper involvere, nunquamque poni niſi in bonum. Μεταμέλεσθαι vero ſignificare tantum *poſt rem aliquam factam ſollicitum eſſe* & anxium, atque adeo pœnitentiam ſubinde indicare non-ſalutarem, externam, imò exitialem, qualis hæc fuit Judæ. Sic de vocibus hiſce opinati hactenus ſunt *Beza*, *Heinſius*, *Iunius*, *Scultetus*, *Downamus*, *Perkinſius*, multique alii. Verum (quod pace tantorum virorum dixerim) non bene. Cum tum apud ſacros tum apud profanos Authores vocabulorum μετανοίας & μεταμελείας uſus indifferens plane & promiſcuus ſit. De *Sacris* videre eſt Heb. 12. 17. Matt. 12. 41. ubi vox μετανοίας pœnitentiæ *non-ſalutari*, nec non Matt. 21. 29. 32. ubi e contra μεταμελείας vox divinæ & *ſalutari* pœnitentiæ inſcribitur. De *Profanis* videre eſt apud Heſychium, Suidam, Sophoclem, Euripidem, multoſque alios Clar. *Gathakero* citatos. Chryſoſtomus tum Eſavi tum *Iudæ* pœnitentiam deſcribens, voce μετανοήσεως etiam utitur: prout & LXX. vocem Hebræam נחם promiſcue reddunt per μεταμέλομαι & μετανοέω. Vid. Jer. 8. 6. Ezech. 14. 11. Accedit, quod ſi vocabulorum illorum vim *Grammaticè* velimus conſiderare, manifeſtum ſit, vocem μεταμελείας non minus ad pœnitentiam verè ſanctam γνησίως indicandam, emphaticam eſſe, ac vox eſt μετανοίας. Nam licet ex neutrius ſolo vel ſimplici uſu pœnitentiæ probitas evinci poſſit, dubitandum tamen vix videtur, quin quandoque eſſe quidem poſſit μετάνοια ſine μεταμελεία,

Voſſ. Harm. Evangelic. lib. 1. cap. 3.

Gathak. Adverſ. cap. 29.
Ravanell. Bibliothec. Sacr. part. 2. pag. 315.
Beza in Mat. 3.
Scult. Exerc. Evang. lib. 1. cap. 19.
Heinſ. in N. T. ad Luc. 14.

Gathak. Loc. Citat.

Spanhem. Dub. part. 3. pag. 16.
Grot. in Matt. 27. 3.

Digitized by Google

ſed nunquam *μεταμέλεια* ſine *μετανοίᾳ*; prout quidem actus mentis ſive intellectus eſſe poteſt, quo pertinet *μετανοεῖν*, ſine affectuum motione & anxietate, quò *τὸ μεταμέλεσθαι* referendum eſt, at non affectuum commotio citra præviam mentis ſive intellectus operationem: nihil enim eſſe poteſt in affectu, quod non prius fuit in intellectu, at non contra. Quamobrem & ſupervacaneum eſt, quod aliqui inter vocum harum ſignificationem *Etymologicam* & *Biblicam* tam anxié diſtinxerint; parum enim ad rem facit, quænam earum conſtitutio & derivatio grammatica ſit, modo in hoc conveniant, ut revera conveniunt, quod indiſcriminatim tum alibi tum in ipſis Bibliis uſurpari ſoleant: ad notationem enim *Theologicam* hic ſolum reſpicitur.

Leich Crit. Sacr. part. 2. pag. 208.

V. Neque tamen *externè* tantum confeſſus & deteſtatus eſt *Judas* peccatum ſuum, ſed & *interne* id ipſi diſplicuit, potuitque merito pronunciare,

Barrad. de Morte Judæ.

Pœnitet & facto torqueor *ipſe meo.*

Adeo ut *pœnitentia* ejus in hiſce præcipue conſtiterit: 1. In cognitione peccati ſui, quod commiſerat; non in cognitione rei tantum, quæ peccati ejus materiale objectum erat, ſed & ipſius *ἀνομίας* ſive peccaminoſitatis, rei illi inhærentis. Sic enim diſertis verbis, vſ. 4: *ἥμαρτον παραδοὺς αἷμα ἀθῷον*; non tantum *tradidi*, ſed injuſtè, perfidè tradidi, ſive *tradendo eum peccavi.* 2. In damnabilitatis peccati ſui perceptione & apprehenſione. 3. In conſcientiæ ipſius horrore & terrore ex cruciatuum infernalium prævíſione & perſuaſione oriundis. 4. In dolore ſuper commiſſo a ſe flagitio, cum deſiderio minimè fucato, quo voluit id non commiſſum. Prout ſimile quid *in Alexandro Magno* fuit, cum, intemperante irâ abreptus, familiarem ſuum *Clitum* occidiſſet. De quo ſic Curtius: *Vivendum eſſe in ſolitudine*, Rex dixit, *velut feræ beſtiæ, terrenti alias, alias timenti. Primâ deinde luce, tabernaculo corpus, ſicut adhuc cruentum erat, juſſit inferri, quo poſito ante ipſum, lachrymis obortis; Hanc, inquit, nutrici meæ gratiam retuli* (hujus enim filius erat Clitus) *cujus duo filii apud Miletum pro meâ gloriâ occubuere: hic frater unicum orbitatis ſolatium, a me inter epulas occiſus eſt. Quo nunc ſe conferat miſera? omnibus ejus unus ſuperſum, quem ſolum æquis oculis videre non poterit. Et ego ſervatorum meorum latro revertar in patriam, ut ne dexteram quidem nutrici, ſine memoria calamitatis ejus offerre poſſim. Et cum finis* lachrymis querelisque *non fieret, juſſu amicorum corpus ablatum eſt. Rex* triduum *jacuit incluſus.* &c. Nec minus

Curt. lib. 8. cap. 2.

minus ſignificanter Plutarchus : *Ad ſanam* (inquit) *mentem* Rex *reverſus, cum amicos tacitos aſtare videret, haſtam ex corpore interfecti* Cliti *rapuit, cumque eam jugulo intentaret, a ſtipatoribus prohibitus eſt, qui manus ejus continuerunt, ipſumque vi in cubiculum pertraxerunt. Totam eam noctem* lachrymando *miſere exegit, poſtridie* clamando & lugendo *feſſus*, gravia *ducens* ſuſpiria *mutus jacuit: itaque amici ejus ſilentio ſoliciti, vi in cubiculum intraverunt.* At unde cuncta hæc in homine gentili, quam ex ſummâ patratæ cædis deteſtatione, minime ex ullo damni, factum ſubſecuturi, metu? Quis enim mortalium erat, cujus pœnam tantus Rex extimeſceret? Non cogitârat forte *Iudas*, Jeſum, a ſe venditum, occidendum eſſe, vel *Pilato* tradendum ut crucifigeretur; vel utut intendiſſent id Judæi, Iudaſque id probe noviſſet, ſperabat tamen, Jeſum id paſſurum non eſſe, ſed hoſtium manus facillimo negotio evaſurum. Quod cum jam fieri non videret, ſed Dominum ad ſupplicium rapi, deteſtatur enorme ſuum ſcelus, optatque ex animo, ſe vindicatrices manus in eum nunquam conjeciſſe. Sic ut ſollicitus non tantum fuerit *Iudas* de pœna, quam expectabat, ſed & ipſum ſuum factum abominatus ſit; quinimo ideo anxius fuerit de peccato ipſo, quod conſideraret id ut medium ad infandos illos cruciatus, quos tantopere exhorreſcebat; ſicut cui diſplicet mors ei & venenum diſplicere neceſſe eſt, quod nempe ut medium viam ad mortem ſternit. Neque puto, ipſos damnatos in inferno ſolorum, quæ ferunt, tormentorum pœnitere, ſed & ipſorum peccatorum ſuorum, per quæ in tormenta illa projectos ſe deprehendunt: acceſſoria enim ſequuntur ſuum principale.

Plutarch. in Vit. Alexand. M. pag. m. 486

VI. Si *roges*: An ergo & reprobi, qualis fuit *Iudas*, peccatum ut peccatum dolere, idque ut *ſic* odiſſe & averſari poſſint? *Reſpondeo* omnino; quatenus nimirum cognitum peccatum illud habent, & ut vere malum apprehendunt. Ea enim naturæ rationalis communis conditio eſt, ut, ſiquid per *intellectum* apprehendat, ut vere malum, id ipſum etiam, qua tale, per *voluntatem* ſuam non aliter quam odiſſe & averſari poſſit. Nam malum, qua tale, nemini eſt appetibile, ergo e contra qua tale omnibus (liceat ſic loqui) eſt averſabile & odibile. *Peccatum* qua peccatum *vix ab impio aliquo* (inquit Baxterus) *qua* malum *autem a nullo volitum eſt.* Proinde quod non doleant paſſim impii de peccatis, qua peccatis, id in ſe non eſt, quod ea ipſa, quà *mala*, ſiquidem ſibi ita obverſarentur, non improbarent, vel odio non haberent; ſed

Voet. Aſcet. cap. 5. pag. 220. Baxter. Method. Theolog. p. m. 65. & de Sanct. Quiete. p. 3. pag. 198.

1. Quod genuinam eorum malitiam perſpectam non habeant, *tum* per naturalem animi corruptionem, *tum* juſto Dei judicio ſæpe excœcati. 2. Quod peccata ſub ſpecie & ratione alicujus *boni* vel *jucundi* vel *utilis* fere apprehendant. Pariter ac impiis vulgò tribuitur, quod *odio habeant Deum*, non quod ipſum, ut *talem*, id eſt, ut ens perfectiſſimè *bonum* averſentur, impoſſibile enim id eſt; ſed quod bonitatem ejus haud probe norint, vel ſub ſpecie alicujus mali, E. G. ſeveri *judicis*, *vindicis peccatorum* &c. eum apprehendant. Atque hoc reſpectu bene hactenus Theologi ſolis regenitis peccati, *qua peccati*, odium attribuerunt, quia ſoli hi, pro menſurâ gratiæ, quâ donati ſunt, talem deformitatis peccatorum notitiam habent, ut nihil ſit, quod ea commendabilia reddere ipſis poſſit; quia etiam nihil tam impenſe oderunt, quam peccata, quæ & toto corde averſarentur, licet nulla ſibi pœna ea propter ſubeunda inhæreret, unice quia Deus iis offenditur, animaque, ad Dei imaginem condita, turpitudine eorum ſordeſcit & inficitur. Eo uſque proinde proceſſit *Iudæ* hic dolor, ut ejus ratione multos προσχαίρυς & civiliter honeſtos longo poſt ſe intervallo reliquerit. Nam. 1. *Maturus* fuit; neque enim multis menſibus in turpiſſimæ proditionis inquinamento dormivit Proditor, ſed vix elapſo triduo excitatus eſt, *oculos*, *quos culpa clauſerat*, *pœna aperiente*, ut loquitur *Gregorius*. 2. *Intenſiſſimus* fuit; quam enim ipſi cor æſtuavit intus, quantas fudit querelas! quo ſe vertat neſcit, quietem nuſquam non quærit, nullibi invenit. 3. *Sociatus* variis rebus maxime laudabilibus fuit, objective ſcilicet: Confitetur (a) ſua peccata. (b) coram hominibus, quibus offendiculo fuerat, ea confitetur, non tantum coram Deo. (c) particulatim ea confitetur, non generatim tantum. (d) cum inſigni exaggeratione ea confitetur, neque palliat, neque extenuat culpam. Reparat denique ſuo modo quod peccarat. 1. Prius accuſati excuſatione; vocat Chriſtum αἷμα ἀθῷον. 2. Injuſte accepti reſtitutione; *retulit argenteos* Sacerdotum principibus. *Si enim* (ut ſcite Auguſtinus) *res aliena*, *propter quam peccatum eſt*, *cum reddi poſſit*, *non redditur*, *non agitur pœnitentia*, *ſed fingitur*. Eant igitur jam quotquot aliena dum rapiunt, propria inquinant non tantum, ſed & perdunt. Si Judas *reſignavit pecuniam male acquiſitam*, *quâ fronte retinet uſurarius ſuam uſuram*? quærit *Hugo*. Neque (ut iterum Auguſtinus) *injuſtum lucrum quis habet ſine juſto damno*. Sola itaque

Auguſt. Ep. 54. ad Macedon.

Hugo in Matt. 27. 2. 3.

Auguſt. de Conven. 10. Præceptor.

itaque pœnitentiæ *Judæ* deerat *fides* & refugium ad jam paſſuri Soſpitatoris pretioſiſſima vulnera, in quæ ſi recumbere potuiſſet, ſalvari utique potuiſſet; cum jam perierit miſer, non tam quod prodiderit Dominum, quam quod proditor factus ad Proditi miſericordiam non refugerit. Deſeruerat is Deum, hinc a Deo etiam derelictus expertus tandem eſt, quod habet proverbium, *pœnitentiam ſeram raro eſſe* veram. Nam, ut bene Sedulius,

Sedul. Carm. lib. 5.

quæ confeſſio retro
Lucet in Inferno, cum jam demiſſa ſecuris
Arboris infandæ radicibus, exitialem
Quæ peperit fructum, feralia germina vertat
Funditus, & dignis pereant mala robora flammis.

VII. Utcunque autem Proditor *Judas* ante *hanc* ſuam *pœnitentiam* nil niſi vindictam in D. Jeſum ſpiraret, imo jam pactum modo cum Sacerdotibus & Phariſæis, de tradendo eo, iniiſſet, non erubuit tamen, ad *Cœnam* ejus *Paſchalem* impudentiſſime provolare, ut apud omnes in confeſſo eſt; uno forſan *Gilleſpio* Theologo Scoto, qui contra *Guilielmum Prynne* contrarium aſſerere conatus eſt, excepto. Sed an, ut Paſchati, ita *Cœnæ* etiam *Dominicæ* accubuerit, de hoc acris inter Eruditos diſceptatio eſt; illis pro *affirmativâ* his pro *negativâ* ſententiâ decertantibus. *Affirmativam* tenuere *Auguſtinus*, *Origenes*, *Cyrillus Hieroſolomitanus*, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Cyprianus*, *Beda*, *Bernardus*. Negativam e contra *Hilarius*, *Clemens Romanus*; *Rupertus* aliique, præſertim inter Recentiores. Cum *prioribus* paſſim etiam faciunt *tum* Lutherani, tum tota fere Eccleſia Romana, ſicut in *Hymnis* quibuſdam publicis, Ritualibus ejus inſertis, aperte profitetur.

Gilleſp. de Regiom. Ecc. lib. 3. cap. 8.

Selden. de Synod. cap. 8.

Ritual. Roman. pag. 272.

***In ſupremâ nocte* Cœnæ,**
Recumbens cum fratribus,
Obſervata Lege plene
Cibis in Legalibus.
Cibum Turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Et alibi:

Poſt Agnum typicum datum Diſcipulis
Corpus Dominicum expletis Epulis
***Sic totum* omnibus, *quod totum* ſingulis**
Ejus fatemur manibus.

VIII. Quæ-

VIII. Quæſtio hæc, utut de fide non ſit, ſed problematica plane, tamen de nihilo non eſt, maxime ob *Gratiæ Univerſalis* Propugnatores; qui ſententiam, quæ *Judam* Cœnæ interfuiſſe affirmat, hypotheſibus ſuis non modicum inſervire arbitrati ſunt. Inferunt enim Chriſtum pro omnibus & ſingulis, etiam damnatis, mortuum eſſe, eo quod pro *Judâ* mortuus ſit, qui fur, proditor, reprobus, imo incarnatus Diabolus fuit. Pro *Juda* vero mortuum eum eſſe, hinc eliciunt, quod panem Euchariſticum ei non minus, quam reliquis Apoſtolis, exhibuerit, ſingulisque iis, quibus eum exhibuit, conteſtatus ſit, *corpus ſuum* ſanctiſſimum *fractum pro iis eſſe*, *ſanguinemque ſuum pro ipſis fuſum*: Si ergo (inquiunt) etiam *Judæ* id dixit, ſequitur inde ultro, Chriſtum pro eo mortuum etiam fuiſſe; niſi dicere quis auſit, Dominum Jeſum vel falſo vel ſimulatè *Judam* iiſdem, quibus reliquos Apoſtolos, verbis affatum fuiſſe, quod abſurdiſſimum eſſet. Quomodo hæc cohæreant, & ex ſe invicem conſequantur, vel non conſequantur, hujus loci non eſt examinare; referre tantum placuit, quâ ratione & probabilitatis ſpecie *affirmantem* ſuper hac quæſtione opinionem in erroris ſui ſubſidium arripere Adverſarii quidam ſoleant. Interea hæreſios poſtulare iniquum eſt, qui vel affirmativam hic tenent, vel negativam; quod fecerunt tamen ex Veteribus aliqui, dum *Judam* Cœnæ interfuiſſe inficiantes contumelioſo *Iſcariotarum* ſtigmate dehoneſtarunt. A quo errore haud plane etiam abfuit *Dominicus* a *Sôto* non incelebris alias Scholaſticus, ut ex hiſce ejus verbis colligas: *Dubitare* (inquit) *de eo haud licet*, *quod &* Judas panis Euchariſtici particeps fuit: *hæcque ſententia* (NB) *non tantum ut* Doctorum, *ſed etiam tanquam Evangelii eſt habenda.*

Prateol. Elench. Hæretic. lib. 9. Domin. Soto in Libb. Sentent. 4. Diſt. 12. qu. 2. art. 2.

IX. Sententia *negativa* ſemper mihi probabilior viſa eſt, ob has rationes. 1. Quod illicitum Salvatori fuerit, *Judam* ad communionem Cœnæ ſuæ admittere, hominem apertè impium, τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας; juxta ipſiſſimum, quem paulo ante diſcipulis ſuis præſcripſerat, canonem, *Nolite ſanctum canibus dare.* Neque juvat, quod menſâ tamen Paſchali dignatus ipſum ſit; id enim cum fieret, necdum detecta Proditoris nequitia erat, ut imo erat, cum jam *Cœna* inſtitueretur. Sciebat in uſu Paſchatis eam, quippe καρδιογνώστης, ſolus Chriſtus, reliquos ea latebat. Neque viſum fuit Servatori juxta ſcientiam ſuam privatam eum Paſchatis communione arcere, quia ſe ut perſonam privatam in adminiſtratione ejus non habebat, ſed ut publicum Eccleſiæ miniſtrum,

Mart. Kempius de Oſcul. pagin. 954. 968.

Digitized by Google

niſtrum, myſteriorumque Dei diſtributorem, cujus eſt, non authoritate propriâ & *privatâ*, ſed Eccleſiæ ſolius, cujus nomine agit quod agit, ſacramenti privilegio aliquem defraudare. Ut neque *Eccleſia* arcere eum tum poterat, cum neſcia adhuc impietatis ejus eſſet, deque occultis judicare nec ſoleat nec debeat. 2. Quia *exiit* Judas, antequam *Cœna* inſtitueretur. Totidem id verbis docet Johannes, Evangel. cap. 13. 30. *Ille enim* (inquit) *Judas* nempe, *acceptâ offulâ* ἐυθέως ἐξῆλθεν, iſt eſt, *ſtatim exivit.* Nota bene, *acceptâ offulâ*, quæ non potuit S. Cœnæ fuiſſe, cum verſ. 26. dicatur *intincta*, qualis, ut conſtat, non ad *Coenam*, neque enim panis Euchariſticus intingi aut ſolet aut debet, ſed ad menſam *Paſchalem* pertinebat. Et diſceſſit ἐυθέως, *ſtatim*, id eſt, mox ab acceptâ & porrectâ offulâ. Id ergo vel contigit in Cœnæ adminiſtratione vel ante vel poſt eam. Non *in*, quorſum enim ibi offula intincta? neque *poſt*, quorſum enim & tum illa? Ergo *ante* eam; ac per conſequens, cum exierit Judas ante Cœnám, procul dubio ei non interfuit. Ipſe *Auguſtinus*, ſtans licet a partibus adverſis, bucellam tamen intinctam ad Euchariſtiam referri noluit; expreſſe enim dicit: *Negligenter eos legere, qui per bucellam intinctam intelligunt Euchariſtiæ panem.* 3. Quia quotquot cum Chriſto de Sacrâ tum Cœnâ participarunt, de *fructu* etiam *vitis* in Regno Patris ejus *biberunt*. Matt. 26. 29. At *Judas* non bibit de fructu vitis in regno Patris Chriſti, æternum enim periit, ergo. Argumentum hoc eſt *Hilarii*, & certe non plane contemnendum; *Haud dignus erat* (inquit) *bibere cum Chriſto in* Myſterio, *qui biturus non erat in* regno: *cum univerſos tunc bibentes ex vitis ipſius fructu, bibituros ſecum poſtea polliceretur.*

Auguſtin. in Johann. Tract. 62.

Kemp. Tract. Citat. pag. 962.

Hilar. Can. 30. in Matt.

X. Scio, non ſine colore opponi verba Luc. cap. 22. 20. ubi, poſt jam inſtitutam modo Cœnam, Chriſtus dixiſſe adhuc videtur, *Manus ejus, qui me prodit* (Judæ) *mecum eſt in menſa*; ergo præſens ibi *Judas* fuit. At *reſponſio* in promtu eſt: ὑστερολογίᾳ ibi uſus eſt Lucas, narrando *poſterius*, quod acciderat *prius*, juxta Auguſtini regulam: *Multa noviſſima ordinari, quæ antea facta probantur.* Neque hoc inſolens eſt in S. Litteris. E. G. 1 Cor. 10. 16. prius mentio fit *Calicis* Euchariſtici, quam *Panis*, quis tamen dicet, ipſo tempore prius *illum*, quam *hunc* diſtributum eſſe? exerte apud Marcum cap. 14. verſ. 23. 24. prius *bibiſſe* dicuntur Diſcipuli ex *Calice*, quam Chriſtus dixit: *hic eſt ſanguis meus N. Teſtamenti, qui* pro

Hoornb. Vet. & Nov. part. 1. pag. 583.

Digitized by Google

pro multis effunditur: quis tamen inde eliciat, bibitionem illam ipſo tempore verborum eorum pronuntiationem anteceſſiſſe? Adhæc circumſtantiam temporis ex verborum, qui ab Evangeliſtis ſervatur, ordine metiri ſi velis, cur narrationi *Lucæ* magis te affigis, quam *Matthæi* & *Marci*, qui notorie poſterius narrant, quod a *Lucâ* priori loco refertur? Quinimo quidni *Lucam* potius per *Matthæum* explices, qui quippe ipſe in Cœnâ præſens fuit, adeoque ut auritus & oculatus eorum, quæ acciderunt, teſtis habendus eſt, quam *Matthæum* per *Lucam*, qui Cœnæ non interfuerat, ſed in Evangelii ſui primordio ad eorum, qui præſentes adſuerant, teſtimonium manifeſtè provocat? Præſertim cum & in aliis palam ſit, ipſiſſimum hunc *Lucam* ad ordinis ſeriem non ita curioſè ſemper attendiſſe: Verba enim Chriſti, quibus ſe poſtea cum Diſcipulis *bibiturum eſſe de fructu vitis in regno Patris ſui* promiſit, quæ revera celebrationem *Cœnæ* ſecuta ſunt, expreſſe refert ut *ante* eam pronunciata: ac ſic etiam in aliis.

Klebit. de Bucell. Inaugl. Reſp. ad Arg. 3.

Lichtf. in Matt. 26. 27.

XI. Novum pro *Iuda* in Cœnâ præſentiâ argumentum excogitaſſe videtur Doctiſſ. *Lichtfootus*, quod ſic proponit: *Conſedit* (inquit) *ad Coenam Iudas cum reliquis, atque aderat, cum comederent. Matt.* 26. 20. 21. Marc. 15. 18. *& heu! quam inſolitum erat cuivis eo modo ante Cœnam iſtam peractam diſcedere; ſatis ambiguum eſt apud Canones Judaicos, an licuerit, & quantum licuerit alicui, qui ſe huic vel illi* Φρατρίᾳ *aſſociaverat, ab eâ ad aliam recedere, atque hic partem unam Cœnæ capere, illic aliam. At de diſceſſione perſonæ, ad negotium aliquod aliud peragendum ne ſomnium quidem, cum talem rem fieri poſſe, nec volunt nec poſſunt imaginari. Vides, quam levis videatur diſcipulis diſceſſio Judæ ad coëmenda neceſſaria, prout ipſi interpretabantur, quia diſceſſit a Coenâ communi; at ſi ſic eum dimiſſum & abactum vidiſſent a Coena Paſchali, monſtrum viſum fuiſſet & ſtupendum. Quid a Coenâ paſchali jam inchoatâ ad mercaturam? A Coenâ Bethanicâ communi ad mercaturam, ad coëmenda ante Paſcha neceſſaria ad Paſcha, nihil novi hoc aut inſoliti. At a Coena Paſchali ante eam peractam ad forum aut Nundinas diſcedere, inſolentius & ſtupendius erat, quam ut tam leviter & ſine ſcrupulo ab iis digereretur. Nos ergo non omnino dubitamus*, Iudam *ad Paſcha adfuiſſe, atque ad Euchariſtiam adfuiſſe*. &c. Enucleatius hæc expendenda ſunt: Quantum ergo Viri Docti mentem aſſequor (diſcurſus enim hic involutior mihi eſſe videtur) ſic argumentatur: Si *Iudas*, non niſi pe-

ractis omnibus, quæ ad *Paſchalem* Cœnam pertinebant, exierit, ergo interfuit Cœnæ *Euchariſticæ*; ſed verum prius, Ergo. *Major* ultro claret. *Aſſumptionem* ſic conatur adſtruere. 1. Quia procul dubio Chriſtus in hoc ultimo ſuo *Paſchate* fieri nihil permiſit, quod a Judæorum ritibus indifferentibus recederet. 2. Quià, juxta Iudæorum Canones, abſurdum erat, ad negotium aliquod aliud peragendum, ex φρατρίᾳ quadam, cui quis ſeſe ad cœnandum aſſociaverat, diſcedere, niſi eadem Cœnâ jam plane abſolutâ 3. Quia, ſiquidem inſolens quid, quodque a more communiter recepto recedebat, præſtitiſſet hic *Judas*, id eſt, ante peracta omnia exiiſſet, diſcipuli id tam leviter & ſine ſcrupulo non digeſſiſſent; quod feciſſe tamen videntur, cum ne verbulum quidem Proditori ea propter oppoſuerint. Sed *dico*, præſupponi hic multa, quæ juſtis rationibus adſtructa a Viro Docto mallem, quam ſimpliciter dictata. Unde enim conſtat 1. Cœnam Paſchalem plané peractam necdum fuiſſe, cum *Iudas* diſcederet; temeraria hæc hypotheſis eſt, a multis quidem, præeunte *Ioſepho Scaligero*, adoptata, ſed a multo pluribus negata & oppugnata; Negamus nos *duplicem* illam Paſchalem Cœnam, quarum *prior* in eſu Agni, *poſterior* in *Azymorum* eſu conſtiterit, quam multis profligatam dedit Celeberr. *Buxtorfius*. Omnino abſoluta erat univerſa *Paſchalis* Cœna, antequam ad *Euchariſticam* inſtituendam Jeſus ſe accingebat, utque *ante* hanc ita *poſt illam* diſceſſit *Judas*. Peractam fuiſſe *Paſchalem* Cœnam, priuſquam *Euchariſtica* inſtitueretur, hinc patet, quia novum Sacramentum non erat inſtituendum, niſi vetere abrogato, hoc vero rité abrogari non potuiſſet, ſi duraſſet adhuc, & in ipſo actu fuiſſet; diſerta etiam ſunt verba Lucæ cap. 22. 20. ubi *poculum ſumpſiſſe* dicitur Chriſtus μετὰ τὸ δειπνῆσαι. *Poſt quam cœnaſſet*. Ut & Johannis, cap. 13. 2. καὶ δείπνου γενομένου. *Et Cœnà factà*; & 4. ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, *ſurgit a Cœnâ*. A quà Cœna? *Euchariſticâ?* abſurde; in procinctu enim ſtabat, ad illam inſtituendam, ergo a *Paſchali*. At quomodo ab hâc ſurgebat, nondum peractâ; Tota *inter* utramque Cœnam interceſſit ποδονίψια Joh. 13. 12. Ruit itaque hoc pacto univerſum *Lichtfooti* fundamentum, cui reliqua, quæ diſſerit, inædificat, nempe quod Judas *ante peractum Paſcha* diſceſſiſſet. 2. Unde conſtat, Hæbræorum Canones tam ſevere caviſſe, ne quis a Cœnâ, religioſâ imprimis, qualis fuit Paſcha, niſi plane abſoluta jam eſſet, ad

Buxtorf. de Prim. Cœnæ rit. & Form. §. 14.

cu-

curandum aliud quid, diſcederet. Velim indicaſſet Vir Doctus eas Sanctiones. Bene adverſus Scaligerum Buxtorfius mox laudatus: *Illius Ritualis* (illorum Canonum) *nec nomen, nec inſcriptionem, nec Authorem, nec impreſſionis locum nominat, quod utique in re tam rarâ facere debuiſſet, ut & aliis inſpiciendi facultas data fuiſſet.* Non pauca ſunt, quæ de Hebræorum ritibus, præſertim quoad *Paſcha*, evolvi ſcripta, ſed hujuſmodi Canonum ne apicem quidem uſquam offendi. Quod dicat, *Judæos id imaginari ſibi non poſſe nec potuiſſe*, ne caſſâ quidem nuce dignum eſt ſine probatione. 3. Unde conſtat, a Chriſto, in ultimo ſuo Paſchate, omnes prœcife Judæorum ritus, ne ullis quidem exceptis, obſervatos fuiſſe: temere D. Jeſum ab iis receſſiſſe haud quidem probabile eſt, ſed quæ cogit ratio, ob quam δουλικῶς ſe iis ſemper adſtrinxiſſet? Obſervarunt antehac Viri Docti, eſſe *qui rituali Judaico nimium paſſim tribuant*; quos certe inter habendus eſt noſter *Lightfootus*, ut alibi etiam diximus. Et jugulabit proprio ſe gladio Vir *Doctus*, ſi hanc hypotheſin mordicus teneat. Quæro enim, an ad Paſchatis Cœnam non pertinuerit, quod *poſt agnum cibi quicquã capere licitum ac permiſſum non fuerit*? ſaltem ſententia hæc eſt nulli non recepta, ipſique Judæorum Rituali inſerta, אַחַר אֲפִיקוֹמָן אֵין לֶאֱכוֹל שׁוּם דָּבָר *Poſt* Aphicomen *non eſt amplius quicquam comedendum.* At quomodo cum ritu hoc conveniebat, quod Chriſtus, poſt comeſtum *agnum*, non tantum ipſe Cœnæ Euchariſticæ panem comederit, ejuſque vinum biberit, ſed & undecim, vel, ex Opponentis mente, duodecim Apoſtolis veſci iis imperitaverit? hoccine fuit edere & bibere aliquid poſt *Aphicomen*? & hoccine cum Hebræorum *Canonibus* ritibuſque conveniebat? 4. Unde conſtat, licet ſollicitiſſime caviſſent Judæi, ne quis e Cœnâ aliqua, niſi penitus peractâ, exiret, Jeſuſque accommodare ſe ritibus eorum exactiſſime voluiſſet, ipſum tamen *Judam* tam accurate ad Gentis ſuæ mores attendiſſe, ac ſtas quidam erat? 5. Unde conſtat, opus eo tempore fuiſſe, ut Dominus Jeſus ad hanc nequiſſimi diſcipuli prævaricationem, ſi contra conſuetos ritus quid perpetraſſet, in qualicunque hac circumſtantiâ non conniveret, cum ipſiſſimam ſui proditionem non impedierit? 6. Unde conſtat denique, id ſi accideret, *monſtrum* & *ſtupendum* diſcipulis viſum non fuiſſe, ſed adeo leviter id eos habuiſſe, ut ſine omni ſcrupulo digeſſerint? At nihil horum apparet, *dicis*! Reſp. Eſto, ergo nihil fuit, quis in re

Buxt. ubi ſ. in Citat.

Kilber de Tripl. Chriſti Cœna lib. 2. cap. 7.

Hoornb. Tr. Cit. pag. 380.

re hiſtoricâ ſic concludat? ut neque mirum fuiſſet, ſi indignationem hic ſuam diſcipuli, magiſtro adhuc præſente, diſſimulaſſent. Ubi ergo juſto argumentorum pondere demonſtraverit hæc cuncta Vir Doctus, nonnullorum forſan aſſenſum elicient, non niſi novitatis ſpecie alias hactenus ſe commendantia.

XII. Ad *diſceſſum* Judæ, poſt acceptam buccellam, excipit ὁ πάνυ *Seldenus*: Non ſequi inde, ipſum poſtea non rediiſſe, ac Cœnæ tamen participem fuiſſe. *Anne* (inquit) *ex egreſſu alicuius neceſſario ſequitur, eum poſtea non regreſſum. De regreſſu quidem nihil reperimus, ſed nec quid, quod contrarium ſatis probet.* At bene eſt, quod 1. ipſe Vir incomparabilis fateatur, de *regreſſu* Judæ *nil reperiri*: ſed unde eum tum evincit? Ergo poſſibilem tantum ponit, & quid hoc ad rem facit? *Dicit*, nil etiam reperiri, *quod contrarium ejus ſatis probet.* Sed negativa non probantur. Et, utut regreſſus eſſet *Judas*, an ideo debet de *S. Cœnâ* participaſſe? non videtur; niſi verum eſſe probetur, *vel* Judam ad breve tantum tempus abfuiſſe, *vel*, ſi diutiuſcule abfuerit, Chriſtum notabili quodam tempore in adminiſtratione *Cœnæ* occupatum fuiſſe; *Vel* finitâ illâ adminiſtratione quoad undecim, ſeorſim poſtea ſoli Proditori panem vinumque porrexiſſe: Nil vero horum facile evicerit *Seldenus*. *Selden. de Synedr. lib. 1. cap. 8. p. m. 137.*

XIII. Scrupulum movere videntur verba *Confeſſionis Belgicæ*; dum Art. 35. dicit, *Judam & Simonem Magum Sacramentum accepiſſe.* At repono: 1. Dubitari non ſine ratione poſſe, an Confeſſio Sacramentum *Cœnæ* præciſe ibi reſpiciat, de quo ſolo hic quæſtio eſt; dicit tantum in genere, *Iudam* & *Simonem Sacramentum accepiſſe*; & quidni de Sacramento *Baptiſmi* id intelligas, cujus citra omne dubium uterque particeps fuit? Neque inſtes, Articulo citato de *Cœnâ* non de *Baptiſmi* Sacramento agi, cum de illo non de hoc *articulo* præcedente ſermo fuerit. Non enim locuta ibi Confeſſio tantum eſt de Sacramento *Cœnæ* in *ſpecie*, ſed aliquatenus etiam de Sacramentorum naturâ & efficaciâ *in genere*; Exerte enim verbis immediate antecedentibus in plurali dixit; *Voorts hoewel de Sacramenten met de beteekende ſake ſamen gevoeght zijn, ſo en worden ſe nogtans niet de ſe twe ſaken van allen niet ontſangen.* Conjunguntur etiam in Confeſſione *Simon Magus* & *Iudas*, de quo priori probatu arduum foret, quod *Cœnæ* interfuerit, cum certo baptizatus ſit. Neque *Paſchatis* quidam, quo, per Synecdochen generis, ſpectaſſe etiam potuerunt *Confeſſionis* Autores. Adhæc *tria* in Eccleſiarum *Confeſſionibus*, *Confeſſ. Belg. art. 35.*

ſpeciatim hâc noſtrâ *Belgicâ* conſiderari neceſſe eſt. 1. *Dogmata*, quorum ὑποτύπωσιν exhibere, eaque unius fidei conſortes inter ſe colligare præcipue intendunt. 2. Dogmatum illorum fundamenta & fulcimenta. 3. Hiſtorica quædam ſive narratoria, quibus priora duo amplificari vel illuſtrari nonnunquam ſolent. *Dogmata* Confeſſionibus contenta, nec non *fundamenta* & ſulcra eorum convellere, luxare, imo qualicunque modo arrodere, religio nobis eſſe debet; ſummo enim alias periculo & ſacroſanctam veritatem & Eccleſiæ unitatem exponi certum eſt. At ſecus res ſe habet cum *Hiſtoricis* quibuſdam, Dogmatibus eorumque fundamentis ad illuſtrandum nonnunquam connexis & interſertis: quoad hæc puto diſſenſum qualemcunque inter Fratres, ſine pacis veritatiſque diſpendio admitti poſſe imo debere. Atque ad *hiſtorica* hæc pertinet quod ex *Confeſſione* noſtrâ *Belgicâ* addici a quibuſdam diximus. Ad rem Clar. Hoornbeekius: *Non autem hac eo quis trahat* (reſpicit Confeſſionis verba) *ut de problemate hoc aliter ſentientes, authoritate Confeſſionis, quæ dogmata fidei non problemata Theologiæ ſcribit, prægravare velit, niſi aut imperitus, aut malignus.*

Hoornb. Vet. & Nov. part. 3. cap. 19.

XIV. Hactenus Iudæ *pœnitentia*; ſequitur ejus *exitus*, non e Chriſti Apoſtolorumque conſortio, de quo jam ſatis, ſed ex univerſo mortalium contubernio, qui miſerrimus & deplorabilis ſane fuit. Multa narrarunt paſſim Veteres de mortis genere, quo perditiſſimus nequam interiit, ſed quæ maximam partem falſa, ridicula, imo contradictoria ſunt. Collegit eorum quædam Celeberrimus *Caſaubonus* in *Exercitationibus* ſuis *Anti-Baronianis*; ſed prolixiora quam ut cuncta hic adſcribantur. Quæ ad rem noſtram faciunt, hæc ſunt: Non ſatisfecit (*inquit*) hæc divina ſimplicitas poſterorum curioſæ vanitati, fabulas igitur ſunt commenti de ſupplicio Iudæ, quas hic recenſet Baronius ex Oecumenio; neque inter ſe cohærentes, & prorſus commentitias falſaſque. Fabula ſic primo narratur: corpus Judæ ita inflatum eſſe, ut via per quam agi plauſtrum facile poterat, ipſum non capere: obtritum igitur à plauſtro eſſe & viſcera ſic effuſa. hæc narratio abſurda eſt: nam ſi via quæ plauſtrum capiebat, ſolum Iudam capere non poterat: quomodo & Iudas & plauſtrum in eadem via ſunt reperti? alteri enim duntaxat locus erat, vel Judæ vel plauſtro, nec refert, quod dicitur obtritus: nam ſemper manet difficultas; qui potuerunt duo corpora quorum utrumque viam totam occupare eſſet idoneum, concurrere in

Caſaubon. Adv. Baron. Exerc. 16. c. 69.

„ rectam quaſi lineam. Operoſior eſt altera narratio, & plane huic „ contraria quod ad mortis genus, in eo conſentiunt, corpus Iudæ „ mirum in modum intumuiſſe, nimirum mendacia mendaciis ſunt „ cumulata. Quare non aſſentior viris doctis, qui dubitant an ſint „ hæc vera. Ego non dubito falſiſſima eſſe omnia. Ut revera „ otioſorum hominum deliramenta ſunt. Addit *Euthymius*, Iudam, jam arbore pendentem agnitum a quibuſdam & a ſuſpendio liberatum fuiſſe: deinde, poſtquam in ſecreto quodam loco modico vixiſſet tempore, effuſis viſceribus præcipitem factum fuiſſe. Ferunt alii, palpebras oculorum ejus ita intumuiſſe, ut lumen videre nullo modo poſſet; ſaniem porro ac vermes contumelioſe fluentes ex toto ejus corpore, per ſola loca ſecretiora effluxiſſe. Sic illi. Nobis excutere tantum animus eſt *Matthæi* verba cap. 27. 5. Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο, juxta Verſionem Bezæ, *Et abiens ſtrangulavit ſe*; eaque cum iis, quæ *Lucas* habet, Act. 1. 18. Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, *Et præcipitatus crepuit medius*, conferre & conciliare. *Euthym. in Matt.* 19.

XV. In hoc omnes fere, quantum mihi conſtat, conveniunt, quod *ſuffocatus* ſit Judas, ſed an laqueo, an mœrore, an ab ipſo Diabalo in ſublime raptus, hoc opus, hic labor eſt. Quod *laqueo* perierit, & *ſtrangulaverit ſe ipſum*, ſententia, fateor, receptior eſt; in hanc enim inter antiquos iverunt ***Irenæus***, ***Nazianzenus***, ***Prudentius***, ***Auguſtinus***, ***Chryſoſtomus***, ***Leo***, ***Aratus***, ***Beda***, ***Juvencus*** &c. *Lightf. in Matt.* 27.

Exorſuſque ſuas laqueo *ſibi ſumere pœnas*
Informen rapuit ficus de vertice mortem. *Juvenc. de Euangel. Hiſt. lib.* 4.

Neque, ſi verum id eſſet, divini forte judicii veſtigio in *Juda* caruiſſet, quippe qui ſibi ipſi ſic Judex & carnifex fuiſſet, ejuſmodi ſeſe addicens ſupplicio, ut cujus nec anima Cœlo nec corpus ſepulturâ dignum foret, inter Cœlum terramque medius penderet:

Cœlum terramque peroſus,
Inter utrumque perit. *Arat. Hiſt. Apoſt. lib.* 10.

Vel, juxta Sedulium, qui huc etiam inclinat:

Exitus hic mortis, tamen & ſublime cadaver
Oſtendit populis, quanto de culmine lapſus
Pridem diſcipulus, qui nunc reus, alta relinquens
Sydera, tartareum deſcendit aduſque profundum, *Sedul.*
Tunc vir Apoſtolicus, nunc vilis apoſtata factus. *Carm. lib.* 4.

XVI. Et

XVI. Et certe, ſiquidem hoc *Matthæi* loco de *morte ſuæ* agi perſuaſus eſſem, totus forte in eandem ſententiam concederem, communiſſimam quippe, & tot Præſtantiſſimorum Virorum authoritate fultam; at cum perquam dubium nam id ſit, alibique in Scriptura de *morte* hac ſermo ſit, loco nempe ex *Actis* allegato, hujuſque verba plane aliud quid quam *ſuſpenſum* videantur ſonare, Scripturæ cum Scripturis videntur conferendæ, unuſque earum locus cum in modum explicandus, ut palam fiat, eum cum altero nequaquam pugnare. Expendendum ergo hic preſſius eſt, an vox Græca ἀπήγξατο, Matthæo uſurpata, haud aliam quoque ferre interpretationem poſſit, quam quâ *ſui ipſius ſuſpendium*, mediante laqueo, indicatur. Ἀπήγξατο ergo eſt ab ἀπάγχεσθαι, quod dubio procul *mortem laqueo conſciſcere* etiam ſignificat. Καὶ ἐκ τῶν δένδρων τινὲς ἀπήγχοντο habet ex Thucidide *Robertus Stephanus*; Latini per *ſtrangulationem* vertunt. Sed, vel per vocem hanc *Græcam* vel per *Latinam* nihil aliud præter *ſtrangulationem per laqueum* ſignificari poſſe, nemo hactenus probavit, imo vero contrarium plane ex ſequentibus videre eſt:

Stephan. Theſaur. pag. 57.

Strangulat *incluſus dolor, atque cor æſtuat intus.*

Ovid. *Triſt. lib.* 5.

Ubi notorie *ſtrangulare* non eſt ſuſpendio perire, ſed dolore & anxietate animi quaſi ſuffocari. Eodem modo Juvenalis:

Juvenal. Satyr. 10.

Sed plures nimiâ congeſta pecunia curâ
Strangulat.

Ut neque ſtrangulationem *per laqueum* ſignificare poteſt vox ἀπάγχεσθαι in hoc *Æliani* loco: Σωκράτης μὲν κωμωδούμενος ἐγέλα; Πολίαγρος δὲ ἀπήγξατο *Socrates in Comoedia traductus ridebat, Poliagrus vero eſt ſtrangulatus*, ſcilicet animi perturbatione: quis enim dicat, hominem in ipſâ Comœdiâ ſeipſum laqueo necaviſſe? Quare & mirari ſubiit, quomodo Verſio *Schefferiana* non potius habeat Poliagrus *ſtrangulatus* eſt, quam Poliagrus *ſeipſum ſtrangulavit*; cum neque vocis natura interpretationem illam neceſſario flagitet, neque cum circumſtantiis loci conciliari poſſit, ut jam dictum eſt. Referendum huc etiam hoc *Theocriti*: Ἀπάγξασθαι με ποιήσεις, *Strangulari*, id eſt, mœrore ſuffocari *me facies.* Deducta vox eſt ab Ἄγχω, quod & *ſtrangulo* ſignificat; atque ἄγχομαι, quod non *ſtrangulor* tantum notat, ſed mœrore etiam conſumor & conficior. Vox etiam Hebræa, cui Græca hæc reſpondet,

Ælian. Variar. Hiſt. lib. 5. *cap.* 8. *pag. m.* 119.

Theocrit. Idyll. 3.

reſpondet, ſonat omnem ſpiritus intercluſionem, ſive reſpirationis extinctionem. Iobus de ſeipſo cap. 7. 16. *Et elegit* מַחֲנָק *ſuffocationem anima mea*: Quis ſomniet, *Iobum* ſui ſuſpendium vel ſtrangulationem per *laqueum* elegiſſe, & non indicare maluiſſe, tanto vitæ tædio actum ſe fuiſſe, ut præ mœroris vehementiâ mori præoptarit, quam vivere? Rite Cl. Coccejus: *Sed & ſine ſuſpendio* (inquit) *eſt ſuffocatio. Chaldæa per* שְׁנַק & שְׁרַנַק *vertit, cui reſpondet in* Pſ. 63. 12. יִסָּכֵר *Targ.* מַרְנַק *& de* ſubmerſis *dicitur* Exod. 14. 27. *Ex illo Hebræo* סכר eſt אַמְכָּרָה *συνάγχη, ſtrangulatio, ſuffocatio* מַחֲנָק L X X. מַחֲנָק *ἀποπνίγειν*? Ἀπάγχεσθαι *non eſt ſemper ſuſpendio vitam finire. . . quod verbum de ſubmerſis. Luc.* 8. 33. Et alibi: *Violenta & affectata ſpiritus intercluſio notatur per verbum* החנק *in Achitophele* 2 Sam. 17. 23. *&, ut videtur, etiam in Juda.* Matt. 27. 5. *quandocunque illa facta ſit, & quomodocunque, ſive cum ſuffocatione fuerit præcipitatus.* Ab ἄγχω derivatur etiam ἀγχόνη, quæ morbus eſt ſubitus, quo os fiſtulæ, quæ in collo eſt, obſtruitur, adeo ut ſtatim ſuffocatione homo pereat. Atque hoc interiiſſe *Iudam* etiam volunt, ideoque vocem ἀπήγξατο a Sacro Scriptore uſurpatam hic eſſe: quod an verum an falſum ſit, mox patebit.

Coccej. in Iob. 7. 16. & in Matt. 27. 5.

XVII. Apparet ſaltem ex dictis, nullâ neceſſitate nos cogi, ut vocem ἀπήγξατο, quâ uſus eſt Matthæus, præciſe per ſui *ſuſpendium* interpretemur; notare enim quandoque etiam poteſt, curâ & mœrore animi ſic angi, ut conſtringi & occludi fauces noſtræ videantur. Neque bene ad *Achitophelis* exemplum provocari hic ſolet, qui *ſuſpendio* videtur periiſſe. 2 Sam. 17. 23. Et, juxta *D. Coccejum* alioſque, Iudæ *typus* fuit; negamus enim nos ſuppoſitionem illam, prout errorem de *Achitophele* Iudæ *typo* alibi ex profeſſo diſcuſſimus. Et fuerit is Iudæ *typus*, ergone eodem mortis genere hic periit, quo ille, quæ hæc ſequela? cum *typi* cum antitypo analogia non in *omnium* ſed in *aliquorum* tantum convenientiâ conſiſtat? Imò quidni ipſum *Achitophelem* non *laqueo* ſed mœrore & indignatione periiſſe exiſtimemus? maxime, cum vox חָנַק (notantibus *Grotio* & *Coccejo*) hoc ſignificatu quandoque etiam veniat, neque inter ipſos Hebræorum Magiſtros deſint, qui calculum iſti opinioni adjiciant, ut alibi diximus. Non quæritur, an *ſtrangulatio* Achitopheli tribuatur, quis enim id negat? ſed an ſtrangulatio

Grot. in Matt. 27. 5. Heinſ. in N. T. pag. m. 82. Buxtorf. Lex. Talmud. pag. 1480.

Digitized by Google

illa laqueo facta ſit: hoc probandum erat. Saltem Clariſſ. *D. Coccejus* urgere ſerio non poteſt, *Achitophelem* ſui ſuſpendio interiiſſe, quoniam *Judæ* ipſum *typum* eſſe vult, de quo probabilius eſſe judicat, quod ſui *præcipitatione* quam *laqueo* perierit. Niſi huc uſque, quæ inter duos hoſce intercedere debet, analogiam extendi forte nolit, quod vix puto cum Viri Docti hypotheſibus convenire; quia, niſi in hoc conveniant nebulones, alia quædam inter eos ſimilitudo, niſi maximè coacta, vix concipi poteſt. Accedit, quod Strangulatio apud Hebræos uſurpata, & per vocem חנק efferri ſolita, *ſuſpendium* minime involvat; quin potius excludat. Audi Schickardum: *Strangulandi* (inquit) *olim non* ſuſpendebantur, *ut nobiſcum fures de patibulo, ſed fimeto ad genua uſque inſiſtentes mappâ ſuffocabantur.* Indebant reo ſudarium durius, atque circumvolvebant id collo ejus, tunc attrahebant id ambo teſtes, quilibet ad ſe, donec excluderent animam. Eſt quidem, quod Hebræi dicant, *Blaſphemum ſimul & idololatram*, prius lapidatum *ſuſpenſum* etiam fuiſſe. Sed quantum *ſuſpenſio* illa non diſtabat ab illâ, quæ *Abſalomo* & *Judæ* tribui ſolet? *hanc* volunt Interpretes factam *laqueo* collo injecto, cum Hebræorum ſuſpenſio non fieret de *collo*, ſed de *manibus*: Ita Coccejus; *Quomodo fit* ſuſpendium? *Trabs in terram depangitur, ex quâ lignum extet, dein revinctis manibus ſuſpenditur.* Quis vero unquam de *manibus* ſe ſuſpendit, & ſuffocavit?

Coccej. Dispp. Se-lect. 37.

Schickard. de Jur. Reg. Hebr. cap. 4 §. 14.

Coccej. Excerp. ex Sanhed.

XVIII. Ex dictis patet, non immerito dubium eſſe, an *Matthæus* loco allegato *de morte Judæ* quidem agat, & non loquatur potius de exulceratæ conſcientiæ ejus tormento, quo ita preſſus miſer homo fuit, ut quaſi ſpiritus intercluſus ipſi fuerit. Sentit ita, &, meo judicio, non ſine gravi ratione, laudatus modo *Grotius.* Quodſi enim ita rem ſumamus, non opus erit conciliationi *Matthæi* cum *Lucâ*, qui mirum alias in modum, quoad hanc hiſtoriam videntur diſſentire, multum operæ impendere: ſatis tum erit, ſi dicatur, ita furiis lancinantis conſcientiæ jactatum & exagitatum fuiſſe *Judam*, ut in angorem & mœrorem tam vehementem inciderit, qui guttur ejus plenè occluſit, idque tum ex deteſtatione flagitii commiſſi, tum ex horrore imminentis inferni, tum ex deſperatione, quod neque a Deo, neque ab hominibus (Sacerdotum Principibus funeſtum illud τὶ πρὸς ἡμᾶς? σὺ ὄψει, *quid hoc ad nos? tu videris*, ipſi oggerentibus) qualecunque ſibi ſolatium polliceri poſſet, ortum fuiſſe; ac de eo loqui *Matthæum*

verbis

Digitized by Google

verbis citatis: & tum deinceps novis actum furiis vitam adeo inquietam pertæſum, ſemet ipſum præcipitem dediſſe, ita ut *medius crepuerit*, *viſceraque* ſua *effuderit*; atque hoc quidem referri a *Lucâ* loco ex *Actis* citato. Quod enim prius ſeipſum ſuſpendiſſet, & rupto laqueo decidiſſet præceps, vel in ſtipitem ſive ſaxum acutum incidiſſet, ac ſic crepuiſſet medius, vel in loco anguſto a curru tranſeunte fuiſſet oppreſſus, fingitur quidem, ſed nullâ rationis ſpecie confirmatur. Saltem fruſtra ad chimæras iſtiuſmodi recurritur, cum alio, ut ex dictis patet, eoque ſimpliciori & explanatiori modo expediri difficultas poſſit.

XIX. Voces etiam ἐλάκησε μέσος & πρηνὴς γενόμενος, quibus utitur Lucas, mortis hoc genus innuere videntur, *præcipitationem* nempe ſui, non *ſuſpendium*, neque præcipitationem tantum *paſſivam*, ſed *activam*, cum ſe ipſum perdendi & occidendi intentione & propoſito conjunctam; ſic ut miſer ruinâ contritus ruptus ſit medius, atque adeo certa mors *præcipitationem* hanc ſecuta ſit. Sic enim loquuntur paſſim Scriptores de præcipitatione. *Empedocles*, immortales eſſe Poëtas audiens, *Horat. de Arte Poetic.*

ardentem frigidus Ætnam

Inſiluit.

Seneca: *Licet fauces nodus eliſit, ſive ſpiramentum aqua præcluſit, ſive in caput lapſos ſubjacentis ſoli duritia comminuit.* Apulejus de latrone ab anu præcipitato: *Super quendam vaſtiſſimum lapidem decidens, perfractâ diſſiſſaque crate coſtarum &c. vitam evaſit.* Prout enim cruci aliquem ſuffigere vel laqueo ſuffocatum patibulo alligare, pœna antiquitus fuit ſontibus irrogata, ita *tum* Judæi *tum* Gentes *præcipitationem* etiam habebant, quâ in capitalium criminum reos animadvertebant. Apud *Judæos* pertinebat hæc ad *Lapidationem*, quæ quippe *duplex* erat, *vel* enim lapides projiciebant in reum, *vel* lapidandum in ipſos lapides præcipitabant & protrudebant. *Prior* dicebatur סקילה, *poſterior* דחייה. Ad *hanc* referunt exemplum ſupplicii in *Iezabelâ* Reginâ, e feneſtrâ juſſu Regis *Jehu* præcipitatâ, ut & *Nabothi* lapidationem. Ita R. David Kimchi: *Scriptura heic reſpicit Nabothum, quem illa* (Jezabel) *dejici præceperat & lapidari. Sic jam ille* (Rex Jehu) *præcepit eam dejici, quoniam judicium Lapidationis in eam exequendum erat, ut nempe ex caſu moreretur, & ſic eam occiderent.* Imo ſunt, qui in ipſâ Lapidationis ſpecie, quæ סקילה dicitur, *præcipitationem* hanc ponunt; ita Buxtorfius. *Locus* Lapidationis *altus erat*, juxta Magiſtros, שתי קומות

Apul. lib. 4. & 7.

Luc. 6. 29.

2 Reg. 9. 33.

Grot. in Joh. 8. 5.

Buxtorf. Lex Talm. pag. 1539.

Schickard. de Jur. Reg. Hebræor. p. 264.

duas ſtaturas hominum, de quo dejiciebatur lapidandus, & tunc teſtes primum lapidem injiciebant. *Gentibus* projectionem hanc uſurpatam etiam fuiſſe, omnes fere antiquarum rerum Scriptores confirmant: *Livius, Tacitus, Gellius, Seneca, Dionyſius Halicarnaſſæus,* &c. Pertinet huc etiam hoc Modeſtini: *Non poteſt quis ſic damnari, ut de ſaxo præcipitetur.* Et *dejectio de Rupe Tarpejâ.* Experti pœnam hanc ſunt *Manlius Capitolinus* apud Tacitum, *Sp. Caſſius* apud Dionyſium Halicarnaſſæum, & *Philleas Tarentinus*, cum obſidibus *Tarentinis*, qui aufugerant; tandem etiam, cujus exemplum maxime memorabile eſt, *Liber* Thebanorum Tyrannus, de quo ſic Julius Firmicus: *Tunc* Liber *projectis inſulis, quas pampineis coronatum circulis illigabat, cum ſemiviro comitatu fugiens, per omnes oras vicini maris cum ſumma trepidatione deſperationis erravit. Illic inter ebrias puellas & vinolentos ſenes, cum adhuc eum ſcelerum pompa præcederet, & alter nigro amictu teter, alter oſtenſo angue terribilis, alter cruentus ore, dum viva pecoris membra diſcerpit, a Lycurgo comprehenſus, per proximam rupem, quæ immenſum* præcipitium *ſaxis invius fecerat, in mare* præcipitatur, *ut lacerum corpus marinis diu jactatum fluctibus, errantiū populorum animos ad ſanitatis ac ſobrietatis ordinem, ſeverâ animadverſione revocaret.* Spectat huc etiam Lucretius.

Liv. Dec. 1. lib. 6. & lib. 3. cap. 4.
Agell. lib. 10. cap. 18.
Senec. in Troad.
Jul. Firmic. de Error. Profan. Relig. cap. 6. f.
L. 25. §. ult. D. Tit. de Pœnis.

Carcer & horribilis de ſaxo jactus *eorum*
Verbera, carnifices, robur ac lamina tædæ.

Et Horatius

Tune Syrodamæ aut Dionyſi filius *audes*
Dejicere *e ſaxo cives? &c.*

De immani Antiquorum ritu, quo homines Saturno devotos de ponte in fluentem *præcipitare* in more habebant, nihil addo; *tum* quod ex juſtitiâ vindicatrice id non facerent, ſed ex religione; *tum* quod *Hercules* Italiam ingreſſus, infandum illud ſacrificium abrogârit. Ita Lactantius: *Verum id genus ſacrificii ab* Hercule, *cum ex Hiſpaniâ rediret, dicitur ſublatum, ritu tamen permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex ſcirpo.* Atque ita quidem *publicum* ſupplicii genus hoc fuit. Sed non minus in *privatum*, ſe ipſum occidendi adminiculum raptum ab aliquibus eſt, ut ex dictis liquet; fuitque αὐτοφονίας ſpecies talibus hominibus maximè ſolennis, qui vitæ moleſtiarumque ejus pertæſi, ſubitum inde abitum ſectabantur. Sic ille apud Comicum.

Lactant. de Falſ. Relig. cap. 21.

Occidi:
Utinam mihi eſſet aliquid hic, quo nunc me præcipitem *darem!*

Virgil. Ecl. 8.

Et alius apud Virgilium:

Præ-

Præceps aërii ſpeculâ de montis in unda
Deferar; extremum hoc munus morientis
habebo.

Apulejus Puellam captivam ſic inducit loquentem: *Hem, nunc certè funditus peris, laqueus aut gladius, aut certè* præcipitium *procul dubio capeſſendum eſt.* Signanter de *Simone Mago* Arnobius: *Pudore defeſſus* (ἀπαγχθεὶς) *ex altiſſimi culminis ſe* præcipitavit *faſtigio.* De deſperabundis Urſinus, *horrore objecti infortunii & in quod ruebant, exitii, veſtibus præligabant capita, & ſe dabant vel in flumen, vel in mare vel alto præcipites.* Habebant *Donatiſtæ* peculiarem inter ſe ſectam, quam *Circumcellionum* dicebant, qui certatim eodem mortis genere ſeipſos occidebant, licet non ex deſperatione vel vitæ tædio, ſed ex *religione* potius, ut Martyrii nempe gloriâ potirentur, aucupantes eam temere, non a Deo exſpectantes:

Apul. lib. 4. *Arnob. c. Gent. lib. 2. pag. m. 30.* *Urſin. Anal. Sacr. lib. 1. cap. 25.* *Baron. tom. 3. col. 463.*

O pectora cæca!

In Africâ (inquit de his Philaſtrius) *ſunt, qui* Circuitores *dicuntur, hi circumeunt terras, & quos inveniunt in viâ cogunt eos, ut interficiantur ab illis, dicentes, ſe deſiderare pati martyrium, & ſub cauſâ hac multi latrocinantur interdum. Quidam autem ex iis velut* Biothonati *moriuntur, ſeſe dantes ad* præcipitium, *diverſumque ſubeunt calamitatis interitum: qui* (addit) *cum ſine cauſâ perire ita properant, honeſtæ mortis ſuſtinent detrimenta, judicio Dei futuro ſe potius implicant, quam ſolvunt:* Quo & hoc *Eremitæ* referendum eſt, de quo in *Vitis Patrum*, qui ex merâ devotionis exuperantiâ ſemet in profundum puteum præcipitavit; e Gentilium forte κακοζηλίᾳ, qui ut Diis ſuis ſacrificarent, vel iratos Deos placarent, non raro etiam ſe morti ſic tradebant. Ita ex oraculo apud Thebanos de muro *ſe præcipitans* periit *Menyceus*; ut & Midæ filius ob Iovis iram in foveam deſiliit. Ne de *Curtio*, Equite ἐπισημωτάτῳ addam, qui, Dæmonio per oraculum authore, in foveam, *Romæ* in medio Foro ſubito apertam, & toti Orbi ſcintillantibus & peſtilentibus flammis exitium intentantem & minitantem, ſimul cum equo ſuo, *præcipitem* ſe dedit.

Philaſtr. de Hæreſib. *Balduin. Caſ. Conſc. lib. 3. cap. 4. Caſ. 15.* *Liv. lib. 7.*

XX. Ita ergo & Iudas πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, mediante nempe causâ hac externa, *ſui præcipitatione.* Gravis enim ex alto caſus tam vehementer eum in terram impegit, ut non potuerit miſerrimum ejus corpus ſauciari non tantum, ſed findi plane & contundi. Unde perperam olim *Epiphanius* rupturam

Joh. Gerard. in Matt. 26. 36.

hanc ſoli cauſæ *internæ*, tremebundæ ſcil. Proditoris *deſperationi*, attributam voluit; quâ talem in modum vis corpuſculi ipſius retentiva debilitata fuit, ut officium ſuum amplius facere non potuerit; e contra vires ipſius reſolutæ omnimodè ſint, atque adeo membra ejus à ſe invicem ſeparata. Imperceptibile enim eſt, quomodo ſola animi conſternatione fieri id potuerit, niſi *mediatè* tantum, quatenus ea perditiſſimum hominem ad tale quippiam tentandum adegit, quod violentius ferire & afficere corpus ejus poterat, ejuſque contiguas partes ipſo eventu diſrumpere. Non nego, animi æſtuantis angores mirum ſæpe in modum in corpus agere poſſe, prout illi ſanguineum ſudorem Sanctiſſimi Salvatoris venis expreſſerunt, ſed eo uſque extendendum id eſſe, ut, accedente licet horribiliſſimâ deſperatione, ipſiſſima corporis membra externè per eos lædi, imo avelli planè a ſe invicem neceſſe ſit, neque ratione, neque ullo hactenus exemplo probatum vidi. Potius ex *Epiphanii* ſuppoſitione concludo, etiam ex ejus mente Proditorem *laqueo* non periiſſe. Fiſſura enim hæc corporis *vel* præcedere debuiſſet ejus ſuſpendium, *vel* conſequi; quis *præceſſiſſe* cogitet? potuitne enim *Judas medius* jam *ruptus* ſe ipſum laqueo adhuc ſuffocare? Et quis *conſecutam* eſſe dixerit, ſi ex deſperatione orta ſit? quia poſt fractam vel gulam vel corporis compagem, animamque Diabolo traditam, ceſſavit *Judæ* deſperatio, quæ per conſequens corpus ejus conterere non potuit.

Eraſm. in Act. 1. 18.

XXI. Non neſcio ab *Eraſmo* aliiſque obtendi, per vocem πρηνὴς geſtum *laqueo ſuſpenſi* indicari, eo quod ſic ſuffocati ſoleant propendere capite in terram dejecto; quæ vox cum morti Judæ attribuatur, colligunt inde, non *præcipitatione*, ſed *ſuſpendio* ipſum periiſſe. Sed dico, inclinato fere verſus terram capite pendere laqueo necatos vix videtur negandum; at quid inde? Ergo eodem modo necatus eſt *Judas*; ergo vox πρηνὴς geſtum laqueo ſuſpenſi præciſe ſignificat? quomodo hæc cohærent? Et ſignificet alibi id πρηνὴς, ergo & hic id ipſum ſignificat, quænam hæc conſequentia eſt? Probandum erat, geſtum ſuſpenſo proprium, eumque quidem ſolum, vocabulo hoc indicari; in hoc enim quæſtionis cardo vertitur. Multo plus puto voce hac innui per *Lucam*, quam ſimplicem cadaveris e ligno pendentis geſtum. In ſuſpenſis enim ſive laqueo ſuffocatis *acceſſorium* tantum eſt, nec quicquam ad mortis atrocitatem facit inclinato eſſe capite; at hoc

hoc loco ut primum & primarium ferè in *Juda* interitu ponitur, quod πρηνὴς γενόμενος dicatur. Neque ullibi, credo, quiſquam inveniet, ſuſpenſi alicujus miſeriam vel deſcribi vel quadantenus exaggerari, quod dejecto & inclinato in terram capite penderit. Quid enim externa illa cadaveris forma ad ſuſpenſi ſenſum vel ignominiam conferre vel non conferre poteſt? Componitur vox πρηνὴς ex πρὸ & νεύω, quaſi *ante nuto.* Habent etiam Græci προνεύειν, quod in genere ipſis eſt *propendere* qualicunque ratione, *prominere.* Ἐν ἀρχῇ μὲν (inquit Plutarchus) ἐπὶ στόμα προνεύειν. Quare & νεύειν, unde Decompoſitum eſt πρηνὴς, ſi addatur πρὸς τὴν γῆν, de iis ſæpe dicitur, qui præ pudore aut moleſtia oculos in terram demittunt; ſic ut ad mœrorem animique ægritudinem etiam referatur; quâ ſingulariter exagitatum *Judam* noſtrum fuiſſe, mox aſſeruimus. Deſcribit iiſdem verbus, quibus Lucas *Juda*, Athanaſius *Arii* mortem, in Ep. ad Serapionem: Πόλλα τὰ φλυαρῶν εἰσῆλθεν εἰς θώκους, ὡς διὰ χρείαν τῆς γαστρὸς, καὶ ἐξαίφνης, καὶ τὸ γεγραμμένον πρηνὴς γενόμενος, ἐλάκησε μέσος. id eſt, *in nugis ſuis totus, ad ſedes, ut neceſſitate ventris impulſus ſe contulit, atque extemplo* pronus cecidit, *ac medius crepuit.* Neque tamen *Arium* ſuſpendio periiſſe aſſertum voluit. In libro Apocrypho *Sapientiæ* cap. 4. 19. habetur de impiis in die mortis, ἐπιῤῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς &c. *Conquaſſabit eos voce quaſi interclusâ præcipitatos.* Ubi Lutherus habet: *Und er wird ſie unverſehener her niderſturtzen.* Grotius *præcipitatos*, de altâ nempe fortunâ. Ergo neque ibi aliquid de *ſuſpendio.* Cunctis hiſce, quæ diximus, nihil aliud opponit *Crauſerus*, quam *toti contextui Apoſtolico explicationem hunc repugnare*; quod, an verè dicat, ex præcedentibus collige. Addit: *A litterali ſenſu abſque neceſſitate non eſſe recedendum.* Sed probandum erat, ſolum, quem ille jactat, ſenſum *litteralem* eſſe. Qualiſcunque vocis alicujus explicatio impropria non derogat ſenſui litterali, ſed illa tantum, quæ tropologica, anagogica, parabolica, vel quoquo modo *myſtica* eſſe deprehenditur. Definit *Salmero* ſenſum *litteralem*, *quem Sp. S. autor Scripturæ, per verba, ſive juxta Grammaticæ cohærentem ſignificationem, ſive per* tropos & tranſlationes *primum ſignificare voluit.* Præterquam quod definitum hactenus non ſit, an explicatio vocis ἀπήγξατο per *ſuſpendit ſe ipſum*, magis propria ſit, quam *præ mœrore ſuffocatus* eſt. Putat alius

Plutarch. Sympoſ. 5.

Autor. Quæſt. V. & N. Teſt. ſub. nomine Auguſtini.

Crauſer. Obſervat. Sacr. pag. 98. 99.

Dieter. Lexic. Philol. N. T. pag. 121. a.

Salmer. Tom. 1, Tractat. 7.

alius Vir Doctus, Judam *ſuſpendio* periiſſe ob duplicem cauſam: *tum* quod vox originalis ἀπήγξατο interpretationem illam ferat, nimirum juxta quorundā axioma, Verba Scripturæ id omne ſignificant, quod ſignificare poſſunt; *tum* quod ſingularis Judæ ad ſui *ſuſpendium* præparatio Matth. 27. 3. 4. innuatur, nulla ejus inopinata ſuffocatio. Sed elumbis argumentatio hæc eſt. Neque enim quæritur, quid ſignificare vox originalis forte poſſit, ſed quid ſignificare debeat, & quid textus circumſtantiæ aliaque Scripturæ loca cogant, ut hic & nunc ſignificet. Ego vero nego, eam pro ſui *ſuſpenſione* ſumi hic poſſe, ut pluribus hactenus adſtruxi. Siquæ aiio ſenſu, quam hoc, Canon, de verbis *Scripturæ omne illud, quod poſſunt, actu ſignificantibus*, intelligatur, in regulam plane Lesbiam Scriptura convertitur, e quâ neſcio quid non pro lubitu extundas. Ecce unum tantum exemplum in voce Θεός: ſignificare hæc poteſt *tum* Angelum. Pſ. 97. 7. Heb. 1. 6. *tum* Magiſtratum gerentem. Pſ. 82. 6. Joh. 10. 34. tum ipſum Diabolum. 2. Cor. 4. 4. At quis tamen Johan. cap. 1. verſ. 1. Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, quicquam eorum ſignificare eam exiſtimet, licet cuncta illa ſignificare poſſit? Recte D. Coccejus: *Quam notionem intentio loquentis, membrorum concinnitas, rerum ordo & diſtinctio poſtulant ea agnoſcenda eſt: quam vero hæc non poſtulant, eam verbis attribuere* (NB) *violentum eſt*. Et quid minus *præparare* ſe potuit *Judas* ad ſui præcipitationem, quam ad ſui *ſuſpendium*? Maxime cum nullius *præparationis* mentio fiat, quam quod *exierit*; & cur minus *exitu* illo opus habuit ad prius, quam ad poſterius? Non ponimus etiam mortem *Judæ* in ſolâ *inopinatâ ſuffocatione* ſive (ut Vir doctus loquitur) *anginâ*; ſed in ſui projectione, cujus proxima cauſa interna fuerunt cruciatus animi, quibus angebatur, quibus vexari ſe perſentiſcens, ἀνεχώρησε, ἀπήγξατο, & tandem præcipitem ſe dedit. Neque eſt quod ſingularem & paradoxam nimis ſententiam hanc quis dicat, cum, licet non antiquitate, veritate tamen nimis Manifeſtè ſe commendet; neque Summorum Virorum *Grotii*, *Pricæi*, &c, qui nuperrime demum prodiit, *Joh. Caſp. Suiceri*, ſuffragiis deſtituta ſit.

Turman. in 2 Sam. 17. §. 8.

Coccej. Summ. Theolog. cap. 6. §. 50.

Suicer. Theſaur. Eccleſ. pag. 405. 406. 407. 408.

XXII. Manet itaque, *Præcipitatione* periiſſe *Judam*; at ſpecialem ejus rationem quis explicet? Acquieſcendum hic divinæ revelationi, quæ dicit *pronum ipſum cecidiſſe, mediumque crepuiſſe*. Modum ejus penitius expiſcari & explicare aggreſſus eſt *D. Lightfootus*, dum ait; *Judam in ſublime raptum in ipſo aere a Diabolo ſuffocatum*

Ligtf. Loc. cit.

tum & ſtrangulatum fuiſſe, ac inde in terram projectum, crepuiſſe medium. Bene ſaltem eſt, quod in hoc nobiſcum conſentiat Vir Doctus, quod *Judas laqueo* non perierit. Sed an a Diabolo ideo in ſublime raptus, ac inde præcipitatus, ruptus ſit medius, dubito an vere & accurate ſatis dicatur. Diſerta Matthæi verba ſunt, *Et Judas projectis argenteis receſſit* &c. (ἀνεχώρησε καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο) *& abiens ſtrangulatus eſt*; non dicit *ablatus* vel in ſublime *evectus* eſt, ut debuiſſet, ſi Diabolus tortoris partes hic ſuſtinuiſſet. Quodſi etiam, ut verum eſt, exacte in hac *Judæ* Hiſtoriâ enarrarit Sp. Sanctus, quid in *Judam* valuerit præſtiteritque Diabolus, quæ ratio excogitari poteſt, ob quam hunc ultimum ejus conatum ſilentio præteriiſſet? maxime cum ejus enarratio ad juſtiſſimum & horrendum in flagitioſum hominem Dei judicium manifeſtandum, facere plurimum potuiſſet. Videtur etiam novo hoc commento *Judas* omni mortis ſuæ culpâ abſolvi; patiebatur enim tantum in hoc raptu & projectione, nihil agebat, ſolus exceſſus ipſius Diabolus autor erat; quod an ſtatuere fas ſit, & cum abominandâ *Judæ* deſperatione conciliari poſſit, doceri a *Lichtfooto* velim. Non nego, *conſonare cum nequiſſimi nebulonis demerito tractari ſic a Diabolo*, cujus quippe obſequio ſe tanto jam tempore mancipaverat: ſed an minus cum ejus demerito conſonuiſſe dicendum eſt, quod ſibi ipſi Diabolus & tortor extitit, omnibuſque ſuis ſceleribus, hoc etiam noviſſimum αὐτοφονίας peccatum adjecit, Deo peccata peccato juſto judicio vindicante? *Sed innotuit* (inquit) *Judæ hæc mors omnibus habitantibus Hieroſolymis*, ergo oportet ei non vulgare aliquid ſubfuiſſe: At quis negat ei extraordinarii quicquam ſubfuiſſe? *Non vulgare* certe fuit, quod hominem, pluribus jam notum, Pontifici M. Sacerdotibus, Scribis eorumque famulis cunctis forſan & ſingulis (horum enim conſortio procul dubio ſæpe interfuerat) extinctum eſſe, non ſubito tantum audiretur, ſed & præ mœrore & deſperatione præcipitem ſe dediſſe, effuſis omnibus viſceribus ſuis, diceretur & perciperetur. Et mirumne videri poteſt, caſus illius horribiliſſimi famam, *malum quo non velocius ullum*, univerſam mox Hieroſolymam pervolitaſſe? Poterantne aures Hieroſolymitanorum rumore hoc ad ſtuporem ſatis pulſari, niſi & hoc adderetur, quod ipſe Cacodæmon miſerum hominem ſurſum abripuiſſet, de-

orſumque in terram projeciſſet? Non obſedit Diabolus *Iudam* corporaliter, ut ſupponere videtur Vir Doctus, dum ait: *Tam horrendo exitu e Juda egreſſus eſt Diabolus*, quaſi prius ejus corpus occupaſſet; nam de egreſſu ex animâ ejus intelligi id non poteſt, quid enim facere is poterat ad raptum & præcipitationem hanc corporalem? Obſedit verè *Judam* Diabolus, ſed quid notetur eo in Scripturâ perſpicue explicat Johannes duobus Evangelii ſui locis: cap. ſcilicet XIII. verſ. 2. & 27. *Prior* habet: *Et Cœna facta, cum Diabolus jam immiſiſſet in cor Judæ Iſcariotis, ut traderet* eum. *Poſterior: Et poſt bucellam introivit in eum Satanas.* Loquitur utroque loco manifeſte de occupatione *cordis* per Diabolum, non *corporis*; utcunque hoc diſcrimine, quod verſ. 2. indicetur, incitaſſe Diabolum *Judam* ad *deliberationem* de Ieſu prodendo, verſu vero 27. ad flagitii ejuſdem plenariam *executionem*. Nempe (inquit Grotius) *ut quod animo propoſuerat id facto probaret.* Et paulo ante: Εἰσῆλθε δὲ ὁ Σατανᾶς εἰς Ἰούδαν, *ſicut qui divinis motibus pie obtemperant, tandem accipiunt Spiritum inhabitantem, ita qui ſuggeſtionibus Diaboli libere conſentiunt, tandem (Deo eos relinquente) mancipia Satanæ fiunt, ac tunc in ipſos ingredi Satanas dicitur. Vel*, ut Auguſtinus, *prius intraverat Satan in Iudam immittendo in cor ejus cogitationem, qua traderet Chriſtum, poſt autem in eum intravit, non ut tentaret alienum, ſed poſſideret ut proprium.*

Barrad. Concord. Evang. tom. 4. pag. 12.

Grot. in Luc. 22. 3.

Auguſt. in Ioh. Tract. 62.

XXIII. Obſervat Grotius ſuper *Iuda* hanc mortem, *Petrum Act. 1. verſ.* 18. *omnino caſu inopinato, quem Divina Providentia direxerit, non Judæ ipſius facto, exitu cauſam adſciviſſe*; quod utique temere & periculoſe dicitur: non enim id video in verbis Lucæ, quinimo veritati aperte repugnat. Nam, dico, vel præcipitatus eſt *Iudas*, vel non. Si non, quid igitur eſt πρηνὴς γενόμενος? Si imò, quis ipſum præcipitavit? vel alius quiſpiam? at quis ille fuit, an Diabolus? eſt hic *Lichtfooti* error jam profligatus; vel *Iudas* ipſe? ſed quomodo tum exitii proprii cauſa non fuit? Quanto rectius *Auguſtinus*, dum dixit; *Iudas, cum ſe ipſum occidit, ſceleratum hominem occidit: Et tamen non ſolum Chriſti verum etiam* ſuæ *mortis* reus *finivit hanc vitam, quia licet propter ſuum ſcelus, alio ſcelere* ſuo *occiſus eſt.* Neque in præjudicium admirandæ & juſtiſſimæ Dei Providentiæ cedere id dicendum eſt, quia eo magis elucere ea in miſerrimi hominis interitu potuit, quod is, qui totus a Satanâ occupatus proprii Domini & proditor & venditor ante fuerat, propriæ etiam vitæ tortor violatorque evaſerit.

Grot. in Matt. 27.

Auguſt. de Civit. Dei lib. 1. cap. 17.

XXIV. Sc-

XXIV. Seceſſit itaque ſic Judas εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, id eſt, mortuus eſt, & ad æternam perniciem mortuus eſt. Quæritur, in quod tempus id inciderit? Inclinare eo videtur *Grotius*, quod *Judas* non *ante* ſed *poſt* Chriſti mortem, imo poſt reſurrectionem ejus, interierit; quæ & Veterum quorundam opinio eſt, calculum ei etiam adjiciente Magno *Voſſio* his verbis: *Hiſtoriæ veritas conſtabit, ſi demum crucifixo Chriſto mortuoque vel etiam poſtero die cœperit Judas pœnitere. Amplius dicam, fortaſſe tum demum ſerio doluit ac argenteos retulit, poſtquam intellexit de Chriſti Reſurrectione.* Primarium, quo evincere id ſatagunt, argumentum eſt, quod Hiſtoria dicat, paulo antequam obiit *Judas*, ipſum Sacerdotum Principibus in *Templo* triginta argenteos retuliſſe, ipſoſque eos recipere noluiſſe; Principes (ajunt) Sacerdotum & Seniores Populi non fuerunt in templo antequam Chriſtus in crucem actus eſſet, vel forſan non antequam e mortuis reſurrexiſſet. Verum contraria ſententia, præterquam quod communior ſit, verior etiam videtur: exerte enim dicitur: Τότε ἰδὼν Ἰȣδας, ὅτι κατεκρίθη, μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε τὰ τριάκοντα ἀργύρια &c. *Tunc videns Judas, quod damnatus eſſet* (non quod crucifixus vel e mortuis ſuſcitatus eſſet) *pœnitentiâ ductus eſt, & retulit*, &c. At de quâ damnatione loquitur Matthæus? non de *Romanâ* Pilati, ſed de *Judaicâ* Sacerdotum, Seniorum, totiuſque Concilii ſanguinarii, cujus hiſtoriam mox finiverat. Ut neque dari ratio poteſt, ob quam narrationem hanc de pœnitentiâ *Judæ* iſtic loci Matthæus inſeruiſſet, ſi res narrata tanto demum intervallo poſt accidiſſet. Non inhæreo mordicus particulæ τότε, quaſi ob eam uſurpatam neceſſe ſemper eſſet, *narrationem reſtringi ad momentum rei, quæ proxime præceſſit*, ut loquitur *Voſſius*: concedo enim aliquando id locum non habere; tametſi negari non poſſit, ordinario tempus & ordinem per eam deſignari. Sed fateor, concipere me non poſſe, ſi Sp. Sanctus referre dicto loco intenderit rem *poſtmodum* demum futuram, quomodo eam per particulam τότε ad rem jam modo præteritam & non futuram retulerit; id eſt, cur non potius ad mortem & reſurrectionem Chriſti, quam ad condemnationem Judæorum, jam modo decretam. Neque ſolida eſt ratio, quæ adfertur, quod *Judas* ad Sacerdotes *in Templo*, antequam abiit, *argenteos retulerit*, illique in Templo non fuerint, niſi poſt Chriſtum jam mortuum, & forte e mortuis ſuſcitatum. Præſupponitur enim quod falſum eſt, ſal-

Hieronym. in Marc.
Voſſ. loco citat.

tem non uſque adeo certum: *Judam* nempe argenteos reddidiſſe Sacerdotibus in Templo commorantibus, quod textus nullibi dicit: quinimo Matthæus acceſſum Judæ ad dictos Sacerdotes a nummorum projectione expreſſe diſtinguit; *hanc* enim dicit, in Templo accidiſſe, *ille* ubi factus ſit, non determinat. Confer Matt. 27. 3. 5. *Obtulit* (inquit Barradius) *argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus, qui vel in Domo Cajaphæ erant vel in Domo Pilati, vel forte in ipſa viâ. Non enim ait Matthæus, retuliſſe argenteos Principibus Sacerdotum, qui erant in Templo.* Ἀυτοῖς ῥήμασι Auguſtinus: *Pauci fuerunt dies Apoſtolatus Judæ, quoniam* ante paſſionem Domini *ſcelere ipſius & morte conſumpti ſunt.* Et Ignatius *cum paranda eſſet crux* (ergo ante mortem Domini) *Dæmon pœnitentiam immiſit proditori, & laqueum monſtravit.*

Barrad. Concord. Evangel. lib. 7. cap. 1.

Auguſt. in Pſ. 109. 4. 5. 6.

Ignat. Ep. 8. ad Philip. penſ.

XXV. O infortunatum jam *Judam*, quartâ Lunâ natum, Proditorem miſerum! cui jure & vere paulo ante Servator: *Væ homini, per quem Filius hominis traditur, praſtitiſſet ipſi nunquam natum eſſe.* Dolor ac mœſtitia ob peccata ſuſcepta pelagus plerumque conſtituunt, quo peccata demerguntur; at infelicis Noſtri dolor & mœſtitia, Tartareo flante ſpiritu, magnam in corde ejus procellam excitarunt, quâ non tam peccata ejus abſorpta ſunt, quam ipſe deſperatione abſorptus & demerſus. Certo certius *anima* ejus ſepulta eſt in Inferno; *abiit* enim, teſte Lucâ, *ad proprium locum.* Sed quis dixerit, ubi laceratum & quaſſatum ejus *corpus* computruerit? quæ enim *Adrichomius* & *Oecumenius* de loco mortis & ſepulturæ ejus habent, cum nempe fuiſſe ſylvam quandam vel agrum ad *Occidentem* montis Sion, prædiumque illud præ fœtore deſertum ſemper manſiſſe, ac nunquam habitatum, imovero præterire uſque in hunc diem neminem poſſe, niſi naribus obturatis, vereor ne fabulas aniles magis oleant, quam divinam veritatem; rejiciuntur itaque merito, uſque dum juſtis rationibus confirmentur; quod fiet, credo, cum

Act. 1. 25.

Oecumen. in Act. 1.

Terra feret Stellas, Cœlum findetur aratro,
Unda dabit flammas, & dabit ignis aquas.

EXERCITATIO IX.

DE VERITATIS DIVINÆ PROFESSIONE.

BREVIARIUM.

Diſquiſitionis momentum & uſus. Halceſaitarum *hæreſis quæ? Ejus Duratio, Autor, Dogmata.* Scaligeri παρόραμα *notatum.* Thomas Hobbes *reſutatus.* Veritatis *Divinæ* profeſſio *quando neceſſaria, quando non neceſſaria? Verba Chriſti Matth.* 10. 33. *vindicata. Locus Matth.* 6. 7. *elucidatus.* Canes & Porci *qui?* Ὀνοματολογίας *ejus ratio.* Photini, *Epiſcopi Lugdunenſis, prudentia laudata.* Profeſſionis *veritatis neceſſitas* præcepti *tantum, non* medii. *Quo ſenſu* mutis & infantibus *etiam adſcribenda?* Paſſalornichitæ *Hæretici qui?* Raimundi Lullii, Pſeudo-Nicodemorum & Eceboliorum *perverſitas. Non loquacitas* tantum *ſed* & ſilentium *ſæpe damnoſum. Locus Amos* 5. 13. *illuſtratus.* Silentium *aliud* ſtuporis, patientiæ & prudentiæ, *aliud* deſperationis, meticuloſitatis & ſecuritatis. Hoc *ſemper illicitum*, illud *nonnunquam utile, imo neceſſarium. Quod variis diſtinctionibus explicatur.* Silentii *apud Romanos & Ægyptios Dii.* Diſſimulatio *in cauſâ Dei* quî *fructuosè aliquando inſtituenda?* Balduinus *pulſatus.*

1. DOcet Gentium Apoſtolus, Rom. 10. 10. non tantum fidei aſſenſum veritatibus divinis adhibendum, ſed & liberam ejus coram hominibus confeſſionem & profeſſionem edendam eſſe; quod etiam alibi paſſim inculcatur. Phil. 120. Matt. 10. 32. 1 Pet. 3. 15. Ἀμφοτέρων γὰρ

Theodoret. in Rom. 10. χρεία (ut bene *Theodoretus*) καὶ πίστεως ἀληθοῦς καὶ βεβαίας, καὶ ὁμολογίας σὺν παρρησίας γινομένης, ἵνα καὶ ἡ καρδία κοσμῆται τῷ ἀναμφιβόλῳ τῆς πίστεως, καὶ ἡ γλῶττα λαμπρύνηται ἀδεῶς κηρύττουσα τὴν ἀλήθειαν. *Utriſque enim opus eſt, & fide verâ ac firmâ, & confeſſione liberâ, ut & cor fidei ornetur certitudine, & lingua celebretur intrepide veritatem prædicans.* Cum vero certum ſit, omnibus circumſtantiis *profeſſionem* illam non convenire, non abs re erit, ſi in neceſſitatem ejus juſtam breviter inquiramus.

Cluver. Epit. Hiſtor. pag. m. 327. a. Maxime dum ei obſtrepit paſſim mundanorum hominum ſapientia carnalis, ex cujus præſcripto illi, quippe non parum, ut putant, ſæpe odioſæ & periculoſæ libenter ſe ſubducunt. *Helceſaitarum* hæreſis hinc olim pullulavit, ſufficere *corde* tenere fidem ſtatuens, licet *os* eam non confiteatur; quam profligatam dedit *Origines*. Sic de eâ Euſebius: φησὶ δὲ ὅτι τὸ ἀρνήσασθαι ἀδιάφορον ἐστι, καὶ ὁ μὲν νοήσας, τῷ στόματι ἐν ἀνάγκαις ἀρνήσεται· τῇ δὲ καρδίᾳ οὐχί. *Docet præterea indifferentem rem eſſe, Chriſtum abnegare: & eum, qui ſapit, ore quidem tenus in ipſo diſcrimine negaturum eſſe, ſed non ex animi*

Valeſ. in Euſeb. H. E. lib. 6. cap. 38. *ſententiâ.* Non diu tamen durâvit hæc opinio, verum ἣ καὶ ἅμα τῷ ἄρξασθαι ἀπέσβη, id eſt, *ſimul nata, ſimul extincta eſt*. Vocabantur hæretici illi Ἑλκεσαϊταὶ *Euſebio*, aliis ἑλκεσαῖοι: De Autore eorum

Epiphan. de Hæreſib. Scalig. Elench. Trihæreſ. cap. 27. litigant Eruditi. *Epiphanius* fuiſſe putat *Elxum* vel *Elxai* quendam, quem *Pſeudoprophetam* dicit, *qui, cum ſe Ebionais adjunxiſſet, autor novæ cujuſdam de Chriſto ſententiæ fuit, vagæ admodum & incertæ.* Eundem eum fuiſſe vult *Scaliger* cum *Eſſæo*, adeoque *Elceſaitas* eosdem cum *Eſſæis*; ſed haud probabile id eſt, eo quod *Elceſæi* vel *Elceſaitæ* cum uno σίγμα ſcribantur, *Eſſæi* cum duplici. *Hofmannus* cum *Samſæis* eos confundit, multoſque errores iis abſcribit: ut,

Hofman. Lexic. Univerſ. pag. 586. Flocken. Theolog. Elenct. part. 2. quod Paulum rejecerint; Judaizarint; ſingulari in veneratione habuerint Librum, quem e Cælo ſibi miſſum eſſe dicebant; Duos Chriſtos ſtatuerint, *Cæleſtem* unum, *terreſtrem* alterum; Aquam venerati ſint; nudipedes inceſſerint, animatorum eſu abſtinuerint; Magiæ dediti fuerint; &, quod huc pertinet, *ore fidem abnegare licitum habuerint.* Neque melius, quin pejus forte ſenſerunt *Priſcillianiſtæ*, de quibus hunc in modum Auguſtinus: *Ipſi* (inquit) *ſoli, vel*

Auguſt. ad Creſcent. cap. 1. *certe maxime ipſi reperiuntur, ad occultandam ſuam, quam putant, veritatem, dogmatizare mendacium, atque hoc tam magnum malum ideo juſtum exiſtimare, quia dicunt in* corde *retinendum eſſe, quod verum*

eſt,

eſt, ore antem ad alienos proferre falſum, *nullum eſſe peccatum; & ad hoc eſſe ſcriptum*: Qui loquitur veritatem in corde ſuo, *tanquam hoc ſatis ſit ad juſtitiam, etiamſi loquatur quiſque* in ore *mendacium.* Recoxit hanc crambem nuper *Thomas Hobbes*, Leviath. cap. 42. pag. m. 511. 512. ubi, diſtinctione factâ inter *fidem cordis* & *confeſſionem oris*, diſertè aſſerit: *Priorem*, ſi a Principe prohibeatur, omittendam non eſſe, quia *Dei donum* eſt; *poſteriorem* vero, ex mandato Principis intermitti non tantum poſſe, ſed etiam debere. Quia *confeſſio* oris *res tantum externa eſt, neque pluris facienda, quam quilibet alius corporis geſtus, quo obedientiam teſtamur.* Impiè ſane & portentoſe! prout vix melius quicquam exſpectari potuit ab homine, qui exploſam olim *Epicureorum* doctrinam, e cineribus in *Galliâ* reſuſcitatam nuper hauſit, & inter *Britannos* (utinam tantum inter illos!) ſparſit, tanquam genuinum ingenii ſui venenum, Philoſophorum omnium hujus ætatis longe audaciſſimus & impudentiſſimus,

Sharrock. Paræneſ. ad Iur. Studioſ.

II. Præſtanda itaque veritatis confeſſio eſt. I. Cum Divini Nominis gloria eam neceſſariò requirit. Exemplo *Chriſti* Joh. ul. 37. & *Apoſtolorum*, infinitorumque *Confeſſorum* & *Martyrum* Act. 4. 19. 20. & 20. 24. II. Cum, eâ intermiſſâ, proximi noſtri anima periculo exponeretur; argumento loci 1 Joh. 3. 16. III. Cum a talibus exigitur, quos diſcendi cupidos & inſtructione dignos novimus. Matt. 10. 11. 12. 1 Pet. 3. 18. IV. Cum Magiſtratuum juſſu ad eam conſtringimur. Matt. 10. 18. *Conſtringimur* (inquam) alioqui enim, & ab ipſis judicibus ſimpliciter & frigide *rogati*, non ſemper quod res eſt dicere tenemur. Matt. 21. 24. 25. 27 & 26. 63. Joh. 18. 20. Luc. 23. 9. Una horum omnium ratio eſt, quod Deus hiſce caſibus *confeſſionem* expreſſe mandet, ut ex allegatis locis liquet; imo iram ſuam quibuſvis eam intermittentibus denunciet. Sic enim Chriſtus Mat. 10. 33. *Quicunque me abnegaverit coram hominibus, abnegabo ego & eum coram Patre meo, qui eſt in Cœlis.* Neque excipit hic bene *Hobbes*: Voces *illas* πᾶς ὅστις *tantum* abeſſe, ut univerſaliter pro *omnibus & ſingulis* credentibus ſumi debeant, ut iis potius ſolis applicari debeant, qui, *poſt longam cum Chriſto converſationem in terrâ, teſtes erant facti* reſurrectionis, *& tandem per Chriſtum* ſpecialiter *ad Evangelii prædicationem deputati* & miſſi; quales fuerunt *Apoſtoli* & 70. *Diſcipuli.* Ipſi enim contextui hæc repugnant. Conf. verſ. 28. 29. &c. Præterquam quod Chriſtus & Paulus omnibus & ſingulis accommodent, quæ *Novator*

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 38.

Urſin. Tractat. Theologic. pag. 309. 300. &c.

Hobb. Liviath. cap. 42. pag. m. 514.

Novator hic ad ſolos Apoſtolos alioſve, extraordinario modo vocatos, reſtringit. Vid. Marc. 8. 24. 38. Luc. 9. 23. 2 Tim. 2. 11 12. 14.

III. Licet nihilominus in quibuſdam caſibus eam omittere, nempe (1) Cum expreſſe eam a Deo prohibitam eſſe, certi ſumus. Matt. 9 20. Marc. 7. 36. (2) Cum captioſe & inſidioſe rogamur; prout Salvatori non ſemel accidit. Confer. Prov. 16. 4. (3.) Cum nemini in ædificationem ceſſura eſt: idque vel ob *impotentiam* quandam *naturalem*, ut ſi cum *infantibus* res ſit; vel ob *indiſpoſitionem accidentalem*, ſi vel *amens* vel *furioſus* eam requirat; vel ob *malitiam moralem*, ut ſi res ſit cum peccatoribus profligatiſſimis & plane incorrigibilibus, cum *Canibus* & *Suibus*, Matt. 7. 6.

Voet Polit. Eccleſ. part. 2. pag. 97.

Prudent. ςεφάνων Hymn. 10.

Margaritas ſpargere
Chriſti vetamur inter immundas ſues,
Lutulenta ſanctum ne terant animalia.

Canebat olim *Romanus* Martyr, apud *Prudentium*.

Scultet. in Evangel. cap. 41.

Chryſoſtom. & Theophyl. in Matt. 7. 6.

IV. At notandum, quinam pro *Canibus* ejuſmodi & *Suibus* vel *Porcis* habendi ſint? Per *Canes* intelligunt *Chryſoſtomus* & *Theophylactus* infideles, Judæos, Gentiles, &c. per *Porcos* hæreticos, ſectarios &c. ſed neſcio an non nimis anguſte. Melius puto, *Canes* & *porcos* pro iiſdem ſumi, per eoſque deſignari ſenſu latiore omnes illos, qui (1) indeſinenter & impudenter veritati Divinæ oblatrant, prout *Canes* ignotis hoſpitibus ſolent. Act. 13. 46. (II) Qui, *Porcorum* inſtar, non tantum βορβορώδη βίον ἔχουσι, (verbum eſt *Theophylacti*) id-eſt, *impuram vitam agunt*, ſed continuo etiam bonum Dei verbum conſpurcant & commaculant; quales ſunt blaſphemi, riſores, profani. *Porci* enim non ſolum non æſtimant *margaritas*, quæ apud homines in pretio ſunt, ſed pedibus eas proterunt, cœnoque ac fimo immergunt (III.) Qui notorii veritatis divinæ oppreſſores & perſecutores ſunt. Non dico *perſonarum* tantum, quæ veritatem profitentur, perſecutores, ſed *ipſius etiam veritatis*, adeoque & ipſius Dei in ea veritate; ut *Elymas Magus* Act. 13. 8. (IV.) De quibus manifeſtum eſt, quod verbum Dei in ſui bonum accepturi non ſint, prout de *ſuibus* certum eſt, quod *margaritas* non tantum non edant, ſed pedibus ſuis turpiter proculcent. Breviter *porci* & *canes* Chriſto ſunt omnes homines *deſperatæ malitiæ*, ut loquitur *Beza*. Id eſt, qui, dum monentur, non tantum non emendantur, ſed deteriorantur potius, oblatrant, mordent, &, ut offendant monentes, eo magis ſe inquinant, quo ſtudioſiores illi ſunt in abluendis, quibus fœtent, ſordibus.

Perkinſ. in Matt. 7. 6. op. tom. 2. p. 503. 504.

Beza in Matt. 7. 6.

Druſ. in Proverb. Hebraic. Claſſ. 2. lib. 4. §. 60.

Chryſoſt. in Matt. homil. 23.

Quo-

Quorum illuſtre exemplum impius *Achaz* fuit. 2. *Chron.* 28. 22. Communis *Canum* mos eſt, ut fortius repulſi fortius iterum inſultent, in quo homines præfractæ nequitiæ imitatores habent. Plutarchus, Οὐ γὰρ ἁπλῶς νουθετούμενος ἔρως μᾶλλον πιέζει, καθ' Εὐριπίδην· Ἀλλ' ἐὰν νουθετῇ τις ἐν πολλοῖς καὶ μὴ φειδόμενος, πᾶν νόσημα καὶ πᾶν πάθος εἰς τὸ ἀναισχυντῶν καθίστησιν. *Plutarch. de Dyſcrim. Adulator. & Amici.* *Neque enim amor tantum increpitus conſtringit magis, quod* Euripides *monuit: ſed affectus morbuſque quivis, ſi coram multis quis, nec modo obſervato, corripuerit, impudentiam ſolet contrahere.* Sicque *Ovid. Fab. lib.* 3.

Acrior admonitu eſt, irritaturque retenta
Et creſcit rabies.

Porci & *Canes* ſunt (teſte Ambroſio) *qui in* Hæreditatem Chriſti *irrumpere geſtiunt: magiſtri luxuriæ, pudicitiæ oſores, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris.* *Coſterius in Vit. Ambroſ.*

V. Ratio vero, cur *Canum* & *Porcorum* nomine hi veniant, hæc præcipuè eſt, quod Deo ingratiſſimi ſint, non minus ac utrumque ſemper animalium id genus perquam inviſum execrandumque ex Lege ipſi fuit. Conjunguntur etiam *hi* duo *tum* loco allegato Matt. 7. 6. *tum* 2 Pet. 2. 21. quia ambo in projectiſſimâ impuritate & immunditie exactè conveniunt. *Horatius* de Ulyſſe, *Bochart. de Anim. part.* 1. *pag.* 704. *Urſin. Analect. Sacr. L.* 5. *cap.* 17.

Vixiſſet canis immundus, *vel amica luto* ſus.

Et ad Julium Florum: *Horat. Epiſtol. lib.* 1. & 2.

Hàc rabioſa fugit canis, *hàc lutulenta ruit* ſus.

Quodſi ergo (dico) cum talibus verſandum ſit, neque utile neque licitum eſt, ſancta & ſacra ipſis objicere, ne cæleſtia Dei myſteria ignominiæ & ludibrio exponantur. Eo magis, quod (ut ritè Cyprianus) *labor irritus ſit & nullius effectus, offerre lumen cœco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto.* *Nulliſque* (juxta Senecam) *niſi audituro dicendum ſit.* Et, ut ille, *Cyprian. c. Demetr.* *Senec. Ep.* 29.

Cur inefficaciter
Secreta rerum in non tenacem effunderem?
In non ſequacem quis profunda ogganiat? *Feſt. Avien.*

Inſigne prudentiæ hujus exemplum præbuit olim *Photinus*, Lugdunenſis Epiſcopus; de quo ſic Magdeburgenſes: *Confeſſionem coram judicibus intrepidè edidit, verum ſannis Præſes ſeriam confeſſionem venerandi Senis (erat enim jam nonagenarius) excipiens,* quiſnam ſit Deus Chriſtianorum, *quærit. Quum autem* Photinus *non obſcure cerneret, eum non ſimplici dicendi ſtudio interrogare, ſed ut ſarcaſmis Chriſtianos exagitaret, noluit margaritas ante porcos projicere, neque aliud ei reſponſum dedit, quam hoc:* Si dignus fueris, cognoſces. Imò & ipſis Paganis, quoad id *Magdeburgenſ. Cent.* 2. *c.* 10

 genus

Digitized by Google

Caſaubon. adv. Baron. Exercit. 16. pag. m. 551.

genus hominum, ſacrorum ſuorum *ſilentium* commendatiſſimum fuit. *Supra omnia* enim (teſte Caſaubono) *diligentiſſimè caveri ſolitum, ne horum ſacrorum* (quæ ſcil. Liberum Patrem, id eſt, *Bachum* concernebant) *arcana* τοῖς ἀμυήτοις, *hoc eſt, religionis imprudentibus, quos* profanos *vocabant, innoteſcerent.* Et paulo poſt: *Atque hujus* [ſilentii] *tanta fuit religio, ut nec qui violaret, nec qui oculos curioſe in hæc ſacra immitteret, impunè ferret.* Quod ſi ergo ullibi, utique hic ex Veterum dicto procedendum eſt:

Ἑκὰς, ἑκὰς ὅς τις ἀλιτρὸς.

Procul hinc, procul eſte profani.

VI. Verum enimvero utcunque Apoſtolus Roman. 10. 10. dicat, *ore nos confiteri ad ſalutem*, non credendum tamen, id *infantum* vel *mutorum* beatitudini quicquam præjudicare, quaſi ſalute illi exciderent, eo quod confiteri *ore* non poſſint. Profeſſionis enim Divinæ veritatis neceſſitas non eſt *medii* ſed *præcepti*; mutique ac infantes impotentiâ non *morali* ſed mere *naturali* vel *accidentariâ* inepti ad illam tantum ſunt. Poteſt etiam confeſſio ſeu profeſſio conſiderari vel quoad *affectum*, vel quoad *effectum*; affectuſque ille iterum eſſe vel *radicalis* vel *actualis*; atque hoc ſenſu ne ipſis quidem infantibus omnis profeſſio eſt deneganda; poteſt enim commode ipſis tribui *radicalis* illa *quoad affectum*, quippe quæ nihil aliud eſt, quam γνήσιον profeſſionis illius principium, ſive ipſe fidei Spiritus, quo vere piorum liberi ab ipſis incunabilis donati eſſe cenſentur. Prout & *mutis* profeſſio quædam *realis*, per bonorum operum exercitium adſcribi poteſt, utcunque non *oralis*, propter inſtrumentorum ineptitudinem. Atque in hos tum quadrat, quod *Paulus*, aliâ licet occaſione, dixit: Εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται καθὸ ἐὰν ἔχῃ τις, εὐπρόσδεκτος, οὐ καθὸ οὐκ ἔχει. 2 Cor. 8. 12.

Calvin. ad Pſeudo-Nicodem.

VII. *Præcepti* tamen *neceſſitas* (ut dixi) *orali* confeſſioni omninò competit. Unde minime opponenda ei ſunt *Nicodemi*, *Joſephi Arimathæenſis* aliorumque exempla, quippe illaudabilia plane; neque enim vel piiſſimorum hominum infirmitates laxare Dei mandatum poſſunt. Licetque in particulari meticuloſitatem eorum non perſtinxerit Jeſus in Evangeliis, non obſcure tamen eam improbare ſe demonſtravit, dum tam ſignanter & cũ ἐμφάσει in Verbo ſuo notari & memorari illam voluit. Valeant itaque hic præter *Helſaceitas*, de quibus ante, etiam *Paſſalornchita*, qui digitum impo-

Socrat. Hiſt. Eccleſ. Libr. pag. m. 184.

ponentes in nares & ora ſua, & in labia, quaſi *ſilentium* ſemper exercebant, non rei alius niſi taciturnitatis quaſi ſtudium commendantes; *Faciebant* hoc (inquit Philaſtrius) *quia Prophetas cupiebant imitari, quia ait Propheta: Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Valeant *Raimundi Lullii*, cognom. *Neophyti*, ſectatores, qui, utut ex Judæo Chriſtianus factus, *judaizare* tamen in multis non deſtitit, & inter varia abſurda E. G. *dæmonem* aliquando cultu latriæ adorari poſſe, legem *Muhammedis* æque orthodoxam ac legem *Chriſti* eſſe, Deum *malos* amare &c. hoc etiam tenuit: *Vi tormentorum ipſum Deum abnegare licitum eſſe.* Qui peſtilentiſſimus *Eſſæorum* vel *Eſſenorum* error etiam fuit, dicentium (teſte Epiphanio) μὴ εἶναι ἁμαρτίαν, εἰ καὶ περιτύχοιεν εἴδωλα προσκυνῆσαι καιροῦ ἐνεστῶτος διωγμοῦ, ἐὰν μόνον ἐν τῇ συνειδήσει μὴ προσκυνήσῃ, καὶ εἴ τι δ' ἂν ὁμολογήσῃ ἐν στόματι, ἐν δὲ τῇ καρδίᾳ μή. *Non eſſe peccatum, etiamſi quis, inſtante perſecutione, idola adoret, dummodo in conſcientiâ non adoret, &, ſi quod ore fuerit profeſſus,* corde *non profiteatur.* Imò euſque quidam proceſſerunt, ut aſſererent, φονέα εἶναι αὐτὸν ἑαυτοῦ, τὸν διὰ θανάτου ὁμολογήσαντα. *Eum eſſe ſui occiſorem, & ſibi mortem conſciſcere, qui per mortem fuerit confeſſus.* Valeant denique quotquot ſunt *Pſeudo-Nicodemi* vel leviſſimi *Ecebolii* imitatores, quos exemplis hujuſmodi paſſim certare, nullâ non experientiâ comprobatum eſt. Neque enim verum in omni caſu eſt quod vulgo dicitur:

Philaſtr. de Hæreſib.

Bouvillan. in Vit. Raimundi Lully.

Epiphan. de Hæreſ. pag. 23.

Clemens Alexand. Stromat. 4.

> ***nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.***

Sive, ut apud Poëtam Græcum,

> Ἅπασι μεταμέλειας ἀνθρώποις φέρει
> Μονὴ σιωπὴ μεταμέλειαν οὐ φέρει.
>
> ***Rei nullius non eſt pœnitentia,***
> ***Immune conſtat ſolum ab hoc*** ſilentium.

Tam enim *ſiluiſſe* quam *locutum eſſe* non raro in vitio fuit, & ſummum damnum intulit. Peſſundedit olim *Athenas* garrulitas, at & *Amyclæ* tacendo periêre; cum, hoſtium turmis inopinato invadentibus, nemo omnium periculum indicare vel auſus ſit, vel voluerit. Certe ſpeculatores in populo Dei in magno non tantum periculo, ſed & exitio conſtituti ſunt, ſi *tacuerint*, ubi loqui fas fuit, cum *ſilentium* ipſorum ***aliis in damnum, ipſis in damnationem ceſſurum ſit***, ut inquit *Bernardus*. Æthra apud ***Euripidem***:

Virgil. Æneid. lib. 10.

Bernard. Serm. Solenn. 99.

Οὔτοι

Eurip. Οὔ τοι σιωπᾷς εἶτα μέμψομαί ποτε
Τὴν σὴν σιωπὴν, ὡς ἐσιγήθη κακῶς.
Ego igitur haud ſilebo, ne me in poſterum
Taciturnitatis pigeat & pudeat mea.

VIII. Ut neque πλυθρύλλητον illud obſtat, quod eſt apud *Amoſum* cap. 5. 13. *Idcirco tempore illo intelligens* ſilebit, *quum tempus mali erit*. Non enim in liquido eſt, ſitne locus ille tantum *prædictivus* an vero & *præceptivus*; nam ſi prædictivus duntaxat ſit, tum innuit tantum, quid profligatis iſtis temporibus, quo ibi reſpicit Propheta, futurum eſſet, non quid fieri oporteret. Neque dubito, cum in enarrandis temporum calamitatibus *Amos* ibi verſaretur, quin denunciare duntaxat intenderit, quo uſque illæ, Divinâ dirigente vindictâ, excreſcerent, nempe ut *ſilerent* ſuper iis intelligentes; idque vel præ *ſtupore*, ut ſtarent comæ eorum, voxque faucibus hæreret. Jer. 20. 9. Ezech. 3. 16. prout

Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent:

altuſque ſæpe ex re inſolitâ in præcordiis dolor eſt, e dolore *ſilentium* &

magna libido tacendi.

Sicut *ſeptiduanum* amicorum Jobi *ſilentium* huc etiam referendum eſt. Job. 2. 13. Vel ex *Judicum iniquorum metu*, qui *odio habebant in portâ redarguentes*, ut verſus 10. ejuſdem Capitis habet. Imò vero licet daretur, *præceptivum* etiam textum illum eſſe, haud opus tamen eſt, ut veritatis confeſſioni quicquam deroget: dici enim tunc poteſt, nullum aliud *ſilentium* Deum ibi præcipere, quam quod eſt vel *patientiæ*, quo judiciis divinis, utcunque graviſſimis, juſtiſſimis tamen, non oggannimus, ſed libenter nos ipſos ſubmittimus: quod *os taciturnitatis honore ſignatum* Tertulliano nuncupatur. Pſ. 62. 2. Levit. 10. 3. 4. vel *prudentiæ*, quo perſtringendis peccatoribus ad tempus ſuperſedemus, quia in fumum omnis admonitio abit, imo emendandis eam rebus obeſſe magis, quam prodeſſe deprehendimus. *Tacebit prudens* (verba ſunt Illuſtr. Grotii in h. l.) *ne aliis nihil proſit, ſibi vero malum adferat*. *Ezech*. 3. 28. Horatius:

Lev. 10. 3. *Pſ.* 39. 10. & 62. 2. *Thren.* 3. 28.

Horat. Satyr. 1. *lib.* 2.

niſi dextro tempore, *Flacci*,
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem.

Et

Et Ovidius:

> *Non adiit juſtè, non legit* idonea, *credo,*
> *Tempora.* — Ovid. Metam. 9.

At nihil hoc facit ad ſilentium *deſperationis* Jer. 20. 9. vel *meticuloſitatis* Matth. 27. 57. vel *ſecuritatis*; quippe quod ſemper improbandum eſt, & ab *Amoſo* hoc loco neque conceditur neque præcipitur.

IX. *Silentium* itaque aliquod *prudentia* concedi nonnunquam oportere, nemo, credo, inficias ibit: quo & Pythagoricum illud, juxta Apulejum, referas: *Primum ſapientiæ rudimentum eſſe, meditari condiſcere,* loquitari *dediſcere.* At quando huic locus ſit, majoris eſt difficultatis: facile enim ſub ejus prætextu ſurrepit carnalis quidam metus, ἀνθρωπαρέσκεια, vel ſimile quid, quod zelum extinguit. Tenendum ergo, tum demum & licitum & opportunum id eſſe, cum (ut mox aſſeruimus) ex prudentum judicio, divinæ cauſæ loquendo plus damni, quam ſubſidii videtur inferendum. Dico ex [*prudentum judicio*] eorumque quidem, qui ſe in Dei cauſâ animoſiores ſemper præbuerunt, variâque didicerunt experientiâ, quibus præcipue mediis & tutari & promoveri res Eccleſiæ poſſunt. Neque enim audiendi hic ſunt homines timidiores vel meticuloſiores, ut neque concedendum quicquam incredulitati humanæ, quâ nequaquam fere Dei promiſſionibus, ut oportet, nixi, mox vel noxium, vel arduum nimis, vel infructuoſum fore arbitramur, quod mundo peccatoribuſque ingratum ac inviſum fore, aut commodis noſtris haud bene ſatis inſerviturum eſſe, præſagimus. Loquimur enim de *cauſâ Dei* juvandâ, non *noſtrâ*; adeoque ſi in *ſilentio* hoc res magis noſtras, quam Dei, reſpiciamus, intendamus, curemus, utique dicendi ſumus, non tam ſpirituali *prudentia*, quam nobis ipſis & Philautiæ noſtræ ſacrificare. — *Apul. in Florid.*

X. Sed preſſius hac de re ob materiæ momentum. Succurrendum ſemper eſt cauſæ piæ & juſtæ, ſed *legitimis mediis*; proinde nunquam *ſimulatione*, veritatiſque aut negatione aut proſtitutione; *Valemus* enim *omnia pro veritate non contra veritatem:* Neque *lingua conduta a Chriſto ſonare unquam quid debet contra Chriſtum*, ut verba ſunt Martyris cujuſdam, cujus *Baſilius* meminit. At ſecus ſe res habet, ſi de *diſſimulatione* quæſtio ſit, quâ nempe neutiquam quidem veritati obloquimur, ſed — *Baſil.*

neque omnem veritatem, in his vel illis circumſtantiis ſemper prodimus, quam, in aliis circumſtantiis conſtituti, haud gravatè procul dubio proderemus. Simulamus, ut notum eſt, falſa, diſſimulamus *vera*; *illud* ſemper peccatum eſt, *hoc* non ſemper, ſed tum demum, cum circumſtantiæ id malum faciunt. Quapropter non uno modo hic diſtinguendum: Perſona enim, de cujus *diſſimulatione* & *ſilentio* quæritur, eſſe poteſt vel *publica* vel *privata*. E. G. vel magiſtratus vel ſubditus, Eccleſiæ membrum vel Eccleſiæ miniſter. Poteſt etiam *cauſa* pia hic & nunc *periculo expoſita eſſe*, vel *non eſſe*; eaque vel in *ſcenam produci* vel *non produci*; nec non illud, quod de eâ depromitur, eſſe vel *leviculum* & minus principale, vel *principale* & gravioris momenti. Si ergo *privatus* quis ſit, neque de ſenſu ſuo circa hæc vel illa ſacra rogetur, ſilentioque ſive diſſimulatione ſuâ cauſam Dei juvare poſſit; non licet tantum ei mentis ſuæ ſententiam, quoad illa negotia, quadantenus tum premere, ſed & officii ejus eſt, ut eam premat. Verum nequaquam id licet, ſi *perſona* illa vel politicè vel Eccleſiaſtice *publica* ſit, atque adeo ipſius muneris ratione ad religionis curam teneatur, illiuſque aliquid, quod *magni momenti* eſt, in ſcenam producatur. Tum enim ſi taceat miniſter Dei, prodere ejus cauſam dicendus eſt, non tueri, nedum promovere. Ita enim *uno eodemque ſilentio firmat errorem qui loquendo non adſtruit veritatem*, teſte Fulgentio. Graviter Baſilius Cæſarienſis: ὅτι ὁ πιστευθεὶς τὸν λόγον τῆς τοῦ Κυρίου διδασκαλίας, ἐὰν σιωπήσῃ τι τῶν ἀναγκαίων εἰς τὴν πρὸς Θεὸν εὐαρέστησιν, ἔνοχός ἐστι τοῦ αἵματος τῶν κινδυνευόντων. *Quod cui commiſſa eſt prædicanda Doctrina Domini, is, ſiquid* reticuerit *eorum quæ ad Deo placendum neceſſaria ſunt, reus eſt ſanguinis eorum, qui periclitantur.* Et Victor Carthaginenſis ad Theodorum Papam: *Imminendum eſt* (inquit) *ne torpore deſidiæ oppreſſi, culpæ* taciturnitatis *teſtemur obnoxii & quaſi favorem impendentes judicemur, dum adverſa Catholicæ fidei propulſare negligimus.* At qualiſcunque perſona illa ſit, ſive publica ſive privata, ſi negotium, religionem ſpectans, quod proponitur, levis *ponderis* tantum ſit, Deique cauſa in communi *tacendo* quam loquendo juvari magis poſſit, etiam tum conſultum eſt, Eccleſiæ rebus opportunâ veritatis diſſimulatione prodeſſe potius, quam temerariâ & præproperâ illius profeſſione & elocutione ei obeſſe. Ratio in promptu eſt, quia finis, quo rei *minoris momenti* in religione profeſſionem tendere oportet, nihil aliud quam rerum *majoris momenti* promotio eſ-

ſe

Gataker. Advers. cap. 10. p. 92.

Chryſoſtom. in Matth. Homil. 25.

Urſin. Tract. Theologic. p. 299. 300. 311.

Fulgent. de Myſter. Mediat.

Baſil. in Moral. reg. 70. cap. 7.

Victor. in Ep. Synod ad Theod. Pap.

ſe debet; quâ promotione cum dicta veritatis profeſſio eo in caſu non tântum careret, ſed & contrarium ejus procul dubio efficeret, quis non videt, eam omittendam potius, quam committendam tum eſſe, ut rem nempe inutilem & noxiam? Hinc ſingulares *Silentii* Deos Deaſque habuerunt quidam inter Gentiles: *Romani* Angeronam ſuam, alii dicunt Ageroniam, quod, Auguſtino teſte, ad *agendum* excitet. *Ægypty* Harpocratem, ex Iſide & Oſiride præmaturo partu editum, qui, admoto ori digito, *ſilentium indicebat*. Erat hic Græcus Philoſophus, cujus præcepta eo maximè tendebant, ut *ſilentium* commendaret: hinc *Harpocratem reddere* proverbaliter eſt *mutum* aliquem facere. Catullus: *Auguſtin. de Civit. D. lib. 4. cap. 6.*

Et Patruum reddidit Harpocratem.

Ovidius, Deos Iſidis comites dinumerans, *Eraſm. in Adag.*

Sanctaque Bubaſtis, variuſque coloribus apis,
Quique premit vocem digitoque ſilentia *ſuadet.* *Catull. Epig. 75.* *Ovid. Metamorph. lib. 9.*

Angerona ἐχεμυθίας patrona fuit; ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν: *Dea conſilii & opportunitatis*, quæ præſit conſiliis, quia in iis *ſilentio* ſæpe opus eſt, cum negotiorum ratio id vel fert, vel requirit *Lingua eruditorum eſt* (inquit Ambroſius) *ut ſciam, quando oporteat ſermonem dicere. Meritò ergo ſapiens, qui a Domino accipit, quo tempore ſibi loquendum ſit.* Et paulo ante: *Quid præ cæteris debemus diſcere, quam* tacere, *ut poſſimus* loqui, *ne prius me vox condemnet* mea, *quam abſolvat* aliena. *Quid opus eſt igitur, ut properes periculum ſuſcipere condemnationis* loquendo, *cum* tacendo *poſſis eſſe tutior?* Et inter Paganos Cicero: *Peritum eſſe neceſſe eſt eum*, qui ſilentium *quid ſit* (tempeſtivum puta) *intelligat*. *Philoxen. in Gloſſ.* *Ambroſ. Off. lib. 1. cap. 2.* *Caſſiodor. p. 357.* *Cicer. 2. de Divinat.*

XI. Interim haud ſimplici viâ (quod notandum) *diſſimulatio* hujuſmodi inſtitui poteſt: *Vel* enim emanere e tali conſeſſu conſortiove poſſumus, ubi rem, de quâ dici nihil opus eſt, tractandam vel agitandam eſſe prævidemus. *Vel*, ſi præſentes eſſe neceſſe ſit, ſuffragandi vicibus nos ſubducere, *vel* ita ſermones noſtros (nihil tamen adverſus veritatem producentes) diſponere, ut probabile ſit, auditores planè aliud quid, ac res reverâ ſe habet, collecturos inde eſſe. Vid. Act. 23. 6. 7. 8. *vel* interrogationem interrogationi opponere; *vel* ſimpliciter

Digitized by Google

pliciter tantum diſſenſum noſtrum , ſine operoſiore adverſæ partis oppugnatione & confutatione indicare , *vel* denique inquirentem ſolerti artificio a re quæſitâ ad ſermones heterogeneos abducere , &c. Neque incurretur ſic tamen in aureum Apoſtoli monitum : *Non eſſe faciendum malum , ut eveniat bonum* ; quoniam diſſimulatio hujuſmodi peccatum neutiquam eſt , ſed res bona , utilis , neceſſaria ; ut jam diximus modo , & infra forte plenius diducemus. Multo minus omnis hujuſmodi interogantium, etiam privatorum, illuſio pro *mendacio* hadenda eſt , ut hallucinatur *Balduinus* : mentiri enim ille tantum dicendus eſt , qui contra mentis ſenſum loquitur, non quiſquis mentis ſenſum ad tempus celat , vel apertionem ejus, nullâ neceſſitate preſſus, nullâ ædificationis ſpe motus , prudenter aliquando declinat aut differt. Quanto rectius Freidlibius , ejuſdem profeſſionis cum *Balduino* conſors , dum ait : *Aliud eſt* mentiri & ſimulare ; *aliud* celare. *Illud eſt vanorum & impiorum hominum* ; *hoc autem eſt prudentium , qui multa honeſtis de cauſis ſuo tempore diſſimulant* Imo *in ipſâ Scripturâ* (Auguſtino teſte) *vera aliquando tacentur* , non mentiendo , *ſed tacendo.*

Balduin. de Caſib. Conſcient. lib. 2. cap. 1. caſ. 13.

Freidlib. in lib. Eſth. Claſſ. 4.

Auguſtin. ad Conſent. cap. 10.

EXERCITATIO X.

DE

ABNEGATIONE FIDEI.

BREVIARIUM.

Fidei abnegatio *duplex* , oris & operis. *Hæc illâ multo pejor , & quare ?* *Peccati in Sp. S atrocitas unde ?* *Abnegatio fidei per* opera *quo ſenſu* irregenitis *propria ?* *Abnegationis* oralis *in ipſis etiam regenitis ſpecimina varia.* Traditores, Lapſi , Libellatici , Sacrificantes , Thurificantes , Blaſphemantes *in Veteri Eccleſiâ qui ?* Libellaticorum *triplex olim genus.* Hi *cur ſupra alios maxime exoſi ?* Modus, *quo abne-*

Digitized by Google

abnegatio Oralis *cadere in regenitos poſſit, explicatus.* Henrici IV. *Galliarum Regis, a Reformatâ ad Papalem religionem apoſtaſia. Piorum, qui abnegarant antea veritatem, παλινῳδία variorum exemplis demonſtrata* Abnegationis *imminentis prœludia.* Tertulliani *laus. Ejus ad* Montaniſmum *ſeceſſus magna Eccleſiæ tentatio.* Epicteti & Epicuri *inter ſuos æſtimatio admiranda. Horrenda in* Apoſtatas *Dei judicia. Veteris Eccleſiæ ſevera nimis in* Lapſos *cenſura. Quænam inde* incommoda *olim oborta?* Eudemonis *Presbyteri conſilium ſuper eâ* Nectario *datum.* Socratis Scholaſtici *de* Conſilio *eo judicium.* Conſtantii Imperatoris *Aulicorum ſuorum probatio arguta.* Hebræorum *in perdendis & damnandis* Apoſtatis *rigor.*

I. PRout Capite præcedente de *Veritatis profeſſione* diximus, ita jam agendum de ejus *abnegatione* & *abjuratione*, quæ vel *ore* fit, vel *opere*. Proditque ſe mox hic inſignis quorundam impoſtura, qui *poſteriorem* abnegationem leviter fere habent, modo *prioris* rei non ſint; id eſt, exiſtimant, ſe ſat fidos Deo manere, dum *operibus* eum negant, voce & *ore* ipſum profitentes. Cujus contrarium evidenter Apoſtolus pronunciat, Tit.1.verſ.15. cum aſſerit, non de piis, ſed de illis qui *rebelles & abominandi ſunt, & ad omne bonum opus* ἀδόκιμοι, quod *profiteantur* ore *Deum*, factis *vero ipſum negent*.

II. Et ſummo quidem jure, cum omnis *confeſſio* ſine *opere* fucus tantum ſit, non confeſſio; oriri enim hanc oportet, ſi genuina erit, ex Divinæ Veritatis fide, quæ *juxta pietatem eſt*. At illa cum operibus ordinario pietati adverſantibus non conſiſtit. 1 Joh.4.5. *Zanch. Oper. Theolog. tom. 4. pag. m. 558.*

III. Imovero atrocior paſſim Fidei abnegatio eſt, quæ per *opera* ſit, quam quæ *ore* committitur: quia poſito, quod nihil *os* dicat, quam quod *animus* dictat, ſemper contra conſcientiæ dictamen itur, ſi opera in contrarium abeant. Ludibrio etiam Cæleſtis veritas exponitur, ſi verba, factis *deficientibus*, *erubeſcere* ſinamus. Quinimo nihil excogitari pene poteſt, quo magis, qui a divinâ veritate deviant, in erroribus ſuis confirmentur, quam ſi factis everti videant, quod verbis antea aſſertum fuit. Ne addam, multo etiam difficilius curari poſſe *operum* quam *verborum* *Tertull.*

 abne-

Digitized by Google

abnegationem, contracto e peccandi conſuetudine habitu, quæ non niſi ſummâ moleſtiâ eradicatur. *An* enim (inquit Propheta) *Æthiops mutare poteſt cutem ſuam, & pardus liventes maculas ſuas? ſic etiam vos valetis benefacere, edocti malè facere.* Jer. 13.23. Prout & illi paſſim gravius & atrocius peccant, qui in iis delinquunt rebus, quas naturæ lumine faciendas eſſe palam eſt, quam qui a talibus recedunt, quæ non niſi per revelationem extrinſecam innoteſcunt. At *opere* Deum abnegantes præſtant *prius*, quoniam virtutes pleræque exercendæ naturaliter notæ nobis ſunt, imperfectè ſaltem; *ore* vero veritatibus repudium mittentes *poſterius* tantum faciunt; ſi nempe de iſtiuſmodi veritatibus, quæ fidei myſteria propriè ſunt, ſermo inſtituatur. Excipio enim hic peccantes in Sp. S. cum confeſſio eorum pro objecto non tantum habeat veritates divinas, ut externâ verbi prædicatione tantum manifeſtatas, ſed etiam ut illuminatione & convictione internâ, ipſius Spiritus S. operâ, mentibus inſinuatas & intimatas. Vid. Heb. 6.4. Unde & conſequi neceſſè eſt, earum abnegationem quavis aliâ impietate graviorem & abominabiliorem ſemper eſſe, quum ſat directè ipſum Deum impugnet, veritatis odium, virulentiſſimam ejuſdem δίωξιν ſive inſectationem, finalem impœnitentiam, inexorabilem denique Dei vindictam conjunctam ſemper habeat.

IV. Atque hinc fidei hæc Abnegatio, quæ (ut jam dictum) *orali* multo pejor eſt, in ſolos etiam irregenitos cadit, conteſtante Apoſtolo loco mox citato. Vix enim videas veré converſos, quorum eſt *fructus pœnitentiæ dignos ferre*, vitam confeſſioni ſuæ reclamantem agere, niſi ad breve forſan tempus tantum, vehementique tentatione præcipitatos & abreptos.

V. Aſt aliter ſe res habet cum Abnegatione *orali*. Conſtat enim, non tantum ex Chriſti prædictione Matt. 10. & 24. Capp. ſed & multorum exemplis, etiam piiſſimos quoſdam in eam nonnunquam incidiſſe. Docuêre id ſuo damno *Petrus* Apoſtolus, *Bilneus* & *Cranmerus* Martyres, & in Veteri Eccleſiâ quam plurimi. Quorum aliqui *Traditores*, alii ſimpliciter *Lapſi*, alii *Libellatici*, alii *Thurificantes*, alii *Sacrificantes*, alii denique *Blaſphemantes* dicebantur. *Traditores* erant, qui, Chriſtianiſmo renunciantes, perſecutoribus ſacros libros *tradebant* aut comburendos aut diſperdendos. De his Calviſius: *In hac* (inquit) *perſecutione* (loquitur de eâ, quam Diocletianus inſtituit A°. 303) *infinita millia Chriſtianorum propter religionem trucidata ſunt, multi libros ſacros perſecutoribus* tradiderunt,

Melch. Adam. in Vit. Cranmeri.
Cyprian. ad Antonian.
Voet Politic. Eccleſ. part. III. lib. 1. Tract. 4. cap. 2.

derunt, *qui* Traditores *poſt appellati ſunt, multi etiam abnegarunt fidem Chriſtianam.* Fuit hæc ea perſecutio, quò inſcriptio triumphalis, quæ *Clunia* in Hiſpania videtur, referenda eſt: DIOCLET. JOVIUS. MAXIMI. HERCULEUS CÆSS. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPER. ROM. ET NOMINE CHRISTIANOR. DELETO, QUI REMPUB. EVERTEBANT. *Lapſi* vocabantur, qui, dum alii contra omnes perſecutiones & tormenta perſtarent (unde & *ſtantium* nomen hoc ipſis adhæſit) a profeſſione ſuâ reſiliebant. Eſtque nomen generale, ſub quo omnes reliqui comprehendebantur: Aliter dicebantur *infirmi*, oppoſitè ad eos, qui non *ore* tantum, ſed & *corde* ex deſtinatâ malitiâ, Chriſtum abjurabant. *Libellaticorum* qui in Veteri Eccleſiâ *Libellis* agebant, *triplex* erat genus: Erant 1. qui hæreſin, quâ antea polluti fuerant, abjurantes *Libellos* in fidei & converſionis ſuæ teſtes dabant. De his *Zonaras*: οἱ ἐξ αἱρέσεων προσιόντες τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, οἱ μὲν λιβέλους ἀπαιτοῦνται, ἐκδόσεις ἐγγράφους δηλαδὴ, στηλιτεύουσας τὰς αἱρέσεις αὐτῶν. *Ab iis, qui relictis hæreſibus, ad orthodoxam fidem accedunt*, Libelli *petuntur, nempe ſcripto comprehenſa expoſitiones, hæreſes eorum infamiâ notantes.* Erant 2. qui non ore, ſed exhibito magiſtratui *Libello*, ſe Chriſtum abnegare profitebantur. *Nefandis* Libellis *conſcientiam ſuam polluentes*, dicit *Cyprianus.* Erant 3. qui Chriſtum quidem confitebantur, ſed pecuniâ tamen *redimebant*, ne ad idolis ſacrificandum adigerentur, *Libello* Præſidibus exhibito periculum effugientes. De his idem Cyprianus: *Cum occaſio* Libelli *fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio, ad magiſtratum veni, vel alio eunte, mandavi Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc* præmium, *ne, quod non licet, faciam.* Quæ *redemtionis* ratio (cujus hic mentio fit) tempore Imperatoris *Severi* introducta primum fuit, & probe diſtingui debet ab aliâ quorundam *redemtione*, qui interpoſito pretio immunitatem a perſecutionibus ab Imperatoribus etiam contendebant & impetrabant, ſed non niſi Chriſtianâ veritate, ſi non apertè, ſpecietenus ſaltem & indirectè ſimul abnegatâ. *Thurificantes*, aliis dicti *Thurificati*, erant, qui thus offerebant, aut in altare projiciebant. *Sacrificantes* dicebantur (quidam vocarunt eos *Idololatras*) qui quemvis religionis cultum *idolis* vel exhibebant, vel de *ſacrificato* ſaltem comedebant. *Blaſphemantes* denique erant, qui, præter Sacrificia *Idolis* præſtita, convitia etiam

Calviſ. ad Ann. 303.

Zonar. ad Concil. Carthagin. can. 51.

Cyprian. Ep. lib. 2. Ep. 7.

Idem Ep. 52. ad Antonian.

Digitized by Google

etiam in Chriſtum projiciebant, prout ſæpe Gentes a Chriſtianis id exigebant, ut *lapſorum* iſtiuſmodi pœnitentiam deſperatiorem redderent. Sic Proconſul olim Polycarpo: *Dic in Chriſtum convitia, & dimitto te.* Imò erant, qui ipſi id offerebant, obtemperantes idololatriæ, & Chriſto maledicentes.

VI. At *quæris*, unde qui *libellatici* dicebantur tam exoſi etiam fuerint, quum *Virtutis* potius eſſe videatur, quam *Vitii*, peccandi neceſſitatem *pecunia* redimere? *Reſp.* 1, Qui ipſi Chriſtum abnegantes (quales quidam *Libellaticorum* erant) pretium tantum exſolvebant, ut ab adverſariorum perſecutionibus immunes eſſent, non tam *peccandi* neceſſitatem redimebant, quam commoditati & ſecuritati ſuæ ſtudentes, atrociter in Deum peccabant, dum reculis ſuis magis, quam honori, Deo & veritati debito, conſulebant. 2. Imò ne ipſi quidem illi, qui directè licet Chriſtum non abnegantes, nummis tamen ſuis redimebant, ne *idolis* ſacrificare cogerentur, plane immunes a peccato erant, eo quod, ut dictum eſt, ſpecietenus ſaltem faciebant, quod revera facere videri nolebant. Nodum hunc ritè ſolvit Doctiſſ. D. *Forbeſius*: *Reſpondeo* (inquit) *eo reprehendi* (libellaticos nempe) *quod hac ſua negotiatione ſpeciem negantium haberent, dum etiamſi latenter Præfecto per ſe vel per alios ſignificarent, ſe eſſe Chriſtianos, nec poſſe idolis ſacrificare, & pecuniâ obtinerent, ut neque ad abnegationem Chriſti, neque ad immolandum idolis, adigerentur, permitterent tamen Judici pro ejus apud Imperatorem excuſatione, & ut ulteriorem inquiſitionem ipſi effugerent, palam dicere, eos non eſſe Chriſtianos, neque vel eis vel aliis, hoc de eis aſſerentibus, eâ, qua Chriſtianos oportuit, animi conſtantiâ reſiſterent.* Quare & tam graviter in eos ipſos *Libellaticos*, qui cautiſſimè ſe procedere hic exiſtimabant, detonare audis Presbyteros & Diaconos *apud* Cyprianum. *Sententiam* (dicunt) *noſtram dilucida expoſitione protulimus adverſus eos, qui ſe ipſos infideles illicita* nefariorum libellorum *profeſſione prodiderant, quaſi evaſuri irretientes illos Diaboli laqueos viderentur, quo non minus, quam ſi ad nefarias aras acceſſiſſent, hoc ipſo quod ipſum conteſtati fuerant tenerentur. Sed etiam adverſus illos, qui acta feciſſent, licet præſentes cum fierent non affuiſſent, cum præſentiam ſuam, utique ut ſic ſcriberentur, mandando, feciſſent. Non enim eſt immunis a ſcelere, qui ut fieret imperavit. Nec eſt alienus a crimine, cujus conſenſu licet non a ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur.*

Forbes. Inſtr. Hiſtor. Theol. lib. 12. cap. 1. §. 17.

Cyprian. Ep. Lib. 2. Ep. 7. & lib. 3. Ep. 5.

VII. Neque unquam tamen vere pios eâdem plane ratione *ore* Chriſto rennunciare videas, ac illos, qui homines tantum carnales & vere πρόσκαιροι ſunt; ſed hoc ſimilive tantum modo (1) Ut magis à profeſſionis ſuæ, quam antea ediderunt, zelo & fervore, quam ab ipsâ ſuâ profeſſione, videantur recedere. Quod Chriſtus τὴν ἀγάπην πρώτην ἀφιέναι indigitat. Apoc. 2.4. (2) Ut, ſiquidem ipſi ſuæ profeſſioni renuncient, multo tamen magis id faciant veritatis Divinæ diſſimulatione, quam amoris ſui in eam abjectione & depoſitione; κεκρυμμένοι quippe διὰ τὸν φόβον τῶν ἀνθρώπων. Joh. 19. 38. Sic de Petro Auguſtinus: *Non defecit Petrum fides in corde, cum deficeret confeſſio in ore*, concinente ipſi *Prudentio*, Vate Chriſtiano, hoc verſu:

Flevit Negator denique *Prudent.*
Ex ore prolapſum nefas, *lib. Cathemer. Hymn.*
Cum mens maneret innocens, *1.*
Animuſque ſervaret fidem.

Exprimit *Abnegationis* hunc modum ſic Urſinus: *Alia eſt negatio infirmorum, quæ fit ex errore non affectato, aut ex metu crucis, manente in corde* inclinatione *&* dolore *illam infirmitatem & negationem averſante, & aliquo propoſito ex ea eluctandi, atque obtemperandi Deo, applicandi ſibi promiſſionem gratiæ & agendi pœnitentiam.* *Urſin. Tractat. Theologic. pag. m. 309.* (3.) Ut magis fere affectuum dominantium, præcipue carnalis metus, impetu & præcipitatione, quam ex animi ſententiâ deliberatoque conſilio abripi eo ſe ſinant. (4.) Ut, tametſi a verorum confeſſorum grege commercioque ſeceſſiſſe putentur, in ſingulari tamen ſemper erga eosdem, quos palam coram hominibus reliquiſſe videri volunt, benevolentiâ perſeverent: *Cyprian. lib. 3. Ep. 14* quod *Henricus IV. Galliarum* Rex, qui, ne regni ſpe excideret, fidem Reformatam abjurans, *Papalem* miſſam celebravit, haud ſemel ipſo facto teſtatum fecit. (5.) Ut ad confeſſionem prius factam pœnitentes, lapſumque ſuum deteſtantes & deplorantes generoſe tandem revertantur, *Martyres* non raro facti qui *Confeſſores* non erant: ut in exemplo *Petri* Apoſtoli, Martyrum ſupra nominatorum, nec non *Sulpitii Severi*, qui *a Pelagianis* ſeductus, tandem ad ſe rediiſſe, culpamque ſuam *perpetuo* eluiſſe *ſilentio* dicitur, plus quam *Bucholc. Chronol. p. 220. ex. Gennadio.*

 ma-

Bzov. ad Ann. 1460

manifeſtum eſt. Quibus hæc ſequentia adde: De *Antonino de Ripolis* autor eſt Bzovius ad Ann. 1460. quod, inſigni antea de ſe ſanctitatis & pietatis ſpe nemini non factâ, *Neapolim* trajiciens a piratis captus, & partim Diaboli tentationibus partim contumeliis & variis incommodis gravatus, *quinto* captivitatis ſuæ menſe, præſente *Rege* Barbaro, & innumerâ *Muhammedanorum* multitudine, religioſo poſito habitu (*Dominicanus* enim Monachus fuerat)

Magdeb. Cent. 5. cap. 10. pag. m. 587.

Muhammedem publicè profeſſus quidem ſit, *Chriſtianâ* fide penitus abjuratâ; at poſtea tamen, cum menſes *quatuor* in apoſtaſiâ, vertendis in maternum ſermonem *Alcorani* aliiſque ſectæ *Muhammedanæ* libris, exegiſſet, pœnitentiâ ductus ad ſuos redierit, quinimo facti indignitatem ipſo martyrio emendarit. Memorabile etiam eſt quod de *Baſiliò*, Iſauriæ Epiſcopo, qui turbulentiſſimo *Neſtorii* & *Eutychis* tempore vixit, narrant Hiſtoriæ: Hic, cum in Concilio *Conſtantinopolitano* blaſphemiam *Eutychis* condemnaſſet, laudaſſetque Cyrilli contra *Neſtorium* zelum, in *Epheſinâ* poſtmodum Synodo, quæ pie antea laudabiliterque geſſerat, periculorum metu, turpiſſimè deformavit; revocavitque exertim, quæ, de duarum in Chriſto naturarum unione profeſſus pridem erat. En ipſiſſima palinodiæ ejus verba: *Accuſans* (dixit) *& reprehendens propriam vocem, quam de duabus naturis profeſſus ſum, in geſtis habitis apud Regiam Civitatem, & adoro unam naturam Deitatis Unigeniti inhumanati & incarnati.* Sed poſtea tamen ad ſaniorem mentem rediit, in eâque ad finem uſque vitæ conſtanter perſeveravit. Agnovit quippe in *Chalcedonenſi* Concilio recantationis ſuæ delictum, veniamque ejus publicè deprecatus eſt, omni levitatis ſuæ culpâ in *Dioſcori* violentiam, & *centum & viginti* Epiſcoporum præjudicium tranſlatâ. Neque diſſimile his eſt, quod *de Jacobo Præpoſito* habet Clar. Scultetus:

Scultet. Ann. ad A. 1521. pag. m. 83. 84.

Antverpiæ (inquit) *Jacobus Præpoſitus, Prior Auguſtinianus, Lutheri* Diſcipulus, *biennium & amplius Chriſtum purè docuerat. Hoc autem anno* (1521) *ducitur* Bruxellas, *ubi miro divexatus metu ignis recantat, & in Flandriam dimiſſus Chriſtum iterum prædicat, captus denuo* Brugas *primum*, inde Bruxellas *miſſus, in carcerem conjicitur, ex quo ope Fratris Minoritæ elabitur. Edidit ipſe Hiſtoriam lapſus ſui, in quâ* Bruxellas *nominat* Macellum Chriſtianorum; *Litteras etiam publicat ad Auditores ſuos* Antverpianos, *quos rogat, ne lapſum ſuum Doctrinæ, ſed imbecillitati humanæ adſcribant, nec ullius hominis, ſed ſolius verbi Dei authoritatem in negotio religionis reſpiciant. Hic* Jacobus *Bremæ Saxonum deinceps multos annos fructuoſe Evangelium docuit.*

Digitized by Google

docuit. Ita *Scultetus.* Sicut pari tandem infirmitate lapſus *Johannes Harenus* (quod credere malim, quam,ut facit *Taffinus*, hypocriſeos, *πολυπραγμοσύνης*, malæ conſcientiæ &c. dicam ei ſcribere) in ſenectute etiam reſipuit, errores papales Veſaliæ publice abjuravit, pieque tandem, A^o. 1609. *Leydæ* ad meliores tranſiit. Taceo *Biblides*, *Eleuſios*, *Berengarios*, *Arſatios*, *Seboveros*, *Jacobos Pavanos*, *Morzilios*, *Blancos*, pluresque alios.

Taffin. de Gnoriſm. Filior Dei cap. 6.

Voet. Diſp. part. 3. pag. 761.

VIII. Ut vero repente nemo fit peſſimus, ita nemo etiam veræ fidei *abnegator* unquam evaſit, niſi per gradus variiſque antegreſſis præludiis; quorum hæc præcipua ſunt: Quod 1. Rerum divinarum ſeu fidei momentum dignitaſque vileſcere ſibi quis ſinat; quæcunque enim non uſque adeo cara & pretioſa in oculis noſtris ſunt, facile eſt quod dimittamus: vix vitam ponet pro veritate, cui veritas carior non eſt ipſâ vitâ. (2) Quod teneritudini conſcientiæ ſuæ repudium mittat, & in laxam diſſolutamque vitæ rationem ruat. Hinc Apoſtolus, *τὴν ἀγαθὴν συνείδησιν τινὲς ἀπωσάμενοι περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν*, 1 Tim. *1.19.* *Mobile Apoſtaſiæ proximum* (inquit Voetius) *ſunt homines φιλήδονοι, mundo ac ventri deditι, αὐθάδεις & ambitioſi, contentioſi. Obſervatum enim fuit, hæc vitia apoſtaſiæ eſſe præambula, præludia, prænuncia.* (3) Quod præjudiciis odioſis contra Doctores veritatis occupari & dementari ſe permittat. (4) Quod celebrium virorum nominibus nimium adſcribere, ab eorumque dictaturâ dependere plus juſto incipiat. Hinc enim fere fit, ut quo illi declinant vel inclinant, eò & nos facillime, ut ut ſæpe non malitioſe imprudenter tamen, inflectamur. Artis quippe eſt, cum ille, quem Prophetam, quem Prophetarum Diſcipulum, quem Doctorem & aſſertorem veritatis hactenus putabas, quem ſummâ veneratione & amore complexus ſemper es, noxios ſubinducit errores, quos nec cito deprehendere valeas, dum antiqui Magiſterii duceris præjudicio, nec facile damnare fas ducis, dum Magiſtri veteris impediris affectu, a concepta & agnitâ, imò propugnatâ nonnunquam veritate, non dimoveri, & in Magnorum iſtiuſmodi virorum caſtra non tranſire. Æſtimatio nimia, quâ quondam *Auguſtinum* multi mirabantur, totum fere Orbem in errorem truculentiſſimum, de *infantibus non baptizatis æternis doloribus excruciandis*, pertraxit; cujus etiamum in Papatu reliquiæ non deſunt. Notanter Lutherus: *Nunquam magis periclitatur veritas, quam per Reve-*

Hoornb. Theol. Pract. part. 2. pag. 121.

Prov. 23. 23. 2 Theſſ. 2. 13. Jac. 1. 18. 2 Cor. 13. 6. 1 Tim. 2. 4.

Voet. Diſpp. part. 3. pag 772.

Auguſtin. Ep. 52.

Reverendiſſimos; id eſt (ut quidam explicant) nihil homines in apoſtaſiam a verâ fide tam proclives reddit, quam famoſiſſimorum Doctorum magna nomina. His quia a vero non abducebatur *Arianorum* tempore *Athanaſius*, *Eccleſiæ Adamas* Tertulliano dictus fuit. E contra de *Tertulliani* ad Montaniſmum ſeceſſione dicit *Vincentius Lirinenſis*, cum *vetuſtæ fidei parum tenacem*, *ac diſertiorem multo quam feliciorem*, *mutatâ ſententiâ in errorem delapſum*, *magnam fuiſſe in Eccleſiâ Tentationem*. Et quid ita? niſi quod tanti Vir ille in Eccleſiâ fuerit nominis, tantæ authoritatis, ut verba ejus velut oracula a quibusvis fere ſuſpicerentur, Neque hoc adeo mirum; cum ingenio tam gravi ac vehementi excelluerit, ut nihil ſibi pene ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit; cujus tanta Oratio rationum neceſſitate conſerta fuit, ut ad conſenſum ſui, quos ſuadere non poterat, impulerit; cujus *quot pene* verba *tot* ſententiæ *erant*, imo *quot* ſententiæ *tot victoriæ*. Neque ſententiis tantum multum hic pollent Viri nominatiores, ſed *vita* etiam honeſtioris *exemplo*, ſæpe etiam ſpecietenus tantum honeſtioris:

Vincent. Lirinenſ. pro Cathol. Fidei Antiq. cap. 24.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Vix enim dixeris, quot non anteceſſores hujuſmodi poſſunt poſt ſe trahere ſequaces, quamque facile αἰχμαλωτίζειν quotquot ſtupendâ ſui opinione & admiratione ſemel faſcinarunt. Hinc tanta fuit olim, teſte Luciano Syro, *Epicteti* Philoſophi æſtimatio apud omnes, ut Lucernam ejus fictilem tribus drachmarum millibus, ob ſolam ejuſdem authoritatem, quam vitæ auſteritate ſibi conciliaverat, venditam eſſe litteris proditum ſit. Quin hâc viâ ipſiſſimi etiam *Epicuri* ſectatores eo uſque infatuati fuerunt, ut quolibet menſe natali ejus non tantum ſacrificarent, die nempe vigeſimo, quas ferias εἰκάδας nuncupabant, ſed & imaginem ejus annulo inſculptam, boni ominis causâ, quocunque circumferrent, ac ubique oſtenderent. Mox de *Baſilio* Iſauriæ Epiſcopo etiam diximus, quod *centum & viginti Epiſcoporum præjudicio* ad Apoſtaſiam adactum ſe fuiſſe faſſus ſit. 5. Quod denique propriâ opinione turgidus ſua ſola admirari aliorum omnia contemnere præſumat. Nihil enim proclivius, quam ut nominis & gloriæ conſectatio vana evanidum hominem faciat, judicioque non ſatis bene firmatum ad quidvis novandum, aut negandum rejiciendumque impellat, quinimo tantopere, faſcinet, ut, eo quod ordinariâ viâ non poſſit, viâ non vulgari inclareſcere allaboret. *In tanto enim* (ut bene Auguſtinus)

Salmuth. ad Panciroll. p. 1. Tit. 42. pag. m. 149.

Digitized by Google

nus) *majores ut plurimum errores iverunt excellentiſſima & acutiſſima quæque ingenia, quanto præfidentius tanquam ſuis viribus cucurrerunt.* Prout de omnibus hæreſium autoribus demonſtrari id poſſet.

IX. Vigilandum proinde nemini non eſt contra quamvis veritatis Divinæ *Abnegationem* non tantum, ſed & contra omne id, quod viam ſternere eò poſſit: quamplurimos enim dereliquit ſæpe mox Deus, cum qualemqualem ab ipſo ſeceſſionem meditari tantum inciperent; præcipue in reprobam eos mentem ſæpe tradidit, ſicque vacillare continuo fecit, ut, ubi pedem figerent, non invenirent. Sic *Petrus Bertius* profeſſione primum noſter, deinde *Arminianus*, factionis *Remonſtranticæ* rebus deſperatis, totus ad Pontificios defecit. *Franciſcus Balduinus*, purus putus vertumnus, cothurnus, polypus, *ſexies ad minimum* Religionem ſuam tam turpiter mutavit, ut ne ipſi quidem *Caſſandro*, ob motoriam fidei vitæque comœdiam, placere potuerit. Mitto ſexcentos alios, qui a cultu meliori *tum* ad Arianiſmum *tum* ad Muhammediſmum, ut *Neuſerus*, *Alciatus*, &c. & a veritatis profeſſione ad Libertiniſmum, Neutraliſmum, Sceptiſiſmum, ſive tohu vabohu, id eſt, ad Tò *nihil credere*, & *profiteri* delati tandem ſunt. Fuêre tales inter alios *Doletus*, *Rablæſius*, *Goveanus*, de quibus *Calvinus*; nec non nuperrimè *Juſtus Vondelius*, Poëta inter Belgas celeberrimus, omnium horarum homo, cui, cum cunctarum pene religionum commercia eſſet expertus, hoc unum tantum defuit, quod ad *Judaiſmum* non ſit prolapſus. Riſit levitatem ejus plus quam Ecebolicam nonnemo venuſtiſſimo hoc Anagrammate.

JOOST VAN VONDELENS.
SOTJE VOL VAN SONDEN.

Imovero non dereliquit tales tantum Deus, ſed & juſtiſſimis pœnitere neſcios graviſſimiſque ſuis judiciis, aliis in terrorem horroremque, ſæpe ſubjecit. Illuſtri & horrendo *Franciſci Spiræ* exemplo, quod neminem pene latet, pauca tantum hæc ſubnectam: *Unum* eſt D. *Jonæ* Vice-Cancellarii, Profeſſoris olim in Academiâ *Wittenbergenſi*. Hic veritati cœleſti (ut videbatur) antea addictiſſimus, inque doctrinâ Orthodoxâ eouſque progreſſus, ut Papatum ipſemet oppugnaret, in acerrimum poſtea Doctrinæ ejuſdem perſecutorem & oppreſſorem mutatus eſt. At quid factum? Cum anno CIↃ IↃ LIX. ad

Honſdorf. Theatr. Hiſt pag. 115.

Imperii Comitia *Auguſtam* proficiſceretur, & non obſcure jactitaſſet, Comitia illa ipſum 200000. vel 300000. taleris auctura eſſe, non procul a *Ratiſponâ* in gravem morbum incidit, cujus vi inteſtinæ viſcera mota, perque fauces erumpentia, ſpiritum ei præcluſère, eoque abominando modo præfocatus & extinctus eſt. *Alterum* eſt *Sixti Tammeri*, Apoſtatæ famoſiſſimi, de quo narrant, quod, abnegatâ Evangelii doctrinâ, ſacrificulus factus, veram doctrinam oppugnare vehementer cœperit. Sed ecce in ipſum etiam Dei Judicium: Die quodam *Aſcenſionis Chriſti* in pago aliquo propè *Creuzenacum* ſacris defunctus horis antemeridianis, horis pomeridianis ſemet ipſum ſuſpendit gulamque laqueo confregit. Atque *ita eodem die* (addit Hiſtoricus) *quo Chriſtus* aſcenſum ad Cœlos, deſcenſum ſuum ad inferos *celebravit*. *Tertium* eſt *Stephani Agricolæ* Paſtoris olim *Herbarenſis*, in Comitatu *Mansfeldenſi*: hic, a religione Evangelicâ deficiens ad *Papiſtas*, veluti ſublatis ſignis manifeſtè ſe *Dellingam*, imò *Romam* contulit. At poſtea ſpe potiundi dignitatibus & reditibus Papiſticis, in mari Adriatico in Germaniam rediturus navigans, conſcientiâ *apoſtatici* facinoris tantopere tortus eſt, ut cruciatus animi finire cupiens, in mare præcipitem ſe dederit. *Ultimum* eſt *Johannis* cujuſdam *Landspergenſis*, cujus horribilis exitus Hiſtoriola prolixiuſculè diducenda eſt. Hic a veritate *Apoſtata* factus, morti vicinus, nullam admittere conſolationem voluit. Sic enim de eo *Haſenmullerus*, ut auritus & oculatus teſtis: *Adferebant* Jeſuitæ *ad ipſum agnos orbiculares, roſaria, grana, imagines, ligneas cruces, ſigna benedicta, Hoſtiam conſecratam* &c. *Promittebant preces, Miſſas, ſuffragia; hortabantur illum, ut conſideret fratrum & ſanctorum meritis. Verum fruſtra inania fundebant verba: ille enim viciſſim dicebat,* Removete hæc omnia, nam propterea, quod his credidi, jam damnabor. *Dicebam ego ipſi:* Crede in Jeſum Chriſtum. *Reſpondit miſer*: In hunc credidi, ſed miſere illum abnegavi; mihi ex Jeſu factus eſt damnator, non poſſum ſalutem conſequi. Et *Petro Hiſpano* dixit: *Quæſo*, aut me interficias, aut da mihi cultrum, ut me ipſum tansfodiam, nam totus flammis infernalibus ardeo. Quæ *audientes Jeſuitæ ob oculos illi ponebant Crucis ſignum & herbas benedictas corpori admovebant. Ille verò ait*: Removete iſta, quibus oleum

Rhone. Id. Reform. Antichr. tom. 1. pag. 3.

Hotting. H. Eccleſ. ad Sec. 16. part. 5. pag. 47. 50. 51. 52.

Haſenmuller Hiſt. Jeſuit. pag. 427. &c.

oleum igni additis; nihil præterquam Dæmonas meam animam unguibus apertis expectantes video, illis jam ſum traditus, nam *Deum & verba ejus abnegavi.* Sicque miſer *in deſperatione* obiit.

X. Scilicet tam ſeverè Deus ſubinde in eos animadvertit, qui *tum* ore tum *corde* veritatem ſuam abjurarunt. Interim acerrimè inter ſe contenderunt Doctores Antiqui, quomodo, quoad *externam* etiam Eccleſiæ *diſciplinam*, procedere contra eos ratum eſſet. An, ſiquidem *lapſi* illi id peterent, ad Eccleſiæ communionem admittendi iterum eſſent, an non admittendi? *Novatianus* quoſcunque, etiam quos lapſus ſui non pœnitebat, recipi voluit. E contra *Novatus* omnes, etiam maxime pœnitentes, æternum arcendos & ſecludendos dixit. Medius inter hos ivit *Cyprianus*, qui *recipiendos* pœnitentes, refractarios immorigeroſque *arcendos* eſſe exiſtimavit. Quam ſententiam tum *Concilium Carthaginenſe*, tum duo *Romæ* congregata, calculo ſuo poſtmodum confirmarunt. Negari interim non poteſt, quin in receptionis modo juſto nonnunquam rigidius Eccleſia olim proceſſerit (de quo prolixe alii) idque hoc quidem inſtituto, quod diſciplinæ iſtiuſmodi ſeveritate alios quoſcunque, quoad ejus fieri poterat, a ſimilibus abnegationibus deterrendos & præſervandos eſſe judicaret: quod utcunque aliquando quidem ſine fructu non fuerit, plerumque tamen incommodis ſuis non caruit. Hinc enim factum nonnunquam eſt, ut *Lapſi* quidam, a repetendâ Eccleſiæ communione deterriti ſint, vel media ſaltem, ad gratiam ejus aucupandam, adhibuerint haud quaquam convenientia. Nam extimeſcentes duriorem diſciplinam, & tamen adire Eccleſiam eique reſtitui deſiderantes, circumibant ſæpe *Confeſſorum* & *Martyrio deſtinatorum* carceres, litteraſque ab iis interceſſorias ad Eccleſias impetrabant, ut his vel ipſorum nomine pacem darent: quod Eccleſiæ ſæpe non poterant martyribus negare, quanquam e re ſuâ non eſſet; quoniam aliquando etiam impii quidam litterarum iſtiuſmodi commendatitiarum compotes fiebant. Quo abuſu obſervato, eo tandem res Eccleſiæ devenerunt, ut ab uno extremo delapſa ſit in aliud, locoque cenſuræ ſeverioris, inertem ejus neglectum invexerit, facilitate ſaltem nimiâ invehi vel obtrudi ſibi permiſerit; quod plurimarum hæreſium, flagitiorum, & calamitatum cauſa poſtea fuit. Audiſis *Eudemo-*

Cyprian. Epiſt. lib. 4. Ep. 2. & Serm. 5. de Lapſ.

Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. cap. 16.

Forbeſ. Inſt. Hiſt. Theol. lib. 12. cap. 7. 7. §. 12.

Hoſmann. lex univerſ. part. 1. pag. 515. b. ſ.

Epiphan. in Hiſtor. Miletii.

monis conſilium, quod *Nectario*, Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſuper hac re dedit. Narrat id *Socrates*, præmiſſâ de vitiatâ muliere quadam a *Diacono*, quæ occaſionem ei dedit, hiſtoriolâ. *Homouſiani vero* (inquit Interprete Valeſio) *qui nunc Eccleſias obtinent cum hoc inſtitutum* (de ordinato nempe presbytero, coram quo lapſi in perſecutione delicta ſua confiterentur) *diu retinuiſſent, tandem* Nectarii *Epiſcopi temporibus abrogarunt, ob facinus quoddam, quod in Eccleſia commiſſum fuerat. Mulier quadam nobilis ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta poſt Baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat. Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo ſcil. una cum delictorum confeſſione opus etiam pœnitentiæ convenienter oſtenderet. Progreſſu temporis mulier aliud facinus confeſſa eſt Eccleſiæ, videlicet* Diaconum *cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Id cum dixiſſet,* Diaconus *quidem Eccleſiâ ejectus eſt, populus vero graviter commoveri cœpit; Neque enim ſolum ob ſcelus, quod patratum fuerat indignabatur, verum etiam eo, quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto adſperſa videbatur Eccleſia. Cum igitur eam ob cauſam Eccleſiaſtici homines dicteriis appeterentur,* Eudæmon *quidam Eccleſiæ Pres-„ byter, Alexandriâ oriundus, Epiſcopo* Nectario *ſuaſit, ut pœni-„ tentiarium quidem Presbyterum expungeret, unumquemque vero „ pro arbitrio & animi ſui conſcientia ad ſacramentorum communio-„ nem ſineret accedere; neque enim aliter fieri poſſe, ut Eccleſia ab omni probro libera eſſet.* Hactenus *Socrates*. Qui quid de Eudæmonis hoc conſilio ſenſerit, quantaque inde mala Eccleſiæ creanda eſſe præviderit, hiſce ipſi verbis teſtatus eſt: *Conſilium tuum, o Presbyter, utrum Eccleſiæ profuerit, an non, Deus viderit. Ceterum anſam ex eo ſingulis datam eſſe video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant, nec obſervent præceptum illud Apoſtoli: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed potius redarguite. Nectarium* vero libertatem hanc vel potius licentiam ſacra adeundi quibuſvis concedentem, teſte Nicephoro, *omnes fere Orientales Epiſcopi ſecuti ſunt.*

Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 19.

Forbeſ. Inſt. Hiſtor. lib. 12. cap. 5. pag. m. 666. b. f.

XI. Quinimo neque ſoli Deo neque Eccleſiarum Antiſtitibus, ſed aliis quoque, altioris præcipue ſubſellii viris, inviſi ſemper vertumni hujuſmodi fuerunt. *Facit* huc *Conſtantii* Imperatoris memorabile exemplum, de quo ſic *Sozomenus* eodem Valeſio Interprete: *Quia etiam mirabile quiddam & dignum quod poſteris tradatur, ab illo* (Conſtantio) *factum eſſe cognovi. Id autem*

Niceph. Hiſt. Eccleſiaſtic. lib. 12. c. 28.

eſt

eſt hujuſmodi. Cum aliquando explorare vellet, quinam ex numero Chriſtianorum, in Palatio ipſius degentium, viri boni eſſent, convocatis omnibus edixit, ut ſiquidem ſacrificare & Deos perinde ac ipſe colere vellent, in Palatio manerent, & eundem, quem prius, dignitatis obtinerent locum: ſin id facere recuſaſſent, exirent a Palatio, beneficii loco ducentes, quod ſupplicio affecti non eſſent. Cumque in duas partes diviſi fuiſſent, hinc quidem religionis ſuæ deſertores, illinc vero, qui divinas res præſentibus bonis anteponebant, eos amicos & conſiliarios in poſterum habere decrevit, qui Deo fidem ſervaſſent. Reliquos vero tanquam ignavos & impoſtores averſatus a comitatu ſuo removit: ratus ſcilicet, nunquam Imperatori fidos ac devotos *fore eos, qui tam facile proditores Dei extitiſſent.* Et quid olim Judæi? Hi Apoſtatam (*Epicuræum* fere nuncupabant) id eſt, talem qui Legem & Prophetias, quas antea agnoverat, abnegabat, *tum* dolo *tum* gladio publice trucidare cuivis Iſraelitarum permittebant. Ita *Maimonides* ex Veterum ſcitis, teſte *Seldeno:* Epicuræi *occidendi ſunt ab eo cui facultas eſt eos occidendi, modo id gladio & palam ſeu in publico fiat. Id verò ſi facere nequeat, dolis eum adgrediatur, uſque dum mors ei veniat* (non vi) *ſed ad hunc modum: Si quis viderit ex hoc genere hominem aliquem in puteum decidiſſe, & ſcalam, in puteo; hanc præoccupans relinquat illum, dicatque diligentius conabor, ut filius meus deſcendat e tecto, & tunc utrique ad te redibimus.* (ut ſcil. ſic ſpe deceptus, facilius periret) *ejuſmodi aliis fraudibus, quibus mors ei inferatur, uti fas eſt.* Quinimo in hunc uſque diem nullam *Apoſtatam* in futuro ſeculo partem habiturum eſſe aperto ore homines hi pronunciant.

Sozomen. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 7. pag. m. 407. 408.

Marsham. Canon. Chron. ad Secul. 9. pag. m. 168.

Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 4. cap. 3. pag. m. 500.

Carpzov. in Schick. de Jur. Regio Hebr. pag. m. 332. 339.

XII. Quæ quidem recutitæ Gentis *in Apoſtatas* ſententia licet duriſſima ſit, neque a vero aliena, ſi in defectores a verâ fide & pietate, eoſque impœnitentes digitus intendatur, nimium tamen terrere non debet quoſvis alios, qui tam *ore* quam *opere*, idque turpiſſime quidem, a verâ fide forſan averſi, lapſum illum ſuum animitus dolent, ſeriumque & ſubitum ad Deum regreſſum inde meditantur. Utcunque enim omnis *fidei abnegatio* grave & deteſtandum peccatum ſit, tanta tamen ejus, millies licet repetitæ, enormitas eſſe nunquam poteſt, ut infinitum Paſſionis Chriſti meritum, immenſamque Dei miſericordiam poſſit exæquare, nedum ſuperare. Ne de diſertiſſimis gratuiti Fœderis promiſſionibus dicam, quibus quotquot a Deo unquam defecerunt, benivolenter ad reſipiſcentiam revocantur, veniæ impetrandæ ſpe liberaliſſimè

Digitized by Google

ipſis oblatâ. Inſignis locus eſt Jer. 3. 15. 16. 17. qui inſpiciendus. Eſt quidem, quod *Apoſtatæ* tales non reſtituantur; niſi ὡς διὰ πυρός, id eſt, difficillimè, & non niſi magnis conſcientiæ ſauciatæ cruciatibus, quin ipſius Inferni terroribus & furoribus fere intercedentibus; at reſtitui tamen, ob rationem jam dictam, poſſunt, imò revera pœnitentes ſemper reſtituuntur. Atque hoc ipſum eſt, quod ego de *Franciſco Spirâ* ex charitate judicare ſemper malui, quam animam tot lachrymis *abnegationem* ſuam deplorantem, gratiamque Chriſti, imo minimam ejus micam, tam impenſe anhelantem, ut mille eapropter annos (ut Hiſtoria ejus teſtatur) ipſa Tartari tormenta ſubire non detrectaſſet, æternis flammis adjudicare. Unicam tamen *Apoſtaſiæ* ſpeciem memorat Scriptura, in quam ſi quiſquam prolapſus ſit, omnis ſpes veniæ plane decollavit; peccatum nempe ſive *Blaſphemiam* in Sp.S. de quâ Chriſtus Matt. 12. 31. 32. & Apoſtolus Heb. 6. 4. At vero, prout *abnegatio* illa irremiſſibilis eſt, ita, ut ex Apoſtoli verbis liquet, omnem plane pœnitentiam etiam ignorat; quam igitur ſi ſerio agere quiſquam velit, concludere exinde poteſt & debet, ſe blaſphemiæ illius reum non eſſe. Si quæras cur, cum qualemcunque alium *Apoſtatam* in gratiam cum Deo redire poſſibile ſit, de hoc ſolo id negetur? Dico (ſalvo ſaniori judicio) nullam aliam ejus cauſam dari poſſe, quam meram Dei εὐδοκίαν; quod nempe ei non placuerit ab æterno, Filii ſui ſanguinem in expiandæ illius peccati ſpeciei medium ordinare & deſtinare Hoc vero cur ipſi non placuerit, quis explicabit? Si dicas, rationem ejus eſſe, quod *abnegatio* hæc atrocior ſit aliis, imo omnium atrociſſima, non tollis difficultatem; cur enim, ſiquidem Deo viſum fuiſſet, minus hoc peccatum, imo aliud millecuplo atrocius, expiare potuiſſet, quam alia, cum & gratia ejus infinita, & ſanguis Filii ejus infiniti valoris, adeoque ad eluenda etiam maxima peccata ſufficientiſſimus eſſet? Ut neque ſpecioſius dixeris, irremiſſibilem *abnegationem* illam eſſe, quia omnis reſipiſcentiæ expers eſt: nam rurſus tum quæram, cur hoc magis peccatum reſipiſcentiæ expers ſit, quam cætera? & quæ ejus alia ratio tum iterum danda, quam quod, ut Deus meritum Filii ſui ſic peccantibus deſtinare noluit, ita & Spiritum veræ reſipiſcentiæ largiri iis non placuerit?

OTI-

Digitized by Google

OTIORUM THEOLOGICORUM

LIBER III.

EXERCITATIO I.

DE HAMANE,

BREVIARIUM.

Ὀνοματολογίας *ratio. Haman nec* Perſa, *nec* Macedo *ſed* Amalecita *fuit. Libri* Eſtheræ ἐπιβλήματα *cur pro* Divinis *non habenda?* Grotius & Huetius *notati. Hamanis* Ambitio. *Hebræorum, de veſte ejus imaginibus picturatâ, figmentum exploſum. Perſarum Reges* Divino *cultu a ſuis honorati. Idem a multis aliarum* Gentium *Principibus quæſitum. Neque* ſibi *ſolis ſed* & imaginibus *ſuis.* Græci *tamen ab eo fere alieniores.* Iſmeniæ Thebani *aſtus.* Palpones Pontificii *taxati.* Vidæ, *Epiſcopi Albani,* Mariolatria *impia & pudenda. Chriſtianorum quorundam Principum nævus taxatus. Locus* 82.7. *illuſtratus. Voces* שָׁחָה & προσκυνεῖν *explicatæ.* Mardochæus, *ob negatam* Hamani *adorationem, laudatus & vindicatus.* Freidlibius *cum ſe ipſo commiſſus.* Odii *inter Iſraelitas & Amelecitas cauſæ variæ. De* Eſrâ, Nehemiâ, Eſtherâ *difficultas mota. Non-*

Nonnullorum ad eam reſponſio *rejecta.* Militum Chriſtianorum & Uſthaſanis Eunuchi *contra minimam idololatriæ ſpeciem præbendam, conſtantia.* Hobbes *pulſatus. Impiæ ipſius hypotheſes notatæ. Loco* 2 *Reg.* 5. 18. *lux affuſa.* Toſtatus & Tertullianus *laudati. Vera difficultatis expeditio. Hamanis* iracundia, ſanguinolentia, aſtutia. *Poſtrema duobus caſibus demonſtrata.* Feſtum *proprie dictum quid? Dies* Purim *pro eo proprie non habendi.* Patibulum, *cui Haman appenſus, quale? Cur* quinquagnita *pedes altum?* Crux & Patibulum *ut differant?* Lex Talionis, *ut in multos alios, ita in* Hamanem *a Deo exercita. Phalaridis & Perilli* Taurus æneus. *Iuſta in eos, ob eum fabricatum, Dei vindicta. Vocis* Purim *origo qualis?* Sortium *apud Hebræos genera varia.* Fauſtorum dierum *exploratio per* ſortem *Perſis viciniſque Gentibus uſurpata. Dies* ἐμπερακτοι & ἀπερακτοι *apud Romanos qui? Quomodo inveſtigari ſoliti?* Rich. Baker *notatus. Cur* Haman *ſortem in urnam miſerit? Dies Purim* duplicis *generis.* Ἡμέρα μαρδοχαικὴ *quæ. Gentium & Papiſtarum* Bacchanalia. *Dierum* Purim *cum iis affinitas. Qui, quibus* cæremoniis *a Judæis celebrari ſoleant*, explicatur. *Qualis* benedictio *in Deum, quales* maledictiones *in Hamanem ejuſque Filios pronuntiari tum ſolitæ.* Nummi Purim *pauperibus* Judæis, *nonnunquam etiam* Chriſtianis, *diſtributi.* Diſtributionis *illius finis quis?*

I.

QUis qualiſve *Haman* fuerit, e re erit penitiuſcule inveſtigare, quum diſcrepantes admodum de eo extent ſententiæ. Nomen habuit (ut liquet) *Hamanis*, non *Amanis*, peregrinum enim id eſt; unde & male quidam *per tumultuantem* interpretati id ſunt, quum ſenſus ejus plane ignotus ſit.

II. Patriâ *Perſam* fuiſſe vult *Sulpitius*, dum infit: *Id* (hoc eſt, ado-

adorationis honorem *Hamani* deferre) *Mardochæus faſtidiens*, Perſæ *in ſe odia graviter accenderat.* Amalecitam vocat *Joſephus*; Macedonem Liber *Eſtheræ* Apocryphus. cap. ult. ubi & ejus accuſatur criminis, quod Judæorum univerſali internecione intentatâ, Perſarum regimen ad *Macedones*, quippe populares ſuos, transferre meditatus ſit. Ita enim Rex Ahaſuerus: *Διὰ γὰρ τῶν τρόπων τούτων ᾠήθη λαβὼν ἡμᾶς ἐρήμους, τὴν τῶν Περσῶν ἐπικράτησιν εἰς τοὺς Μακεδόνας μεταλλάξαι. His enim modis ſperabat, ubi nos deſertos oppreſſiſſet, ſe Perſarum imperium ad Macedonas tranſlaturum.* Sunt, qui Scriptores ſuper hac re diſſentientes conciliare intenderunt, ſtatuentes, omnia hæc ſimul *Hamanem* fuiſſe: *Gente* Macedonem, *Matre* Perſam, *nativitatis loco* Agagæum, *antiquâ origine* Amalecitam; at lubrico & incerto fundamento: hac enim via quivis Interpretum errores incruſtari & palliari facile poſſent. *Sulpit. Sev. Hiſt. Sacr. lib. 2.* *Joſeph. lib. 11. cap. 6*

III. Tutius eſt aſſerere quod ipſe Deus de eo teſtatur, Eſth. cap. 3. Pſ. 1. 2. Patrem ejus fuiſſe *Hammadatham Agagitam*; licet alii pro *ἀγαγαῖος* legi malint *Βυγαῖος*, a *Boge* quodam, qui revera *Macedo* fuit, natus in Regni Macedonici oppido quodam, quod *Eion* ſive aliter *Amphipolis* dicebatur. Quodſi autem verum ſit, a dicto *Boge* denominatum eſſe *Hamanem*, haud abs re forſan foret, ſi *Macedo* & *Perſa* ſimul diceretur. *Macedo* antiquâ proſapiâ, *Perſa* nativitate; hæc enim conſiſtere cum ſe invicem poſſunt. Verior tamen & vulgatior ſententia eſt, quam *Joſephus* tenet; ipſum *Amalecitam* fuiſſe, & ex ipſis quidem Amalecitarum Regibus oriundum. Paret interea hinc, quam dubiæ fidei eſſe debeant Ἐπιβλήματα *Eſtheræ*, id eſt, *ſex* poſtrema Libri ejus Capita, præcedentibus *decem* ſubnecti ſolita, quæ *Divinæ* alias Canonicæque *autoritatis* eſſe Doctores Pontificii pertendunt. Dum enim Cap. 16. 10. *Macedonem Hamanem* ſtatuunt, qui *Agagita* exertim cap. *nono* (quod procul omni dubio *Canonicum* eſt) nuncupatur, velim dicat mihi aliquis, quomodo Liber iſtiuſmodi *Divinis* accenſeri poſſit Scriptis, qui quod Scripto vere *Divino* contrarium eſt ipſis verbis ſtatuit? Quodſi enim *Agagita* fuerit *Haman*, utique non fuit *Macedo*, cum *Macedonum* præſertim in Perſide nomen, tempore imprimis, quo ſcriberetur hic Liber (ſub imperio nempe *Arta-* *Simſon. Chron. Cathol. ad Ann. 3655* *Joſeph. lib. 11. cap. 6.*

xerxis Longomanni) obſcurum ignotumque plane fuerit præſertim *in Perſide*. Neque tenet quod *Grotius* in Eſth. cap. XVI. 10. ariolatur, pro μακεδῶν legendum eſſe ἀμαληκιτῶν ; tam enim lubricum id eſt , ut ne ipſe quidem fundamento iſti fidat. Ut neque colorem habet Doctiſſ. *Huetii* conjectura , quâ prætexit , *probabile eſſe* , vel *Hebraica aliter legiſſe Græcum Interpretem* , vel (quod magis ipſi arridet) *cum in eo Hebraica omnia nomina miſere luxata & deformata ſint* , *pro* Βυγαῖος *legendum eſſe* ἀγαγαῖος , *quod &* Druſio *placuiſſe aſſerit*. In *genere* enim nos textum Græcum *pro* authentico & originali non habemus, parumque adeo moramur, quid ille habeat, vel non habeat. *In ſpecie* præjudicare haud modicum Græco textui videtur, ſi *Hebraica legerit aliter quam legere oportuit*. Et quæ, quæſo, convenientia inter voces Βυγαῖος & Αγαγαῖος, quantum non hæc a ſe invicem diſtant ? Quid denique de Scripti iſtiuſmodi *Divinitate* præſumpſeris, in quo *Hebraica omnia nomina miſere luxata & deformata ſunt*, ut ipſe *Huetius* pronunciat ? Hæc obiter.

Grot. in Eſth. cap. 16 verſ. 10.

Huet. Demonſt. Euangel. Tom. 1. pag. m. 319.

IV. Genium moreſque *Hamanis* quod attinet, homo fuit ambitioſus, iracundus, ſanguinolentus, aſtutus. Φιλοτιμώτατος ſive excellenter *ambitioſus* fuit; neque enim communes magnatum honores tantum, ſed *divinos* affectavit. Narrant Hebræi, in veſte ejus Deorum quaſdam imagines fuiſſe picturatas, quod indicio fuiſſe dicunt, inſtar ipſius Regis coli & honorari ipſum voluiſſe; ſed (ut jam diu obſervatum a Viris eruditis) mere fabuloſum id eſt. Negari quidem non poteſt, *Perſis* in uſu olim fuiſſe veſtes pictas & ζώωτας, quibus intextæ erant animalium formæ & floſculi, qualis illa Darii *Palla* fuit, quam, Curtio teſte, *aurei accipitres velut roſtris inter ſe corruerent , adornabant*. At quis dicere poteſt, eorum & animalium horum imagines unum idemque fuiſſe, *Hamanem* veſtem iſtiuſmodi geſtitaſſe , adeoque eo indicio Divinos ſibi honores quæſiviſſe? *Regis* mandatum quippe erat, non *Hamanis*, ut cultu a quibusvis non vulgari, id eſt, *regio* exciperetur. Exertim enim dicit textus, Eſth. cap. 3. verſ. 2. *Quia ſic* Rex *præceperat de eo*. Interim dubitandum non eſt, quin honore olim plus quam humano venerati *Perſæ* reges ſuos ſint. Ita Æſchylus, *Perſæ Deorum loco habuère Reges ſuos*; nec non *Curtius* de Dario ; *Rex curru paulo ante vectus, & Deorum a ſuis honoribus cultus*. Quibuſcum paria facit *Sulpitius* loco antea citato : *Erat* (inquit) *eâ tempeſtate* Haman *quidam* *Regi*

Curt. Libr. 3.

Scheffer. in Not. ad Ælian. Var. H. pag. m. 307.

Curt. l. 8. & 6.

Bizar. Hiſt. Perſ. l. 12. p. 336.

Regi perſamiliaris, quem æquatum ſibi adorari *more regio præceperat.* Grande enim crimen olim committebat, qui *Perſarum* Regem aditurus, proſtrato id corpore non intendebat, aut ingreſſurus Palatium ſive cubiculum Regium, abſente Rege, aperto capite non incedebat vel ſtabat. Nam maxima apud eoſdem *Perſas* Regum majeſtas erat, neque uſquam Gentium Reges reverentiâ & fide ſanctiore culti unquam ſunt, quam apud hos ipſos. Hinc *Artabanus*, qui Perſa fuit, olim *Themiſtocli*, teſte Plutarcho; Ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιϛος οὗτός ἐϛι, τὸ τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ. Ideſt, *Apud nos cum multa ſint & pulchræ leges, ea omnium præſtantiſſima eſt, quæ honorare Regem,* adorareque *eum, tanquam Dei omnia conſervantis effigiem, jubet.* Et paulo poſt: *Regi enim Leges Patriæ non permittunt, ut homini, qui ipſi non ſupplicaverit, aures accommodet.* Et quid aliud, quam ejuſdem hujus gloriæ affectationem innuiſſe cogites *Saporem* (Judæi dicunt *Scaburum*) Perſarum Regem, cum litteras ſuas ad *Conſtantinum* datas, faſtuoſo hoc præfamine ordiretur: *Rex Regum* SAPOR, *Princeps ſyderum, Frater Solis* & *Lunæ* Conſtantino S. Neque *Perſarum* tantum Reges *divinos* hoſce honores ambierunt, ſed apud alios etiam ulli vix inventi ſunt, qui deferri ſibi eos non præceperint: Babylonii, Medi, Parthi, Lydi, Ægyptii, Macedones. Notum eſt quod de *Demade Athenienſi* refert *Ælianus*: Ἐκκλησίας οὔσης (inquit) Ἀθηναίοις ὁ Δημάδης, ἐψηφίσατο τὸν Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον. *Convocatâ Athenienſium concione exſurgens Demades, decreto ſtatuit, ut Alexander Deus eſſet decimus tertius.* Et an minus datum *Auguſto*, de quo ſic *Servius*: Alii *Imperatores poſt mortem in numerum referuntur Deorum,* Auguſtus *Templa* vivus *emeruit.* Reſpicit ad *Maronis* verba,

Namque erit ille mihi ſemper Deus, *illius aram*
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Imò quis dixerit facile, quònam *Divinorum* honorum aviditas, quæ Imperii Principes occupavit, tandem non proceſſit? ardorem illum non parum inflammante numeroſa adulatorum catervâ, quâ circumcincti paſſim erant. *Principibus & regibus, ut* Diis, *turpiter adulatio falſa blanditur. Hi dies ac noctes plauſibus perſonare; formam Principis, vocemque* Deûm *vocabulis appellantes.* Sic de Neronis aſſentatoribus *Tacitus.* Ipſas ſuas imagines & ſtatuas in militaribus ſignis ut præſentia *Numina* araſque poni voluerunt; quæ & in urbe tantæ religioni & venerationi habitæ ſunt, ut ne divendere quidem

Plutarch. in Themiſtoc. pag. m. 224.

Saubert. de Sacrific. Veter. cap. 5 pag. m. 110. 111.

Ælian. Variar. Hiſt. lib. 5. c. 12.

Virgil. Ecl. 1.

Tacit. Annal. l. 4.

Ouzel. in Minucii Octav. *Briſſon. Antiqq. lib. 4. cap. 11.* *Senec. de Benefic. lib. 5.* *Sueton. in Tib. cap. 58.* *Plin. 10. Ep. 97.* *Salmuth. in Pancirol. part. 1. tit. 2. pag. m. 11.* *Nazianzen. in Julian. Orat. 1.* *Philoſtorg. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. ſ.*

eas ſine capitis periculo, & citra Majeſtatis crimen, licitum fuerit. Planè, imperante *Tiberio*, in judicium aliquis adductus eſt, Majeſtatiſque poſtulatus, qui ſtatuæ *Auguſti* caput demſerat, ut alterius imponeret. Damnato reo, hoc calumniæ genus eo quidem proceſſit, ut circa *Auguſti* ſimulacra veſtimenta mutaſſe, ſervum occidiſſe, numo vel annulo effigiem impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſe, capitale fuerit. Unde &, authore *Seneca*, Senator quidam majeſtatis accuſatus criminis *veniam* a Tiberio petiit, quod matellam contingere putârat prius, quam annulum, qui expreſſam *Tiberii* imaginem referebat, digito detraxiſſet. Hoc amplius *adorationis* quoque cultum ſtatuis & imaginibus Principum exhibitum fuiſſe, teſtis eſt *Plinius*; ita enim ad Trajanum: *Propoſitus eſt libellus ſine authore, multorum nomina continens, qui negarent, ſe eſſe Chriſtianos aut fuiſſe, quum, praeunte me, Deos appellarent, &* (NB) imagini tuæ, *quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris Numinum efferri*, thure ac vino ſupplicarent: *præterea maledicerent Chriſto, quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt reverà Chriſtiani.* Adde hoc Nazianzeni: *Parum habent* (loquitur de Romanorum Principibus) *ipſi adorari, niſi idem* ſuis *quoque* imaginibus picturiſque *præſtetur, quo cumulatior ipſis perfectiorque veneratio reddatur.* A quo neque hoc *Horatii* abludit,

> *Præſenti tibi maturos largimur honores,*
> *Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras.*

Valeſ. in Not. ad Philoſt. pag. 233.

De ipſis Chriſtianis refert *Philoſtorgius*, quod *Conſtantini* ſtatuam victimis & ſacrificiis venerati ſint, ſed notatur eapropter a *Photio* & *Valeſio*, neque immeritò.

V. Quæ cum itâ ſint, videre facile eſt, quam juſte & piè *Mardochæus* ἐν τῇ αὐλῇ incurvare ſe coram *Hamane* recuſaverit. Species enim adoratio & incurvatio illa erat cultus divini & religioſi, dixeratque Mardochæus, *Judæum* ſe eſſe, ut ex verſu citati Capitis *quinto* palam eſt. At Genti *Judaicæ*, ex ſpeciali Dei præſcripto, illicitum erat vel ullam creaturam adorare. Deut. 6. 13. & 10. 12. 20. Mandaverat quidem Ahaſuerus omnibus ſubditis ſuis, ut cultum ſui ſimilem *Hamano* deferrent, at non curat Regis edictum præceptorum divinorum religioſus cultor, ſed negavit præfracte imperatum honorem, eo quod Deo parendum magis ſciret, quam hominibus, neque leges obligare humanas, ubi divinæ contrarium

Digitized by Google

rium præſcriberent. Neque adeo mirum in Viro pio id fuit, cum inter ipſos etiam Ethnicos reperti ſint, qui haud impari conſtantiâ præcepti, huic Regis *Ahaſueri* non abſimilis, obedientiæ ſe ſubduxerunt. Refert de *Lacædemoniis* quibusdam *Herodotus*, quod adſcenderint Suſâ, & in Regis (Xerxis) conſpectum venerint, principioque jubentibus ſatellitibus, ut procumbentes Regem adorarent, negaverint ſe, *vel ſi in caput protruderentur, hoc ullo modo facturos, neque enim conſuetudinem ſibi eſſe, hominem adorandi.* Quinimo omnes Græci ab hoc cultus genere alieniſſimi fere extiterunt. Oſtendit id ipſi Alexandro *Hermolaus*; hic enim indigne ferens, quod novum adeundi ritum ſibi Rex poſceret, ſtupendâ ipſum libertate hunc in modum affatus eſt: *Tu Macedonas voluiſti tibi genua ponere, venerarique* te ut *Deum.* In quæ verba notanter laudatus modo Curtius: *Patrios mores diſciplinamque Macedonum Regum ſalubriter temperatam* & *civilem habitum velut leviora magnitudine ſuâ ducens, Perſicæ Regiæ par Deorum potentiæ faſtigium æmulabatur. Jacere humi venerabundos ipſum, paulatimque ſervilibus miniſteriis tot victores Gentium imbuere, & captivis pares facere expetebat.* De *Alexandri* hoc faſtu ſic quoque Valerius: *Alexandri Regis virtus* (inquit) *& felicitas tribus inſolentiæ gradibus exultavit evidentiſſimis. Faſtidio enim Philippi* Jovem Hammonem *patrem adſcivit. Tædio morum & cultus Macedonici Veſtem & inſtituta* Perſica *aſſumpſit*; *Spreto mortali habitu*, Divinum *æmulatus* eſt. *Nec fuit ei pudori, Filium, Civem*, hominem *diſſimulare.* Accedat *Iſmeniæ Thebani* exemplum, qui *Perſarum* hanc adorationem aſtu hoc egregio declinavit: *Is*, Iſmenias nempe (inquit Ælianus) *Patriâ cauſâ legatione ad Regem Perſarum ſuſceptâ venit, & voluit ipſe de ſuo negotio Regem convenire. Tribunus itaque militum, cujus officium erat res nunciatas ad Regem deferre, & admittendos ad eum introducere. Verum, o Thebane Hoſpes, dicebat, Lex eſt apud Perſas recepta, ut is, qui in conſpectum Regis venit, non ante ſermonem cum eo conferat, quam eum adoraverit. Quodſi igitur vis ipſe eum adire, neceſſe eſt, ut quod Lex jubet peragas. Sin minus, idem tibi etiam præſtabitur, quamvis tu non adoraveris. Iſmenias vero, deduc me, ait. Quumautem acceſſiſſet, & in faciem Regis ventum eſſet, annulum, quem geſtabat, e digito detractum clam abjecit ad pedes, confeſtimque procumbens, tanquam adoraret, ſuſtulit eum iterum, & opinionem quidem adorationis Perſarum Regi præſtitit, nihil tamen commiſit, quod igno-*

Curt. lib. 6.

Valer. m. lib. 9. cap. 5.

Ælian. Tr. cit. lib. 1. cap. 21.

ignominioſumaut indecorum foret Græcis. Imo, *Valerio Maximo* teſte, Athenienſes Legatum ſuum *Timagoram* (alii legunt *Themagoram*, ſed male) capitali ſupplicio affecerunt, eo quod *Dario* Regi, more Gentis illius, id eſt, Perſicæ, ſeſe proſternendo Regemque adorando, adulatus eſſet: *unius civis humilibus blanditiis totius urbis ſuæ decus Perſicæ dominationi ſubmiſſum graviter ferentes.* Eant igitur jam Palpones quotquot ſunt Pontificii, idololatræ inſubidi, qui Domino ſuo *Papæ* divinos adſcribere & titulos & honores hactenus non detrectarunt. Audiatur Jaſon, Juriſconſultus non incelebris: *Papa* (inquit) *eſt ſupra me, extra me. Papa eſt omnia & ſupra omnia, Papa eſt* Dominus Dominantium; *Papa poteſt mutare quadrata rotundis; De Papæ poteſtate non eſt inquirendum, cum Primæ cauſa nulla ſit cauſa.* Baldus *Deum in terris* ipſum dixit. Jus Canonicum *Dominum Deum noſtrum Papam.* Nec minus impudenter alius: *In Papa eſt omnis poteſtas ſupra omnes poteſtates tam Cœli quam Terræ.* Quin ipſe eat Papa *Nicolaus*, qui hoc ſummopere gloriabatur nomine, quod a Conſtantino *Deus* nominatus eſſet. *Politianus* Alexandrum VI. Pontificii ordinis propudium, ad *Divinitatem ipſam* ſublatum fuiſſe aſſeruit, omnia præter Deum minora inferioraque ſe conſpicientem, *adeo ut Reges etiam ipſi & Principes* adorare *ſubmiſſe veſtigia, & pulverem pedum ejus lingere non modo non dedignentur, ſed loco etiam præclari muneris concupiſcant.* Et quid planius metro hoc *Vidæ*, Epiſcopi Albani, ad *Mariam*:

Valer. Max. lib. 6. cap. 3.

Decret. Grat. Diſt. 40. can. 6.

Jaſon. Conſil. 145.

Bald. in l. ult. Cod. Sentent. Reſcind. non Poſſ.

In Canon. ſatis evidenter 96. diſt.

Politian. Orat. pro Orat. Senenſ.

Vida in Cantic. Mariæ.

> *Nos quoque* Divinos, *ut cuique eſt copia, honores*
> *Largimur, tibi centum aræ, tibi maxima centum*
> *Thure calent delubra.*

Egregiam vero laudem! Pudorem utinam incuterent iſtiuſmodi gnatonibus piiſſima *Juſtini* verba; Ὅθεν θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν. Βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες, καὶ εὐχόμενοι μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως, καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας ὑμᾶς εὑρεθῆναι. *Proinde* nos ſolum Deum adoramus, *& Vobis in rebus aliis læti inſervimus. Imperatores ac Principes hominum eſſe profitentes; & ſimul precantes, ut cum Imperiali poteſtate ſanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Eſt quidem, quod pii quidam Imperatores *Divorum* ἐπιγραφὴν ſibi ſuiſque quandoque inſcripſerint vel ab aliis inſcribi ſibi paſſi ſint: Ita *Theodoſius, Honorius, Valentinianus*, qui *Noſtram* dixere *Divinitatem, Noſtrum Numen, ſuum*

Juſtin. Martyr. Apolog. pro Chriſt. 2. p. m. 64.

L. 3. Cod. de ſummâ Trinit.

L. 8. & l. 11. Codic. Theodoſ. de Sacro S. Eccleſ.

L. 2. Cod. de Mandat. Princip.

Digitized by Google

ſuum Numen, & juſſiones ſuas *Cœleſte oraculum*, *Divinum verbum ſuum*. At *facti* id eſt, non *juris*: quin deſunt forte adhuc ſaniores Theologi, qui omnimode id probent. Recté Cl. Voetius: *Si Apotheoſis utriuſque* Romæ & utriuſque *Senatus ac Status Deorum, qui utrobique fingitur, mera Idololatria, utique appellatio* Divi *cum ea ſymbolizat*. Tertullianus ne *Domini* quidem titulum Principibus tribui voluit; imo infauſtum & maledictum quid fuiſſe refert, ſi quis viventem Imperatorem *Deum* nuncupaſſet. Et quam ingenue ipſe *Bellarminus*, cujus hæc expreſſima verba ſunt: *Ego nunquam probavi vocem* Divus *vel* Diva, *cum de Sanctis agitur, tum quod eam vocem apud veteres Patres Latinos non inveniam, tum quod apud Ethnicos* Divi *nomen* Diis *tantum tribui ſoleat. Itaque ubicunque in Libris meis Lector inveniet* Divum, *ſciat vel mihi imprudenter excidiſſe, vel quod ſæpius accidit, me ſcripſiſſe* beatum. *Sed typographi ubi legerunt* B, *quod* beatum *ſignificat, in* D. *mutarunt*. Cum ergo Pſaltes Magiſtratus *Deos* vocat, non indicat, quibus ſuperbire ipſis titulis licitum ſit, ſed cujus nomine magiſtratum gerant: adjectâ ſalutari clauſulâ, docente ipſos ſe non efferre, aut criſtas erigere, ſed humiliter potius demittere; *ut plebejus homo morituri eſtis*. Pſ. 82. 7.

Voet. Diſp. part. 3. pag. 286.

Tertull. Apolog. cap. 34.

Bellarm. in Retract. ad Libr. 1. de Verb. Dei cap. 3.

VI. Scio, non deeſſe qui dicunt, *Hamanem* non niſi cultum *Civilem* ſibi quæſiviſſe, atque adeo ſummæ & intolerandæ inhumanitatis & αὐϑαδείας fuiſſe in *Mardochai*, quod negare eum ipſi auſus ſit. Sed quomodo cum mox dictis id componant, ipſi viderint. Quoad vocem שָׁחָה quâ Sp. S. Eſther. 3. verſ. 2. utitur, ea quidem ſemper & præciſè cultum religioſum Deoque proprium non notat, nam variis etiam locis honor *civilis* eo indicatur, ut 2 Sam. 16. 4. Eſ. 60. 14. ſed ex ſolâ vocis vi non eſt quod hic argumentamur; explicandam illam eſſe arbitramur juxta ſubjectæ materiæ naturam & circumſtantias. Probatum jam eſt, honorem, *Perſicis* Regibus exhibitum, non fuiſſe *civilem* tantum ſed *divinum*; ultrò patet, Ahaſuerum *honorem* iſtiuſmodi *Hamano* tribui voluiſſe; per conſequens quid vocabulum illud, quod uſurpat ibi Scriptor Sacer, ad cultum illum *Perſicum* indicandum, ſignificare aliud poteſt, quam honorem ſubjectæ materiæ convenientem, id eſt, divinum & religioſum? maxime cum ſignificatio illa naturæ vocis minime obſtet, hæcque peræque religioſum aliquando cultum notet, quam *mere civilem*, ut in multis Scripturæ *locis* videre eſt: præcipue Pſ. 45. 12. & 97. 7. *Verbum*

Eſt. in Difficil. loc. Script. p. 230.

leret. *Aliquando* (inquit) προσκύνησις illa ſupra lapidem figuratum fiebat, quod perſpicuum eſt ex Maimonide: *Similiter qui ſe incurvat ſuper lapide figurato, de quo Lex loquitur, etſi vero Deo id præſtet, vapulat: Quia dictum: Neque figuratum lapidem ponite in terrâ veſtrâ, ut vos incurvetis ſuper eo. Id enim in Idolorum cultu obtinebat, ut lapis poneretur, ſuper quo ſe proſternerent.* Variæ exinde, ne quid hujus προσκυνήσεως imitari viderentur, Judæis latæ erant leges: v. g. *Infixa eſt ſpina pedi ullius ante idolum? Ne ſe incurvet ad eam evellendam, quia videretur alioqui ſe idolo incurvare. Diſperſi ſunt nummi ante idolum; Ne ſe incurvet ad eos tollendos: quippe idolo videretur ſe incurvare.* Pro honore *civili*, quem ſolum petiiſſet ſibi *Haman*, decertare quoque videtur *Philippus Freidlibius*, licet dubitem, an ſat bene ſibi conſtet; Claſſe enim 7. quæſt. 5. ad Append. lib. *Eſtheræ* pro cultu *civili* determinat, quem in Lib. Canonicum Eſtheræ Claſſ. 7. quęſt. 11. *divinum* tamen expreſſim vocat. Ad quæſtionem enim, *An per legem licuerit Mardochæo Amano cultum iſtum præbere*, reſpondet: *Nequaquam. Nam* divinum *cultum nulli creaturæ, ſed ſoli Deo debitum eſſe norat.* Quicquid ſit, non exagitat ſaltem is Autor, ob *Hamano* cultum eum negatum, pium *Mardochæum*, nedum calculo atro eum notat, e contra quali quali aliâ ratione, quam quæ a nobis adducta mox eſt, tergiverſationem ejus extenuat non tantum, ſed & planè excuſat. Verba ejus ſunt: *Erat* civilis *honos, quem ex ſingulari & Heroico Spiritus Sancti inſtinctu Mardochæus impio Amano exhibere noluit. Quanquam etiam fieri potuit, ut aulici in civili illâ adoratione modum exceſſerint. Ab eo tamen ut longius recederet Mardochæus, Amanum prorſus adorare noluit.*

Freid. ib. Theolog. Exeget. Tom 1. pag. 1052.

VII. Poſito etiam (ut ſupra aſſertum eſt) quod *Amalecita* fuerit *Haman*, nova inde exſurgit ratio, ob quam neganda ipſi ab homine *Judæo* adoratio fuit Statuerat enim Deus, ut inter *Judæorum* & *Amalecitarum* Gentem internecinum ſemper bellũ eſſet. Exod. 17. 14. 15 16. nunquamque ex illorũ animis ſeponerentur contumeliæ, quas paſſi ab his olim erant, eoq; & nulla unquam inter ipſos amicitiæ commercia colerentur. Deut. 25. 17. 18. 19. Quod quum ita eſſet, qui potuit, quæſo, *Mardochæus* homini, quem ex ſtirpe Deo ita abominabili imo divinitus devotâ natũ eſſe nõ neſciebat, ſupremos iſtiuſmodi honores exhibere? redoluiſſetne id amicitiam & æſtimationem aliquam Amalecitici Populi, quibus tamen ſevere ita Deus Iudæis interdixerat? Duo Deus de Amalecitis præceperat. I. *Recordare eorũ, quæ fecit tibi* Amalek *in itinere.* Deut. 25. 17. II. *Deleto memoriã* Amalek *ſub Cœlis, ne obliviſcitor.* v. 19. *Prius* referunt Judęi ad *os*, quo jugiter id erat

Selden. de jur. Nat. & Gent. lib. 5. cap. 16. & 6. cap. 15.

Grot. in Eſth. 3. verſ. 5.

 nar-

erant, cum jam omnes laſſi & fatigati eſſent; neque tamen timuerit DEUM, *qui conſtituit Reges & transfert Reges*, (Dan. II. 21.) *adeoque timuerit imbellem, h. e. Iſraëlem, non autem omnipotentem, h. e.* DEUM *optimum maximum.*

VIII. *Dicis:* ſiquidem omnimodè illicitum fuerit Judæis, *Perſarum* more ulli homini honores quoſiam Divinos exhibere, qui habuêre ſe igitur *Ezra*, *Nehemia* aliique, cum coram Rege ſuo ſe ſiſterent, adoraruntne & hi Ipſum *Perſica* gentis more, an non? ſi ſic, ut probabile multis videtur, quomodo excuſari tum poteſt *Mardochæus*, cultum hunc *Hamani* deferre, non obſtante Regis mandato, obſtinatè detrectans? *Re p.* Peſſimè nodum hunc expedire conati ſunt, qui dixerunt, *Ezram, Nehemiam* alioſque honorem hunc *divinum* Regi ſuo quidem exhibuiſſe quoad *externum* apparatum, quoad *internum* affectum vero incontaminatos ſe conſervaſſe. Nam quid aliud id eſt, quam ex hominibus iſtis ſanctiſſimis craſſiſſimos hypocritas facere, qui, dum mentibus ab omni idololatria abhorrerent, geſtibus tamen corporiſq; habitu apertè eam committerent, contra expreſſima ſummi Legiſlatoris verba, *ne incurvans honorem exhibeto illis*; quibus non *animum* tantum immaculatum, ſed & *actiones externas* ab omni idolatriæ ſpecie alienas imperitavit. *Naz ianz. orat. 3.* Milites certè Chriſtiani (*teſte Nazianzeno*) qui *Juliano* Imperatori tempore donativi thus incenderunt, licet divino ipſum honore colere minime intendiſſent, deprehenderunt & judicarunt tamen poſtea, factum illud ſuum eſſe externam quandam tum idololatriæ ſpeciem tum unici Salvatoris Chriſti abnegationem. Et quam generoſus hic fuit *Uſthaſanes* (quibuſdam dictus Ἰσυζάδης, meminit Ουσθαζάδου *Valeſius*) ſenex Eunuchus, *Valeſ. Ann. in Socrat. & Sozomen. pag. m. 106. b.* *Saporis* Regis Perſarum Nutritor & Domus Regiæ præpoſitus? ſic de eo Sozomenus: *Cui* (Regi nempe Sapori) *reſpondens* Uſthaſanes, *Nulla*, inquit, *ô Rex, calamitas in hac terrenâ familiâ mihi contigit* (de hac enim interrogaverat ipſum Sapores) *utinam pro eo, quod mihi accidit, in quaſvis alias calamitates incidiſſem, melius* utique *mihi eſſet. Nunc autem lugeo, quod adhuc vivam; & qui dudum mori debueram adhuc* Solem *video, quem tibi morem gerens*, non ex animi mei ſententia (ȣ̓κ ἀπὸ γνώμης) *adorare viſus* ſum. *Sozom. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 9. p. m. 456.* *Itaque duplici nomine mortem promerui, tum quod proditur fuerim Chriſti, tum quod te deceperim. Quæ cum dixiſſet, per conditorem Cœli ac* Terræ *juravit*, ſe *poſthac ſententiam minime mutaturum.* Recte: *Doctrina enim mendaciloquiorum eſt, quod liceat Diaboli*

cultum mentiri in corpore, *quando Dei cultus ſervatur in* corde; inquit Auguſtinus. Et ſi ita elabi integrum *Ezra*, *Nehemia* &c. fuerit, utique peſſimè ſibi conſuluiſſe *Mardochæus* dicendus eſt, quod quoad geſtus ſaltem extrinſecos mandato regio neutiquam ſeſe accommodaverit, *Hamaniſque* funeſtam in dignationem, ut ut injuſtam, tempeſtive prudenterque anteverterit. Imò multo *Mardochæo* circumſpectius tum proceſſit (licet haudquaquam tamen omni idololatriæ participatæ crimine abſolvendus) *Perozas* Perſarum Rex, de quo apud *Procopium*. Hic enim Hunnos Euthalitas injuſto bello perſecutus, a fugam ſimulantibus in eas ſeductus eſt anguſtias, unde nec pedem referre poſſet, faucibus ingenti hoſtium exercitu præcluſis, nec pergendi copia eſſet, quod montium prærupta obſtarent. Siti itaque fere enectus cum copiis, legatum accipit ab *Hunnorum* Rege, qui unam ſalutis viam hanc oſtendit: Scripto & jurejurando fidem daret, ſe nunquam hoſtiliter reverſurum, adoraretque Regem, Dominum ſuum & Victorem. Re ad Magos conſiliarios delatâ, de jurejurando facile aſſenſum eſt, ſed ne adoraret *Hunnum* Lege prohiberi dicebatur, quá cautum eſſet, ne Perſarum Rex, præterquam Soli, cultum adorationis cuiquam deferret. Quare ut & ſalutem ſuam in tuto poneret, & infamiam facti devitaret, conſultum fuit, ut mane, Sole primum promicante, *Hunnum* conveniret, & ad Syderis illius ortum converſus adoraret, quod cum præſtitiſſet, viſus eſt poſtulatis ſatisfeciſſe; incolumis enim cum exercitu ſuo dimiſſus eſt. Sic ille. At plane certe ad impuram & contagioſam *Hobbii* Caluiſticam accedere videntur, quotquot in re ſeria & religioſâ ludendum ita eſſe exiſtimant. Hæ ejus hypotheſes ſunt: *Deum colere facie ad* imaginem *aliquam converſâ ſi illa autoritate publica conſecrata ſit*, idololatriam *non eſſe. Quicquid is, qui ſummam habet poteſtatem, exegerit a ſubditis ſuis, recte exigi. Peccare poſſe ſubditos obediendo Principibus ſuis, ſeditioſam opinionem eſſe*; *Iniquas eſſe* voces, *Regibus non eſſe obtemperandum, niſi* juſta *præceperint*. Imò (quod præcipue huc facit) *ſi Princeps Chriſtianus* Chriſtum abnegare alicui *præciperet*, *omnino parendum eſſe*; *modo* corde *in Deum credat*; eo *quod oris profeſſio res externa tantum ſit*, *neque pluris æſtimanda*, *quam quilibet alius corporis geſtus*, *quo obedientiam teſtamur*. &c. Scilicet, dum *corde credimus ad juſtitiam*, ore *confiteri ad ſalutem* opus deinceps non erit; neque ſtringet amplius Paulina

Procop. de Bell. Perſ lib. 1.

Urſin. Acer. Philologic. lib. 1 pag. 66.

Hobb. Leviath. cap. 45. & cap. 20.

Id. de Cive, cap. 12. §. 1.

Rom. 10. 10.

Paulina illatio: *Emti eſtis pretio , glorificate igitur Deum in* corpore 1 Cor.
veſtro & *in Spiritu veſtro , quæ Dei ſunt.* Sed de hiſce plenius alibi. 6. 20.
Neque ad rem facit quod de *Naamano Syro* trahi huc ſolet , ex *Zanch.*
2 Reg. 5. 18. Probari enim 1. deberet , incurvationem illam *Oper. Theol*
in æde *Rimmonis*, non civilem ſed *religioſam* fuiſſe; de *hac* enim hic *Tom. 4. pag.*
quæſtio tantum eſt, non de *illâ*. Et 2. ſi *religioſa* fuerit, plane *535. 536.*
ἀναμάρτητον fuiſſe. Saltem ipſe *Naaman* omni ſcrupulo circa illam *544. 708.* *Momm.*
non caruit, expreſſe enim veniam facti ſui à Deo poſtulavit. Bene *de Tripl.*
Toſtatus: Sciendum eſt, quod *Naaman nolebat colere idola* nec etiam *Oeconom.*
,, volebat fingere quod colebat illa, ſcil. frequenter ſe humiliando *part. 1. pag.*
,, coram eis, ut putaretur colere ea, quia in hoc non poterat diſpen- *707. 708.*
,, ſare *Elizæus*, cum eſſet per ſe malum: ſed habebat *Naaman* offici- *Toſtat. in*
,, um ſuſtentandi Dominum ſuum *Regem Syriæ*, quando ambulabat *2 Reg. 5. 18.*
,, & quando adorabat coram Idolis; & tamen non poterat ſuſten-
,, tare eum *Naaman*, quin etiam flecteret genua coram illo *Idolo*,
,, coram quo flectebat Rex genua: & tum non flectebat *Naaman*
,, genua ut adoraret *Idolum*, neque ut Rex putaret quod adora-
,, bat *Idolum*; ſed quia non potuit ſuſtentare regem flectentem
,, genua, niſi ipſe quoque flecteret. Et tunc dicendum, quod
,, *Naaman* nullo modo peccabat, quia nihil faciebat ad cultum
,, *Idoli*, nec ſignificabat ſe facere, ſed exequebatur officium ſuum.
Neque alius caſus ætate *Lutheri* fuit *Saxoniæ* Ducis, qui, Theologis Reformatis non improbantibus, Imperatori, Domino ſuo, pro muneris ratione in cultu idololatrico haud alio fere, ac *Naaman Syrus*, modo etiam inſerviit; neque tamen veram religionem abnegaſſe creditus fuit, cum, quam impenſè ab *idololatriâ* abhorreret, reliquâ ſuâ vitâ teſtatum ſatis fecerit. *Utinam* (aurea verba ſunt Tertulliani) *nec videre poſſimus, quæ facere nobis* *Tertull.* *nefas eſt! ſed quoniam malis ita circumſedit ſeculum idololatria, licebit* *de Idolol.* *adeſſe in quibuſdam, quæ nos homini, non* Idolo, *officioſos habent. Plane* *cap. 16.* *ad ſacerdotium aut ſacrificium vocatus non ibo (proprium enim eſt* idoli *officium) ſed neque conſilio, neque ſumptu, neque alia opera ejuſmodi fungar: Si propter* ſacrificium *vocatus aſſiſtam, ero particeps idololatriæ: ſi me alia cauſa conjungit* ſacrificanti, *ero tantum ſpectator ſacrificii.* Melius proinde difficultatem hanc expediunt, qui cenſent, *Vel* commune totius Judaicæ Gentis privilegium tum fuiſſe, quod vulgatâ illâ Regiæ adorationis lege non teneretur, eo quod eam religioni ſuæ directè oppoſitam eſſe cautari jure poſſet; prout & apud noſtrates ob ſimilem rationem à præſtando juramento

Digitized by Google

Anabaptiſtas eximi palam eſt: quod & *Mordochæi* excuſatio videtur innuiſſe, dicentis, ideo Hamanem adoratum a ſe non eſſe, *quod Judæus eſſet*; ſupponentis, ut videtur, rem ſatis notam tum fuiſſe, eos, qui ad Hebræorum Gentem pertinebant, ad incurvationem iſtiusmodi coram homine mortali non obligari. *Vel* primarios ſaltem illos Viros, cum religionem ſuam Deique ſui Legem, etiam de non adorandis ullis creaturis, Regi ſufficienter aperuiſſent, privilegio hoc donatos fuiſſe. Neque id admodum difficulter impetrare a Rege ſuo potuiſſe, quippe qui jam honorificentiſſimam modo de Deo Iſraelis opinionem animo ſuo conceperat, ut Libri tum *Ezræ* tum *Nehemiæ* teſtari poſſunt. Ne dicam (quod aliis non improbabile videtur) Perſarum Reges *adorationis* cultum *publice* tantum exhiberi ſibi voluiſſe, non vero *privatim*, pioſque hoſce Viros, cum Rex in publicum prodiret, e conſpectu ejus prudenter forte diſceſſiſſe, vel clanculum ſe de eodem ſubduxiſſe, quod per ὑπεκχωρεῖν Græci efferre ſolent.

IV. Vir etiam fuit Haman *iracundiſſimus*. Quam enim ringitur homo turgidus, & quam malè excellentiæ ſuæ conſultum putat, quod honorem illum regium ab univerſa multitudine ſibi tributum, ab uno *Mardochæo* negari ſibi conſpiceret. Et en iram ejus, ut dixi, cum tumore thraſonico conjunctam, vilis enim nimis victima unius *Mardochæi* mors erat, quâ tanti Herois excandeſcentia qualitercunque ſedaretur, flagitium hoc non niſi univerſali totius Gentis, licet culpæ ejus, ſiqua fuerit, minimæ conſortis, interitu erat vindicandum, eoque ut *Mardochæus* cruci, ita omnis Hebræorum populus totali internecioni devovendus. *Ais*, latuitne *Hamanem* Judæorum illa a communi Regem adorandi obligatione exemtio, de quâ mox? & ſi hæc ipſum non latuerit, quo ergo jure excanduit ita in *Mardochæum*, quod juxta eam ab ipſo non honoraretur? *Reſp.* Nullo ſanè jure, nullo colore, ſed ex mero Judaicæ Gentis odio, quamobrem & efferveſcentiam hanc ſuam (ut dicetur mox) ad tempus ſaltem ſollicitiſſime diſſimulavit.

X. Interea, prout *iracundiam* ita & inſignem *ſanguinolentiam* inſtituto hoc ſuo palam fecit. Ecce enim quot non innocuorum hominum millia ſævienti gladio tradenda judicet, propter ſingulare unius (ut putat) hominis delictum. Sic nempe

Colit hic Reges, calcet ut omnes
Perdatque aliquos, nullumque levet.

Tan-

Tantum ut noceat cupit eſſe potens.

Quod dum conſidero, dubium mihi ſemper viſum fuit, an non & aliud quid epidemicâ hac Judæorum cæde intenderit *Haman*, quam ſolam Gentis illius exciſionem; & an non ſimul, illo ſub prætextu, molitus quid ſit contra ipſum Ahaſuerum, magnum ſuum Euergetem, prout (quod ſupra memoravimus) ipſiſſimum illud crimen ipſi a Rege impactum fuit in Epiſtolâ, quam ad liberandos Judæos mitti ad omnes populos mandârat. Imo tanti ipſi fuiſſe ſanguinarii hujus propoſiti executionem liquet, ut ingentem auri ſummam, propriis impenſis procurandam, Regi liberaliter obtulerit; ne ſcilicet ærarium publicum in ſui gratiam gravaretur ullatenus, adeoque omnis ſuus conatus in fumum fortè evaneſceret. Neque eſt, quod intenſiſſimum hoc *Hamanis* in Judæos odium quis miretur; *Amalecita* enim erat, adeoque ipſâ quaſi naturâ Hebræis inimicior, a quibus quippe fuſam non tantum ſed & plané deletam, tempore Saulis, *Amaleciticam* nationem fuiſſe ignorare non poterat, ne ipſo quidem Rege *Agago* excepto. 1 Sam. 15. 18. 19. Quæ & cauſa procul dubio fuit, quod unam hanc *Mardochæi* prævaricationem, ut juſtiſſimam, in omnes Judæos belluinâ ferociâ ſæviendi, occaſionem quam promptiſſime arripuerit.

XI. Homo denique fuit minime ſtupidus, ſed *aſtutus* & callidus, ἀλώπηξ, genuina *vulpes*: quem quippe nullæ latebant artes & μεθοδεῖαι, quibus Exciſionis hujus Iudæorum neceſſitatem credulo nimis Regi inſinuare & perſuadere poſſet; quam enim

facile eſt barbato imponere Regi? *Juvenal. Satyr. 4.*

Omnes perficiendi flagitii ſumptus ſolum ſe laturum ſpondet, Judæos coram *Ahaſuero* accuſat audacter, ut inviſos eos reddat; ſortem in urnam mitti curat, ut Divinæ quaſi determinationis obtentu bono Regi illudat, Eſth. 3. 7. Imprimis omnium ſimulandi & diſſimulandi technarum callentiſſimum ſe eſſe teſtatum fecit, Cum 1. utut unicè ipſum ureret, quod regius ſibi honor à *Mardochæo* denegaretur, plane tamen aliud quid cauſatus ſit, ſcilicet exinde ſe offenſum tantum eſſe, quod *Mardochæum*, adverſarium ſuum, tam frequenter ἐν τῇ αὐλῇ ſedentem animadverteret. Sciebat enim veterator (ne quid dicam de ratione mox allatâ) ſine exiſtimationis ſuæ diſpendio prætexi id ſpecioſè poſſe; haud vero dici licere, adeo ſe inflatum ambitionis vento eſſe,

ſe, ut in unumquemque, ſummum ſibi honorem non deferentem, mox ad furorem uſque excandeſceret; imo ſciebat homo vafer, quodſi faſtus is ſuus innotuiſſet, plurimorum hominum cachinnis & ludibrio exponendum ſe fuiſſe. 2. Cum, utcunque infenſiſſimus *Mardochæo* ob honorem regium & divinum ſibi denegatum, ne ullam tamen iræ, quâ contra ipſum æſtuabat, ſcintillulam ipſi demonſtrârit: *Continebat* enim *ſe ipſum*, ut textus habet. Eſth. 5. 10. idque callidiſſimo conſilio, ne ſcilicet intempeſtivâ indignationis ſuæ manifeſtatione perditionem, miſellulis Iudæis decretam, præproperè nimis detegeret, iique caſum exciſionemque ſuam feliciter vel anteverterent, vel antevertere ſaltem tentarent. Quod non tamen fecit Gens Judæa, ignara quippe inſidiarum, quæ ſibi ſtruebantur; ſed Deus, deplorandæ ipſius ſortis miſertus, gratioſâ ſuâ providentiâ impiiſſimi hominis conſilia ſic detexit & direxit, ut liberatus fuerit tum *Mardochæus* tum tota ejus natio; inſidiator e contra, retaliatione juſtiſſimâ, ipſi illi cruci affixus, quam *Mardochæo* erigi curaverat; ut & in miraculoſiſſimæ liberationis memoriam nunquam intermorituram, feſtum *Pur* ſive *Purim* inſtitutum ſit, diebus 15. & 16. alii habent 14 & 15. menſis *Adar* celebrandum. Eſth. 9. 21. *Feſtum* voco *dies Purim*, præeuntibus licet Magnis Viris, non tamen niſi ſignificatu generaliori, quatenus qualiſcunque feſtivus dies nomine illo venire etiam poteſt. *Feſtum* alias *proprie* & *ſtricte* dictum non fuerunt, *tum* quod *feſti* definitio ſolemnitati illi non convenerit, quod ſit *dies ſtato tempore recurrens cultui divino ex inſtituto Dei conſecratus, ut feriando ſeu quiete, gaudio, cultu proprio & commemoratione peculiaris beneficii divini ſanctificetur, ad ſignificationem & præfigurationem rerum ſpiritualium in* Chriſto; *tum* quod nullo peculiari *ſacrificio* (quod *feſtorum* alias erat) dedicata ſit, nec in Judæorum diſperſione dedicari potuerit; adeoque *convivius* etiam *feſtalibus* plane fuerit deſtituta, conſtans ex ſolis *ἀγάπαις*, vel epulis quibuſdam & comeſſationibus Politicis; *tum* quod ceſſatio ab opere connexa ei non fuerit, quæ in *feſtis* proprie dictis nunquam non requirebatur.

Burmann. in lib. Eſt. cap. 9.

XII. *Patibulo* autem affixus eſt *Haman*, alto quinquaginta cubitos (in Hebræo eſt העץ, cum emphaſi *illo ligno*, *illo patibulo*, c. 7. verſ. ult.) quod paraverat ante *Mardochæo*. Aliter קִיסָה vel etiam צְלִיבָא a צְלַב *ſuſpendere*. Quæ vero *ligni* vel patibuli hu-

jus

jus forma fuerit, quis dixerit? an *crucis* compactæ vel decuſſatæ, an *furcæ* an inſtrumenti e ligno triplici, formâ jugi veteris, cui appenſi homines laqueo ſtrangulabantur? hæreo. Belgæ vertunt een *galg*, quâ voce inſtrumentum tale ut diximus intelligunt; ac ſic etiam Germani. Ligno tali appenſus *patibulatus* dictus eſt Apulejo. *Patibuli* tamen vocabulum *furcæ* quoque tribuitur a Plauto, ut & *Cruci* ab Arnobio: licet *patibuli* levior multo ſit pœna, quam *crucis*; quia *illud* appenſos ſtatim exanimat, *hæc* affixos diu excruciat. Diſtinctè etiam nominat Tacitus *cædes*, *patibula*, *ignes cruces*. Conſtantinus lege latâ ſuſtulit *cruces*, ſubſtitutâ eis *patibuli* pœnâ. *Nolens* (quæ ſuperſtitioſa Lipſii ratio eſt) *ſalutare ſignum ſubſervire ad perniciem*; *&* colendum *illud atque eximium pœnis vileſcere damnatorum*. Fecit id autem *Conſtantinus* non niſi ſub imperii ſui extrema, & liberis jam adultis; quod hinc patet, quia illo imperante *crucium* adhuc mentio fit apud Autores, ſpeciatim apud *Julium Firmicum*, qui eo regnante ſcripſit. Altum vero erat *Hamanis* hoc patibulum *quinquaginta cubitos*; ita ordinaverat procul dubio *Proditor*, ut conſpectius terroris exemplum in ſuſpenſo *Mardochæo* exhiberet; at ipſi ſibi eveniſſe vidit, quod alteri decreverat, inque

Magiſtrum ſcelera redierunt ſua.

Sicque palam fecit Deus in bipedum hoc nequiſſimo & truculentiſſimo, *fodientem foveam in eam incidere*, *&* *qui devolvit lapidem in eum reverti lapidem*; quod *Adonibeſeci*, *Achabi*, *Agagi*, quin ipſorum piorum quorundam, *Davidis*, *Salomonis*, &c. exemplis abunde quoque comprobavit. *Quæ enim*, ut bene ille apud Gellium, *iſta acerbitas eſt*, *ſi idem fiat in te*, *quod tute in alium feceris*? Ut neque ipſi Gentilium Annales de æquiſſimâ hac juſtitiæ Dei vindicatricis retributione plane ſilent: *Diomedes*, Thraciæ Rex, *equos* ſuos *humanâ* ſaginaverat carne; at quid fit? ipſe poſtmodum, ab Hercule victus, iiſdem illis *equis* in pabulum ceſſit,

Ut qui terribiles, pro gramen habentibus herbis,
Impius humano viſcere pavit Equos.

Et quid *Phalaris*, Agrigentinorum Rex, & *Perillus*? ut nova tormentorum genera excogitent, operas tradunt mutuas; Rex æneum fabricari jubet Taurum, cujus *Perillus* artifex eſſet, illique, igne ſubjecto, damnatos immittere conſtituit, ut præ dolorum vehementiâ *boum* veluti *mugitum* ederent. At quis rei exitus?

Apulej. lib. 4.
Plaut. in Moſtell. Act. 1. *Scen.* 1.
Arnob. lib. 1.
Tacit. Annal. lib. 14.
Lipſ. de Cruce lib. 3. *cap.* 14.
Sozomen. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. *cap.* 8.
Gretz de Cruc. lib. 1. *cap.* 7.
Senec. Thyeſt. 1.
Prov. 26. 27.
Pſ. 7. 16. *&* 9. 16. *&* 57. 7.
Proverb. 28. 10.
Eccleſ. 10. 18.
Thren. 4. 20.
Jud. 1. 7.
1 *Sam.* 15. 33.
1 *Reg.* 20. 29.
Ovid. in Ibin.
Plin. lib. 34. *cap.* 8.

Perillus artifex, magnum ex inſigni hoc opere munus ſibi pollicitus, ſpe ſuâ non tantum excidit, ſed ipſe, juſſu Regis, in candentem *Taurum* conjectus, primus artis ſuæ ſpecimen præbuit.

Ovid. de Arte. l. 1.

> *Et* Phalaris *tauro, violenti membra* Perilli
> *Torruit, infelix imbuit autor opus.*

Imo ipſe tandem Tyrannus, ab univerſis civibus, tantæ crudelitatis impatientibus, correptus, ipſi illi *tauro* incluſus & *vivus* crematus eſt. Sic

Sil. Italic. lib. 14.

> *diræ conditor artis*
> *Ipſe ſuo moriens immugit flebile tauro.*

Ovid. loc. cit.

> *Neque enim lex juſtior ulla eſt,*
> *Quam necis artifices arte perire ſuâ.*

Druſ. Obſerv. Lib. 12. cap. 5.

XIII. *Feſtum*, quod in admirandæ liberationis memoriam celebrandum fuit, occurrit ſub *dierum* פור ſive פורים nomenclaturâ. Quid de vocis illius origine ſit, ſic habe ex Clariſſ. *Druſio*: *Vetuſti Interpretis verba ſunt* cap. 3. lib. Eſther vers 7. *Miſſa eſt ſors in urnam, quæ Ebraice dicitur Phur.* Admonet autem Nicolaus, *Phur vocabulum Perſicum eſſe, & non Ebraicum*; recte ſane. Quorſus enim declaratio illa, *Phur i. e. ſors?* Sic enim in Ebræo ad verbum ibi legimus: *Projecit Phur.* 1. *ſortem coram Haman*. Nam in lingua Hebræâ ſors *goral* appellatur. A *Phur* plurale eſt *Phurim*. Eſth. 9. 26. 1. *ſortes*; niſi potius ut ſit adjectivum a *Phuri*, cujus plurale *Phurim*, ut a *Jehudi Jehudim*. 1. *Judæi*. Certe *Joſephus* græce ſcripſit Φουραίους, cum a *Phur* forma nominis græca dicendum eſſet Φουρῆς. Locus Joſephi eſt Lib. 11. cap. 6. Διὰ ταύτας μὲν Ἰουδαῖοι τὰς προειρημένας ἡμέρας ἑορτάζουσι, προσαγορεύοντες αὐτὰς Φουραίους. Ita quidem Joſephus ſcripſerat, ſed vide audaciam Correctorum: ἐκ Φουραίους fecerunt Φρουραίους, quam Scripturam ſecutus Ruffinus, vetus Joſephi Interpres, ſic eum locum reddidit, *unde prædictos dies Judæi celebrant, appellantes eos Conſervatores.* Hactenus Druſius. At diſſentit ab eo *Pagninus*, qui ab Hebræo fonte vocem deducit, nempe a פור, quod *confringere & conterere* ſignificat, & notare eam vult *torcular*, in quo uvæ vel olivæ confringuntur; vel ſimpliciter vas, in quod *ſortes* conjiciuntur, & per metonymiam *ſortem* ipſam. Quatuor quidem fuêre ſortes apud Hebræos in Sacerdotum atrio: *Prima* de expurgando altari a cineribus, *altera* de mactando ſacrificio jugi, *tertia* de ſuffitu faciendo *quarta* de portandis partibus agni a gradibus ad alta-

Pagnin. Theſaur. Ling. S. P. 2158.

Buxtorf. Lex. Talm. pag. 1725.

Digitized by Google

tare: operæ hæ omnes, ut docent *Talmudici*, ſortitione diſtribuebantur. Sed huc impræſens non reſpicitur, neque enim de ſimplici ſorte ſermo eſt, ſed de *Feſto* & *diebus ſortis* ſeu ſortium; ut neque de *Hebræorum* ſed *Gentium* circa eas conſuetudine. Bis Dierum *ſortium* mentio fit in Libro Eſtheræ: *Semel* cap. 3. 7. *Menſe primo, is eſt menſis Niſan, anno duodecimo Regis Aſſueri, juſſit conjici* Pur, *id eſt*, ſortem *coram ſe*, de *die in diem* & de *menſe in menſem, uſque ad menſem duodecimum, is eſt menſis* Adar: Loquitur textus de *Hamane*. Notat *Auguſtinus* in Ep. ad *Galatas*, ſuâ ætate Chriſtianorum conventicula plena fuiſſe hominibus, qui tempora rerum gerendarum a Mathematicis acciperent; verba ejus ſunt: *Jam vero, ne aliquid inchoëtur aut ædificiorum aut ejusmodi quorumlibet operum, diebus, quos* Ægyptiacos *vocant, ſæpe etiam moneri nos non dubitant.* Atque ideo in Kalendariis *Romanis*, quæ eo publicabantur tempore, ad dies Feſtos ſignandos, faſtos & nefaſtos, etiam *Ægyptiaci* nominatim notari ſolebant. Liquet id in *Kalendario Romano*, A° Chriſti 325. quo *Synodus Nicæna* prima celebrata eſt, confecto. *Felices* dies vocabant ἐμπράκτους (*Felices operum* dicit *Virgilius*) *infelices* ἀπράκτους ἡμέρας; vel, juxta Græcorum morem ἀπαισίους & ἀποφράδας. Dies *infauſtos* ſive ἀπράκλους *Romani* habuerunt plures, ſcil. *Januarii* 2. 6. 16. *Februarii* 7. 25. *Martii* 3. 24. *Aprilis* 2. 19. 21. *Maii* 3. 21. *Junii* 12. 20. *Julii* 6. 18. *Auguſti* 6. 21. *Septembris* 2. 19. *Octobris* 3. 20. *Novembris* 2. 24. *Decembris* 4. 14. *Græci* ſingulis menſibus *binos* tantum attribuerunt: Ut Ἰανουαρίῳ β. δ. Φεβρουαρίῳ β. κϛ. Μαρτίῳ δ. κ. Ἀπριλλίῳ γ. κ. Μαΐῳ ζ. κβ. Ἰουνίῳ γ. ιβ. Ἰουλίῳ ϛ. κβ. Αὐγούστῳ δ. ιέ. Σεπτεμβρίῳ. γ. ιδ. Ὀκτωβρίῳ γ. κα. Νοεμβρίῳ ε. ιέ. Δεκεμβρίῳ γ. ιδ. Reſpexit huc forte etiam *R. Bakerus*, celebris *Anglorum* Hiſtoricus, in vitâ *Eduardi* VI. dum dixit: *Victoria hæc* Muſſelburgenſis, ab *Anglis* contra *Scotos* reportata, *incidit in diem. x, Decembris, quo ipſiſſimo ejusdem menſis die, triginta annis ante fuſi iidem* Scoti *fuerunt in campo* Floddenſi. *Sic ut dies ille perquam* infelix *Nationi iſti fuerit, & confirmaverit Aſtrologorum judicium, qui dicunt, quosdam dies* fauſtos *homini alios vero* infauſtos *eſſe, modo rite diſcerni ab hominibus poſſent.* Tametſi, ut ex dictis liquet, tam *Græci* quam *Romani* non *decimum*, ſed *hi* quartum & decimum quartum, *illi* tertium & decimum quartum *Decembris* inauſpicatum dixerint. Verum præter hos dies, qui omnibus communiter inepti credebantur ad ſuſcipiendum aliquod opus, erant Veteribus etiam

Dieteric. Antiquit. Biblic. p. 398. 399. 400.

Auguſt. in Epiſtol. ad Galat.

Alexand. ab Alexand Gen. Dier. l. 2. *cap.* 6. & *lib.* 4. *cap.* 20. *p.* 421. 425.

Sim. de Vries Obſervat. Curioſ. pag. 1317.

Baker in Vinâ Eduard. VI. pag. 167.

alii, quos Geneſis ſingulis hominibus *infauſtos* dabat, ad rem aliquam efficiendam; Deque *his* conſulebant fere Mathematicos, qui *vel* geneſin inſpicere tum cogebantur illius, a quo interrogabantur, *vel* inſpicere Ephemerides, ut quæſtioni, de re aliquâ bene vel male ſucceſſurâ, poſſent reſpondere. Atque ita quidem Romani paſſim Græcique; at non tamen omnes populi. Nam Perſis viciniſq; Gentibus in more fuit, non per Geneſin & Mathematicos, ſed *ſortibus* explorare, quinam dies rei ſuæ gerendæ vel fauſti forent vel infauſti: proceſſitque *ſortitione* ſuâ eodem hoc modo impius hic *Haman*, miſſionemque hanc *ſortium* per multos dies continuavit, ut omnino certus eſſet, ſanguinolentum ſuum conſilium, quod meditabatur, proſpere ceſſurum ſibi eſſe. Inquiſivit itaque primum, quisnam *menſis* minus faveret Judæis, & reperit ultimum *Adar*, quod nullâ feſtivitate ſolemnis eſſet, aut peculiaribus Sacris ſanctificaretur. Deinde *dies* ſciſcitans, projectilibus magice miſſis, elicuit *decimum quartum* & 15. Dixerunt quidam, eoſdem hoſce *dies* alio nomine ab Hamane *Haman* vocatos eſſe. *Iterum* dierum פור vel פורים, id eſt, *ſortis* vel *ſortium* meminit Scriptor Sacer Eſth. cap. 9. vers 26. *Propterea vocantes dies iſtos* Purim, *de nomine* Pur *ſive ſortis illius &c.* habet Tralatio Vetus, *Atque ex illo tempore dies iſti appellati ſunt* Phurim, *id eſt*, ſortium, *eo quod* Phur, *hoc eſt, ſors in urnam miſſa fuerit.* Digitus, ut dictum eſt, intenditur in *dies* 14. & 15. menſis *Adar*, qui noſtro *Februario* reſpondet. Et hi dies in Feſtum anniverſarium ordinati a *Mardochæo* fuerunt, quod & nomen ſuum ab eo retinuit, Μαρδοχαικὴ ἡμέρα *dies Mardochæi* dictum, 2. Machab. cap. 15. vers. 37. *Tertia decimâ die menſis Adar*, quæ *dicitur voce Syriacâ pridie Mardochæi ſive Mardochaici diei.* Immediate dies hoſce præcedebat *Jejunium* Eſtheræ, quod regulariter incidebat in 13 Menſis *Adar*. At probabile eſt Jejunium hoc jam olim obſervari deſiiſſe, poſt inſtitutam nempe ſolemnitatem ob partam victoriam de *Nicanore*, quæ incidit in 14 *Adar*, pridie diei Mardochæi. Celebrabatur hoc Feſtum die jam nominati menſis decimo quarto, & vocabatur *feſtum ſortium minus*, & die decimo quinto & dicebatur *feſtum ſortium majus.* Quibus diebus quænam præſtanda & obſervanda Judæis ex Dei præſcripto fuerint, narratur vers 17. 18. 19. 20. 21. 22. cap. 9. Verum, prout res plerumque humanæ tractu temporis in pejus ruunt, ita & hic accidit; verſum enim tandem eſt in feſtivitatem mere Bacchanalem, quam

2. Machab. 15. 37.

Wilhelm. Schikart. Orat. pecul. de Feſt. Purim.

non

Digitized by Google

non niſi commeſſationibus & compotationibus tranſigi ſolere, plus ſatis notum eſt. *Tenetur homo* (refert Buxtorſius ex Talmude) *in feſto* Purim *eouſque inebriari, ut nullum diſcrimen norit inter maledictus Haman & benedictus Mardochai.* Quinimo ipſum hoc *feſtum*, vel potius abuſum ejus, Papiſtarum *Bacchanalibus* originem dediſſe invictis rationibus adſtruxit *Guiljelmus Schikartus*, Oratione peculiari *de Feſto* hoc habitâ *Tubingæ*, 12. Febr. 1634. Collatis enim cum ſe invicem hiſce feſtivitatibus, oſtendit, vix ovum ovo ſimilius eſſe, *tam* quoad temporis circumſtantiam, *quam* præcipue quidem quoad petulantem luxurioſamque celebrandarum earum modum, quo præprimis etiam ſpectat laudatus modo *Buxtorfius*. Inter alia notabile eſt, quod, tametſi Legis expreſſiſſima verba dicant, *ne mulier virili incedat habitu, vel contra*, Judæique tenaciſſimi hujus præcepti alias ſint, hoc tamen tempore plane id conculcent, viris induentibus fœminarum veſtes, & his viciſſim illorum, larvatiſque ſic per platæas diſcurrentibus, vino probe calefactis; quod & nunquam non in modernis Pontificiorum *Bacchanalibus*, ubi rerum potiuntur, accidere videas, turpiſſimum Paganorum luxum, *in Gymnicis* ſuis ludis uſurpatum, profane imitantium; de quo ſic Luduv. Vives: *Si quietâ eſſent tranquillâque mente nunquam talia facerent: partim inepta ſtultaque partim abominandæ fœditatis, partim crudelia atque inhumana.* Indicebant enim Ethnici Sacra hæc ſua per deliram & temulentam anum, eoque inſolentiæ in iis procedebant, ut mulieres virique ornati hæderâ, crine fluxo, lymphatis animis debacchatæ, cum thyrſis velut inſanientes & furore afflatæ, obvios ferirent: miniſtri quoque fanatici non minore veſaniâ ferulas geſtarent, tantâ temulentiâ & verborum licentiâ, ut niſi ab amentibus fieri potuiſſe, negaret quilibet:

Buxtorf. Synag. cap. 24.
Schikart. de Feſt. Purim.
Voet. Diſpp. Select. part. 3. pag. 1392.
Deut. 22. 5.
Lud. Viv. in Aug. de Div. Dei lib. 6. cap. 9.

Mentis inops rapitur, ut quas audire ſolemus,
Threicias fuſis Mænadas ire comis.

Ovid. Faſt. 4.

Quod petulantiæ genus cum ex nocturno diurnum fieret (unde *Nyctileium* appellatum) promiſcuiſque ingenuorum & fœminarum ſtupris, cum ſtrepitu & ululatu in omne facinus & libidinem procederet, perpetuo Senatus-conſulto non in urbe modo, ſed per omnem Italiam coërcendum fuit: maximiſq; inhibendum pœnis, ne *Bacchanalia* Romæ neve in Italiâ amplius fierent, ut teſtis eſt Livius lib. 39. Heſteræ Hiſtoriam prælegere etiam Judæi hoc Feſto conſueverunt, quumque in eâ *Hamanis* nomen pronunciatur, pugnis malleoliſque ſcamna & pulpita tam vehementer pulſitare, ac ſi, ve-

Auguſt. de C. D. lib. 7. c. 21.

Digitized by Google

Anton. Margarit. de Cæremon. Iudæor.

teris injuriæ memores, ipſiſſimi *Hamanus* caput percu erent, totumque id comminuere intenderent. Quoniam vero *Haman* crucifixus fuit, ſolebant etiam crucem quandam ligneam quaſi in contumeliam ejus, in ſupplicatione circumferre, eamque mox exurere: quem contemtum poſtea, *Chriſto* non minus, quam *Hamani* infenſi, in Salvatorem etiam converterunt. Spectat huc notorie Lex Codicis de *Judæis* & *Cœlicolis*, cujus hæc verba ſunt: *Judæos quoſdam feſtivitatis ſuæ ſolemni Aman ad pœnæ quondam ſumptæ dationem incendere, & ſanctæ Crucis aſſimulatam ſpeciem, in contemptum Chriſtianæ Fidei ſacrilegâ mente exurere, provinciarum Rectores probibeant: neve locis ſuis fidei noſtræ lignum immiſceant, amiſſuri ſine dubio permiſſa hactenus, niſi ab illicitis temperarint* Dat. 4. Calend. Jun. Conſtantino Baſſo & Philippo Coſſ. Ad rem *Urſinus*, Vir ſane doctiſſimus: *Neque dubium eſt* (inquit) *quin Hebræi hanc cauſam* (locutus erat de cruce Mardochæo deſtinata) in *opprobrium Domini crucifixi commenti ſint. Et tamen vide, ut recutiti ſuis* aſciam illidant cruribus, *quod Haman in Mardochæum cogitaverat; hoc illi in Chriſtum, morte peſſimâ voluerunt occidere, e quâ nemo poſſet eruere, quod &c... Verum, ut in Hamanum rediit, quod contra Mardochæum meditatus erat ſcelus; ſic in Judæos autores, quod illi machinati contra Dominum. Pendent ſceleſti jam annis mille & ſexcentis, omen & opprobrium omnibus Gentibus. Dominus regnat Gloria & honore coronatus Ipſi illi infenſiſſimi hoſtes, etiam inviti præcones ſunt majeſtatis ejus.* Eſth. 6. 11. *dum* ſcriniarii quaſi Chriſtianorum, *oracula prophetarum circumferunt, ſuoque ſupplicio tam diuturno majorum de perfidiâ palam teſtantur.* Ne addam quæ ut teſtis oculatus narrat Cl. D. *Leuſdenus*, de dierum horum obſervatione hodie apud Judæos uſurpatâ, ſtultâ ſane & ridiculâ. Appictâ morionum quorundam figurâ, ſic inſit: *Hic conſpiciuntur tres Iudæi miro modo veſtiti & per plateas diſcurrentes: Solent enim Iudæi feſtum Purim omnibus generibus lætitiarum condecorare vel potius profanare. Quidam inſtar ſtultorum, variegatis veſtibus induti, vulpecularum caudis ornati non tantum per plateas ſed, (ut ipſemet vidi) per Synagogam diſcurrunt & quidem tum, quando liber Eſtheræ publice in Synagoga prælegitur.* Scilicet tam nullâ aguntur tunc homines iſti Sacri Voluminis reverentiâ. Pronunciant etiam, finitâ libri *Heſteræ* lectione, tum Benedictiones, *Benedictus eſt Deus, qui nos ſanctificavit, & juſſit legere Megillam*: & *Benedictus eſt Deus, qui fecit miracula Patribus noſtris in diebus illis hoc tempore* (ſpectant his verbis excitati *Mardochæi* bene-

Cod. de Iudæis Tit. 12. lib. 1. l. 11.

Salian. Annal. V. T. Tom. 5. pag. 152.

Urſin. Arboret. Biblic. cap. 15. p. 220 227.

Leuſd. Philolog. mixt. Diſſert. 40.

benificium in ſui liberationem) *tum* Maledictiones, & in *Hamanem ipſum* ימח שמו. *moriatur nomen ejus*, vel שם רשעים ירקב, *nomen impiorum putreſcat*; & in *Filios ejus* occiſos; haſque ſine pauſa & diſtinctione abſolvunt uno ſpiritu & halitu, quia omnes momento occiſos eſſe fabulantur. Neque tamen in medio luxu ſuo benificentiæ plane obliviſcuntur, verum, ut etiam pauperes pro conditione ſuâ *Feſtum* hoc digne celebrare poſſint, mittunt iis ditiores מעות פורים obolos ſive *Numos Purim*, qui apud Germanos tres dimidios Thaleros faciunt, quos לרולים indigitant. Imo adeo nonnunquam liberales ſunt, ut in Synagogâ indiſcriminatim inter pauperes tam *Chriſtianos* quam *Judæos* numos illos diſtribuant; quamvis, ſi ipſa ſpectetur littera, non niſi ſolis *Judæis* debeantur, neque erogent illos, niſi hac expreſſim additâ admonitione, ut edulia iis comparent, ac totam ſummam conſumant in celebritatem Feſti tantum; namque reos fieri profanatæ ſolemnitatis cenſent, quicunque in alios uſus convertere pecuniam eam auſint. Quamobrem, præter eleemoſynam hanc nummariam, etiam cibi aliquid cocti inopibus de menſâ ſuâ mittunt, ut & illo modo recreationis Feſti participes eos reddant. Atque tali quidem Judæi, tam contemtim a Deo jam habiti, utque *argentum reprobum* ab eo rejecti, etiamnum veluti zelo flagrant, tali ſaltem τῆς εὐσεβείας μορφώσει coram toto orbe conſpicui adhuc ſunt, ut nempe memoriam acceptæ ab eo liberationis neutiquam deponant, neque a propagine ſuâ deponi ſinant, e contra verò ſingulari eam celebrent apparatu, beneficiique, quo gaudent, partem per eleemoſynarum, ut dictum eſt, diſtributionem, ad egenos tranſire etiam faciant, idque benificentiâ tam promiſcuâ, ut ne quidem fidei ſuæ adverſarios defraudari eâ velint. Quæ certe utut ex vera fide non profecta, multiſque ſuperſtitionibus & peccatis coinquinata, objectivè & in ſe laudabilia tamen ſunt, & pudorem incutere multis e Chriſtianis poſſunt, qui in *Deum* benefactorem ingrati & in *pauperes* duri, ut ſuis probro, ita occœcatæ huic Genti ſcandalo paſſim ſunt.

Acoluth. de Aquis Amar. cap. 3. p.m. 334. Buxtorf. Synag. Judaic. cap. 29.

Schikart. de Feſt. Pur.

EX-

EXERCITATIO II.
DE
VIRGA APOSTOLICA,
BREVIARIUM.

Variæ Apoſtolorum *prærogativæ.* Legati *inſcriptio iis non accenſenda.* Πρεσβεύειν *&* πρεσβὺς *quid?* Eraſtiani *primarii* Virgæ Apoſtolicæ *aſſertores.* Petri Molinæi, Grotii, Burmanni *variorumque Patrum,* Traditionem Satanæ *eo referentium, opinio.* Virgæ Apoſtolicæ *deſcriptio.* Requiſita *ejus peculiaria.* Calvinus *&* Grotius *ad partes vocati. Autoris* ἐπίκρισις. Prophetarum *in* corpora *hominum ſub VT.* poteſtas *qualis? Hebræorum* הכה *quid?* Clemens Alexandrinus *notatus. Vocis* πατάσσειν *ſignificatio propria. Locus* Exod. 2. 12. *illuminatus.* Ægyptius, *de quo ibi, quo inſtrumento a* Moſe *trucidatus; Quædam etiam poteſtas* Extraordinaria Apoſtolis *olim conceſſa.* Ῥαβδοῦχοι *apud Romanos qui? Loca* 1 *Cor.* 4. *ult.* 2 *Cor.* 10. 6. Virgæ Apoſtolicæ *male applicata. Verba* 2 *Cor.* 13. 10. *&* 1 *Cor.* 12. 10. *illuſtrata.* Traditio Satanæ *cur ad* Virgam Apoſtolicam *non referenda? Etiam apud Hebræos* Traditionis *hujus quædam veſtigia. Eruditorum de verâ ejus* ratione *diſcors ſenſus,* Mors corporalis *eâ non indicata.* Ut neque *vexatio Diaboli corporea. Sed juſta eccleſiaſticæ* Excommunicationis *cenſura. Diſtinctio circa eam obſervanda.* Lichtfooti *ſententia adverſa refutata. Cur & quo ſenſu excommunicati* Satanæ traditi *dicendi?* Petri Molinæi *objectiones excuſſæ & diſcuſſæ. Non* corpus *ſed* pars *hominis* irregenita *per* carnem 1 *Cor.* 5. 5. *intelligenda. Ut neque per* Spiritum *anima, ſed pars ejus* regenita *Ratio evidens*

Digitized by Google

dens τῇ παρερμηνείᾳ Molinæi *oppoſita.* Auguſtinus, Paræus, Lutherus, Beza *in conſenſum advocati.* Traditio Satanæ *per Excommunicationem non* architectonicè *&* abſolute *ſed* declarativè & conditionatè *intelligenda. Reformatorum hac de re ſententia* ex Hyperio, Tileno, Eſſenio *explicata.* Patrum *quorundam teſtimonia* ἀπροσδιορίστως *objecta. M*olinæus *Filius cum* Molinæo Patre *commiſſus.* Chryſoſtomi & Ambroſii *a ſe ipſis* διαφωνία. Objectiones *ex locis* 1 *Cor.* 5. 3. *&* 1 *Tim.* 1. 20 *ſolutæ. Quo ſenſu Paulus* Traditionem Satanæ *ſibi ſoli adſcripſerit?* Satanæ traditio *Eccleſiis modernis non eliminanda.* Eraſtianorum *falſa hypotheſis exploſa. Reſectis, quæ diſciplinæ Apoſtolicæ ut* extraordinaria *olim adhæſerunt,* ordinaria *ejus tamen retinenda. Primarii* Eraſtianorum *Antagoniſtæ indicati.*

I. APoſtolos variis olim gaviſos eſſe prærogativis ſupra ordinarios N. T. miniſtros, nemo eſt, quod ſciam, qui inficias eat. *Vocatione* enim conſtituti ſunt *extraordinariâ* & immediatâ, *Matt.* 10. 1. Joh. 20. 21. Act. 4. 13. *Teſtes* oculati & auriti vitæ & Doctrinæ Chriſti extiterunt. Act. 1. 3. 1 Joh. 1. 1. 2. 1 Cor. 15. 8. *Immediatâ* Dei Chriſtique revelatione divina myſteria acceperunt. Joh. 20. 2. Galat. 1. 12. In docendo fuerunt *infallibiles.* Joh. 16. 13. *Dono miraculorum* excelluerunt. *Marc.* 16. 20. *Aliis* dona Sp. S. *impertire* potuerunt. Act. 8. 6. *Uni* ſingulari *Eccleſiæ* affixi non fuerunt. *Matt.* 28. 19. *Qua tales* ſucceſſores nullos habuerunt, neque habebunt unquam. *Sapientiæ*, prudentiæ, fortitudinis honore quoſvis alios ſuperarunt. Act. 20. 17. 35. &c.

II. Addunt hiſce aliqui, tanquam privilegium ſingulare, quod *Legati Dei* nuncupati fuerint, contendentes, *M*iniſtros modernos elogio iſtoc inſigniri non poſſe, *niſi ſenſu admodum diminuto*: ſed neſcio, cur id aſſerant, neque enim decet λογομαχεῖν. Quid enim eſt *Legatus*, niſi is, qui ex alius vel Regis vel Principis &c. mandato quid agit, vel loquitur: Ita Virgilius,

Legati reſponſa dabunt.

At idne etiam fit ab hodiernis *M*iniſtris? Suntne & illi peræque

Joh. Gerard. Loc. Theol tom. 6. p. 126.

Gal. 1. 1. 1 *Cor.* 9. 1. 1 *Joh.* 1. 11 *Act.* 4. 20 1 *Cor* 7. 17 2 *Cor.* 11. 28. 1 *Cor.* 7. 25. *Joh.* 14. 26 2 *Cor.* 12. 2.

Momm. de Tripl. Dei Oeconom. tom. 2. pag. 914. 915.

Spanhem. Quatern. p. 227.

Burmann. Synopſ. p. 2. *lib.* 8. *cap.* 6.

Virgil. Æneid. 11.

1 Cor. 4. 1. &c.

ὑπηρέται χριστοῦ καὶ οἰκόνομοι μυστηρίων Θεοῦ, ac ipſi Apoſtoli? In Græco eſt πρεσβεύω, quod eſt *legatione fungor, ut legatus mittor.* Sic de Antalcidâ *Ælianus*, quod fuerit πρεσβεύων ὑπὲρ εἰρήνης πρὸς αὐτὸν, *legatione fungens ad eum*, id eſt, Perſarum Regem, *pacis ergo.* Ita & Carneadem Critolaumque, ut *Legatos* Romam miſſos, πρεσβεύοντας dixit. Item de *Iſmenia Thebano*, de quo ante, quod fuerit πρεσβεύων ὑπὲρ τῆς πατρίδος πρὸς βασιλέα τῶν περσῶν, *legatione fungens patriæ causâ ad Regem Perſarum.* Confer. Eph. 6. 20. 2 Cor. 5. 20.

Ælian. Var. Hiſtor. lib. 14. cap. 39. & lib. 3. cap. 17. & lib. 1. cap. 21.

Suidas Tom. 2. pag. 587.

Reperimus (inquit *Suidas*) *eodem ſignificatu* πρεσβευτὰς, *id eſt*, legatos, *ſed hoc quidem eſt verbale nomen a verbo* πρεσβεύω *deductum*, id eſt, *legationem obeo vel gero.* Derivatur a πρεσβὺς *ſenex* vel *ſenior*, eo quod apud moratiores populos, ad Legationes plerumque viri graves & *ſeniores* adhiberentur. Applicatur etiam quibusvis pro alio orantibus (πρεσβεύω τὰς λιτὰς, id eſt, *preces Deo offero*, velut *legatione fungens* & interpretem agens) quidni ergo & quibusvis Miniſtris, qui pro populo apud Deum intercedunt, tribui id licet? Quinimo omnes *veritatem profitentes* πρεσβεύειν dicuntur. Sic *Juſtinus Martyr*: Εἴπατε ὑμῖν οἱ τὸν χριστιανισμὸν πρεσβεύειν προσποιούμενοι. *Dicite nobis vos, qui Chriſtianiſmum profiteri aſſimulatis.* Interprete *Sylburgio*. Vel an miſſio immediata & extraordinaria *Legatum* tantum facit? cur quæſo hoc? cum & mediatam nomine Dei factam eſſe, certo conſtare poſſit? Vel an multum intereſt inter mandatum Regis ſive voce ſive ſcripto inſinuatum? eſtne utrumque genuinum Regis mandatum? & qui alterutrum fideliter exequitur, an non vicem *Legati* obiro dicendus eſt? Saltem *Grotius* hac de cauſâ titulum hunc *Paſtoribus* non negat. *Vocantur* (inquit) *Paſtores* Legati, *nuntii*, *præcones.* Legatorum *autem*, *nunciorum & præconum non eſt ſuo imperio quemquam obligare, ſed alienum imperium notum facere.* Quod idem eſt, quod nos promiſcue N. T. *Miniſtris* tribuimus. Quapropter nodum in ſcirpo quærere dicendi ſunt, quibus ſubtilius diſtinguere hic libet. Sed hæc tantum ὡς ἐν παρόδῳ: non oportuit tamen nihil de eo dici, quia negationem hujus tituli in contumeliam Miniſtrorum Novi Teſtamenti nonnunquam torqueri, nimis quam manifeſtum eſt.

Philoſtr. in Heroic.

Juſtin. Martyr. de rect. Confeſſ. Op. pag. 386.

Grot. de Imp. Summ. Poteſt. circ. Sacr. cap. 4. pag. m. 79.

III. Speciosius alii, iique Viri ſatis celebres, Apoſtolorum præ-

prærogativis *Virgam* quandam, uti vocant Apoſtolicam adjunxerunt, argumento loci, 1 Cor. 4. ult. Τὶ θέλετε; ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐν ἀγάπῃ; *Quid vultis, cum* Virgâ *veniam ad vos, an in charitate?* Urgentque hanc præcipue *Thomæ Eraſti* Sectatores, *Seldenus*, *Ludovicus Molinæus*, &, qui eorum vitulo paſſim aravit, *Lambertus Velthuſius.* Hi enim, cum partis Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ *Excommunicatio* vulgo dicitur, acerrimi oppugnatores ſint, omnes fere Scripturæ textus, pro dictâ *Excommunicatione* militantes, *Virgæ* huic adſtruendæ vindicare ſolent.

Selden. de Synedr.

Ludov. Molin. in Parænesi ad Ædificat. Imp. in Imper.

Velthuſ. de Idolol. & Superſtit

IV. Multis etiam aſſerere eam contendit Vir ſummus *Petrus Molinæus* P. utut alienior alias ab hypotheſibus *Eraſti*, in inſigni ſuo libello, quem *Vatem* inſcripſit: ubi imprimis id agit, ut *Traditionem Satanæ, de* quâ Apoſtolus, 1 Cor. 5. 5. 6. & 1 Tim. 1. ult. non Excommunicationem, ſed *Virgam* hanc *Apoſtolicam* ſignificare evincat. Quocum paria ex noſtratibus facit Illuſt. *Grotius*, dum ait: *Tradere autem Satanæ eſt precari Deum, ut eum tradat in poteſtatem Satanæ, nempe ut per eum morbis vexetur*; nec non Clariſſ. D. *Burmannus*, ſecuti in eo varios ex antiquis Doctoribus.

Grot. in 1 Cor. 5. 5.

Chryſoſt. in 1 Cor. hom. 15.

Burmann. Tract. Cit.

Cyrill. in Lev. lib. 15.

Ambroſ. de Pœnit. lib. 1.

V. Eſt vero, juxta Theologos, *Virga* hæc *Apoſtolica* nihil aliud, quam poteſtas quædam extraordinaria, divinitus Apoſtolis conceſſa, quâ non verbis, minis, increpationibus tantum, ſed & acriori quodam remedio, id eſt, corporali qualicunque noxâ mulctare peccatores immorigeros poterant. Sic de eâ Burmannus: *Erat ejus quoque generis* Virga *illa* Apoſtolica, ac Traditio in manum Satanæ *in ipſâ Eccleſiâ primitus uſurpata; ubi ſeveriore diſciplinâ opus erat, ad inſana & tabentia ejus membra ſecanda & acriori remedio corrigenda: quod corporis ſæpe noxâ immiſſiſque morbis, ac Satanæ denique vexationibus fiebat, ut anima ſervaretur.*

Hieronym. in Gal. 5.

Burman. Loc. Cit.

VI. Cenſent ergo cõmuniter (ut rem hanc clariuſcule explanem) 1. Deo acceptam ferendam poteſtatem hanc eſſe, ideoque δύναμιν τῦ θεῦ vel κυρίȣ Apoſtolo nuncupari. *1* Cor. 5. 4. (2) Solis Apoſtolis fuiſſe propriam, non aliis, neque cœtui cuidam fidelium communem, adeoque & ceſſaſſe cum Apoſtolorum exceſſu. (3) Exeruiſſe ſe quandoque adverſus impios & incorrigibiles, ut ſic commoverentur eorum exemplo *boni* Act. 5. 5. a blaſphemando deterrerentur mali, ſeveriſſimaque in malefactores quoſvis Dei vindicta manifeſtaretur. 4. Piorum ratione non adhibitam fuiſſe ad

Lichtf. Hor. Hebr. in 1 Cor. 29.

Digitized by Google

perdendos, ſed e contra ad lucrandos & ſervandos peccatores. 5. Quandoque ſe extendiſſe ad *morborum*, quandoque ad *mortis* immiſſionem, nonnunquam etiam ad ipſius *Satanæ* in corpus peccatoris *intruſionem*. 6. Non ſæpius ſed *rarius* adhibitam ab Apoſtolis vel Viris Apoſtolicis fuiſſe. Neque (7.) arbitratu unquam ſive authoritate propriâ, ſed motu inſtinctuque ſemper divino. Hinc

Calvin. in Act. 13. 11

Calvinus: *Sed quoniam miracula ut plurimum Chriſti naturam referre debebant, qui totus humanus eſt, ſuavis, beneficus & miſericors, ideo rara diverſæ potentiæ exempla per Apoſtolos edi voluit. Neque putandum eſt, hac poteſtate fuiſſe inſtructos, quoties libitum eſſet quempiam ulciſci, ſed Spiritu Dei, qui ſic eos armabat, idem ad rectum & legitimum uſum director fuit.* 8. Denique Chriſtiani Magiſtratus defectum

Grot. in 1 Cor. 4. verſ. ult.

ſuppleviſſe. Sic Grotius: *Ergo tunc Deus ſupplebat, quod Magiſtratus Chriſtiani præſtare debebant, & tum non præſtabant.*

VII. Ita quidem illi. Nos de toto hoc negotio ſic pronunciamus: 1. Certum eſſe, Prophetis in V. T. ut *Miniſtris extraordinariis*, conceſſam quandoque fuiſſe qualemcunque hujusmodi

Num. 16. 30. 2 Reg. 5. 27. 2. Reg. 1. 9. 1 Sam. 15. 33. 1 Reg. 18. 40.

poteſtatem *extraordinariam*, etiam in hominum corpora ſubinde exerendam. Ad *Moſis* enim effatum ipſa terra *Core*, *Dathan* & *Abiram* vivos abſorpſit; *Eliſæus* Naamanis lepram in *Giezi* tranſtulit, ob accepta, ſe inconſulto, munera; Elias *bis quinquagenos milites* igne διοπετεῖ abſumpſit; *Samuel* propriâ manu *Agagum* Amalecitarum Regem necavit; iterum *Elias* ſub populi oculis quadringentos quinquaginta *Prophetas Baal* trucidari juſſit. Quo Hebræorum pœnam, כָּרֵת dictam, ſive *exciſionem e populo Dei* nonnulli etiam retulerunt, de quâ videre eſt Gen. 17. 14.

Buxtorf. Lexic. Talmud. pag. 1101. Heidegg. Hiſt. Patriarch. part. 1. pag. 64. Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. pag. 390.

Exod. 12. 15. 19. & 30. 33. Levit. 7. 20 21. & 18. 29. Num. 4. 18. & 15 30. 31. Ezech. 25. 7. Statuentes nimirum, per eam non tantum ſeparatum fuiſſe peccatorem a conſortio & communione Populi & fœderis Dei, ſed & ſupplicium quoddam θεήλατον, idque corporale, vel mortis prœmaturæ, vel aliûs qualiſcunque generis ſuſtinere debuiſſe. Verum cum non tantum dubium plane ſit, an dicta illa *Exciſio* corporalem quandam pœnam connexam habuerit (digladiantur enim eâ ſuper re Viri Doctiſſimi) ſed & notorie pœna illa *ſolorum Prophetarum* non fuerit, ſed, ſiquidem non immediate a *Deo*, ſed ab *hominibus* exercita fuerit, totius Eccleſiæ vel Rectorum Eccleſiæ, vel *Magiſtratus*, evidenter ſequitur, eam ad poteſtatem hanc Prophetarum

Digitized by Google

tarum *extraordinariam* etiam in hominum corpora reducendam non eſſe. Ut neque majori jure eo referas Moſis in *Ægyptium* cædem, de quâ Exod. 2. 12. quaſi ea vel ſolâ nominis יהוה pronuntiatione, ut R. Salomo finxit, vel *ſolo verbo* qualicunque alio, non externo quodam inſtrumento, patrata eſſet, quod a *Clemente Alexandrino* quibuſdam adſcribitur, qui cædem hanc ideo cum *Petri* in *Ananiam* facto, Act. 5. 3, 4. comparavit. *Ajunt* (inquit Clemens) *myſtæ, eum* (Moſem) ſolo verbo *Ægyptium occidiſſe, ſicut certe poſtea* Petrus *in Actibus fertur, eos qui pretium agri ſibi uſurpaverant, & mentiti erant*, verbo *interfeciſſe*. At, inquam, fruſtra hæc dicuntur: Vox enim Græca πατάσσειν, per quam *Lucas* verbum נכה, quod in Hebræo eſt, vertit, quoque utuntur etiam Septuaginta, talem communiter *percuſſionem* notat, quæ multo ſono & ſtrepitu fieri ſolet, quod de *verbo* ſimpliciter pronunciato dici non poteſt. Tribuitur Petro *Malchum*, & duobus Teſtibus *Terram* percutientibus. *Matt.* 26. 51. Apoc. 11. 6. Τὸν Φρύνιχον πατάξαντες habet etiam *Plutarchus* de *Phrynici* cæde, quæ tamen non *ſimplici verbo*, ſed pugionis ictu ab *Hermone* patrata eſt, ut ex textu liquet. Adhæc ſi Ægyptius ille *ſolo verbo* ceciderit, cur circumſpiciebat, cur proſtratum eum ſepeliebat *Moſes*? non enim aliud quicquam cogitari tum poterat, quam a Deo trucidatum illum fuiſſe, vel aliâ quadam cauſâ internâ periiſſe, ob quam *Moſes* accuſari aut reprehendi non poterat. *Sulpitius* calce occiſum eum putat. Sunt qui ad gladium, lapidem vel lignum confugiunt. Alii ſtricto *Ægyptium* ferro *M*oſem, fugam in Arabiam molientem, invaſiſſe contendunt, hunc vero illum antevertiſſe, ejuſque manu cohibitâ, gladio eum interfeciſſe. Sed quis dixerit certo, quod Deo revelare nobis non placuit? Sufficit ex dictis patere, factum hoc *Moſis* ad poteſtatem Prophetarum *extraordinariam* reducendum non eſſe. 2. Indubium eſſe, etiam *Apoſtolos* ſuo tempore *extraordinariam* quandam ſeveritatem in prævaricantium corpora nonnunquam exercuiſſe. Ita Petrus *Anania* & *Saphira* vitam ademit: Paulus *Elymam* præſtigiatorem oculis mulctavit, &c. Neque enim fruſtra miraculorum chariſmate donati fuerunt, ſed ut, in gloriam Dei & Eccleſiæ promotionem, pro re natâ id exercerent. Deſtituta eorum tempore erat Eccleſia Chriſti novitia omni Principum terrenorum, quippe Ethniciſmo adhuc immerſorum, tutelâ & præſidio, contra rebelles & refractarios, ſi ſubeſſe diſciplinæ fidelium renuerent; ergo opus erat, ut

Clem. Alex. Stromat. lib. 1.

Plutarch. in Alcebiad pag. m. 373.

Rivet. in Exod. 2.

Sulp. Sever. Hiſt. Sacr. lib. 1.

Act. 5. 5. & 13. 11. *Ap.* 2. 23

Spanhem. Quatern. Diſſert. pag. 307.

Digitized by Google

1 Tim. 1. verſ. ult. Rex aliquando Regum &, Principum Princeps de cœlo, mediantibus Apoſtolis, tanquam cauſis moralibus, palam faceret, Grot. in A. 5. 5. ſuam eſſe cauſam quam agebant & urgebant. Atque hactenus non male laudatus modo *Grotius*, dum ait: Ἐξέψυξε) *quia deerant Eccleſiæ Magiſtratus tutores & vindices injuriarum, ideo Deus prodigioſam puniendi poteſtatem attribuit Apoſtolis*: quod convenit cum eo, quod ſupra adduximus. Licet nequaquam conſequi inde putandum ſit, introductis poſtmodum Magiſtratibus Chriſtianis & fidelibus, non tantum poteſtatem hanc vindicatricem *extraordinariam* Apoſtolorum, ſed & omnem *ordinariam* Eccleſiæ Apoſtolicæ diſciplinam in dictos Magiſtratus, jam Chriſtanos, derivatam eſſe: prout ex hâc hypotheſi tum ipſe *Grotius* tum omnes *Eraſtiani* ratiocinari ſolent. 3. Neque bene tamen *Virgam* hanc *Apoſtolicam* ex locis ſupra allegatis 1 Cor. 4. verſ. ult. & 2 Cor. 10. 6. ab aliquibus inferri: Ad vim enim vocum, quibus Apoſtolus ibi utitur, ſi reſpiciamus, non infert illa neceſſario poteſtatem iſtiuſmodi, quam ſupra deſcripſimus. Ῥάβδος (deriv. juxta nonnullos, Herodian. lib. 7. a ῥᾶον βαδίζειν, juxta alios, a verbo ῥαπίζειν, Hebraic. מַקֵּל ut videtur, a verbo נָקַל) haud unam ſemper rem ſignificat: Dioſcor. lib. 4. cap. 49. quandoque ſonat *virgam viſcatam*, quâ aves capiuntur; ſæpe *ramum* & ſpeciatim *palmarum ramum*; nonnunquam Chryſoſt. in Pſ. 110. *venas terræ* in metallis, etiam *virgam* vel *baculum*, quo filii vel filiæ a patribus paterne caſtigantur & cæduntur. (Ῥάβδον κολαστικὴν, *Virgam punientem* vocat *Chryſoſtomus*; alii παιδευτικὴν vel κατηχηστικὴν) quod propriè quidem in corpora eorum fieri fateor, ſed non credo tamen, dicturum quenquam, in propriâ ſignificatione vocem hanc ſumendam hic eſſe, adeoque innuere hic Apoſtolum talem *Corinthiorum* caſtigationem, quæ per Diodat. in 1 Cor. 4. 21. *baculum* iſtiuſmodi proprie dictum in corpora eorum inſtituenda eſſet: quod ponendum tamen foret, ſi quis ex vi vocis, quæ hic occurrit, pro *virgâ* hâc vellet argumentari. Melius *Diodati* in Loc. *Avec la verge c. avec ſeveritè pour vous chaſtier, & pour corriger vos deſordres.* Cum *Virga*, id eſt, *cum ſeveritate, ad caſtigandos vos, & ἀταξίας veſtras emendandas.* Ex eodem hoc vocabulo & ἔχω fecêre etiam Græci ῥαβδούχους ſuos, id eſt, *Virgarum portatores*, alii

Digitized by Google

Plutarch. in Problem.

alii dicunt *Lictores*. Solebant enim magiſtratus miniſtris, per quos denunciare aliquid volebant, *Virgas* geſtandas dare, quibus *tum* obvios ſubmovebant, *tum* in contumaces animadvertebant; ut ſic juſtus ſemper ſuperioribus honos haberetur. *Prætorum* (inquit Plutarchus) *Romanorum* Virgæ *colligatæ adnexis ſecuribus feruntur, ut indicio ſit Magiſtratuum iram promptam & ſolutam minime eſſe debere.* Atque hi (inquam) ῥαβδοῦχοι nuncupabantur: Belgæ dicerent *Roedragers.* Licet & ῥαβδοῦχοι idem quandoque ſonent, quod ῥαψῳδοὶ, *Narratores* ſive *Relatores* verſuum *Homericorum*, ſive cujuſcunque alîus Poëtæ, ἀπὸ τοῦ ῥάψαι ᾠδάς. In more quippe olim fuit, dictis *Homericorum* verſuum Relatoribus & Lectoribus *Virgam* aliquam ſive *ramuſculum* manu tenere, donec lectionem & relationem ſuam abſolviſſent. At quis ex hac etiam vocis ῥάβδου compoſitione & ſignificatione pro *corporali* qualicunque *afflictione* vel pœnâ præſidii hic quicquam quærit, vel invenire ſe poſſe exiſtimet? Ut neque vox ἐκδικεῖν, Hebraic. נָקַם, de *vindictâ corporali* neceſſario intelligenda eſt: eſt enim generalis ſignificationis, ſic ut non minus pœnæ ſpirituali, quæ animam excruciat, quam noxæ qualicunque externæ vexationique corporali, applicari poſſit. Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, ἀγαπητοὶ, *Vos invicem non vindicantes, Dilecti*, inquit Apoſtolus, Rom. 12. 19. quis vero ad *ſolam corporalem* læſionem vel *vindicationem* id reſtringat? Et cur trahentur hi loci ad *Virgam* hanc *Apoſtolicam* adſtruendam, cum longè commodior eorum interpretatio ad manum ſit, quæ tum ſcopo Apoſtoli tum verborum circumſtantiis multo convenientior eſt? Opponit 1 Cor. 4. 21. Paulus τὸ *venire* in vel cum *Virgâ* τῷ *venire* in vel cum *charitate* & *ſpiritu lenitatis*; at quis *lenitatem* ibi innuere eum dicet in Corinthiorum *corpora* exercendam? & ſi talem non innuat, quis non videt, eum per *Virgam* ejuſque uſum non etiam *corporale* quippiam, ſed acriorem tantum in *animas* eorum cenſuram indicatam velle? Explicat etiam ipſe 2 Cor. 10. 6. quid per *vindictam*, cujus ibi meminit, intel-

Cyrill. Alexandr. in Eſ. 11.

Digitized by Google

intelligat ſcilicet nihil minus, quam *corporalem* quandam in peccatores *ſeveritatem*, vel poteſtatem noxam iis aliquam externam inferendi; expreſſè enim eam verſu ejuſdem Capitis *quarto* removet, dum inquit: *Arma noſtra non ſunt carnalia ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum. Conſilia deſtruentes & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Proinde, utcunque voce *Virga Apoſtolica* non uſque adeo offendamur, ſequitur tamen hinc, non ἔγγραφον ſed ἄγραφον eam eſſe; loca enim Scripturæ, quæ τῆς ῥάβδου meminerunt, ad hujuſmodi *virgam* non reſpiciunt. Melius Apoſtolorum hæc poteſtas ex 2 Cor. 13. 10. educitur, ubi ſic habet Paulus: *Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi, in ædificationem non in deſtructionem.* Poteſtatem enim (ut bene obſervavit Cl. Coccejus) *acceperunt Apoſtoli* (1) *Communem ipſis & Eccleſiæ, ligandi & ſolvendi. Vid.* 1 Cor. 5. 4. 5. (2) *Singularem, evidens ſupplicium irrogandi, quemadmodum etiam acceperunt δυνάμεις.* Ut & ex loco. 1. Cor. 12. 10. 28. Ubi loquitur Apoſtolus de *poteſtatibus* & *facultatibus edendarum virtutum*, &c.

Cocccj. in 2. Corinth. 13. 10.

Ἐνεργήματα δυνάμεων (inquit *Muſculus*) *referunt* Chryſoſtomus & Theophylactus *ad potentiam puniendi peccantes, quemadmodum Petrus Ananiam & Saphiram neci dedit, & Paulus Elymam Magum excæcavit.* Concinuntque his *Iſidorus Clarius, Calvinus, Belga*, nec non *Grotius*, Cujus hæc ſunt verba: Δυνάμεις *hic dicuntur, qui habent* ἐνεργήματα δυνάμεων, *jus plectendi ſontes.* Affectante eas tandem *Momma*, licet ſcrupuloſius: Δυνάμεις (inquit) *intellige ſingulari potentiâ in agendo & operando, inſtructos. Verſ.* 10. *dixerat* ἐνεργήματα δυνάμεων *Donum hoc fuit extraordinarium. Officium, ad quod conferebatur, quale fuerit*, vix divinare *licet, cum illo tam diu Eccleſia caruerit. Videntur dono hoc inſtructi adhibiti fuiſſe ubi miraculis vel etiam pœnis opus eſſet.* 4. Multo minus *Traditionem Satanæ* ad *virgam* hanc Apoſtolicam referendam eſſe, ut *Magnus Molinæus* & Sculretus e *Recentioribus*, Ambroſius, Hieronymus, Theodoretus, Sedulius, Oecumenius Theophylactus ex *Veteribus* exiſtimant. *Duobus* tantum locis de *Traditione* hac loquitur Apoſtolus, imo univerſa S. Scriptura: *Unus* eſt 1 Cor. 5. 4. 5. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo Spiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti*, Tradere

Muſcul. in 2 Cor. 12. 8.

Momm. de Tripl. Dei Oecon. tom. 2. p. 945.

Scultet. obſervat. 1. Timoth. 1. 20.

dere *hujuſmodi* Satanæ (παραδιδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ Σατανᾷ) *in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu.* Alter eſt 1 Tim. 1. verſ. ult. *Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander*, *quos* tradidi Satanæ (οὓς παρέδωκα τῷ σατανᾷ) *ut diſcant non blaſphemare.* Rationem & modum hujus pœnæ quidam ſic explicant; quôd miraculoſo *olim* modo, Diaboli ope, peccator occideretur, & e medio tolleretur, idque *Ananiæ* & *Sapphiræ* dicunt accidiſſe. Atque hoc ſenſu etiam apud ipſos Hebræos *Traditionem* quandam *Satanæ* locum habuiſſe, ac ſingulariter quidem Salomonem poteſtate eâ gaviſum eſſe, Talmudici & *Joſephus* volunt. *Duo Cushitæ* (verba ſunt Doctiſſ. *Lichtfooti* ex lib. Succah. fol. 53. 1.) *ſteterunt coram Salomone*, *Elihoreph & Ahyah Scribæ*, *filii Shauſei. Die quodam vidit Solomon Angelum Mortis dolentem*, & *dixit ei*, *quid doles? Reſpondit ille*, *quia me obſecrant duo hi Cushitæ*, *ut hic maneant.* מסרינהו לשעור *tradidit eos Salomon* Diabolo, qui *adduxit eos ad limites Luz*, *cumque jam pervenirent ad limites Luz*, *moriebantur.* Abit tamen ab his *Capellus*, qui diſertis verbis dicit, *Traditionem Satanæ*, (de quâ Apoſtolus) *veteribus Judæis* omnino *ignotam fuiſſe.* Alii in hoc *eam* ponunt: quod non quidem occideretur peccator, ſed tamen *corporali* aliquâ *pœnâ* affligeretur, *donec* extraordinario ſic *caſtigatus & domitus*, *frænum tandem acciperet*, *& Domino parere diſceret.* Ita Clar. D. *Burmannus.* Adhuc alii, quod *fanaticus* fieret. Adſcribit id quibuſdam *Zonaras*: Τινὲς δαίμονι κάτοχον γένεσθαι τὸν πορνεύσαντα λέγουσι. *Quidam dicunt ſcortatorem factum eſſe* fanaticum *ſeu a Dæmone correptum.* Alii tandem, quod peccator imprecationibus & diris *Satanæ* excruciandus devoveretur, ſic ut quidem ſuperſtes maneret, ſed interim ad tempus miſerum in modum a Diabolo angeretur & torqueretur. Quò referunt tunc, quod de ſcelerato quodam in vitâ *Ambroſii* Paulus diaconus narrat: *Quem* (inquit) *cum interrogaſſet* Ambroſius, *& deprehendiſſet autorem tanti flagitii*, *ait*, *oportet illum* tradi Satanæ, *in interitum carnis*, *ne talia aliquis in poſterum audeat admittere. Quem eodem momento*, *cum adhuc in ore eſſet ſermo Sacerdotis ſancti*, *Spiritus immundus arreptum cœpit diſcerpere: quo viſo*, *non minimo timore repleti ſumus & admiratione. Multos etiam multis diebus*, *ipſis imponente illo manus & imperante*, *ab Spiritibus immundis vidimus eſſe purgatos.* Propendet in hanc ſententiam *Aretius*, cum quibuſdam aliis Theologis. At vero nihil horum locutione illâ *Paulinâ*

Lichtfoot in Joh. 20. 23.

Capell. in Joh. 9. 22.

Burmann. Synopſ. p. 2. lib. 8. c. 5. pag. 453.

Zonar. ad Canon. Baſilii. 7.

Diodat. in 1 Cor. 5. 5.

Paulus Diacon. in Vit. Amb.

Aret. in 1 Cor. 5. 5.

Digitized by Google

deſignari, indubium eſt. Non *mortem corporalem*; exertè enim Apoſtolus alibi aſſerit, *inceſtuoſum*, de quo 1 Cor. 5. 5. ſermo eſt, *traditioni* illi ſupervixiſſe; vid. 2 Cor. 2. verſ. 6. 7. removendum illum per Corinthios fuiſſe. 1 Cor. 5. 7. illis eocum ſe miſcere non licuiſſe, ibid. verſ. 9. finem dictæ *traditionis* Spiritus regenerantis excitationem & conſervationem extitiſſe. ibid. verſ. 5. ad *carnis* (dicitur) *exitium*, ut *ſpiritus ſalvetur*. Quæ omnia de homine, extraordinariâ Dei vindictâ jam morte mulctato, dici poſſe Argo oculâtior eſſe debet, qui videat. *Vides, quod hic ipſe peccator inceſtus* non morti traditur, *ſed Satanæ ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum*, ut loquitur *Pacianus* contra Novatianos; qui Epiſcopus fuit (teſtante *Hieronymo*) σώφρονι βίῳ, εὐφραδείᾳ καὶ λόγῳ λαμπρὸς, *caſtitate & eloquentia, & tam vitâ quam ſermone clarus*. Non etiam *vexationem Diaboli corporalem*: Dicitur enim fornicarius hic vitandus fratribus. 1 Cor. 5. 9, at quo æquitatis colore injungi id Corinthiis potuit, cum potius miſer ille nullis non humanitatis & συμπαθείας officiis adjuvandus, &, ut energumenus pro more curandus videretur? Expreſſe etiam per *mœrorem* animi explicatur *Traditionis* hujus effectus 2 Cor. 2. 7. non per vexationem & obſeſſionem corporalem. Accedit quod *Virgâ Apoſtolicâ* caſtigari nemo potuerit corporaliter, niſi miraculo interveniente; aſt nullum miraculum *traditioni* huic *Satanæ* ſubfuiſſe, hinc manifeſtum eſt, quod mandata ea *Corinthiis* fuerit, illique eo nomine ab Apoſtolo reprehendantur, quod haud citius eam fieri procuraſſent, verſ. 2. at quomodo reprehendi ob id neglectum *Corinthii* poterant, cujus efficiendi χάρισμα (donum nempe miraculorum) nunquam acceperant? Mitto, ad *Traditionem* hanc *Satanæ* ſolemnem conventum conſenſumque Eccleſiæ requiſitum etiam fuiſſe; at quid conſenſus & conventus is opus ad miraculum præſtandum, quem ſane non liquet, Apoſtolos in ullo extraordinario opere præſtando unquam deſideraſſe?

Pacian. Ep. 1. ad Sympron. cont. Novatian.

VIII. Sunt denique, qui in *Excommunicationis* cenſurâ *Traditionem* hanc collocarunt, maxime in illâ, quæ nominatim ac publicè ſolemnitatibus Eccleſiæ adhibitis, hoc loco (ſcil. 1 Cor. 5. 5.) in hominem illum fornicarium, & poſtea ab Apoſtolo in Hymenæum & Alexandrum denunciata fuit. *Theodorus*, Græcus Interpres (inquit Gagnæjus) *ſic interpretatur, cujus ita verba vertimus: quod vero ait* tradere Satanæ, *non hoc dixit, tanquam id facere ipſe per ſe decreviſſet*

Gregor. de Valent. de Excomm. Eccleſ. cap. 2

Zanch. Oper. Theolog. Tom. 4. p. m. 746.

crevisset, ſed quod per abjectionem ab Eccleſia *&* abalienationem a Deo, *in poteſtatem Satanæ veniret*. Tradere *ergo* Satanæ *hoc modo eſt* Eccleſiæ conſortio expellere, *&*, *quod nos dicimus*, *excommunicare*, *rem*, *ut videre eſt*, *non novam*. Atque hæc quidem communior, &, noſtro judicio, verior Theologorum opinio eſt. Diſtinguit *Zanchius*, & non male, inter τὸ *ipſum tradere Satanæ*, & illud *quod conſequ* traditionem illam, Apoſtolorum tempore, quandoque ſolebat. *Prius* (dicit) *nihil aliud eſt*, *quam hominem*, *quem Eccleſia novit mancipium eſſe Satanæ*, *propter impœnitentiam*, *declarare & confirmare*, *illum non amplius eſſe Eccleſiæ membrum*, *& Chriſti participem*, *ſed Diaboli mancipium*, *atque ita ſententiæ D. Jeſu ſubjcribere*. *Poſterius* conſiſtebat in morborum immiſſione, ac animæ turbatione, quâ affligebat Deus eos, qui ex Eccleſiâ ſic ejecti erant; ut ſe ratum habere in Cœlo declararet, quod in terrâ ejus juſſu factum erat; Patuit id in *Stilliconis* Scribâ ab *Ambroſio* excommunicato; & *nos quoque* poſſemus (addit) *narrare quæ vidimus*, *& obſervavimus temporibus noſtris*, *in iis*, *qui juſtè* ab *Eccleſiâ fuerunt excommunicati*.

Gagnæj. in 1 Cor. 5. 5.
Scot. in 4. Diſt. 22. qu. 1. art. 1.
Zanch. Oper. Theolog. Tom. 4. pag. m. 746.

IX. Non neſcio, in alia hic ire Doctiſſimum *D. Lichtfootum*, eumque negare *Satanæ Traditionem* loc. 1 Cor. 5. 5. *Excommunicationem* ullatenus ſonare, hiſce ductum rationibus, quas operæ pretium erit paucis ad incudem revocare: 1. Quia nulla dari ratio poteſt, cur Apoſtolus, rejecto vulgari *Excommunicationis* vocabulo, ſubſtituerit aliud ignotiſſimum & obſcuriſſimum. 2. Quia inceſtuoſi hujus facinus erat ſupra *excommunicationem*, quippe jam mortem promeritum, adeoque parum erat, hominem tam nefarium *excommunicari* tantum. 3. Quia tam vehementi conſilio & inſtigatione utitur Apoſtolus, ad incitandam Eccleſiam, *ut excommunicarent* adeo merentem excommunicationem, quod ſane opus non videtur fuiſſe in crimine tam atroci. 4. Quia *Traditio hæc Satanæ* erat εἰς ὄλεθρον σαρκὸς, ad quam valere non poterat *Excommunicatio* apud hominem in libidines ſuas juratum. Sed repono ad *rationem Primam*: Quis Apoſtolo legem fixit, ut hac potius voce quam illa Eccleſiæ cenſuram indicaret, modo Sp. Sancti mentem, cujus afflatu in ſcriptione ſuâ agebatur & ducebatur, perſpicue innueret? Uſus procul dubio fuit Paulus phraſi potius *Traditionis Satanæ*, quam *Excommunicationis* ſimplicis, ut terribilem pœnæ hujus effectum (de quo mox plura) clarius exprimeret,

Lichtf. in 1 Cor. 5. 5.

 ma-

Digitized by Google

majorem & penetrantiorem nefario huic peccatori confuſionem incuteret, denique *Corinthios* reliquos a ſimili delicto committendo efficacius deterreret; verba enim *Satanæ tradi* ipſo ſono tremenda ſunt, quod de *Excommunicationis* vocabulo dici non poteſt. Neque obſcura adeo vox hæc erat, cum in circumſtantiis loci διαρρήδην ſatis explicet Apoſtolus, quid indicatum eâ voluerit. Ad *rationem Secundam*, Quis docuit Virum Doctum, *Excommunicationis* cenſuram ſtringi in neminem potuiſſe, qui crimen morte dignum perpetraſſet? Aſſeruit id, ſcio, in præcedentibus, ſed an juſtis argumentis adſtruxerit, dubito; cum ſolis nitatur Hebræorum placitis, nullo Scripturæ teſtimonio. Et eſto, fuerit inceſtuoſi hujus crimen capitale, ſtabatne penes Paulum vel Eccleſiam mortis ei pœnam irrogare? vel, ſiquidem ſolis Eccleſiæ civibus cognitum id fuerit, eorumne erat, miſellulum hunc ad Judices terrenos, eoſque quidem Ethnicos, eapropter deferre, vel accuſatorum partes contra eum ſuſcipere? quis hoc dixerit? Et quum id ipſum æquum piumque ducere non poſſent, an integrum tamen iis non erat, talem ei pœnam imponere, cujus infligendæ poteſtatem habebant, quamq; animæ ejus ſalutarem totique Eccleſiæ neceſſariam eſſe arbitrabantur? Ad *rationem Tertiam*: Vehementem adeo adhibuit Apoſtolus inſtigationem, ut ſeriam ſuam ſuper infando hoc flagitio indignationem, zelumque ſuum pro Eccleſiæ incolumitate ardentiſſimum ſubindicaret. Negligentiores antehac fuerant Corinthii, in peccatoribus, & ſpeciatim etiam hoc *inceſtuoſo*, ab Eccleſiæ communione arcendis, ut ex verſ. 2. liquet, & non obſcurè teſtari videtur Apoſtolus 1 Cor. 11. 17. 22. adeoque hinc procul dubio neceſſum duxit, vehementiori aculeo ad præſtandum officium ſuum, eos incitare, ſuffragium ſuum illis communicare, ſpiritusque ſui præſentiam tanto cum fervore iis promittere. Ad *rationem Quartã*, Quidni *Excommunicationis* effectus eſſe potuit ὄλεθρος σαρκὸς, ſi concupiſcentiarum carnis inhibitio ulteriorque earum mortificatio eo indicetur; & *Excommunicatio* non tanquam cauſa principalis, ſed ut *medium* ad effectum illum ordinatum & ſanctificatum conſideretur. At (inquit) inceſtuoſus hic erat homo in libidines ſuas juratus; Quid tum? Eratne ergo malitiæ & pertinaciæ planè deſperatæ? probet id Vir Doctus, ſi poſſit. Quinimò contrarium plane patet ex actuali ejus reſipiſcentiâ, quæ *Excommunicationem ejus* ſecuta eſt Vid. 2 Cor. 2. 7.

X. Ne-

Digitized by Google

X. Neque inmerito quis, ab Eccleſiâ *excommunicatus*, clave ſcil. {*non*} errante, *Satanæ traditus* dicitur; quum projectus extra ſocietatem fidelium, quæ eſt Eccleſia Chriſti, & per hoc privatus bonis omnibus, illi ſocietati propriis, ut ſunt Orationes & ſuffragia communia, Sacramentorum participatio, ſpecialior Dei protectio &c. tyrannidi & incurſibus Diaboli, cujus regnum eſt *extra* Eccleſiam, ita relinquitur expoſitus, ut jam multo, quam ante, cum adhuc eſſet in Eccleſiâ, facilius ac propenſius in omne vitiorum genus, ab illo impulſus, præceps ruat, Neque enim (quod notandum) directè per *Excommunicationem* quis *Satanæ traditur*, ſed ex conſequenti tantum, quia eo ipſo, quod extra Eccleſiam ejiciatur, quæ Chriſti regnum eſt, præſumitur conſtitui eo in loco, in quo libere, & tanquam in ſuo territorio graſſatur Diabolus. Graviſſime in hanc rem Beza, dum ait: *Quid autem ſit* Satanæ tradere, *non eſt cur ex Chryſoſtomo vel alio potius, quam ex Domino ipſo diſcamus. Hoc enim certe nihil aliud eſt, quam fieri ſicut Ethnicum & Publicanum,* Matth. 18. 17. *Id eſt jus Chriſtianæ Civitatis, uſque ad reſipiſcentiam, amittere, ſive excommunicari, Satanæ denique mancipari, qui extra Eccleſiam regnat.* Quibus hæc *Theophylacti* conſonant: *Infidelem & incorrigibilem puniebant, Satanæque tradebant: Quomodo?* Ejiciebatur ex Eccleſiâ, *abjiciebatur a charitate, tradebatur nudus lupo.*

Hemming. in 1 Cor. 5.

Beza in Loc.

Theophyl. in 1 Tim. 1. 20.

XI. Sed objiciuntur quædam, quæ breviter etiam perſtringenda. Πρῶτον ψεῦδος Clariſſ. *D. Molinæi* eorumque, qui eum ſequuntur, eſt, quod 1 Cor. 5. 5. ubi de *Carne* & *Spiritu* ſermo eſt, per *Carnem* corpus intelligi velint, atque inde tum concludant, cum *Traditionis Satanæ* effectus dicatur *exitium carnis*, dictam *traditionem* ad corporalem etiam afflictionem referendam eſſe. Sed errant (quod pace eorum dixerim) Viri Docti: Non enim *caro* loc. cit. eſt corpus, verum *vetus homo*, corruptio naturalis, *corpus peccati* &c. Aſt *dicunt*: id ibi eſt *Caro*, cui *Spiritus*, id eſt, anima opponitur, ſed anima non opponitur veteri homini, corruptioni naturali, ſed corpori, ut alteri hominis parti eſſentiali, ergo caro hic eſt corpus. Sed ſupponunt iterum quod probandum erat; Negatur per *ſpiritum*, cujus meminit Apoſtolus, *animam* intelligendam eſſe; ſed, prout per carnem *vetus* homo, ſic per ſpiritum *novus* homo indicatur, ut paſſim alibi. Rom. 8. 1 Gal. 5. 16. 17. *Satanæ* hic homo *traditus* eſt (inquit Auguſtinus) *ut interimeret in ſe ſceleratam* carnis concupiſcentiam. *Uno verbo* (habet Paræus) ut *mortificetur* vetus, & *vivificetur* novus *homo.* Item *Lutherus*: Carnis interitus *in pœnitudine & per reſipiſcentiam fit, ad* pro-

Gathak. Adv. Pſochen. pag.

Auguſt. cont. Parmen.

Luther. Diſp. de Excomm. Ac. 1521. *profectum ſpiritus & interioris hominis innovationem.* Sed inſtar omnium iterum Beza: *Itaque* (dicit) *ut paucis abſolvam, carnis & ſpiritus vocabula non aliter accipio, quam aliis innumeris locis apud Paulum: neque aliud his verbis ſignificari puto, quum pœnam iſtam infligi non ut miſer iſte pereat, ſed contra ut ſervetur, id eſt, quum ipſe pudore ac*

Beza loc. cit. *triſtitia ſapere didicerit, caro, quæ in hoc præcipitium ipſum arripuit, funditus aboleatur; ſpiritus autem, qui videbatur in certamine prorſus ſuccubuiſſe, iterum ſeſe erigat, nec pereat, ſed carne abolita,* fiat *ſpiritualis homo ſalvus.*

XII. Quod ſi etiam per *carnem* corpus intelligi velint, ſimul etiam per Traditionem Satanæ *mortem* ipſam inflictam fuiſſe ſtatuere debent, quia loquitur Apoſtolus non de qualiquali afflictione tantum externâ, ſed de excidio (ὀλέθρῳ) *id eſt*, ſtrage & deſtructione carnis, vel *morte* carnis; hæc enim vulgaris & propria vocis hujus ſignificatio eſt. Ita Paulus 1 Theſſ. 5. 3. αἰφνίδιος ὄλεθρος, repentinus interitus. Et 2 Theſſ: 1. 9. ὄλεθρος αἰώνιος, *interitus ſempiternus, mors æterna.* At vero eodem halitu, quo per *carnem* corpus intelligendum eſſe aſſerunt Viri Magni, addunt *Traditione* hac *Satanæ* non occiſum fornicarium hunc fuiſſe, ſed *traditum* tantum *Satanæ*, qui corpus ejus contereret doloribus, & duriter affligeret. Atque adeo a nativâ vocis notatione ad catachreſticam transgrediuntur; quod cum lubitum ipſis fuerit, quidni peræque per ὄλεθρον σαρκὸς, caſtigationem corruptionis, quam externi corporis, intelligere

Danæ. in 1 Tim. 6. 9. poſſunt? *Vox* ἀπώλεια *ad corpus* (inquit Danæus) ὄλεθρος *ad animum pertinet.*

XIII. Adhæc *Viri Docti*, ut hypotheſi ſuæ ſerviant, neſcio

Mol. in Vat. lib. 2. cap. 11. pag. 68. quæ non conglomerant, quibus evincere poſſint, inceſtuoſi hujus animam *Satanæ traditam* non fuiſſe. Nam eo probato, ſequi certè videtur, quod intendunt, *Traditionem* nempe *Satanæ* non *animam* ſed *corpus* reſpexiſſe & afflixiſſe. At, nequid diſſimulem, magno molimine fruſtra ſe fatigant. Quis enim unquam Theologorum dixit, eo ſenſu *Excommunicatorum* animas *Satanæ tradi*, ac Viri illi Docti phraſin illam ſumunt? Dicunt illi omnes peræque, ac Viri Docti, *Miniſterii Evangelii finem eſſe, non tradere animas Chriſtianorum Diabolo, ſed potius Diabolo eas eripere*, &c. Sed addunt, iſtiuſmodi miniſterii Evangelici poteſtatem cœlitus a Chriſto conceſſam Eccleſiæ ſuæ eſſe, ut, ſi fœderatorum quiſpiam in gravia ſcandala proruat, neque convertibilem ſe præbeat,

cum

eum a fidelium ſocietate externâ ejuſque privilegiis removere, &, quam diu talis manet, genuinum Diaboli mancipium eſſe, declarare & pronunciare poſſit. Sic ut *Traditio* illa *Satanæ*, quam ponunt, architectonica ſive realis minime ſit, ut fingere videntur Viri Magni, ſed *miniſterialis* tantum & *declarativa*, eumque ipſum in finem directa, ut peccatoris anima eò certius & felicius eripi Diabolo poſſit. Quare neque vim habet quod alias opponitur, *Traditionem* hanc *Satanæ* decretam & factam eſſe, ut *ſpiritus ſalvus fieret*, & ſic traditus *blaſphemare dediſceret*; at vero ſi *anima* tradita Diabolo fuerit, eam *obdurandam* potius a Satanâ fuiſſe, & ad *blaſphemandum* concitandam, quam ab eo *deterrendam*. Supponitur enim, quod falſum eſt, *Traditionem* nempe hanc *Satanæ* ad *animam* reſtricte referendam eſſe, cum id textus nullibi dicat, loquatur e contra de *perſonâ* ſeu *toto homine*, cui pœna hæc infligenda erat; non ut *anima* ejus tantum, ſed *ipſe totus* cenſurâ hac melior factus, dediſceret blaſphemare & ſalutem conſequeretur. Illi certe *traditi* ab Apoſtolo *Satanæ* dicuntur, qui prius blaſphemaverant, & dediſcere blaſphemare debebant. Jam vero nec *anima* nec *corpus* eorum ſeorſim, ſed *tota* eorum *perſona* blaſphemaverant & dediſcere blaſphemare debebant, ut totæ ſervarentur. Sed audiamus Theologorum aliquos, rationem pœnæ hujus *Excommunicatoriæ* ſequentem in modum explicantes: *Tradere aliquem Satanæ* (inquit Hyperius) *nihil aliud eſt*, *quam* declarare *aliquem non eſſe membrum Chriſti*, *ſed putridum membrum Satanæ*, ut *ſic reſciſſus & vitatus a reliquis membris Chriſti mœrore affligatur*, *atque ita caro humilietur & quodammodo intereat*. Tilenus, tunc Orthodoxus: *Eſtque inſuper illa* ſententia *potius interlocutoria*, *ut vulgus loquitur*, *quam abſoluta aut definitiva*, *quæ ſolius Dei eſt*. *Non tamen inanis eſt illa*, *aut bruti fulminis inſtar*, *nam quos Deus in Scriptura negat habere partem in regno ſuo*, *hos extorres inde pronunciat Eccleſia*. Accedat Theologus vere ἀκριβὴς *Andreas Eſſenius*, qui ſic dicit: *Ergo miniſtri non architectonice*, *realiter*, *efficienter*, *neque etiam abſolute quenquam excludunt e regno Cœlorum*, *ſed ſolum miniſterialiter*, *declarative & hypothetice*, *quatenus & quamdiu tales manent*, *quales illi jam ſe oſtendunt*. Et quis credat, fugiſſe Viros illos *Doctos* Reformatorum hanc ſententiam? ſique ea ipſos non fugerit, mirari utique ſubit, tanto ipſos ſtrepitu cum umbrâ ſuâ luctatos hactenus eſſe, id eſt, talibus contra diſſentientes argumentis uſos, in quibus vel elenchus paſſim ignoratur, vel quatuor ſemper terminis luditur.

Hyper. citat. Apol-lonis ac Jur. Maieſt. circ. Sacra part. 2. pag. 20.

Til. Synt. part. 2. cap. 22. §. 21.

Eſſen. Syſt. part. 3. pag. 588.

XIV. Patres

Theodor. in loc. Idem in 1 Timoth. 1. Theophyl. in Eund. loc. Balſam. ad Canon. 7. Baſilii. Lud. Molin. Parœneſ. ad Adſ. Imper. in Imper. p. 295. Chryſoſt. Hom. 15. in 1 Cor. & in 1 Tim. 1. 20.

XIV. Patres etiam nonnullos ad partes vocat Celeberr. Molinæus, *Chryſoſtomum*, *Ambroſium*, *Pacianum* &c. Sed nequicquam, iis proficit: tam facile enim eſſet, majorem Antiquorum Doctorum numerum ipſi opponere, quam ipſe pro ſe allegat, ac vulpes, ut dicitur, pyrum comeſt; ſiquidem e re eſſet, humana potius quam Divinâ authoritate hic decertare. Saltem degener Viri Docti filius *Luduvicus* exertè declarat in Paræneſi, *Pleroſque Patrum per Traditionem Satanæ Excommunicationem intellexiſſe.* Præterquam quod non uſque adeo conſtent ſibi Patrum aliqui, quos adducit Vir celebris, ut ſtari eorum teſtimonio poſſit. Allegavit *Chryſoſtomum* homil. 1 Cor. 5. 5. qui locus etiam facere pro ipſo videtur; ſed inſpiciatur idem Pater in Commentar. ad 1 Tim. 1. 20. & parebit, eum in noſtra plane caſtra concedere, & ne γρὺ quidem de vexatione corporali ibi habere. Verba ejus ſunt: *Ejiciebatur inceſtuoſus ille a communi fidelium cœtu, abſcindebatur a grege, fiebat nudus, atque ita deſtitutus lupis patebat & prodebatur incurſibus. Nam ſicut olim nubes Hebræorum caſtra tegebat, ita & Eccleſiam protegit Sp. S. gratia. Si quis igitur extra Eccleſiam fieret, comburebatur: fiebant autem extra Eccleſiam Apoſtolorum judicio. Ita & Dominus Judam tradidit Satanæ, continuo enim poſt bucellam introivit in illum Satanas.* Adduxit etiam *Ambroſium* lib. 1. de Pœnitent. Sed eundem audi pro nobis quoque determinantem: *Poſtremo* (inquit) *condemnatio rei, ut tolleretur a conſortio communionis & traderetur adverſario, non ad interitum animæ, ſed carnis. Et bene dicitur tradi Satanæ, qui ſeparatur a Chriſti corpore.* De *Paciano* nihil addo, quippe cujus locum ante allegavi, ubi totidem verbis ait: *Vides, quod hic ipſe peccator inceſtus non morti traditur, ſed Satanæ ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum.*

Ambroſ. de Pœnit. Lib. 1.

Pacian. Loc. Cit.

XV. At *dicis*, videturne tamen extraordinarium quid *Satanæ* hæc *traditio* fuiſſe, cum tam ſignanter poteſtatem exercendi illam, quæ Eccleſiæ alias eſt, ſibi ſoli tribuat Apoſtolus. *Ego*, inquit, *ut abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam ut præſens judicavi.* 1 Cor. 5. 3. NB. *Ego.* & 1 Tim. 1 20. *In quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos Satanæ tradidi*, non quos Satanæ *tradidimus*, vel *Eccleſia* Satanæ tradidit. Urget hoc præcipue *D. Sculteius* loc. antea citato. *Reſpondeo*, 1. Dato, quod *Traditioni* huic extraordinarium quid connexum fuerit, ſequiturne inde mox, effectum ejus vexationem aliquam *corporalem* eſſe debuiſſe? quis hoc dicat?

Digitized by Google

quis hoc dicat ? 2. Non ſibi *ſoli* facultatem illam tribuit Apoſtolus; neque enim Eccleſiam excludit, ſed expreſſè includit, dum verſ. 4 dicit : *συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος*, *congregatis vobis & ſpiritu meo.* Intelligamus (inquit Eraſmus) *collegium hoc ex tribus conſtitiſſe, ex Pauli decreto, conſenſu multitudinis, & authoritate Chriſti.* 3. Neque ſequitur, Paulus de Hymenæo & Alexandro dicit, *ego eos Satanæ tradidi*, *ergo ſibi* ſoli *id tribuit* : dicit enim, ſe Timotheo manus etiam impoſuiſſe, 2 Tim. 1. 16. quod tamen alio loco presbyterio tribuit. 1 Tim. 4. 14. 4. De ſe tamen inſignitus loquitur in hoc negoto, quia Eccleſiarum illarum, in quibus caſus hi acciderunt, ſingularis inſpector & director erat. Quemodmodum palam eſt, Chriſti Epiſtolas, Apoc. 2. & 3. Eccleſiarum Aſiaticarum Angelis paſſim inſcriptas eſſe, ut ut earum argumenta, non ad eos ſolos, ſed ad univerſas Eccleſias pertinerent. *Curabat* (inquit Apollonius) *Paulus excommunicandos, dirigebat judicium Eccleſiaſticum, cui præerat,* & *ſententiam publice promulgabat in publico Eccleſiæ cœtu, & propterea dicitur tradidiſſe Satanæ.*

Eraſm. in 1 Cor. 5. 4.

Apoll. Tr. Cit. part 2. pag. 9. 10

XVI. Concludendum ergo eſt, utcunque ratio & ſpecialis uſus *Virgæ Apoſtolicæ* jam plane ceſſet, *Traditionem* tamen *Satanæ* ideo Eccleſiis noſtris exterminandam non eſſe, quippe quæ ad *Virgam* illam referenda non eſt, ſed ad poteſtatem Eccleſiæ *Excommunicativam.* Multo minus omni Scripturarum ſubſidio deſtitutam jam eſſe Reformatorum doctrinam de *Excommunicatione*, eo quod omnia, quæ libri N. T. habere de eâ videntur, plane extraordinaria fuiſſent, ut *Eraſtiani* ſuaviter hactenus ſomniarunt: negatur enim hypotheſis illa. Habuit quidem connexum extraordinarium quippiam totum Eccleſiæ Apoſtolicæ regimen, ut late deducit Paulus 1 Cor. 12. Veruntamen totum illud non fuit extraordinarium, multo minus, quod, antiquato eo, quod *extraordinarium* & tranſitorium in eo erat, manere tamen non potuerit id, quod etiam tum modo, ut permanens & *immutabile*, Deus Eccleſiæ ſuæ prudenter præſcripſerat. Non deſunt, ut conſtat, inter Scriptores, qui *Satanæ* hanc *traditionem* in duobus his ſimul conſtituerunt: in peccatoris ab Eccleſiâ remotione, quæ eſt ipſa *Excommunicatio*, & in extraordinariâ corporis vexatione. Ita *Martyr* in Locos citatt. nec non *Vatablus*, qui ſic inſit: *Tradere hominem Satanæ eſt excludere eum ab Eccleſiâ, tanquam ethnicum, ut corpore affligatur a Satanâ ad tempus, qui hac in re miniſter Dei eſſe ſolet,*

Mart. in Loc. Comm. pag. 28. 39. Coll. c. pag. 137.

ſolet, ut Hiſtoria Jobi ſatis declarat. At procul tamen abſuerunt illi Doctores, ut, tametſi *extraordinarium* illud jam non amplius duret, omnem ideo *ordinariam* excommunicandi poteſtatem Chriſtianis Eccleſiis denegaſſent. Quodſi enim tali argumentandi genere procedere licitum ſit, utique omni etiam prædicationis verbi, omni Cœnæ, Baptiſmique adminiſtrationis jure Eccleſia moderna excidit, cum in propatulo ſit, etiam illis rebus Apoſtolorum tempore *miraculoſi* & *extraordinarii* quidquam adhæſiſſe. Sed diutius hiſce non inſiſto, cum commendatior fere ſit

Gratia, quæ parcis *menſurat ſingula verbis*;

neque alii deſint, qui jam dudum *Eraſti* aliorumque contra *Excommunicationis* perpetuitatem argumenta ex profeſſo examini ſubjecerunt, ſolideque profligarunt; quos inter excellunt *Georgius Gilleſpius* & *Johannes Brounius*, Theologi Scoti.

Vatabl. in 1 Cor. 5. 5. Sasbout. in 1 Cor. 5. 5. & 1 Tim. 1. 20. Amyrald. ap. Salmur. part. 4. p. 85. Gilleſp. de Regim. Eccleſ. lib. 1. cap. 5. 6. Broun. c. Velthuſ. pag. 480.

EXERCITATIO III.

DE

HEBRÆORUM

כרת.

Sive Exciſione Animæ e Populo Dei.

BREVIARIUM.

Exciſionis e populo Dei *quotuplex in Scripturis mentio?* Duplex *ea apud Hebræos*, gravior & levior. *In quos nam exercita* prior, *in quosnam* poſterior? *Quid* נפש *in hac materiâ? Ingens ſententiarum divortium. Opiniones Hebræorum partim* nugaces *partim* impiæ *exploſæ.* L'Empereurius *notatus. In* ſolo *judicio* θιηλάτῳ Exciſio *hæc non conſtitit. Multiplices ejus apud Hebræos cauſa. Locus Exod.* 4. 14.

vin-

vindicatus. Neque ſolum *Magiſtratus capitale judicium eâ indicatum. Multo minus* æterna *hominis* damnatio. Auguſtini *verborum Geneſ.* 17. 14. παρερμηνεία *detecta. Exſcindi e populo* Dei *& e populis* ſuis *non ſemper* idem. *Exciſio e populo Dei alia* externa, *alia* interna. *Sola* Excommunicatio *Eccleſiæ per* כרת *non indicata.* Leuſdeni ἀβλεψία *notata. Etiam Ethnici quandoque* exciſi *dicti. Quid Hebræorum* כרת *proprie* ſit *quæſtio anceps & perplexa.* Paræi *&* Burmanni ἐποχή. *Docta ignorantia commendata. Loca S. Scripturæ de* Exciſione *hac non ſemper idem, ſed tum hoc tum illud, pro circumſtantiarum ratione ſignificant. In quibus communiſſime conſtiterit, quinque punctis explicatur.* Hoornbekius *ad partes vocatus. Ejectio ex Eccleſiâ aliâ* negativa *alia* poſitiva. *Excommunicatio* Politica *quæ?* Cautio *obſervanda.*

I.

SUperiori *Exercitatione* de *Exciſione animæ e populo ſuo*, quæ Hebræis כרת dicitur, mentione obiter injectâ, non abs re erit, ſi de Pœnæ illius ratione fuſiuſcule hic diſſeram. Eo magis, quod intricatior materia hæc ſit, & forte a Viris Eruditis vix ſatis in luce hactenus poſita. Neque opus tamen erit, omnia, quæ dici de eâ poſſent, hic afferri, cum plurima eorum ubivis obvia ſint; hinc opiniones pugnantes tantum allegabo & examinabo, appoſitis meis qualibuſcunque ſuper iis conſiderationibus.

II. Plurimis V. T. locis (Hebræi dicunt vulgo *triginta tribus*, Seldenus triginta ſex) Phraſiologia hæc occurrit, licet non ſine variatione aliquâ. *Aliquando* ſimpliciter dicitur: *Exſcindetur* vel *excidetur anima ex Iſraele, vel e populis ſuis*, vel *e congregatione Iſraëlis.* Ita Exod. 12. 15. 19. & 30. 33. 38. & 31. 14. Levit. 7. 15. 16. & 17. 5. & 18. 29. & 19. 8. Gen. 17. 14. Num. 19. 13. Ezech. 25. 7. *Aliquando* ſignificantius: *omnino exſcindetur*, id eſt, *exſcindendo exſcindetur.* Sic Num. 9. 13. & 15. 30. 31. & 19. 20. Quod tum *blaſphemo* tum *extranei cultus reo* ſingulariter applicatur; adeoque כרת חמור *exciſio gravior* vel כרת בפול *exciſio duplex*, id

Selden. de Syned. Hebr lib. 1. cap. 6. p. m. 48.

Buxtorf. Lex. Talm. pag. 110.

Digitized by Google

id eſt, tam *animæ* quam *corporis*, Hebræis dicitur. Quarum *hanc* exercitam fuiſſe docent in eos, quorum plura peccata erant, quam bona opera, quos vulgo רשעים גמורים *conſummatos in impietate*, illam vero, id eſt, ſimplicem in illos, quorum bona opera iniquitates ſuas ſuperabant, quos צדקים גמורים *juſtitia conſummatos*, appellabant.

III. Notandum vero, cum *anima exſcindi* dicitur, per *animam* non debere intelligi animam rationalem ſive immortalem, alteram hominis eſſentialem partem, corpori contradiſtinctam, quam נשמה העליונה *animam ſupremam* Magiſtri vocant, ſed *ipſum hominem*, loquendi ratione in Scripturis uſitatiſſimâ. Vid. Gen. 12.5. Exod. 1.5. & 12.4.15. Prov. 11.17. Job 36.14. Pſ. 66.16. Eſ. 5.14. Rom. 2.9. Heb. 10.39. &c. Imò in ipſiſſimâ hac materiâ, quod uno loco per *animam*, alio per virum & *hominem* non ſemel exprimitur. Ita Levit. 20.3. dicit Dominus: *Ego opponens iratam faciem meam* Viro *illi*, *exſcindam illum e medio populi ſui*. Et cap. 17.4. *Exſcindetur* vir *ille e medio populi ſui*. Vide etiam Lev. 20.18.

IV. Quantum vero & quale ſententiam divortium apud Hebræos ſuper *Exciſione* hac ſit, apud *Buxtorfium*, *Seldenum*, *Fagium* & *Leuſdenum* alioſque videre eſt. Quę diffuſius illi hac de re habent hic paulo contractius & quaſi per compendium tantum exhibebo. *R. Bechai Exciſiones* tripliciter diſtribuit. *Prima* ipſi eſt, quâ exciditur *corpus*, per quam intelligitur mors præmatura, ſicuti habetur Pſ. 55. vſ. ult. *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos*; hanc deſignari vult illis locis, ubi habetur *Exſcindetur homo ille e medio populi ſui* Levit. 17.4. *Secunda* eſt *animæ*, quando *anima* deſtruitur, ut bruti anima vel quando anima non fruetur gaudio vitæ externæ. Hanc juxta ipſum exprimere videntur phraſes, quando habetur *Et exſcindentur animæ ſic facientes de medio populi ſui*, Levit. 28.29. *Tertia* &, quâ *anima* & *corpus* ſimul exſcinduntur, ut quando verbū כרת duplicatur: Levit. 18.30 31. *Exſcindendo exſcindetur anima illa*. Hæc vocatur כרת הכור vel כרת כפול *Exciſio duplex*. Abarbanel in Comment. ad Num. 15.30 *ſex* de eâ ſententias enumerat, ſuamque *ſeptimam* addit. 1a. eſt *R. Saadiæ*, qui exciſionem intelligit de *abbreviatione dierum peccatoris & morte ejus ante tempus infligenda per Deum*. 2a. Eſt *R. Salomonis Jarchi*, qui intelligit de *ſemine*; exſcindetur *ſemen* ejus, id eſt, morietur ſine liberis. 3a. Eſt *Autoris Additionum Talmudicarum* in principio Tractatus Jevaminoth, qui excidium intelligit de *anno quinquageſimo*, hoc eſt, *morietur ante annum quinquageſimum*. Licet alii ad ann.

52. vel

52. vel ad ſummum ad annum 60. terminum hunc extendant. 4a. Eſt alterius *Authoris*, qui de *die tertio morbi* intelligit, hoc eſt, ſi homo *die tertio* morbi ſui moriatur, ille dicitur *exciſus e populo ſuo*. 5a. Eſt *Maimonidis*, qui intelligit de *plenariâ privatione, deſtructione & annihilatione animæ poſt hanc vitam & mortem adinſtar beſtiarum*. Et a quando de blaſphemante dicitur, *Exſcindendo exſcindetur*, intelligit id, præter annihilationem animæ poſt mortem, cum etiam exſcindendum eſſe per abbreviationem dierum vitæ ſuæ. 6a. Eſt Nachmanidis, quæ convenit cum *R. Bechai* opinioni ſupra allegatá ſcil. per *Exciſionem* intelligi vel perditionem corporis, vel animæ, vel corporis, & animæ ſimul. *Corporis* exciſio *in* tali, cujus bona opera plura ſunt, quam ejus iniquitates, habet locum, *Animæ*, cujus iniquitates ſunt plures. Corporis & animæ ſimul in *idololatris* & *Blaſphemantibus* nomen Dei, de quibus dicitur *exſcindendo exſcindetur anima illa*. 7a. Eſt ipſius *Abarbanelis*, quod *Exciſio* in genere communis ſit *corpori* & *animæ*. *Corpori* in mundo hoc per decurtationem dierum peccatoris, ut moriatur ante tempus ſuum, quo ſecundum naturam ſuam debuiſſet mori: *Animæ*; quod ea, poſt ſeparationem a corpore in mundo, in mundo animarum, elonganda ſit a ſplendore Majeſtatis Divinæ & a receptione influentiæ ſupernæ, deſcendentis in animas juſtas illas ex faſciculo vitæ. Hæc *exciſio animæ* non eſt ejuſdem annihilatio, ſed privatio oblectationis illius, quâ animæ poſt hanc vitam fruuntur. Addi poteſt 8a. quæ eorum eſt, qui capitale ſupplicium a Magiſtratu infligendum denotari pœnâ hac putant. Ita quidem illi.

V. E quibus quum conſtet, inter opiniones, ibi memoratas, quaſdam eſſe, quæ ſolis hypotheſibus *Talmudicis*, id eſt, ludicris & fabuloſis imo quandoque impiis, & nihil minus quam Sacris Scripturis nixæ ſunt: ut E. G. illa, quæ mortem infert, vel ante *quinquageſimum*, vel ante *quinquageſimum ſecundum*, vel ante *ſexageſimum* ætatis annum, vel *die tertio morbi* ab eo, qui exſcindebatur, præciſe ſubeundam; nec non illa *Maimonidis*, quæ *animæ mortalitatem* notorie inducit: Verba Magiſtri ſunt Clariſſ. *Heideggero* interprete: *Exſcindetur ob impietatem ſuam, & peribit ut beſtia. Atque hoc intelligitur per Chereth, quod extat in Lege, quando dicitur, & exſcindendo exſcindetur anima.* Operæ ſane pretium haud fecerimus, ſi in nugamentis illis diſcutiendis temporis laborisque multum impendamus: quum ſe ipſa ſatis ſuperque convellant, præſertim apud eos, qui ſalutari Chriſtianiſmi doctrina vere imbuti ſunt. Quare mirari non ſemel ſubiit, quomodo Clariſſ.

Maimon. ap. Heidegg. Hiſtor. Patriarch. p. 1. Exerc. 2. §. 13.

Digitized by Google

D. l'Empereurius, Vir alioquin in Antiquitatibus Judaicis ad miraculum uſque verſatus, eo uſque in *Talmudicorum* caſtra concedere hic potuerit, ut cum eorum nonnullis *præmaturam mortem* per *Exciſionem* hanc indicatam fuiſſe, maxime probabile duxerit. *Ego* (inquit) *in hac varietate ſententiarum eorum ſententiam minime abſurdam ſentio, qui* mortem immaturam *indicari arbitrantur; quandoquidem cum exſcindendi vox iſti, non vero ſterilitati optime quadrat; tum infantia eorum, qui in Eccleſiâ Judaicâ naſcebantur, majores illas pœnas convenire & competere clementia Dei prohibere videtur.* Quibus in verbis, ut patet, ratiunculas quidem aliquas Vir Magnus pro ſententiâ ſuâ adducit, ſed tales certè, quæ an firmandæ ipſius hypotheſi prorſus ſufficiant vehementer dubito. (Præterquam quod ſupponere videantur, *Exciſionem* hanc ad tenellos etiam *infantes* pertinuiſſe, quod difficillimum probatu multis videtur, cum locus Geneſ. 17. 14. non habeat, quicunque *die octavâ* non erit circumciſus *excindetur*, ſed ſimpliciter, *qui non fuerit circumciſus*; & *mirum* etiam dici poſſet, *pœnam velut ordinariam infanti irrogandam fuiſſe ex eo tantum, quod pater aut Dominus non circumciderit, aut quod non circumcideretur ab alio, cum nec ipſe quiret*, ut loquitur Seldenus) Niſi dicere quis velit, Virum Doctum Hebræorum ſententias de *perpetuâ* Exciſorum *ſterilitate* eorumdemque *immaturâ* morte cum ſe invicem tantum contuliſſe, hancque illi in hac comparatione prætuliſſe quidem, non vero abſolute ut ſuam adoptaſſe; cogitatis interim Theologorum Chriſtianorum, qui aliud hic tenent, vel intactis, vel in medio relictis. Aſt miſſis (inquam) Talmudicorum illis affaniis, digniores diſquiſitione erunt aliorum quorundam obſervationes; quorum aliqui *Exciſionem* hanc in extraordinario mortis judicio cœlitus immiſſo, alii in ſupplicio capitali a Magiſtratibus inflicto, alii in damnatione æterna, alii denique in *Excommunicatione* qualiquali Eccleſiaſticâ jam dudum conſtituerunt.

L'Empereur. In not. ad Bertram. de Rep Heb. lib. 1. cap. 2.

Selden. de Syned. lib. cap. 6. pag. 46.

Calv. in Gen. 17. 14. Jun. in loc. Paræus, Mercer. Rivet. ibid.

VI. Sunt ergo qui pœnam hanc in *ſolo* quodam judicio θεηλάτῳ, ſive (ut loquuntur magiſtri) ביד שמים *Manu Dei* peccatori extra ordinem immiſſo, collocarunt. At prorſus, noſtro judicio, erroneè. Nam, etiamſi negari non poſſit, judicium iſtiuſmodi per eam indicatum nonnunquam fuiſſe) conſtare quidam id putant exemplo filii *Moſis*, quem occidere *incircumciſum* Dominum voluiſſe autumant, ſed perperam, cum mortem infantulo non minatus ſit Deus, ſed ipſi Moſi) haudquaquam conceden-

Selden. de Syned. lib. 1. cap. 6. Grot. in Joh. 8. 5.

Exod. 4. 24.

cedendum tamen eſt, id ſolum & ſemper eâ fuiſſe ſignificatum. Probabiliſſimum enim eſt, non tantum rarius, id eſt, ſemel iterumque, ſed ſæpius multiſque vicibus *Exciſionem* hanc in Iſraele uſurpatam fuiſſe. Inſtituebatur quippe non tantum ob peccata hæc & illa ſed ob plurimas quotidie incidentes prævaricationes. *Sacro ſermone* (inquit Seldenus) *triginta ſex enumerant* [Magiſtri] *quorum ſcienter & ultro commiſſorum, nullum eſt, quod non exciſione, niſi remiſſum fuerit, ſeorſim & per ſe ſit puniendum. Ita tamen, ut ubi eorum nullum reperiatur, peccata etiam alia ſint in trutinâ, non raro adeo ſimul gravia, ut non minus meritis juſtitia, quam illa præponderent, nec leviori itidem* Exciſionis *pœnâ punienda*. Imo vero per varias etiam ipſorum Ceremonialium omiſſiones pœnæ huic obnoxii Iſraelitæ fiebant. At quis credat, Deum in ſingulos illos delinquentes immediate ſemper e Cœlo ſeveram ſuam vindictam exercuiſſe, adeoque judicii hujus demonſtratione tam frequente & vulgari, id quod *extraordinarium* habendum alias erat, in *ordinariam* quaſi mulctam commutaſſe? *Selden. Tr. cit. lib. 7. cap. 3.*

VII. Ut neque firmiore ſtant talo, qui non niſi Magiſtratus ſupplicium capitale indicatum hic volunt; ut *Piſcator*, *Fl. Illyricus*, *Eſtius*, aliique. Ratio eſt, quia quiſcunque non-circumciſus in V. T. fuit exſcindendus, ut Gen. 17. 14. expreſſim liquet. Sed unde evincere quis poteſt, vel ullum incircumciſum, eo quod incircumciſus eſſet, capite mulctatum unquam fuiſſe? *Neque enim puniebantur corporaliter* (teſte Mercero) *qui circumciſionem neglexerant, quod legamus in Scripturâ aut Judæorum ſcriptis.* Haudquaquam ſaltem *exciſis* omnibus & ſingulis *mors* ipſa corporalis, quæ per Magiſtratus ſupplicium hâc in materiâ intelligi ſolet, irrogabatur; nonnunquam enim vapulabant tantum, & ſic, exceptis juſto numero verberibus, ab *Exciſione* ſuâ liberabantur. Quam in rem Doctiſſ. D. *Ligtfoot*, ex Babyl. Megill. Fol. 2. 7. hunc locum adducit: *Omnes* Exciſionis *rei, cum vapulaverint, abſolvuntur ab* Exciſione *ſuâ, ſicut dicitur, & vilis ſit frater in conſpectu tuo, cum vapulaverit, ecce eſt Frater tuus.* Integer etiam in Corpore *Talmudico* Tractatus de קריתות *Exciſionibus* docet, pœnam hanc *forenſem* non fuiſſe. *Piſcat. in Gen. 17. 14. F. Illyric. in Clav. p. 292. Eſtius in Diff. loc. Script. pag. 18. Mercer. in Gen. 17. 14. Lichtfoot in Matt. 5. 22.*

VIII. A vero etiam abſunt, qui non niſi *mortem æternam*, id eſt, cruciatus gehennales per pœnam hanc intelligunt; quos inter excellunt *Chamierus*; *Biel*, *Freidlibius*, &c. ſecuti procul dubio *Auguſtinum*, qui verba Gen. 17. 14. *Utique excidetur anima illa* *Biel. 4. Sent. Diſt. 1.*

e ſuis

Freidl. Theol. Exeget. part. pag. 75.

e ſuis populis, idem ſignificare pertendit, quod Chriſtus Nicodemo dixit. Joh. 3. 5. *Amen, Amen, dico vobis, niſi regenitus quis ſit ex aqua* & *Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Attendendum enim probè eſt, quæſtionem hic non eſſe, an perſona illa, quæ, in V. T. *exſcindebatur*, ſemper peccato ſuo merita æternam mortem ſit; quis enim id negat, quum *ſtipendium omnis peccati mors ſit*. Rom. 6. 23. Neque etiam, an ad ejuſdem prævaricationem, non interveniente pœnitentiâ, mors ſemper æterna ſecutura fuiſſet; certo enim id eſt certius, quum quivis impœnitens gehennæ reus ſit. Sed an in ipſâ hac *exciſione* mortis æternæ irrogatio ſic locata fuerit, ut unus quiſque ita *exciſus*, eo quod eſſet exciſus, pro æternæ perditioni devoto & deſtinato eſſet habendus. Atque hoc quidem fruſtrà imo falſò ab aliquibus aſſertum hactenus eſſe, ex ſequentibus liquet. 1. Quia *Exciſio* hæc deſignate ſæpe in *Sacrâ* Scriptura ſoli *temporali* morti applicatur, ſine ullo ad mortem æternam reſpectu. Vide ſequentia loca, Levit. 20. 6. 10. 11. 12. & 7. 4. 9. Num. 9. 10. *Dices* non eſſe ἀσύςατα *temporaliter* mori, & *æternum* ſimul perire. Neque etiam ego id volo, at dico tamen, dum S. Scriptura phraſi aliquâ mortem *temporalem* indicare ſpeciatim intendit, ſtatuendum tum non eſſe, eam eâdem locutione *æternam* damnationem ſimul ſignificare velle, niſi aliis ex locis, eam id velle, juſtis rationibus demonſtretur: at neque tentatum neque factum id unquam eſſe, perſuaſiſſimus ſum. Quin eò fortius argumentum hoc ſtringet, ſi illa conſiderentur loca, quæ non tantum in genere de morte *temporali* ſubeundâ loquuntur, ſed etiam de morte gladio Magiſtratus infligendâ, per quam ſane *mors* æterna intelligi non poteſt, quippe quæ nulla poteſtate, nullo gladio humano irrogari cuiquam poteſt. Matt. 10. 28. (2) Quia præſupponi tum debet, omnes illos, qui è populis ſuis *exciſi* ſunt, impœnitentes vixiſſe & devixiſſe; hoc enim eſt, quod ad animæ æternam perditionem neceſſario requiritur. At quis probabit mihi, neminem unquam e populis ſuis *exciſorum* ad meliorem mentem rediiſſe. (3) Quia ſententia illa hac falſâ hypotheſi nititur, quod per *animam*, quæ *excidi* per כרת dicitur, non totus homo ſive perſona humana, ſed *rationalis* & immortalis *anima* intelligenda ſit. Falſiſſimam, dico, hypotheſin illam eſſe ut, pluribus ſupra adſtruxi. In conſenſum tantum accedat ex Hebræorum Doctoribus *Aben-ezra*, cujus hæc verba ſunt: *Errant, qui exiſtimant puerum ſine circumſione*

ex

ex hac vita diſcedentem non habiturum partem in futuro ſeculo. At vox נפש *non ſignificat id, quod illi volunt. Nam* נפש *hic idem eſt quod* איש, *& ſignificat corpus, in quo eſt anima:* ut *anima cum peccaverit.* Levit. 4. 2.

IX. *Neque* colorem habet, quod opponitur: non ſimpliciter tantum dici *exſcindi* aliquem ſed exſcindi *e populo ſuo*, populum autem iſtum in V. T. fuiſſe populum Dei, adeoque, ſiquis exſcinderetur *e populo ſuo*, exterminatum eum etiam fuiſſe e communione Dei, ac per conſequens ipſo etiam Cœlo ejectum. Colorem (inquam) hæc non habent, quoniam univerſaliter verum non eſt, τὸ Exſcindi *e populis ſuis* idem ſemper cum exſcindi *e populo Dei* ſignificare. Minatur enim Deus ipſiſſimis Gentibus, nominis ſui hoſtibus infenſiſſimis, quæque adeo Populi ſui partem minime faciebant, quod e *populis ſuis* exſciſſurus eas eſſet. Inſpiciatur locus Ezech. 25. 7. ubi denunciat Deus Hammoni. *Idcirco ecce ego extendens manum meam contra te, traditurus ſum te in prædam Gentibus, & exciſurus te ex populis, ac perditurus te e regionibus: profligabo te, ut experiaris, me eſſe Jehovam.* Ubi notorie *exſcindi e populis ſuis, perdi e regionibus, profligari, &c.* pro uno eodemque accipiuntur. Et quidni ille etiam in V. T. *e populo Dei exſcindi* dici potuit, cujus vitæ filum qualicunque modo a Deo, ob commiſſa peccata, abrumpebatur & præſcindebatur, quique *ita* e fœderatorum Dei temporali conſortio ſimul tollebatur & quaſi exturbabatur? Ne addam, phraſin illam *exſcindi e populo ſuo* imo e *populo Dei* dupliciter ſumi poſſe: *Vel* quod ſignificet, ex *interno* & *ſpirituali* Dei *Fœdere* & communione, cujus antea conſors quis fuit, per *Exciſionem* illam ejici & velut expelli. At quis non novit, *Exciſionem* iſtiuſmodi e Dei populo prorſus impoſſibilem eſſe, quum chariſmata Dei abſolutè ἀμεταμέλητα ſint, & *quos diligit Chriſtus*, in finem uſque *diligat*. Rom. 11. 29. Joh. 13. 1. *Vel* quod notet, ut ut ob juſtiſſimas cauſas id fiat, *ex Dei communione* & ſocietate Populi ejus *externâ* tantum eliminari. Et ſi ſic ſumatur, quis evincet tum, e *populo Dei* ita *exſcindi* perinde ſemper eſſe, ac ipſiſſimo cœlo arceri? vel, quod eodem redit, etiam mortis æternæ prædam in V. T. factos eſſe quotquot ſenſu jam dicto *e populo ſuo* exſcinderentur. Hoc enim ſi verum eſſet, ſequeretur invicte (quoniam *Exciſio* ſic conſiderata nihil aliud quam Eccleſiæ Excommunicatio fuiſſet) verè e-

Rom. 11. 29.
Joh. 13. 1.

lectum nunquam excommunicari poſſe; omnes excommunicatos abſolutè damnandos eſſe; nullos denique excommunicatos ad reſipiſcentiam reduci poſſe; quum damnati in termino modo ſint, unde regreſſus ad meliora non datur. Quæ omnia quam incongrua, imo ἄλογα ſint, ex unico *inceſtuoſi* exemplo, de quo Paulus, 1 Cor. 5. 5. coll. c. 2 Cor. 2. 7. 8. lucidiſſimè apparet. Eſt quidem, quod de legitimè, id eſt, *clave* non *errante* excommunicatis judicari haud aliter poſſit, quam ejectum ita ex Eccleſiâ, extorrem *etiam* e Cœlo factum eſſe; ſed cum judicium illud abſolutum & peremtorium non ſit, ſed limitatum tantum & conditionatum, ultrò claret, nihil ad rem id facere, quum conditionatum nihil ponat in eſſe.

Calv. loc. cit. *Bertram. de Rep. Heb. cap. 7.* *Mercer. in Gen. 17. 14.* *Ravanell. Bibliothec. p. 1. p. 552.* *Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. cap. 15* *Leuſd. loc. cit.* *Jun. in Gen. 17. 14.* *Goodw. Moſ. & Aar. lib. 3. cap. 4.* *Zuinger. Diſp. peculi. de Circumciſ. §. 40.*

X. Reſtat eorum opinio, qui כרת in ſententiâ Eccleſiæ *Excommunicatoriâ* collocarunt: Tenent hanc *Calvinus*, *Bertramus*, *Mercerus*, *Fagius*, *Ravanellus*, *Hoornbekius*, *Diodatus*, nec non laudatus modo *Leuſdenus*, qui *Franciſcum Junium* ad partes etiam vocat, allegato Commentario ejus in Gen. 17. 14. At falli in eo videtur Vir Doctus; nequaquam enim allegatus locus id habet, quod elicere inde conatur: imo ipſiſſima *Junii* verba non obſcure innuunt, ipſum non *Excommunicationem*, ſed *mortem* vel *temporalem* vel *æternam* locutione hac deſignatam voluiſſe. Sic enim inſit. *Quapropter inanis eſt quæſtio eorum, qui de pueris incircumciſis diſputant, atque hanc* (NB) mortis *denunciationem* (reſpicit *exciſionem e populo Dei*, de qua mox locutus erat) *ad illos etiam ſtatuunt pertinere.* Sed neque hæc ſententia, ſi de ſolâ *Excommunicatione poſitivâ* & proprie dictâ intelligatur, vero conſona eſſe videtur, ob duas quidem, quæ ei obſunt difficultates, quas hactenus expeditas non vidi. *Prior* eſt, quod proximus *Excommunicationis poſitivæ* finis (qui ſpiritualis & exemplaris peccatoris emendatio eſt. 1 Cor. 5. 4. 5. 1 Tim. 1. 20) in multis *exciſione* hac obtineri non potuerit. E. G. non in illis, qui gladio Magiſtratus e medio tollebantur, eoque pacto exſcindebantur, Exod. 31. 14. Lev. 17. 4. & 20. 18. Quæ enim intendi eorum emendatio per *exciſionem* poterat, quibus ipſo capitali ſupplicio omnia emendationis media præſcindebantur? *Poſterior* eſt, quod *Exciſio* hæc talibus etiam in V. T. decreta fuerit, in quos cadere *Excommunicatio* hujuſmodi non poterat, quales fuerunt tum *Ethnici* Ezech. 25. 7. tum *adulti incircumciſi*, Gen. 17. 14. Excommunicari autem hos proprie non potuiſſe,

Digitized by Google

tuiſſe, hinc liquet, quod *Excommunicatio* ponat exterminationem peccatoris e cœtu & communione Eccleſiæ viſibilis, idque ita quidem, ut quis per eam e membro ejuſdem Eccleſiæ, quod antea fuit, ejus fiat non-membrum. At quomodo hoc quadrare in *Gentes* & *incircumciſos* potuit, de quibus exploratum erat, quod nunquam Eccleſiæ Viſibilis membra extitiſſent? Poterantne Eccleſiæ ſocietate expelli, in quam recepti nunquam fuerant? 1 Cor. 5. 11. Matt. 18. 15.

XI. At quænam igitur (*inquis*) ſingularis hujus *pœnæ* ratio fuit, ſi neque, ut jam dictum, *mors* a Deo *cœlitus immiſſa*, neque Magiſtratus capitale ſupplicium, neque *animæ æternæ perditio*, nec denique *Excommunicatio Eccleſiaſtica* appropriatè ſignificata per *eam* ſit? *Reſp.* Hæret certè hic aqua (ut ipſemet ingenuè fatetur) Theologo nominatiſſimo D. *Davidi Pareo*, dum, poſt relatas variorum ſuper hac re opiniones, ſic pronunciat: *Ego vero, cum authoritates ſufficientes non habeam, rem in medio relinquo.* A quo neque abludit Clariſſ. D. *Burmannus*, dum, poſtquam quæſiviſſet, *quid notat ex populo ſuo exſcindi?* reſpondet, *haud certo id conſtat*; ſermone vernaculo *men weet het niet ſeecker.* Sic illi, & forſan non male: poſſemuſque & nos in eadem illa ἐποχῇ impune acquieſcere; cum quæſtio hæc de *Fide* non ſit, ſed *Theologica* tantum, modeſtiamque non raro ſapiat, in rebus haud clare revelatis ignorantiam ſuam, juxta *Scaligerianum* hoc, aperte profiteri: Pareus in Gen. 17. 14. Burman. in Gen. 17. 14.

Ne curioſus quære cauſas omnium,
Quæcunque libris vis Prophetarum indidit,
Afflata Cœlo, plena veraci Deo.
Nec operta ſacri ſupparo ſilentii
Irrumpere aude, ſed prudenter præteri.
Neſcire velle, quæ Magiſter Maximus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

XII. Quodſi tamen definiri quid malis, quam ſine ullâ dimitti inſtructione, hæc, ut probabiliora mihi hactenus viſa, breviter habe: 1. Non eſſe ſtatuendum, *pœnam* hanc *Exciſionis* judicium Dei, θεήλατον, capitale Magiſtratus ſupplicium, æternam mortem &c. nunquam plane in Scripturis ſignificare; neque etiam hoc eſt, quod ſupra diximus. Sed aſſerendum eſt, eam, ubicunque occurrit, tum hoc tum illud pro re natâ innuere, prout circumſtantiarum ratio vel ferre vel non ferre

 poteſt.

Digitized by Google

poteſt. Adeoque, 2. Loca illa, ubi *Exciſionis* hujus mentio fit, quoad ſenſum ſuum non unam admittere *differentiam*, atque ita quidem eſſe explicanda, ut *alias* ſupplicium capitale forenſe, alias judicium θεήλατον, *alias* mors æterna, *alias* aliud quicquam iis indicetur. (a) *Forenſe Judicium*, cum ob tale peccatum *exſcindendus* vel *exſciſus* quis dicitur, ob quod, juxta Legem Dei, mors in foro externo peccatori luenda impoſita fuit. Ut Exod. 31. 14. Nam, licet ex Hebræorum Magiſtris videatur conſtare, *quatuor* tantum pœnarum capitalium genera apud Judæos extitiſſe, *Uſtionem*, *Lapidationem*, *Strangulationem* & occiſionem ſive *Decollationem*, ut verba ſunt *R. Simeonis*, in quæ notavit Clariſſ. D. *Coccejus, ordine eo*

Levit. 20. 2. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 18. & 18. 29. *verborum gravitatem ſuppliciorum indicari*, *ut primum ſit omnium graviſſimum*, *& ſic deinceps*. Non impedit id tamen, quo minus *Exciſio* hæc *e populo Dei* Magiſtratus quandoque gladio executioni potuerit mandari; quia conſiderata illa tum non fuit, ut peculiaris quædam mortem infligendi ſpecies vel ſingularis modus, ab aliis diſtinctus, ſed ut intentio tantum Divinæ vindictæ generalis, quæ

Coccej. in Not. ad Sanhedr. cap. 7. vel hac vel illâ e dictis *quatuor* plectendi rationibus ſub V. T. implenda & perficienda erat. (b) Pœna θεήλατος, cum non in genere tantum formula hæc occurrit, *Exſcindetur e Populo ſuo anima*, multo minus *Exciſionis* cura *hominibus* demandatur, ſed eam a Deo *ſibi ipſi* expreſsè attributam animadvertimus: ut Levit. 17. 10. & 20. 5. & 23. 30. aliiſque in locis fieri manifeſtum eſt.

Act. 3. 22. 23. (c) *Mors* etiam *æterna*, cum peccatoribus incorrigibilibus, præfractis, impœnitentibus pœnâ hæc ſpeciatim applicatur. vid. Num. 15. 30. 3. Communiſſimè tamen ſequentia hæc per *Exciſionem* hanc deſignata, fuiſſe. I. Simplicem prohibitionem *Legalem*, quâ iis, qui *ceremonialiter* immundi facti erant, tam diu acceſſu ad *Tabernaculum* & agenda alia *Sacra* interdicebatur, donec legitime purgati & abluti eſſent. Innuitur hoc diſertiſſimis locis: Levit. 17. 4. 9. Num. 19. 13. &c. II. *Excommunicationem* proprie dictam, id eſt, ex Eccleſiâ Dei *ejectionem poſitivam*; quæ in iis habebat locum, qui communioni Eccleſiæ per *Circumciſionem* in infantia vel provectiori ætate initiati, tale quid commiſerant, quod privilegiis vere fœderatorum indignos eos faciebat, atque ideo à participatione eorum removebantur. Referenda huc ſunt, quæ Exod. 12. 15. 19. & 30. 33. 38. Levit. 7. 20. 21. & 19. 8. occurrunt. III. Ejus, qui *exſcindebatur* ad communionem Eccleſiæ non-admiſſionem;

ita

Digitized by Google

ita quidem, ut tanquam genuinum ejus civem *Exciſum* aliquem adſciſcere nefas olim fuerit. Exprimit id Ezechielis locus cap. 13. 9. בְּסוֹד עַמִּי *in conſilio populi mei* non *erunt*, *& in deſcriptione Domus Iſrael* non *conſcribentur*. Id eſt, non admittentur. Atque hoc pacto ipſi etiam præputiati & incircumciſi, juxta Gen. 17. 14. e *populo ſuo exſcindi* poterant, & revera exſcindebantur. Sic nempe, ut, quo uſque tales manerent, tanquam Eccleſiæ filios eos adoptare nefas eſſet. Quare *exiſtimo* (inquit Clariſſ. D. Hoornbeckius) *per* כרת *intelligendam Excommunicationem a populi & fœderis commercio ſive conſortio, ut is, qui Sacramenta eo pacto neglexiſſet contemſiſſetque, aliave peccata commiſiſſet* exciſione *digna*, pro *membro populi Dei aut Iſraelitici haberi nullo modo potuerit, ſed extra ejus cenſum fuerit & nomen. Id quod poſtea dixerunt* נדוי וחרם *vel* שמתא. Notandum enim eſt, multum inter ſe differre, arceri ſimpliciter ab Eccleſiâ, ſic ut qui membrum ejus hactenus non fuit, ut tale etiam non admittatur, quod *ejectionem negativam* non male dixeris; & ita Eccleſiâ expelli, ut qui membrum ejus ante fuit, ejuſdem jam declaretur nō-membrum, ſocietatiſque, in quam adſcitus antea fuerat, privilegiis orbetur & privetur, quæ eſt *ejectio* poſitiva. Prius, ut dixi, locum *in exciſione* hac etiam habere, lubens concedo, *ſed Excommunicationem* propriè dictam eo indicari poſſe, nego, quippe *ejectionem* ex Eccleſiâ non tantum *negativam*, ſed & *poſitivam*, ex communi Theologorum calculo, neceſſario involventem & ponentem, ut etiam שמתא נדוי חרם &c. *Effectus ac finis* (inquit Clariſſ. Seldenus) *Excommunicationis ejuſmodi jure Communi erat, ut ſolitæ popularium conſuetudinis libertate reus privaretur.* Quò & facit, *quod B. Johannes* per ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, & *Joſephus* per ἐκβάλλειν τοῦ τάγματος *Excommunicationem* expreſſerint. Ut & *Hoornbekius* alibi naturam *Excommunicationis* non tantum per *non-admiſſionem*, ſed per *poſitivam* peccatoris ex Eccleſiâ *exturbationem* interpretatus eſt. *Diſciplina* (dicit) *exercetur* 1. *ſuſpenſione ab uſu & participatione S. Cœnæ.* 2. *Plenaria Excommunicatione &* ejectione *extra Eccleſiam*, *quod dicitur* e medio tollere. 1 Cor. 5. 2. IV. Exciſi ejuſdem e populi Judaici ſocietate *politicâ* ejectionem, ab ejuſque ordinario', quo gaviſus antea erat cum reliquis Iſraëlitis, commercio ignominioſam remotionem; quam ſi *Excommunicationem Politicam* & *Forenſem* vocare velis, ut ſic loquuntur *Freidlibius* & *Seldenus*, per nos licet. Atque hujuſmodi *Exciſionis* objectum ipſi etiam Iſraelitę, ſi in infantiâ circumciſi ac, per circūciſionem illam Eccleſię Judaicę inſiti non eſſent, & in negli-

Hoornb. Vet. & Nov. part. 1. cap. 15.

Selden. de jur. Natur. & Gent. lib. 4. cap. 8.

Joſeph. de Bell. Judaici lib. 2. cap. 7.

Hoornb. Theol. Pract. part. 2. pag. 410.

Freidlib. in Geneſ. 17. 14.

Selden. de Synedr. lib. 1. cap. 8.

gligendâ & intermittendâ Circumciſione illâ, in ipſâ provectiore ætate adhucdum perſeverarent. Separati autem ſic in adultâ ætate eouſque ſolitæ popularium conſuetudinis libertate privabantur, ut fas illis non eſſet intra ſpatium *quatuor cubitorum* alteri aſſidere, uſq; dum pœnitentiam ſequeretur *abſolutio*; poſtque *ſexaginta* dierum contumaciam, ſequeretur *anathema* ſive *Execratio*, quæ tamen poſt reſipiſcentiam reſcindebatur. Licet ſint inter Eruditos, qui, ad *Exciſionem Eccleſiaſticam* referre hæc malunt. V. Quæ ex præcedentibus ſequitur, a ſpe promiſſionum, Populo Iſraelitico de occupandâ Terrâ Canaan factarum, *exciſi* ejuſdem excluſionem. *Exciſus e populo ſuo* (verba ſunt Cunradi Pellicani) *non erat particeps promiſſionum Dei, jus non habebat poſſidendi Terram promiſſam Patribus*: Singula, in quibus *Exſciſionem* hanc ſitam fuiſſe hactenus diximus, junctim nec non perſpicue explanant *Petri Martyris* verba, ut ut non propriam ſed aliorum, quos tamen non nominat, ſententiam referentis: *Alii* (inquit) *ſunt, qui intelligunt animam* e populo *exterminandam, quod* non *accenſebitur Iſraelitis*; non dicit *ejicietur* eorum contubernio, ſed *non accenſebitur*, id eſt, in id ipſum non recipietur. *Neque eorum Eccleſia annumerabitur; ibi neque hæreditatem neque ullum munus conſequi poterit.* Adeo ut *Exciſio* hæc *externorum* bonorum carentiam communiter tantum reſpexerit; utcunque talium *externorum* bonorum, quæ bona *ſpiritualia* & *æterna* procul dubio etiam repræſentabant, ut *Terra Canaan* hæreditatem cœleſtem, *conſociatio cum Eccleſia viſibili* communionem cum Chriſto, Eccleſiæ Capite, & vere fidelibus, membris ejus.

Pellican. in Gen. 17. 14.

Martyr. loc. Comm. Claſſ. 4. cap. 6.

XIII. Obſervandum tamen eſt, licet bona illa terreſtria, quibus excludebantur *exciſi*, talia etiam figurarent bona, quæ *ſpiritualia* & *æterna* erant, ea ipſa tamen *ſpiritualia* & *æterna* non fuiſſe; prout ſignum & ſignatum, figura & figuratum idem eſſe non poſſunt. Atque adeo *exciſos* illos omni accipiendorum & poſſidendorum illorum ſpe per *Pœnam* hanc non excidiſſe; tametſi, quamdiu externè & debitè excluſi manerent, neque ita ſe gererent, ut digni eſſent, qui in externam populi confœderationem tum *Eccleſiaſticam* tum *Politicam* rurſus admitterentur, certiorare ſe ipſos non poſſent, eorum ſe participes fore. Prout quis propriâ ſuâ culpâ ad *Sacramentorum* uſum non admiſſus, vel *legitimâ* Eccleſiæ ſententiâ ab eo remotus, quamdiu talis manet, certus eſſe non poteſt, ſe communionem cum Deo habere, etiamſi ſtatum ejus abſolutè deſperatum eſſe non ſit judi-

Tilen. Syntagm. part. 2. Diput. 22. §. 17. 24.

judicandum. Permoveri enim diſpenſatione Dei gratuitâ talis quis poteſt, ut reſipiſcat, dignumque ſe præſtet, qui ad Eccleſiæ privilegia externa iterum admittatur, debiteque iis utatur; quo caſu (quod & in *Excaſis* reſipiſcentibus locum etiā habebat) ἀμεταμέλητον Dei favorem polliceri ſibi poteſt, quem antea polliceri ſibi non poterat. Docet id perſpicue, ut alios mittam, Cl. Burmannus: *Nunquam, nec hic* (loquitur de Excommunicatione Majori) *omne poſtliminii jus ipſi* (excommunicato) *intercluditur, ſiquidem ad veram pœnitentiam & peccatorum ἐξομολόγησιν redeat, per quam ſemper ad cæleſtem civitatem reditus datur.* *Burmann. Synopſ. l. 8. cap. 5. §. 27.*

EXERCITATIO IV.

DE

ANGELORUM

CREATIONE.

BREVIARIUM.

Ratio Diſquiſitionis. Patrum & Neotericorum *quorundam, Angelorum creationem* ante-mundanam *ſtatuentium, conſiderationes. Rationes oppoſitæ ſententiæ* Vorſtius, & alius *quidam* Vir Doctus *notati. Opinio intermedia. Sententia Autoris.* Primæ *ſententiæ argumenta excuſſa & diſcuſſa. Vera* conditionis Angelorum *apud Moſem mentio*, ſed *ſubobſcura.* Obſcuritatis *illius rationes variæ. Quæ ab* idololatriæ periculo *deſumitur, exploſa.* Petri Martyris *obſervatio laudata. Creationis Angelorum* dies *incertus. Opinio pro* primo hexaëmeri die *probabilior, Quæſtionis momentum. Conſequentia ex opinione alicujus educta, quando ei ut propria opinio adſcribenda?*

Tracta-

I.

TRactatione de naturâ & operationibus *Angelorum* ad Pneumatologos remiſſâ, non tam expendendum nobis hic eſt, *an* vel *quid* illi ſint, quam *quando* eſſe cœperint; maxime cum hinc involutius id ſit, quod Propheta *Moſes*, licet in ſuâ Creationis hiſtoriâ nullius fere Creaturarum ſpeciei oblitus, *creationis* tamen *Angelorum* ne minimam quidem mentionem videatur injeciſſe.

II, Parum etiam conveniunt hac ſuper re Autores probati. Plerique Græcorum Patrum eo propendent, ut ante Hexaëmeron creatos eos putent: ſic *Baſilius*, *Nazianzenus*, *Chryſoſtomus*, *Damaſcenus*, quibus ex Latinis acceſſere *Ambroſius*, *Hilarius*, *Hieronymus*, aliique; idque *tum* propter loca aliqua S. Scripturæ. E. G. Job. 38. 7. Tit. 1. 2. *tum* ob hanc rationem: Quia alioqui Deus (ut putant) ante mundum conditum nullas habuiſſet creaturas, in quas bonitatis ſuæ effecta exercere potuiſſet; quod pro abſurdo habent. Perpauci, quod ſciam, e Neotericis ſunt, qui paria cum dictis Patribus hic faciunt; repoſuere tamen illam ſententiam nuperrime Viri piiſſimi pariter ac doctiſſimi *Jurieus* & *Baxterus*, ut ut meticuloſius tenere eam videantur: *Prior* habet: *Cœlum Empyreum*, *Angelos & mundum intelligibilem huic mundo ſenſibili praeextitiſſe diu*, *dici nil vetat*, *imò ex Moſe* probabile eſt. *Poſterior*: Veriſimile *igitur videtur*, *Angelos tam bonos*, *quam jam apoſtatas*, *ante* primum ſex dierum *creatos fuiſſe*,

Jurieu. in Theſib. de Cabal. Corollar. 17.

Baxter. Method. Theol. Chriſt. part. 1. cap. 14. pag. 272.

III. At neque deſunt inter *Antiquos*, qui aliter determinarunt, ſtatueruntque, non *ante* mundum ſed *cum* Mundo ſpiritus hos creatos eſſe; inter quos eminet *Epiphanius*, referente *Athanaſio* in Quæſt. ad *Antiochenos*. Atque in hanc ſententiam maxima Theologorum modernorum pars hactenus etiam conceſſit, hiſce ducta argumentis: (1.) Quia Coelum ſupremum intra Hexaëmeron conditum eſt; atqui ad illius perfectionem procul dubio *Angeli*, quippe *Exercitus* ejus, etiam pertinent, ut 1 Reg. 22. 19. Pſ. 103. 21. Luc. 2. 13. 14. Gen. 2. 1. exertè nuncupantur. (2.) Quia Deus intrà Hexaëmeron omnia ſua opera conſummavit: at *Angeli* etiam pertinent ad Dei opera. Pſ. 148. 2. Coloſſ. 1. 16. (3,) Quia quod *ante* mundum eſt, *æternum* eſt; æquipollent enim hæc in Scripturâ. Conf. Prov. 8. 22. 2 Tim. 1. 9. Tit. 1. 2. Epſ. 1. 4. Coloſſ. 1. 17. Joh. 17. 5. & imprimis Pſ 90. 2. *Antequam Terra & mon-*

Athanaſ. ad Antiochen. qu. 3.

Digitized by Google

montes eſſent &c. imo a ſeculo uſque ad ſeculum tu Deus fortis es. Abſurdum vero eſt, *Angelos* æternos ſtatuere. Scio *poſtremi* hujus loci vim declinari a *Vorſtio*, dum ait: *Quod Pſalmo* 90. *dicitur* Antequam terra & montes eſſent, Tu es Deus a ſeculo, &c. *hinc non ſatis ſolide probatur abſoluta Dei* æternitas, *cum non continuo ab* æterno *eſſe neceſſe ſit, quicquid* ante hunc mundum *forte fuit*. Sed quis id miretur, cum totus in eo fuerit *Vorſtius*, ut *Socino* ſuo, Chriſti *æternitatem* impugnanti, verbis illis patrocinium præſtaret. Deducit e phraſeos hujus explicatione intortâ *Mercerus* Arianiſmi errorem, dum ait: *Humanis ergo verbis* Sapientia *hic* (*Proverb.* 8 23,24.) æternitatem *ſuam deſcribit, dicens, ſe* ante Orbem *conditum formatam fuiſſe*; *quod cum ignoraret Arius, hic erroris occaſionem ſumſit, Filium Dei non ab* æterno *fuiſſe*. At vero utinam neque alii cum *Vorſtio* nimium hic *arianizarent*! Non deeſt Vir Doctus, qui vim famoſiſſimi hujus loci eodem plane, ac ille, elidit modo: Inquit enim: *Non nego æternitatem Dei ex quibuſdam hujus loci circumſtantiis recte concludi poſſe, ſed e ſolis hiſce verbis, quæ diſerte citantur* (reſpicit illa quæ mox allata ſunt) *ſolide illam probari poſſe, nego*. Idem negat *Vorſtius*, idem *Arius*. Rectius in locum Clariſſ. *Coccejus*: Imò a ſeculo ad ſeculum, *q. d. ab omni duratione ad omnem durationem*. Et paulo poſt: *Quod fuerit a ſeculo ad ſeculum. Eſt ſeculum* hominum, *ſeculum* mundi, *ſeculum etiam* Dei, *quod prævenit & amplectitur omnia, quod fluxum non habet, nec incipit nec deſinit: ipſum eſſe Dei. Hoc tribuit rupi*. Fateor, etiam *Twiſſum* non diſſimili modo, ac *Vorſtium*, phraſin hanc ſumere, ſed vapulat ideo etiam Theologis accuratioribus, nominatim Clariſſimo *D. Witſio*, ſic pronuncianti: *Videtur Vir ille Doctiſſimus, ut ſæpe, ita & nunc, nimium ſubtilitati ſuæ indulſiſſe*.

Vorſt. Epit. Exeg. Apol. §. 14

Mercer. in Prov. 8. 23. 24.

Coccej. in Pſ. 90. 1. §. 3. 4.

Comor. in 2. *Tim.* 1. 9.

Twiſſ. Vind. Grat. lib. 4. *part.* 1. *Digreſſ.* 2.

Witſ. de. Fœder. lib. 3. *c.* 4.

IV. Adhuc ſunt, qui nihil definire hic malunt; Talis fuit *Origenes*, qui in *Proœmio* Libri περὶ ἀρχῶν, *de Principiis*, ſic loquitur: *Eſt in Eccleſiaſticâ prædicatione, eſſe Angelos quoſdam & virtutes bonas &c. ſed quando iſti creati ſint & quomodo, non ſatis in manifeſto diſtinguitur*. Sic ut mirari ſubierit, cum animadverterem nuper, hunc ipſum *Origenem* a Voſſio & Riveto inter *prioris* ſententiæ antiſtites numerari. Concinit *Origeni* Theodoretus, *qui diſquiſitionem hanc ad* περιττὰς ζητήσεις refert, id eſt, ad *quæſtiones inutiles & ſupervacaneas* Quinimo Paræus ipſum *Auguſtinum* ἐπέχειν hic putat, licet *Voſſius* poſterioris ſententiæ aſſertoribus ipſum acceſeat, cui & me ſubſcribere non invitus profiteor.

Origen. in Proœm. lib. περὶ ἀρχῶν.

Rivet. in Geneſ.

Theodoret. in Gen. quæſt. 3.

Voſſ. de Idololat Gentil. lib. 1. *cap.* 5.

Digitized by Google

V. Neque enim ullo loco habenda ſunt, quæ pro *Græcorum* Patrum opinione allata mox ſunt. Locus quippe Job. 38. 7. non infert Angelorum exiſtentiam *ante* creationem, ſed *in* creatione, cui ſufficit, quod *primo* die cum Cœlo Empyreo creati eſſe dicantur: quidni enim tum in creatione ſequentium dierum potuerint Creatori Deo cum lætitiâ applaudere? Απροσδιονύσως etiam adferuntur Pauli verba Tit. 1. verſ. 2. cum per *promiſſionem* illam, *ante tempora ſecularia factam*, nihil aliud intelligendum ſit, quam promiſſio Dei, vel res potius promiſſa, ab æterno decreta.

Beza. in Tit. 1. 2.

Nam (inquit Beza) *quia Deo ſunt omnia præſentia, & certo omnino futurum eſt, quod Deus futurum decrevit, ideo dicitur Deus ab æterno feciſſe, quod ſuo tempore nobis patefit.* Si enim proprie illa verba voluerit ſumi *Hieronymus* (illius enim palamarium argumentum hoc eſt) ſtatuere non tantum debuit, Angelos ante formationem muni, ſed etiam ab æterno extitiſſe, cum phraſis illa *ante tempora ſecularia*, ut mox obſervavimus, nihil aliud quem ipſiſſimam æternitatem ſignificet. A quo tamen abſurdo certum eſt dictum Patrem efflictim abhorruiſſe.

VI. Eodem incommodo *ratio* etiam premitur, quæ adduci ſolet: ſi enim Deus exiſtens ſemper habere debuerit creaturas aliquas, in quas bonitatis ſuæ effecta exereret, non oportuit tantum *Angelos* quantocunque tempore *ante* mundi creationem, ſed etiam ab ipſa æternitate extitiſſe. Imovero quidni dicamus, ipſum mundum ab æterno eſſe tum oportuiſſe, ne ſcilicet Deo, omnis bonitatis fonti, beneficentiæ ſuæ objecta deeſſent? Nititur hoc argumentum falſâ hac hypotheſi, quaſi Deo perfectionis quicquam accederet, cum extra ſe operari ipſi licet. Cum e contra ſibi ipſi ſufficientiſſimus ſit, neque ullius creaturæ ope indigeat Act. 17. 25. Gen. 16. 1. Ad rem Lactantius: *Quomodo ab homine Divina illa vis differet, ſi, ut homo, ſic etiam Deus ope indigeat* aliena? *Indiget autem, ſi nihil moliri poteſt, niſi ab* altero *illi* materia *miniſtretur.*

Lactan. apud Pearſon in Symbol. Apoſtol. ad art. 1.

VII. Alicujus tamen difficultatis eſſe videtur, quodſi *Angeli* intra Hexaëmeron creati ſint, cur *Moſes*, fidiſſimus alias Dei Operum enarrator, ne ullam quidem eorum mentionem in Hiſtoria ſua fecerit; Raptum etiam in calumniæ materiam id eſt a Juliano *Parabate*: hic enim, teſte *Cyrillo*, reprehendit Moſem, quod nativitatis & facturæ *Angelorum*, ac modi, quo conditi ſunt, non miminerit, ſed tantum de Cœlis ac terrenis corporibus locutus ſit,

Cyril. lib. 3 & 4. cont. Julian.

ſit, adeoque Deus, ut ait, ſecundum Moſem, nullius *entis incorporei* conditor ſit. Aſt dico: Supponi iterum quod falſum eſt, Moſem nempe creationis *Angelorum* nequaquam meminiſſe; Capite enim 2. verſ. 1. operum Dei ἀνακεφαλαιώσει ſummatim inſtitutâ, exerte etiam de *Exercitu Cœlorum* loquitur, quem ad Cœli Empyrei perfectionem pertinere, ac Spiritus etiam Angelicos comprehendere, ſupra probavimus. 2. Conceditur tamen κατὰ τὸ ῥητὸν *Angelorum* mentionem ibi a *Moſe* non fieri; ſed vero non plane omitti mox dicendum eſt, quod ut ut non ipſis verbis, κατὰ τὴν διάνοιαν tamen enarratur. 3. Præterquam quod rationes allegari quoque poſſint non contemnendæ, ob quas placuit procul dubio *Moſi*, expreſſam *Angelorum* mentionem in Creationis Dei hiſtoriâ prætermittere. *Voluit Moſes* (inquit Chryſoſtomus) *ſilentio illo Hiſtoriam ſuam Judaorum ruditati attemperare, qui terreni & ſenſibilia ſapientes cum eſſent, rerum tantum* ſenſibilium *mentione ad cognitionem & cultum Dei inviſibilis adduci debebant.* Cui conformiter Mercerus: *Voluit* (dicit) *Moſes adſpectabilia tantum populo proponere, quæ omnibus nota ſunt, & vulgata, ne quis in univerſitate putaret, aliquid eorum, quæ cernuntur, eſſe non a Deo conditum & profectum. Quæ autem oculos & mentes hominum tranſcendunt ne attingere quidem, quod obſcura eſſent, nec hominibus planè nota.* Nec non Celeberr. *Hoornbeekius*, dum ait: *Cauſa tacitæ creationis Angelorum a multis indagatur, quæ tamen abſque ullo periculo ignoratur. Videtur autem, ſi quid dicendum, hoc fuiſſe, quod quia nec de Angelis proprie neque eorum gratia Scriptura data ſit, ſed de hominibus agit & ad homines, eoque eorum in eâ mentio rarius fiat, & non niſi obiter, ubi alia, quæ homines tangunt, id requirere videntur. Proinde in prima Sacri Libri hiſtoria noluerit nos Deus avocare ad eorum curioſius ſpeculandum creationem, ſatis habens, nos in inferiorum & noſtrâ contemplandâ creatione defigere.* Quibus gemina hæc Eruditiſſimi Turretini ſunt: *Scopus* (inquit) *Moſis fuit, Hiſtoriam* Eccleſiæ *texere, & ejus initium ab initio mundi repetere, ideo originem Mundi, ex quo Eccleſia originem ducit, delineare ſatis habuit,* de Angelis *etiam non ſilendo ſubinde, prout poſtulabat inſtituti in adornandâ Eccleſiæ Hiſtoriâ ratio.*

Chryſoſt. in Geneſ. Homil. 3

Mercer. in Geneſ. 2.

Hoornb. Socin. Confut. lib. 3. cap. 1.

Turretin. Inſtit. Theol. Elenct. p. 1. pag. 583.

VIII. Dilutum vero eſt, quod nonnullis placuit, etiam propter *Idololatriæ* periculum creationis Angelorum a *Moſe* mentionem omiſſam eſſe. Id enim ſi ſit, cur narrationem creationis *Solis*, *Lunæ*, *Quadrupedum* &c. etiam non omiſit, quum eventus docuerit,

Athanaſ. qu. 1. ad Anthiochen Martyr. in Geneſ. 1. 1. Theodor. qu. 2. in Gen.

cuerit, ea omnia tum Judæis tum Gentibus paratiſſimam Idololatriæ materiam ſubminiſtraſſe. Imò vero cur vel unquam apparitionum *Angelicarum* mentionem in Hiſtoriâ ſuâ fecit, cum idem ſemper *Idololatriæ* periculum permaneret? Et quid *Cherubim* ſuper Arcam qui nihil aliud fuerunt, quam *Angeli*? ſatiuſne certe fuiſſet, Iſralitis oſtendi, eos vere a Deo creatos eſſe, ne ut non creatos illos adorarent? Specioſius forte rationibus mox dictis hæc *Petri Martyris* conſideratio ſubnecti adhuc poſſet, quod ideo *Moſes* Angelorum creationem ſilentii ſipario velatam reliquerit, *quia, ſi primo ſcriberentur producti, Deus eorum opera poſtea videretur uſus, producendo alia*; ut *autem ſoli ei omnem producendi vim tribuamus, ideo id Moſes tacuit, ne ſuſpicaremur nos forſan eorum eſſe figmentum.*

Martyr. in Loc. CC. Claſſ. 1. cap. 12. §. 3.

IX. *Diem* creationis horum Spirituum quod attinet, vix certi quicquam deeo videtur aſſerendum, tametſi *duæ* ſe prodant opiniones reliquis probabiliores: *una* diem hexaëmeri *primum* illi aſſignans, quo Cœlum ſupremum creatum eſſe extra controverſiam eſt, cujus perfectionis partem in *Angelicis* etiam choris conſtitiſſe, non eſt negandum; in quam ſententiam & ego maxime inclino. *Altera* diem *ſextum* ſive Hexaëmeri *ultimum* ei attribuens, hâc nixa ratione, quod *Moſes* in Creationis narratione paſſim a creaturis ignobilioribus & imperfectioribus ad nobiliora & perfectiora procedat, Angelique citra dubium creaturæ ſint nobiliſſimæ & perfectiſſimæ. Cui accedit (ut putant qui ſententiam illam tenent) continuo etiam Moſem a viſibilibus ad inviſibilia perrexiſſe, prout Geneſ. 2. cap. inter res ſublunares creatas ultimo loco hominis *animam* etiam recenſet. Sed ficulnea hæc mihi videntur, ſi non falſa: Difficulter enim evicerit quiſpiam, ordinem hunc, qui præſupponitur, a *Moſe* in narratione ſua continuo eſſe obſervatum, niſi aſſerere auſit, etiam Cœlum Empyreum, quod omnium ſuffragio, *primo* die creatum eſt, creaturam eſſe ignobiliorem & imperfectiorem, omnibus iis aliis, quæ reliquis diebus creata ſunt. Cumque idem Cœlum Empyreum inviſibile etiam ſit, conſtat ſimul, non ſemper etiam hiſtoricum a viſibilibus ad inviſibilia in narratione ſuâ proceſſiſſe. Neque dici juvat, locum id habere in ſublunaribus tantum, non vero in aliis; nam quæ differentiæ ejus ratio fingi poteſt? & quomodo perceptibile eſt, diverſum plane hiſtoriæ ordinem filumque ſibi Moſem propoſuiſſe in iis deſcribendis, quæ *infra*, quam quæ *ſupra* Lunam ſunt?

X. Ver-

Digitized by Google

X. Verbum adhuc *de Quæſtionis* hujus *pondere:* quod mihi quidem nunquam tam leve viſum eſt, ac Viris quibuſdam cæteroquin doctiſſimis. Ego diſtinguendum reor inter quæſtionem de præciſo creationis *Angelorum* die, & quæſtionem de eorum creatione intra vel ante terminos Hexaëmeri, ſive, quod eodem redit, *ante jacta mundi fundamenta.* Quoad *priorem* quæſtionem parum puto referre, in quam quis ſententiam propendeat: at ſecus judicandum de *poſteriori.* Quum enim, ut ſuprà demonſtravimus, *ante jacta mundi fundamenta eſſe*, perinde ſit, ac *ab æterno* eſſe, Videre non poſſum, quin illi, qui ſtatuunt, *ante jacta mundi fundamenta* Angelos creatos eſſe, aſſerere etiam debeant, *ab æterno* eos extitiſſe. Saltem, utcunque illi conſequentiam illam non videant (prout tot Antiquos Patres eam non vidiſſe ex charitate judicare lubens volo) fluit tamen illa certo, ſi Scripturæ loquendi formulis inſiſtere velimus, ex eorum hypotheſi & opinione. At quis dubitet, quin periculo minime careat, tale quippiam affirmare, quo poſito creaturæ æternitas, licet non ex mente aſſerentis ex aſſertione tamen ejus, liquidâ ſequelâ inducitur, atque adeo omnia argumenta pro Filii Dei & Sp. S. divinitate, ab æternitatis attributo deſumpta, miſere emaſculantur? ut ex *Arii* exemplo liquet, de quo mox *Mercerus.* Errant etiam *Lutherani* quidam errorem (*ubiquitatem* corporis Jeſu Chriſti ſuſtinentes) ex quo certò & infallibiliter ſequitur, Chriſtum verum corpus humanum non habuiſſe, imò ne verum quidem hominem fuiſſe. At, licet illi erroris illius ſequelam non videant, nedum concedant, quis tamen inde inferat, errorem illum omni periculo carere, neque *offendere verbum pietatis*, ut de dictâ Veterum opinione loquitur *Theodoretus*, & ex ipſo Celeberr. *D. Rivetus*, loco mox citato? Non omnes quidem, fateor, admittendæ conſequentiæ ſunt, ſed ſolidæ tantum; neque omne id, quod qualicunque, certiſſimâ licet, ex placitis alicujus vel quartâ vel quinta emergit ſequelâ, ita ipſi mox adſcribendum eſt, quaſi profiteretur id ipſum, pro ſuaque adoptaret ſententiâ, abſit: Verum tamen cavendum etiam eſt, ne omnes ideo ex opinione alicujus reſultantes per juſtam conſequentiam errores negligendos vel flocci pendendos eſſe exiſtimemus, Quodſi enim conſequentia illa non uſque adeo remota vel longe petita, ſed proxima, perſpicua, primoque obtutu obvia ſit, ut hoc in caſu, vix certe a conſequen-

Rivet. in Gen. 1.

ſequente errore eum abſolveris, qui tale quid tenet, ex quo error ille tam dilucide conſequitur. Bene alicubi Theologi Neoſtadienſes: *Heretici* (inquiunt) *ſunt, qui verſantur in errore, qui vel apertè pugnat cum Religione, hoc eſt, præceptis Decalogi & articulis fidei, vel ex quo* ſequitur *partis alicujus fundamenti everſio.* Moralis quippe & peccaminoſus in errantibus defectus cum ſit, quod nec videant nec videre poſſint, quid periculi erronea ſua ſententia poſt ſe trahat, quo jure minui inde vel tolli plane periculum illud dixeris, quod cœci ſtupidique ſint, quos lynceos circa illud eſſe oportebat? Imo vero pejores ideo gravioreſque errores ipſi habendi ſunt, quod eo uſque poſſideant tranſverſaſque agant errantium mentes, ut eos ipſos non tantum non animadvertant, ſed & impedimento ſint, ne quanta qualiave ex iis ſecutura incommoda ſint, offendere poſſint. Appoſite Vir quidam Doctus, mihique dum viveret, amiciſſimus: *Etſi* (inquit) *conſequentia ex alicujus ſententia perperam cum ipſâ ſententiâ confunditur, quod iniquum inſuper eſt, cum conſequentia talis falſa eſt; tamen ſententia in ſe falſa & abſurda cum abſurdis præterea conſequentiis, legitimè & verè deductis, oneratur & urgetur, eo magis explodi meretur.*

Admon. Neoſtadienſ. de lib. Concord.

Wilhelm. de Philoſoph in Genere Diſp. 2. §. 19

EXERCITATIO V.

DE
LIBRI ESTHERÆ
DIVINITATE.

BREVIARIVM.

Liber Eſtheræ *quare inter* Canonicos *ſemper habitus? Genuinus ejus* Autor *quis? Locus Eſther.* 9. 20. 23. *explicatus. Liber* Divinus *&* Canonicus *ut differant? Verba a* Matthæo *cap* 27. 9. *ex* Jeremia *citata unde deſumpta? Libri Eſtheræ* Divinitas *a quibus in dubium vocata?* Melito *fruſtra a* Junio *excuſatus.* Huetius, *quoſdam ex* Ana-

Anabaptiſtis & Lutheranis *iis accenſens, qui Libro* Eſtheræ *divinam authoritatem detrahunt*, *notatus & refutatus*. *Libri* Convivalium Sermonum *perperam* Luthero *a Pontificiis adſcripti*. *Nulla* Dei, יהוה, Domini *&c. in libro* Eſtheræ *mentio*. *Quod* Divinitati *ejus nequicquam tamen obſtare oſtenditur*. *Nomen* יָהּ *an Deo proprium*? Coccejus & Salmurienſes *ad partes vocati*. *Canticum Canticorum* Domini, יהוה, Dei *nomine etiam deſtitutum*. *Ut & liber* Eccleſiaſtes *nomine* Tetragrammato. *Cujus utriuſque ratio redditur*. Canon *Scripturæ quis*? *De ratione, ob quam in libro* Eſther *nomen* Domini, יהוה, Dei &c. *non occurrat, probabilis conjectura*. Liber Eſtheræ *non contemtus*, *e contra eodem quo* Pentateuchus *loco ab Hebræis habitus*. Richardus Baxterus *notatus*.

I.

INdubium eſt, Librum hunc *ab* Orthodoxis ſemper inter *Divinos* & *Canonicos* habitum fuiſſe, & jure habendum eſſe; quum omnia in eum quadrent, quæ Scripti *Canonici* & *Divini* κριτήρια propriè ſunt. Scriptus eſt Hebraice; nihil continet vel ſibi ipſi vel Libris, ad *Canonem* pertinentibus, adverſum; ſemper ab Eccleſiâ Judaicâ *Canonicis* Libris annumeratus eſt; *Prophetam* denique vel Virum ſaltem *Propheticum* Autorem habuit. Qui licet forſan *Mardochæus* non fuerit, prout *Druſ. Obſerv. lib. 2. cap. 34.* aliqui ex Cap. 9. verſ. 20. 29. inferre volunt, quum illud הַדְּבָרִים *verba hæc*, quod ibi habetur, referendum potius videatur *ad* hiſtoriam internecionis hoſtium Judæorum, & inſtitutionis *Dierum Purim*, quam ad univerſam narrationem vitæ tum *Eſthericæ* tum propriæ; neque Vir aliquis Synagogæ Magnæ, nec *Joachimus* quidam, *Jeſu* Pontificis M. cum *Zerobabele* e Babyloniâ reverſi, filius, ut alii ſenſerunt; *Joh. Gerard. Loc. Theol. vol. 1. cap. 55.* fuit is tamen *Eſdras*, ut *Iſidorus*, *Salianus* aliique opinati ſunt; etiamſi in reliquis libris, ab eodem *Eſra* conſcriptis, ne ulla quidem *Eſtheræ* mentio inſtituatur. Factum enim procul dubio id eſt, quod peculiarem *Eſtheræ* hiſtoriam conſcribere in mente jam haberet, adeoque haud opus eſſe duxerit, alibi quicquam de Heroinâ illâ inſpargere. Pari modo ac in Libris *Judicum* *Salian. Annal. V. T. Volum. 5. pag. 112.* altiſ-

Digitized by Google

altiſſimum *Ruthæ* ſilentium animadvertere eſt, hanc ſolam ob cauſam, quod Hiſtoriæ vitæ ejus peculiari Libro a Sacro Scriptore reſervaretur.

II. *Dico*, Librum hunc ſemper inter *Divinos* ſive *Canonicos* ab Orthodoxis habitum fuiſſe; ex quo conſtat, eodem loco mihi hic venire *Divinum* & *Canonicum* eſſe, quæ diſtingui alias a Magnis Viris non ignoro; pro Codicibus ſacris ſive *Divinis* eos omnes habentibus, qui ab hominibus Propheticis vel Apoſtolicis divino afflatu; conſcripti ſunt pro libris vero *Canonicis*, illos, quorum divina non tantum immota eſt veritas, ſed qui Dei inſuper *Ordinatione* Scriptorumque *intentione* conſtituti ſunt, ut ad publicum Eccleſiæ *Canonem* Theſaurumque pertineant. Quo ſenſu non improbabile tum ducunt, multa etiam alia *Moſem*, *Eſaiam*, *Jeremiam*, *Paulum*, &c. ſcriptitaſſe, quæ, licet a *Divino* Spiritu profecta, libris tamen *Canonicis* non ſunt accenſenda, eo quod, ut Sacræ Scripturæ *Canonem* vel partem ejus facerent, neque a Deo neque a Scriptoribus ſuis deſtinata ſunt. Referunt huc *Henochi Prophetiam*, de quâ *Judas* Epiſt. verſ. 14. quodque de *Janne* & *Jambre*, qui *Moſi dicuntur reſtitiſſe*, Paulus allegat, 2 Tim. 3. 8. ac præcipue quidem Verba, quæ utut Matthæus cap. 27. 9. ex *Jeremia* citat, nullibi tamen in Scripto Jeremiæ *Canonico* inveniri poſſunt. Sic exertè de illis Origenes: *Suſpicor, errorem eſſe Scripturæ* (ſive ſcriptionis) *aut eſſe aliquam* ſecretam (ἀπόκρυφον) Jeremiæ Scripturam, *in quâ ſcribitur*, id ſcilicet quod a Matthæo adducitur. Neque minus clarè Hieronymus, dum ait: *Legi nuper in quodam Hebraico Volumine, quod Nazarenæ ſectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ* Apocryphum, *in quo hæc ad verbum ſcripta reperi.* Ita (inquam) diſtinguunt nonnunquam Theologi *Divinum* & *Canonicum*: aſt mihi idem hic ſonant, prout a multis etiam aliis ante me vocabula hæc promiſcue uſurpata ſunt. Quod notari velim ne λογομαχίαν committere videar, a quâ totus alienus ſum.

Junius in Num. 21. 14. & 17. & 27.

Gualt. de Bruyn. Diſputat. de Scriptur. N. T. part. 3. §. 1.

Rivet. Iſagog. ad S. Script. c. 6.

Lomejer. de Biblioth. pag. 48. Edit. 1.

Origen. in Matth. 27. 9.

Huet. part. 1. pag. m. 310.

Hieron. in Eund. Loc.

Ridder. Hiſtor. de Eruditione. pag. 587.

III. Utcunque ergo certum ſit, Librum hunc ſenſu, quo dixi, revera Canonicum eſſe, non defuêre tamen, qui divinitatem ejus olim oppugnarunt, ſaltem in dubium traxerunt. Hos inter, poſt *Judæos* quoſdam, eſt *Junilius* quidam, Epiſcopus *Africanus*, qui vixit, teſte *Bellarmino*, vel inclareſcere potius cœpit, Anno 545. Exhibitâ enim librorum S. Scripturæ, & imprimis Hiſtoricorum ſerie, inter eos hunc Librum non recenſet, imo verò cum pluribus aliis exertè eum excludit, nominatiſque reliquis dicit: *Nulli*

Junil. de Part. Div. Leg. cap. 3.

Bellarm. de Script. Eccleſ. pag. 166.

Digitized by Google

li alii Libri ad Divinam Hiſtoriam pertinent. Junilio adjungitur ab aliquibus *Melito*, Epiſcopus *Sardenſis*, qui M. Aurelii Imperatoris tempore floruit: Hic enim, miſſo ad *Oneſimum* Fratrem Librorum Divinorum Catalogo, nullam etiam mentionem Libri *Eſthera* injecit, quod indicio eſſe cenſent, paria ipſum cum *Junilio* feciſſe. Ut neque *Nicephorus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, *Scriptura Canonem* exhibens, verbum de eo addit; ſed, poſt recenſitos Geneſeos, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Joſuæ, Judicum, Ruth, Regnorum primi & ſecundi, Regnorum tertii & quarti, Prætermiſſorum primi & ſecundi Libros, ſequi facit, *Eſdra primum & ſecundum*, & poſt hos immediate *Libros Pſalmorum*. Eſt quidem, quod excuſare *Melitonem* qualitercunque nitatur Doctiſſ. *D. Junius*, diſtinguens inter Sacrorum librorum enumerationem κατὰ λεπτὸν, id eſt, *minutatim*, & συνεκδοχικῶς ſive craſsè, conſideratam; & exiſtimans inter alios, *Melitonem* ſynechdochicè tantum in Catalogo ſuo eſſe locutum, ſubque libri *Eſdra* appellatione libros *Nehemia* & *Eſthera* comprehendiſſe. Sed errat in eo Vir Doctus; nam, utcunque de *Nazianzeno* & *Athanaſio* dicere id forte potuerit, de quibus etiam agit; pro *Melitone* tamen id facere non poteſt, quippe qui, teſte *Euſebio*, ne ipſius quidem libri *Eſdra* mentionem aliquam facit. Meminit *Huetius* Anabaptiſtarum & Lutheranorum quorundam, quos Hiſtoriæ hujus *Divinitatem* convellere etiam dicit. *Mirari ergo*, (inquit) *ſubit, unde tanta* Anabaptiſtas *ac* Lutheranos *nonnullos veſania inceſſerit, ut commentitiam Hiſtoriam hanc ac* fictitiam *eſſe arbitrarentur*. Sed dubito, an bonâ ſatis fide *Vir Doctus* id dicat, quam liberaſſet ſane, ſi, quos ſpectat, Autores adſcripſiſſet. *Anabaptiſtas* quod attinet, reſpicit forte notiſſimum eorum errorem, quo non hanc tantum Hiſtoriam, ſed omnes V. T. Libros rejiciunt. At rejectio illa Librorum eorum αὐθεντίαν vel *divinitatem* non concernit, ſed doctrinalem tantum & moralem eorum uſum, quem ceſſare putant ſub N. Teſtamento. De *Lutheranis* dico, non mirum eſſe, evenire hic diſcipulis, quod Magiſtro ipſorum *Luthero* a Bellarmino etiam contigit, qui impegit ipſi, quod *Jobi* etiam Libro divinam authoritatem detraxerit, argumento e *Convivalibus* ejus *Sermonibus* deprompto, at ludicro plane & calumnioſo; cum neque Libri illius Autor unquam fuerit *Lutherus*, neque eo vivente vel approbante editus ſit. Et certè, ſi Bellarminus hunc *Luthero* errorem tribuere non detrectarit, quid obſtat

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. c. 26.

Niceph. in Hiſt. Tripartit.

Jun. Adv. Bellarmin. lib. 1. cap. 7.

Euſeb. loc. Cit.

Huet. Demonſtrat. Euangelic. part. 1. pag. mihi 317.

Bellarm. de Verb. Dei Lib. 1. cap. 5 7.

quo minus repudiatæ ab ipſo hujus Hiſtoriæ ſimul meminerit? Quinam proprie ſint, in quos digitum hic intendit *Huetius*, ſi ipſum *Lutherum* non deſignet, an atri an albi, ego quidem neſcio; hoc ſcio, principes ſaltem inter *Lutheranos* Doctores *veſaniæ* hujus reos non eſſe. Niſi forte univerſum *Eſtheræ* Librum rejici ab eis velit, quod ἐπιβλήματα ejuſdem pari apud ipſos reverentiâ, ac *decem* priora ejus capita, non habeantur. At quid magis *Lutheranis* (quo nomine deſignare ipſum puto omnes Reformatos) *veſaniæ* dicam tum ſcribit, quam *Hieronymo*, *Lyrano*, *Dionyſio Carthuſiano*, *Ariæ Montano*, *Johanni Driedoni*, quin, juxta nonnullos, ipſi etiam *Athanaſio*, *Nazianzeno* & *Sixto Senenſi*, qui plane ἰσόψηφοι hic ſunt? Rationibus, quibus *Junilius*, *Melito*, & ſi quiſquam forte alius ipſiſcum ſenſerit, pro ſententiâ ſuâ certant, excutiendis impræſens non inhærebo; ſed unicam tantum difficultatem, quæ vix de nihilo eſſe videtur, & ſcrupulum facile non levem contra dicti *Eſtheræ* αὐθεντίαν & Divinitatem injicere alicui poſſet, breviter enodabo. Si univerſam ergo *Eſtheræ* hiſtoriam, prout manibus noſtris teritur, volvas atque revolvas, totis ejuſdem *decem* capitibus ne ſemel quidem nomen *Dei*, *Jehovæ*, vel *Domini* tibi occurret; quod vix ſane perceptibile videtur, in tale ſcriptum cadere poſſe, quod Deum non tantum Autorem habet, ſed & hominum animas ad Deum perducere, iiſque tum fidei tum morum directorium eſſe oportet. Additur ab aliquibus, hanc ipſam ob cauſam tam indigne habitum fuiſſe *Heſteræ* hoc *Volumen*, מְגִלָּה (ita enim κατ᾽ ἐξοχὴν vocabatur hic liber) ut in terram illud projicere in more habuerint Hebræi, antequam id legerent; prout *Auguſtino* adſcribi notum eſt, quod *Ciceronis* abjecerit ſcripta, eò quod nomen *Jeſu* in iis non offenderet. Pauci, credo, e vulgo ad notabilem hanc *omiſſionem* ultro attenderunt, ut neque ipſe eam, licet multoties *Librum* hunc evolviſſem, obſervaveram, donec Commilito quidam diligentiſſimus, cum ſacris me ſtudiis jam devoviſſem, ejus indicium mihi faceret. Deprehendi tamen poſtea, a multis Viris Doctis annotatam eam eſſe.

Sixt. Senenſ. Biblioth. S. lib. 1. & 8.

Baxter de Ætern. Sanct. Quies part. 4. pag. m. 369.

Walæus in Locc. Comm. pag. 49.

Huet. Demonſtrat. Evang. p. 1. pag. m. 358.

Hottinger. Theſaur. Philolog. lib. 2. cap. 1. p. 404.

IV. At non uſque adeo perplexus nodus hic eſt, quin, re penſiculatius conſideratâ, extricari facile poſſit. A nemine enim, quod ſciam, exerta formaliſque nominis *Dei* vel יְהוָה, vel *Domini* expreſſio, in hoc vel illo libro occurrens, pro notâ *divinitatis* ejuſdem

ejuſdem habita unquam fuit; ſed ad ſacrum *Canonem* eum pertinere, adeoque θεόπνευστον eſſe, ex iis ſemper indiciis collectum eſt, quæ paulo ante memoravimus. Si enim ſic inferri fas ſit, Scriptum hoc vel illud non eſt *Canonicum*, imo ne quidem pro eſſentiali Divini Canonis parte habendum, quia expreſſum in ſe *Dei* vel יְהוָה nomen non habet, quid de infinitis Sacræ Scripturæ verſibus, periodis, parœmiis &c. tum fiet, quæ peræque expreſſo illo nomine deſtitutæ apparent? Certe ratio non ita habenda videtur *Divinorum nominum*, quam *divinarum rerum*; quas hoc in Libro non occurrere nemo aſſeret, niſi qui notorie falſus eſſe velit.

V. Imo quid de univerſo Salomonis *Cantico* tum fiet, in quo dubium non ſine ratione eſt, an vel unquam nomen Dei expreſſim etiam occurrat? Capite quidem 8. verſ. 6. obvia eſt vox יָהּ (habetur enim שַׁלְהֶבֶתְיָה, id eſt, *flamma divina*, ex verſione *Junii* & *Tremellii*) ſed incertum eſt apud Philo-Hebræos, an illud יָהּ (ut nonnullis placet) ex voce יְהוָה decurtatum quidem ſit, nomenque Deo proprium ſemper ſignificet; expreſſe ſaltem id negat Clariſſ. *D. Coccejus*, oppoſitumque ejus variis evincere argumentis ſtudet: hoc inter alia, quod nomen hoc יָהּ aliis Dei nominibus jungatur, imò & ipiſſimo nomini יְהוָה ut Eſ. 12. 2. וְזִמְרָת יָהּ יְהוָה & cap. 26. verſ. 4. Qui Vir Magnus ſi non erret (ut temere aſſerendum non eſt, cum judicio ipſius, ſi ullibi, ſaltem in *Philologicis* nihil non tribuendum fere ſit) ergone & totum illud *Canticum*, cætera nil niſi cæleſtia & divina ſpirans, e Librorum Divinorum & *Canonicorum* numero erit exterminandum? Sic certe non ſentiunt Hebræi, qui, dum reliquos Scripturæ Libros *Sanctos* dicunt, hunc קדש קדשים, id eſt, *Sanctum Sanctorum* indigitant. In *Cantico* hoc Rex Salomo figuris, ſimilitudinibus, & ænigmatibus involvere omnia voluit, ſub nuptiis externis cœleſtem deſcribens & ineffabilem *Christi* cum Eccleſiâ ſuâ communionem, amoremque eximium; atque in hac parabolâ perſiſtere volens, nuſquam ab eâ toto libro diſceſſit. Qui itaque Divino ſpiritu afflati, non oſcitanter hæc legerent, percipere facile poterant, *Sponſi* nomine vel *Deum*, juxta Hebræos, vel, juxta Chriſtianos, *Chriſtum* ejus Filium ſignificari; adeoque expreſſam τοῦ יְהוָה mentionem neceſſariam non eſſe.

Coccej. in Lexic. pag. 284. Et in Summ. Theolog. cap. 9. §. 16.

Idem in Cant. 1. verſ. 1.

Polan. Syntagm. lib 1. cap. 32. p. m. 149.

Eo magis, quod nomen hoc *terrorem* incutere ſoleat, cum liber hic ad *amorem* excitandum & fovendum compoſitus potius ſit.

VI. Ne de Libro *Eccleſiaſtis* addam, in quo licet nomen האלהים & אלהים quidem occurrat, nomen tamen Tetragrammaton יהוה, quod ſolum verum Deum indicat, non magis, quam in hoc & *Canticorum* libro, invenitur; neque tamen quiſquam Libri illius divinitatem in dubium ideo vocavit. Tametſi enim nomine Dei proprio deſtitutus ſit, *ſatis tamen in eo* (verba ſunt Merceri) *oſtendit Salomon, quid de Deo ſenſerit, cum ejus metum & judicium toties inculcat, & librum ad extremum claudit pulcherrimâ & graviſſima illâ ſententiâ cap. 12. verſ. 15.* Finis verbi totius auditus eſt, Deum time & mandata ejus ſerva, quia hoc eſt omnis homo, ſive officium omnis hominis. *Quid vero refert, etſi nomen Tetragrammaton non expreſſerit, quum toties alioqui & tam aperte ac notanter Dei mentionem faciat? forſan ideo, quia eum Librum non Iſraelitis tantum ſed & omnibus gentibus ſcribebat, ut eas a rerum omnium mundanarum vanitate ad Deum avocaret, quibus nomen* יהוה *non ita notum erat & familiare, ut Iſraelitis.*

Mercer. in Præf. ad Cantic.

VII. Quapropter notandum tantum eſt, & mox evaneſcet difficultas, quod *D. D. Salmurienſes* obſervarunt: ſcil. *Scriptura Divina corpus univerſe conſideratum diſtingui debere ab ejus particulâ aliquâ, quæcunque tandem illa ſit, præciſe in ſe conſiderata. Illa enim tota propriâ luce ſplendet, & ſibi conciliat authoritatem ex infinitis notis, quibus originem ſuam arguit: hæc fortaſſe non ita, ſpeciatim ſpectata & ſeparatim, ſplendida eſt, ſed ſibi authoritatem* ex *toto mutuatur.* Adeo ut *Canonis* S. Scripturæ ratio proprie ſita non ſit in unoquoque ejus libro *ſeorſim*, ſed in omnibus ejus libris *conjunctim* in uno quaſi corpore conſideratis. E. G. Epiſtola ad *Philemonem*, Epiſtola *Judæ*, Epiſtola *Jacobi* &c. mihi proprie pro *Canone* non ſunt habendæ, ſed pro partibus tantum eſſentialibus & integrantibus illius complexi, quod pro fidei vitæque *Canone* datum mihi eſt. Si autem jam in *univerſo* hoc complexo *nomen Dei* exertim non occurreret, res ſane majoris periculi foret: At quid multum refert, utcunque forſan in hac vel illâ ſingulari ejus parte non occurrat? V. G. in verſu *primo* Pſalm. 1. *in octo* prioribus verſibus 3. cap. Matthæi, nec in hoc *Libro Eſtheræ*? dummodo in aliis partibus coëſſentialibus, quæ ſimul ſumtæ *Canonem* conficiunt, expreſſe ſatis inveniatur.

Salmur. part. 1. pag. 139.

VIII. Ut

VIII. Ut neque anxie nimis inveſtiganda ratio videtur, ob quam omnium rerum Dominus & Arbiter Deus *Librum* hunc excellentiſſimo ſuo nomine deſtitutum voluerit: parum enim id vel nihil potius ad fidem pietatemque facit; rem ſe ita habere, in propatulo eſt, aſt cur ita ſe habeat, ſine periculo latet, docteque pieque ignoratur. Tametſi neque de nihilo videri poſſit ratio, quam Cl. *Hottingerus* allegat, dum ideo eſſe id cenſet, quia Eſtheræ *hac Hiſtoria in uſum populi magnam partem tranſlata fuit ex Chronicis Regum Perſiæ, ad narrationis fidelitatem.* At quis in Gentium illis libris ipſum Dei *nomen* obvium ſæpe fuiſſe exiſtimet? imo quis non credat potius, eo plane deſtitutos illos fuiſſe?

Hotting. Theſ. Philol. Pag. 488.

IX. Tam procul itaque abeſt, ut Hebræorum ullus, ob nomen *Dei* vel יְהוָה in *Libro* hoc non inventum, divinorum Codicum catalogo eum eliminârit, ut communi potius *Rabbinorum* effato (teſte eodem *Hottingero*) inter *Hagiographa* relatus non tantum, ſed & pari loco cum ipſâ *lege Moſaicâ* habitus ſit. *Omnes libri* (refert e Magiſtris) *Prophetici & Hagiographi abolebuntur diebus Meſſiæ, excepto libro Eſther, qui æque ſtabilis eſt, ac Pentateuchus &* Lex oralis, *quæ nunquam ceſſabunt.* Ipſa *Maimonidis* verba exhibet *Wilhelmus Schikartus*, qui videndus. Imò cum ſcrupuloſiſſimi ſemper eſſent Hebræi, ne præceptis Moſis 365. *negativis* & 248. *affirmativis* quicquam adderent, lectionem tamen *Megillæ*, id eſt, *Libri Eſtheræ* eis adjecerunt, imo, juxta nonnullos, eam quidem ſolam. Ita *Raſ. Alfes* apud eundem Schikartum. *Tradunt Magiſtri noſtri,* 48 *Prophetæ ac* 7 *Prophetiſſæ vaticinati ſunt Iſraeli; nec minuerunt quicquam aut addiderunt, ad id quod ſcriptum eſt in Lege, ne unicam quidem literulam, præter lectionem hujus Megillæ:* nempe (ut dixi) hanc ſolam honore illo dignati ſunt. Quocum quî conveniat, quod de *Libri* hujus, antequam legeretur, projectione apud Judæos uſurpatâ, ex *Baxtero* mox attulimus, fateor me non videre.

Huet. Demonſtrat. Evangel. tom. 1. *pag. m.* 358.

Schikart. de Feſto Purim. in Not. §. 3.

Digitized by

EXERCITATIO VI.
DE
EUNUCHIS.

BREVIARIUM.

Tractatio de Eunuchis *quo jure ad* Theologos *etiam pertineat* ? *Voces* סָרִים סָרִיסִים , ἐυνȣ̂χος. Poſtrema *unde derivata* ? Eunuchus & Spado *quomodo differant* ? Eunuchi *vel* proprie *vel* improprie *dicti*. Hi *iterum vel* dignitatis *vel* devotionis. *Locus Matt.* 19. 12. *illuſtratus*. Valeſiorum *ſecta qualis* ? *Caſtratio* Origeniana. *Rationes, quæ eo ipſum impulerunt*. *A* Demetrio *Alexandrino damnata*. Leontius *ob ſui* evirationem *Preſbyterio ejectus*. Origenes *e contra ad Epiſcopatum evectus* ? *Ordinationis illius excuſatio apud* Canoniſtas *frigida*. Hierophantæ *qui*? Anaſtaſius, *Epiſcopus Nicænus*, *laudatus*. *Loci. Matt.* 19. 12. *Papiſtarum παρερμηνεία*. Eunomianorum *erroribus an* Eunuchiſmus *etiam accenſendus*? *Locus e conſtitutionibus* Cod. Theodoſiani *vindicatus*. Ἰσόπȣς, ἰσὸς, ἰσοπίδη *quid* ? *Eunuchorum proprie dictorum inſcriptiones variæ*. *Eunuchi* nati & facti, Solis & hominis *qui* ? *De Eunuchiſmi* origine *diſcrepantes ſententiæ*. *Quæ ad* Semiramidem *Aſſyriorum Reginam*, *vel* Chamum *Noachi filium*, *vel* Perſas *eam refert*, *rejecta*. *Quæ ad* Attidem, *venuſtiſſimum inter Phryges puerum*, *ut probabilior recepta*. *Quiſnam* Attys *is fuerit quæſtio obſcura*. Servius *ad partes vocatus*. *Male ab Huetio* Moſes *ex Attide factus*. *Tota de eo hiſtoria in* Fabulam *vel* Allegoriam *a quibuſdam verſa*. *Omnes*

Digitized by Google

nes ſacerdotes Cybeles in Attidis memoriam exſecti. Vrbs Hieropolis quæ? In quâ eviratio Sacerdotum Cybeles fere inſtituta. Non ſemper eodem inſtrumento hac ſacta. Γάλλως τι τίμνεις quid? Cybeles Sacerdotum denominationes variæ. Vnde Galli dicti? Hieronymi decumana hic hallucinatio. Herodianus & Stephanus laudati. Gallare apud latinos quid? Hebræorum de Gallis, a voce גל & גלה denominatis, conjectura exploſa. Archi-galli qui? Mores eorum in ſacris Cybeles uſurpati. Atys an a ſe ipſo an ab aliis exſectus? Mulieres Eunuchæ. Harum primus Autor quis? Ipſi Cybeles Sacerdotes Gallæ dicti. Voſſii de eo judicium. Eunuchorum multiplex apud Antiquos uſus. Haud tuto Mulierum cuſtodia iis commiſſa. Ad exercendam Venerem non ſunt plane inepti. Scaliger, Buſbequius, Smithæus ad partes vocati. Exſectio in ſtupri vel adulterii pœnam nonnunquam adhibita. Vt etiam ad maculam violatæ in mulierum cuſtodiâ fidei eluendam. Combabi exemplum huc pertinens. Caſtor unde hoc nominis ſortitus? Proprios teſticulos, ne capiatur, non devorat. Exſectio Chriſtianis ſemper inviſa. Dolores ejus acerrimi. Plutarchus notatus. Averſabilis ejus fœditas ex Auguſtino adſtructa. Eunuchi cur probro paſſim expoſiti? Eunuchi occurſus olim ominoſus. Eunuchi a quibuſdam in pretio habiti. Pœnæ in ſui ipſius eviratores decretæ. Injuſte, qui nullâ ſuâ culpâ Eunuchi ſunt, contemtim habiti. Juris Canonici ἐπιείκεια laudata. Tigrius & Dorothæus, utut Eunuchi, ad Sacra munia tamen admiſſi. Eunuchi cur Arianis plus juſto olim addicti? Eorum juxta nonnullos prærogativæ. Specus Hieropolitana. Juvenalis illuſtratus. Cur ad Muſicam vocalem aptiores Eunuchi quam alii? Potiphar, Eunuchus Pharaonis, non fuit exſectus. Theodoretus & Fracaſtorius notati. Objectio diluta. Exſecti apud Perſas, Ægyptios, Hebræos etiam

uxo-

uxorati. Locus Geneſ. 41. 45. *vindicatus.* Eunuchus *Reginæ Candacis qualis?* *An* primus *ſit, qui Æthiopibus doctrinam Evangelii annunciavit?* *An verè* exſectus *fuerit?* Nazianzenus *pulſatus.* *Vox ἀνὴρ non ſemper ſexus diſcriminativa.* Daniel *an* Eunuchus *fuerit?* Hebræorum *de hoc error. Loca Eſ.* 39. 7. *& Dan.* 1. 3. 9. *vindicata.* Hieronymus *taxatus. Verba Ezechielis cap.* 14. 14. Hebræorum *hypotheſi perperam oppoſita. Lex Deuter.* 23. 1. *de* Exſectis in Congregationem Jehovæ non admittendis *explicata.* Ingreſſus in Congregationem Jehovæ *quid?* Exſecti *cur temerè ad* matrimonium *non admittendi?* Eunuchi *non ſemper ad* agenda publica *aliis ineptiores. Quod tum* Xenophontis *verbis, tum* Phileteri Thyanenſis, Narſis Eunuchi, Poſidis, Claudii *liberti exemplis comprobatur.* Salmuthus *notatus. Ratio vera, ob quam* Eunuchi *ad* munia publica *non admiſſi. Loco Eſ.* 56. 3. *lux addita.* Eunuchi *apud ipſas* Gentes a regimine *nonnunquam remoti.* Allegorica *legis hujus interpretatio exploſa. Remotio hæc a Congregatione Iehovæ* Politica *tantum fuit, non moralis.* Eunuchi *a peragendis* Sacris *juxta Legem non excluſi. Loci Exod.* 12. 48. *Levit.* 22. 18. *Num.* 9. 14. *elucidati.* Lex *hæc ceſſare quando cœperit?*

I.

TAmetſi ad *Jure-Conſultos* & *Medicos* propriè pertineat Tractatio *de Eunuchis*, non dubitandum tamen, quin & *Theologorum* aliquatenus ſit; in quantum nempe verbum Dei, cujus interpretes ſunt, *tum* in Veteri *tum* in N. T. non ſemel eorum meminit. In *Veteri* loquitur de iis Deus Gen. 37. 36. ubi Potiphar vocatur סְרִיס פַּרְעֹה *Eunuchus Pharaonis*, item 1 Chron. 28. 1. 1 Reg. 22. 9. 2. 2 Reg. 8. 6. Eſth. 1. 10. 12. & 44. In *plurali* סָרִיסִים vel in ſtatu contructo סְרִיסֵי Eſ. 39. 7. Geneſ. 40. 7. Addunt nonnulli locum 2 Reg. 18. 17. ubi inter Aſſyriorum Regis aulicos *Rabſaris* quidam nomina-

Digitized by Google

minatur; quam vocem alii *appellative* ſumtam malunt, compoſitam ex רַב & סָרִים q. d. Ἀρχιευνοῦχον, id eſt, Magiſtrum ſeu *Principem Eunuchorum.* Prout & ſunt, qui סָרִים ſimpliciter per רַבָּא id eſt, *Principem*, vertunt. In *Novo teſtamento* loquitur de iis Chriſtus apud *Matthæum*, cap. 19. 12. Εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, *ſunt enim Eunuchi.* & *Lucas* Act. 8. 27. Ἀνὴρ Αἰθίοψ εὐνοῦχος, *Vir Æthiops Eunuchus.*

II. סָרִים derivatur a voce סָרֵם quod eſt *caſtrare*, *evellere*, *extirpare.* Uſurpatur etiam de *infantibus*, qui non recto & ordinario modo, ſed inverſo ex utero materno egrediuntur, veluti pedes primum emittendo, aut obliquè manus emittendo, ſive aliter. Hæc in propatulo ſunt. Majoris difficultatis eſt, unde vox εὐνοῦχος originem traxerit. Sunt, qui eam derivant ab εὖνις ὀχείας; εὖνις eſt *privatus*, hinc εὖνις eſt *viduus* & *vidua*, ὀχεία autem συνουσίαν ſignificat. Alii ab εὖ, νοῦς & ἔχω deducunt, quod, ut putant, *bonæ mentis ſint Eunuchi.* Epiphanius ab εὐνοεῖν eam arceſcit*, quia *Eunuchi* benivoli ſunt, & fidem Dominis ſuis ſervare didicerunt. *Petrus Comeſtor* (inquit Eraſmus) *Eunuchos interpretatur bene vincentes*, ab εὖ *bene* & νίκη, *victoria*, quod *ſit ſumma victoria.* Communiſſime derivatur, & bene quidem, ab εὐνὴ *cubile* & ἔχω *habeo*; ſic ut *Eunuchus* nihil aliud ſit, quam *cubilis cuſtodiam habens.* Quæ cura cum *caſtratis* olim & eviratis apud varias Gentes præcipue demandaretur, factum eſt, ut vocabulum hoc ad eos denotandos *ordinario* adhibitum ſit. Unde & verbũ εὐνουχίζειν poſtea ortum, quod *evirare* & *caſtrare* ſignificat; et vox εὐνούχιον lactucæ quoddam genus denotans, ſuapte naturâ latum & caule viduum, quaſi *Spadonum* dixeris, quoniam *veneri* maxime refragatur.

Buxtorf. Lex. Talmud. p. 1553

Euſtathius.

Forſter. Lexic. Hebraic. pag. 559.

Eraſm. in Matt. 19. 12.

Epiphan. Hæreſ. 57.

Gualtper. in Matt. 19. 12.

III. Inveniuntur, qui vocem סָרִים non tantum per εὐνοῦχον ſed etiam per σπάδωνα, ſive, ut latinè dicimus, per *Spadonem* interpretantur. Ita LXX. ad Gen. 37. 36. & Eſ. 39. 7. Licet alii *Eunuchum* & *Spadonem* multum differre putent; quos inter eſt *Lucianus* in Dialogo, cui *Eunuchi* nomen dedit: introducit enim ibi *Dioclem* dicentem, *Eunuchorum* conditionem *viliorem eſſe*, *quam* Spadonum, *quia Spadones venerem aliquando experti ſunt*, *unde viri aliquando eſſe videntur: Eunuchi vero nunquam tale quid experti*, *quia*, *vel ſi nati vel ante* puber-

Lucian. in Dialog. Eunuch.

Digitized by Google

pubertatem exſecti, nunquam in virorum cenſu adnumerari potuerunt. Aliis videtur generalius nomen *Eunuchi*, quam *Spadonis* & *caſtrati*, eo quod *Eunuchum* quem eſſe poſſe judicent, qui neque *Spado* proprie ſit, neque *caſtratus*. Paulus Zachias, Medicus Romanus, *in Quæſtionibus Medico-Legalibus* putat, ſtricte *Eunuchi* vocem ſumendam eſſe, ſic ut nemo alius per eam indicetur, quam qui ſine teſtibus natus eſt: licet nihil ſe morari aſſerat, ſi quis ad id nominis extendi etiam velit, qui ante pubertatem exſecti ſunt. *Johannes Gerardi* in hoc *Eunuchorum* a *Spadonibus* differentiam collocat: quod *illi* membris genitalibus in totum vel ex parte orbati ſint, *hi* vero iis quidem ſint præditi, verum contortis ſive mutilis, vel ob vitium aliquod ſanabile, vel faſcino vel veneficio aliquo ita illigati, ut generare non poſſint. Neque alienum id videtur: Cum enim vox σπάω, a quâ *Spado*, non ſolum pro *detorqueo* & *contorqueo* a Græcis accipiatur; unde & σπασμὸς, morbus apud medicos, ἀπὸ τοῦ σπᾶν, a *contractione* & *contortu*; recte concluditur *Spadonum* appellationem adeo generalem eſſe, ut non eos tantum, quibus χρεμαστῆρες extracti ſunt, quales proprie dicti *Eunuchi*, ſub ſe comprehendat, ſed omnes etiam illos, qui *colliſi* & *contuſi*, atque adeo ad procreandos liberos viri munia obeunda inepti ſunt; ſive, ut loquitur Scaliger, *quibus meatus ſeminis eſt contortus.*

Claud. Cotoræus de Jur. Milit. lib. 1. cap. 13. *Leich. Crit. Sacr. part. 1. pag. 162.* *Salmuth ad Panciroll. L. 1. tit. 45.* *P. Zachias. Quæſt. Medico-Leg. lib 2 Tit. 111.* *Joh. Gerard. Locc. Theoll. Tom. 7. pag. 123. 6.* *Scalig. adv. Cardan. Ex. 277. §. 4.*

IV. Nos quod attinet, ſepoſitâ de Vocum *Eunuchi*, *Spadonis*, *Caſtrati*, *Thlibiarum Thladiarum* ſeu *Thlaſiarum*, *Ectomiarum* &c. vitilitigatione, ex Scripturæ ſenſu *Eunuchos* eſſe putamus vel *impropriè* vel *proprie* dictos. Ac *impropriè* dictos iterum eſſe vel *Dignitatis* vel *Devotionis*. *Dignitatis* Eunuchos dicimus, quibus Reges olim in ſui famulitio utebantur, prout, prout *Bigthan* & *Teres*, duo *Eunuchi* סָרִיסִים Regis *Ahaſueri* erant. Eſth. 2. 21. & alii סָרִיסִים aliorum Regum, ut mox diximus. Ac ita paſſim qui Regum tum publicis tum privatis rebus præerant, præſertim ſi interioris admiſſionis eſſent, *Eunuchorum* nomine apud *Perſas*, *Ægyptios* aliaſque Gentes veniebant. Cujus hanc rationem dat *Xenophon* in Inſtitutione *Cyri* quia οὐδένες πιστότερα ἔργα ἐπιδείκνυντο ἐν ταῖς δεσποτικαῖς συμφοραῖς τῶν εὐνούχων, id eſt, *nulli alii magis ſpectata fidei facinora deſignarunt in dominorum ſuorum calamitatibus, quam Eunuchi*, ubi varias

Xenophon de Inſtit. Cyr. lib. 7.

varias etiam tum in *antecedentibus* tum *in conſequentibus* allegat cauſas, ob quas conſultum duxit, plus iis, quam aliis miniſtris fidere. Dicebant forte hinc *Perſæ* Spadonem *Bagoas*; a quâ voce hodiernnm vocabulum *Page* derivat *Boxhornius*, quod *miniſterium aulicum* ſignificat. *Fuit conſuetudo apud Antiquos* (inquit Eucherius) Eunuchos *vocare cubicularios* & *Cuſtodes Palatii*, *qui uxores habebant*, *& abſciſſi corpore non fuerunt.* Et Theodoretus: *Eunuchi vocantur non ſoli ſecti*, *ſed etiam*, *qui inter famulos ſunt benivoli Poſſeſſoribus.*

Eucher. in Libb. Regg. *Boxhorn. in Tacit.* *Theodoret in Geneſ.*

V. De Eunuchis *Devotionis* agit ſervator Matt. 19. 12. *tria* ibi eorum genera memorans, quorum *ultimum* eorum eſt, qui huc pertinent, adeoque *ſpiritu* tantum, ac per conſequens non niſi tropicè *Eunuchi* nuncupantur. Καὶ εἰσὶν εὐνοῦχοι, (inquit) οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν: *Et ſunt Eunuchi*, *qui ſe ipſos caſtrarunt propter regnum cœlorum.* Apud quos nempe voluntas in ordinem per gratiam Dei redegit libidinem, quique licet manerent facultate generandi vegetâ, perpetuam tamen ſibimet ipſis, venerearum rerum votivâ abdicatione, caſtitatem ſingulariter indixerunt, quo ſervire Deo abſque remoris valeant. Sed vero verbis hiſce Chriſti, non multo poſt Apoſtolorum tempora, non pauci turpiter abuſi ſunt, dum ad litteram *caſtrationem* eam accipientes, ſuperſtitione inſana, ſe ipſos abſcindere cœperunt, ut ſcil. regnum Cælorum melius promererentur; Epiphanius *ſectam Eunuchorum* ſive *Valeſios* eos indigitavit. Quos ſeculo *tertio* ſecutus eſt ipſe *Origenes*, qui, peſſimo exemplo, ſe ipſum exſecuit, ut *liberius in occulto poſſet prædicare tempore perſecutionis mulieribus*, ut habet *Gloſſa*. Mirabile magni Doctoris inſtitutum! quod, cum univerſam pene Scripturam in *Allegorias* vertere ſolitus eſſet, unum hoc fere Servatoris verbum, *ſunt* Eunuchi, *qui propter Regnum cœlorum ſe ipſos caſtrarunt*, κατὰ λέξιν ſumendum duxerit. Addunt alii, eviraſſe ſe Origenem, *ne moleſtam ſibi nimis venerem experiretur*. At quidni, ſi hoc intendit, *Hierophantes*, Athenienſium Sacerdotes, potius imitatus eſt, qui ſolâ cicutæ ſorbitione ſe caſtrabant, quo caſtius in Sacerdotio ſuo verſarentur; ita ut (inquit Hieronymus) *poſtquam in Pontificatum electi eſſent*, *viri eſſe deſinerent.* Perſpicue de inſtituto hoc Origeniano *Euſebius Cæſarienſis* hunc in modum: τὸ γὰρ εἰσὶν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρα-

Chryſoſtom. in Matth. Homil. 62. *Theodor. & in Epit. Divinor. Decretorum cap. 24.* *Gregor. Nazianzen. Orat. 31.* *Epiphan. Tom. 1. lib. 2. pag. 230. 231.* *Alexand ab Alexand lib. 4. c. 17.* *Hieronym. lib. 2. adv. Jovinian*

 νῶν,

νῶν, ἁπλούστερον καὶ νεανικώτερον ἐκλαβὼν, ὁμοῦ μὲν σωτήριον φωνὴν ἀποπληροῦν οἰόμενος. Ὁμοῦ δὲ καὶ διὰ τὸ νέον τὴν ἡλικίαν ὄντα, μὴ ἀνδράσι μόνον, καὶ γυναιξὶ δὲ τὰ θεῖα προσομιλεῖν. ὡς ἂν πᾶσιν τὴν παρὰ τοῖς ἀπίστοις, αἰσχρᾶς διαβολῆς ὑπόνοιαν ἀποκλείσειε τὴν σωτήριον φωνὴν ἔργοις ἐπιτελέσαι ὡρμήθη. id eſt, *Nam cum verba illa*, ſunt quidam *Eunuchi*, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, *ſimplicius ac juvenilius accepiſſet, partim ut Servatoris noſtri Verbum adimpleret, partim ut omni obſcœni rumoris & calumniæ occaſionem infidelibus adimeret, eo quod ipſe ætate juvenis, non ſolum viris ſed & fœminis divina fidei præcepta tradebat, dictum Servatoris reipſa exequi adortus eſt.* Quod celeberrimi Doctoris factum tot quoque alios in eandem pertraxit dementiam, ut Patres Concilii *Nicæni* Canonem condere neceſſe habuerint, quo, a ſeipſis abſciſſos ſive caſtratos religionis ergo, a clero Eccleſiaſtico arcendos eſſe decreverunt. Cui & conſonum quod in Canonibus Apoſtolicis *Pſeudo-Clemens* habet, dum dicit: ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ γινέσθω κληρικός: αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός: *Qui ſibi ipſi virilia amputavit, clericus non efficitor, ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi Dei.* Sicut hanc ipſam ob cauſam *Leontium* presbyterio privatum fuiſſe refert *Socrates* Λεόντιος ἡνίκα πρεσβύτερος ἦν, ἀφῃρέθη τῆς ἀξίας, ὅτι τῶν γεννητικῶν ἐξέτεμεν ἑαυτὸν. Leontius, *cum presbyter eſſet, eo dignitatis gradu privatus eſt, quod genitalia ſibi exſecuiſſet.* Cui tamen canoni & praxi quum e diametro oppoſitum ſit hoc *Origenis* exemplum qui, poſt evirationem ſui, apud Cæſariam Sacerdos tamen factus eſt, haud alio colore id excuſat *Gloſſa*, quam id & ſimilia ad *conſequentiam non eſſe trahenda.* Condemnavit nihilominus ordinationem illam *Demetrius*, Epiſcopus *Alexandrinus*, Euſebio & Epiphanio teſtibus; prout multi etiam ex *Patribus*, eo quod *Exſectos* rebus admoveri Eccleſiaſticis deprehenderent, graviter ſæpe queſti ſunt: ſic *Nazianzenus*, *Baſilius*, alii. Tantum abeſt, ut caſtrationem *Origenis*, factum ſane (ita cruentam illam in proprium corpus ſævitiam vocat *Chryſoſtomus*) ἐσχάτης παρανομίας καὶ σατανικῆς παραπληξίας, *ſummæ iniquitatis & diabolicæ dementiæ*, ullo modo vel probaverint vel palliaverint. Et quanto non jure? quis enim non miſeros tantum ſed & amentes pene homines dixerit, qui mentem pudicam ex geni-

Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. cap. 8.

Clem. in Canon. Apoſt. c. 21.

Canon. 1. Concil. Nicæn.

Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 21

In Canon. part. 1. diſt. 55. c. Clericus.

Euſeb. Loc. Cit.

Nazianz. Orat. 21.

Baſil. Cæſar. Epiſt. 87

Chryſoſt. in Gal. 5. 12

Epiph. Hæreſ. 64.

nitalium exſectione comparare ſibi allaborarunt? *Non enim* (verba ſunt Anaſtaſii Epiſcopi Nicæni) *ob temperantiam laudare oportet eos, qui genitalia membra ſibi amputant. Neque enim equos laudamus, ut qui cornu non petant, ſed laudabimus, ſi non ita petant calcibus. Non enim eo, quod non poteſt aliquis, ſed in eo, quod cum poteſt, poteſtate non utitur ad injuſtitiam, habetur in admiratione.* Poſt *Origenem* vim verbis Chriſti etiam faciunt Pontificii, dum perpetui cælibatus votum cudere ex iis ſatagunt: cum jus hic non referat Servator, ſed nonnullorum tantum facta, quę legem non faciunt. Digitum enim procul dubio intendit in ſui temporis *Eſſenos*, *Anachoretas* & *Therapeutas* (addit Ravanellus *Phariſæos*) qui, religionis & majoris ſanctitatis prætextu, perpetuam ſibi ipſis continentiam imperitabant, licet intus libidinibus arderent; quidam ſaltem eorum *decennium* aut *Octennium* aut *quadriennium* virginitatis ſibi præſcribebant, ut ratione illâ vitam æternam certius promererentur. Neque laudat Chriſtus illud inſtitutum, ſed ſimpliciter tantum commemorat, prout duo priora *Eunuchorum* genera etiam tantum refert, minime commendat, aliiſque in exemplum proponit. Imo diſtincte quidem monet, ut qui *capere poteſt* ſui caſtrationem ob regnum cœlorum, id eſt, cælibatum voluntarium, ex voto continentiæ divinitus ſibi conceſſo, *capiat illud*, & cælebs maneat; minimè vero omnibus & ſingulis cælibatum, ut eminentiorem perfectionis gradum, præſcribit, ut Papa omnibus ſuis cucullatis facit. Appoſitè *Eraſmus*, dum ait. *In quâ claſſe ponemus eorum genus, qui vel arte vel metu detruduntur in cælibatum, ut ſcortari liceat, uxorem ducere non liceat, adeo ut, ſi profiteantur concubinam, ſint Catholici Sacerdotes, ſin uxorem ducere malint, conjiciantur in ignem. Meâ ſententia clementius tractarent parentes ſuos liberos, ſi quos cælibatui deſtinaſſent pueros etiamnum curarent exſecandos, quam ſi integros nolentes aut neſcios conjicerent in hoc incendium libidinis.*

Anaſt. Quæſt. in S. Script. Qu. 79.

Ravanell. Bibl. p. 1. p. 547. b.

Joſeph. de Bell. Jud. lib. 2. c. 6. 7.

Epiphan. Hæreſ. 15. 16.

Eraſm. in Matt. 19. 12.

VI. Sunt, qui erroribus *Eunomii* Hæretici, Epiſcopi Cyziceni (non ſub *Valente* Auguſto, ut Socrates & Sozomenus volunt, ſed ſub *Imperatore* Conſtantio) Eunuchiſmum vel *Spadonatum*, religionis ergo ſuſceptum, etiam annumerant; ſed manifeſto, quantum mihi videtur, errore: *tum* quod *Epiphanius*, *Baſilius*, *Theodoretus*, *Nyſſenus*, qui luculenter alias contra *Eunomium* ſcripſerunt, nullibi erroris illius mentionem faciant; *tum* quod, ſi *Eunomiani* atrociſſimos *evirationis* dolores ſubire urſiſſent, nullam

Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 7.

Sozomen. lib. 6. cap. 8.

Digitized by Google

aliam ob cauſam, præſertim devotionis obtentu interveniente, facere id potuiſſent, quam ut *Spadonatus* illius adminiculo adverſus ſcortationis & adulterii tentationes & periculum fortius ſe munirent; quis enim alius inſtituti illius finis excogitari poteſt? At vero tam procul abfuit, ut ea propter *exſectionem* invehere potuerint, ut ne quidem pro *peccatis* ſcortationem & adulterium habuerint. Sic enim diſertè de iis Epiphanius: Τὸ σφαλῆναι ἔν τινι πορνείᾳ ἢ ἑτέρᾳ ἁμαρτίᾳ, ἐδὲ εἶναι φασιν. *In* ſcortationem *vel aliud quoddam peccatum prolabi, nihil eſſe dicunt.* Eſt quidem locus in *Conſtitutionibus* Codic. Theodoſ. ubi Eunomiani *Spadonum* nomine venire videntur. Verba ſunt: *Eunomiani* Spadones *nec faciendi nec adipiſcendi Teſtamenti licentiam habeant*, &c. ſed, præterquam quod ſingularis tantum teſtis *Theodoſius* is ſit, cunctis aliis Scriptoribus de *Inſcriptione* hac plane tacentibus, non immerito *Codicis Theodoſiani* hæc lectio rejecta ab aliquibus eſt, ſaltem ſuſpecta pluribus habetur. Editio Pariſienſis ad marginem Legis dictæ non habet *Spadones*, ſed *Hiſpadones*, ut *Spania* nonnunquam dicitur pro *Hiſpania*, mulieres *Sterica* pro *Hiſtericis*. Jureconſultorum Alpha Jacobus Gothofredus *Hiſtopodes* pro *Spadones* legit; putatque denominatione hac digitum a *Theodoſio* intendi in morem *Eunomianis* uſurpatum, quo pedes ſurſum baptizandis ſtatuebant caput vero demerſum (Græci τραχηλίζειν vocant) imitantes in eo *Arianos*, qui quotquot e Catholicis vel aliis ad ſectam ſuam accedebant, *capite demerſo ego, pedibus ſurſum verſis* rebaptizabant. At vereor ne nimis coacta conjectura illa ſit: quid enim vox Ἱςόπες facere huc poteſt, quæ nunquam, quod ſciam *hominibus*, ſemper *rebus inanimatis* applicatur; navem enim actuariam notat juxta *Gellium, Pollucem, Geſnerum* alioſque: ut Ἱςὸς, cujus compoſitum eſt, nonnunquam malum navis, nonnunquam inſtrumentum textorium, e quo ſtamina ducuntur, & Ἱςοπέδη altum in medio navis lignum, in quo ſtat malus. Et quid hæc ad Hæreticos, inquam, & Hæreſes! Adde quod ne ullam quidem tum *ſcriptionis* tum *pronunciationis* ratione inter *Hiſtopodes* & *Spadones* voces ſimilitudinem intercedere manifeſtum ſit. Conjecturam hanc etiam rejici ab illuſtr. *Salmaſio* non diffitetur ipſe *Gothofredus*.

Epiphan. Hæreſ. 76.

Conſtitut. 11. Codic. Theodoſ. de Hæretic.

Gothofred. in Cod. Theodoſ. Tom. 6. pag. m. 135.

Gell. N. A. lib. 10. cap. 25.

Pollux. lib. 7. pag. 10.

Geſner. in voce Ἱςός.

Eraſm. in Matt. 19. 12.

VII. Hactenus *Eunuchi* catachreſticè dicti, excipiunt hos, qui *proprie* tales ſunt: qui haud uno veniunt nomine apud Autores. *Arnobius evıratos, abſciſſos, ſemiviros, effœminatos, molles*, Lampridius *præci-*

ſos

ſos, Hieronymus *Truncatos*, Valerius Flaccus *exſectos*, Lactantius *deglabratos*, Prudentius *imberbes*, alii *curites*, *corbantes*, *mœnades*, *bacelos*, *bachas*, *idæos*, *dactylos*, *cynædos*, *ſemi-mares* &c. eos indigitant. Proutque apud dictos Scriptores, ita etiam apud Hebræos vario nomine deſignantur, quatenus nempe vel magis vel minus genitalia iis abſciſſa ſunt. Quibus totum veretrum ablatum eſt, dicuntur ipſis כְּרוּתֵי שָׁפְכָה Deut. 23. 1. *Græcis* ἀπόκοποι, βάκηλοι: quibus teſticuli evulſi נְתוּקִים Levit. 22. 24. *Græc.* ἐκτομίαι; quibus teſticuli tantum ſunt fracti פְּצוּעֵי דַכָּא, *Græcis* θλάσιαι ac θλίβιαι, ἀπὸ τοῦ θλίβειν, quod eſt *atterere* & *frangere*. *Elmenhorſt. in Arnob. contr. Gent. pag. m.* 104.

VIII. Hi vario rurſus diſcrimine ſe produnt. Dominus Jeſus *duplicis* generis eos facit: aliquos ponit εὐνούχους ἐκ κοιλίας, ἐκ φύσεως εὐνούχους vocat *Chryſoſtomus*, ἀπὸ φύσεως Theophylactus, qui ab ipſâ nativitate inepti ad venerem ſunt; aliquos τοὺς εὐνουχισθέντας, qui caſtrati ſunt ab hominibus. Cui conforme eſt Medicorum vulgare diſcrimen inter Eunuchos *natos* & *factos*, quos utroſque haud uno iterum diſtinguunt modo, ut apud laudatum mox *Zachiam* videre eſt. Neque diſſimili pede proceſſerunt olim *Talmudici*, diſcriminantes inter סְרִיסֵי חַמָּה *Solis* Eunuchos, & סְרִיסֵי אָדָם Eunuchos *hominis*. *Priores* vocantes, qui inhabiles ad generandum ſunt ab ipſo utero & matris viſceribus; ſic ut nunquam adſpexerint *Solem*, niſi cum *eunuchi* jam modo eſſent; vel *ut alii* malunt, quod *Sol* dominatus fuerit in eorum nativitate. *Poſteriores*, qui manu hominis exſecti ſunt, poſtquam integri nati eſſent. Eunuchus *Hominis*, dicunt exuit calceum & exuitur calceus uxori ejus, eo quod fuerit ipſi hora rectitudinis, aliquandoque aptus ad conjugium extiterit. Eunuchus vero *Solis* non exuit calceum, neque exuitur calceus uxori ejus, eo quod nunquam fuerit ipſi hora rectitudinis, id eſt, nunquam habuerit aptitudinem ad venerem. Neque improbabile eſt, Servatorem ad hoc *Talmudiſtarum* diſcrimen, verbis ſupra allegatis, digitum intendiſſe. *Matt.* 19. 12. *Chryſoſtom. in Matth. Homil.* 62. *Theophyl. in Matth.* 19. *Paul. Zach. Tract. cit. pag.* 199.

IX. Nos, miſſis illis quos *natura* eunuchos fecit, eos ſolum ſpectamus, quos vel propria vel aliorum eviravit *manus*. In quorum na- *Geuſ. de Victimis. Hum. p.* 2. *cap.* 1.

Digitized by Google

naturam & originem penitiuſcule inquirendum. Natales eorum
Ammian Marcell. lib. 14. quidam ad *Semiramidem* Aſſyriorum Reginam retulerunt, quippe cui adſcriptum, *quod omnium primo teneros mares caſtrare inſtituerit, veluti vim injectans naturæ.* Pertinent huc *Claudiani* verba:

Claudian. in Eutrop. lib. 1.

Hos fecere manus ſeu prima Semiramis aſtum
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities leveſque genæ ſe prodere poſſent.
Hos ſibi conjunxit ſimiles, ſeu parthica ferro
Luxuries vel naſci lanuginis umbram,
Servatoque diu puerili flore coegit,
Arte retardantem Veneri ſervire juventam.

At alii inficias id eunt, omnemque *Semiramidis* dolum in hoc tantum ponunt, quod virum veſtitu ſuo mentita ſit. Illa enim poſt *Hofman. Lexic. Univerſ. part. 2. pag. 334.* *Nini* Mariti, Regis Aſſyriorum, obitum intelligens, Aſſyrios gravatè mulieris imperium paſſuros, diſſimulato illius obitu, perſonam ejus aſſumpſit, donec *Nini* filius adoleſceret, regnoque admiſtrando idoneus fieret. Eſtque hæc eadem illa *Semiramis*, quæ tam nefandæ libidinis fuit, ut ipſiſſimi Filii ſui concubitum expetierit. Meminit nonnullorum *Petrus Martyr*, qui *Iuſtin. lib. 2.* Chamum *Noachum* Patrem ſuum, dum nudus in tabernaculo ſuo jaceret, non riſiſſe tantum, ſed & exſecuiſſe pertendunt, ut caſtratus aliâ prole deſtitueretur. Hac moti ratione, quia (inquiunt) *Martyr. in Geneſ. 9. p. 42. a.* Deus illi præceperat & filiis, ut *creſcerent* & *multiplicarentur*, eiſque benedixit; neque tamen alios ſuſcepit *Noë* filios a tribus illis, quos antea habuerat; quâ eviratione illâ ab aliis abſtinuiſſet, procreandis libris impeditum illum, putant, quo opere haud quaquam cum mandatum de eo haberet. Quod ſi verum ſit, utique *Chamus* ille caſtratorum *primus* fuit, ſaltem multis annis *Semiramide* antiquior, quippe qui perexiguo tempore poſt Diluvium (quod incidit in Annum mundi 1657. juxta *Bucholcerum, Funccium* alioſque) pudori paterno illuſit, adeoque multo tempore ante ipſa *Aſſyriorum* Monarchiæ incunabula infandum hoc ſcelus in genitorem ſuum commiſiſſet Eſt, qui ita rem *Hieronym. a Sancta Fide. lib. 2. contr Iudæos.* refert: *In Jova* cap. *dies expiationum* quæri, *quid fecerit minor filius Noe?* Rab dicit *Eunuchum*, Schemuel *dicit aliquid impurius, & magis abominandum.* Sed quænam veri ſpecies hic eſt, quænam conſequentiæ ratio? Non genuit deinceps filios *Noë*, ergo *exſectus* fuit; quaſi nullæ aliæ ſuppetierint rationes, ob quas opere iſto ſuperſederit. Has allegat laudatus modo *Martyr*: 1. Quod ſatis habuerit

buerit illis tribus. 2. Quod jam ſenex admodum eſſet. 3. Quod benedictione Dei in Filiis ſuis abunde frueretur. Addit *Chryſoſtomus*, quod caſtitati & temperantiæ adeo fuerit deditus, ut numeroſiorem prolem non curaret.

Chryſoſt. in Geneſ. 9.

X. Maluerunt itaque alii, non hinc, ſed a Perſis *Eunuchorum* originem deducere; quos virorum hanc *exſectionem* introduxiſſe volunt, ut uxorum ſuarum caſtitati melius conſulerent. Hinc *Spada* vicus apud *Perſas*, in quo primum *Eunuchos* factos volunt, qui inde *Spadi* vel *Spadones* dicti. Aſt, licet verum quidem ſit, huic fini apud *Perſas* εὐνούχους inſerviiſſe, haud certum tamen eſt, eorum ortum a *Perſis* derivandum ideo eſſe. Hinc multi ad *Attidem* (alii legunt *Attinem*, *Attynem* vel *Atidem*) venuſtiſſimum inter Phryges puerum *impietatis* hujus primordia retulerunt; & forſan non improbabiliter; ut ut diſſimulare nolim, me neque in illâ opinione ſecurè acquieſcere. Plurima de *Puero* hoc narrant Scriptores, ſed uſque adeo repugnantia, ſaltem involuta, ut quid credendum eorum ſit, vix dixeris: quæ & cauſa forſan eſt, quod a nonnullis pro fictitio plane habitum ſit, quicquid de eo occurrit, nominatim a Viro vaſtiſſimæ Eruditionis *Joh. Henr. Urſino*, qui *pudendam fabulam* indigitat. Perſecutus illa eſt diligenter, ut ſolet, ὁ πάνυ *Voſſius*, quem inſpici velim. Summatim *Servius*, Attis *puer ſpecioſus, cum Matris Magnæ præeſſet Sacris, a Rege Civitatis ſuæ adamatus eſt: Sed cum intelligeret vim ſibi a Rege inſtare, quaſdam in ſylvas profugit. Cum ergo inventus vim ſibi inferri videret, verenda ſtupratoris abſcidit, qui moriens eandem ipſam partem corporis puero abſcidit; quem ſemianimem ſub pinu latentem, cum inveniſſent Antiſtites Matris Magnæ, perlatum in Templum Dei fruſtra conati reficere, defunctum ſepelierunt: cujus ut perpetua maneret memoria*, Mater Magna *inſtituit, ut quotannis in Sacris ſuis plangeretur, & effecit, ut cultores ſui viriles ſibi partes amputarent; qui* Archigalli *appellantur*; Ita *Servius*. Huetius ex *Attide* Moſem fecit; quod ex fiſtulâ & virgâ, quibus ornatum eum *Macrobius* teſtatur, concludit; quibus *Moſes*, ut inſigni paſtorali prodigiorumque patrandorum inſtrumento, inſtructus quoque fuit; ut & ad *Sephora* reducit factum, quod ſtimulante *Cybele* ſe ipſum eviraſſe *Attys* dicatur. Sephora *tulit acutiſſimam petram & circumcidit præputium filii ſui*, ut maritum *Moſem* ab interitu vindicaret, &c. A quibus utut multum abeant quæ *Arnobius* aliique habent, in hoc tamen convenire *fere* videntur, quod

Hofman. Lexic. Univerſ. part. 2. pag. 377.

Gyrald. de Hiſt. Deor. part. 4. p. 123.

Ouzel. in Minuc. Felic.

Urſin. Arbor. Biblic. cap. 7. pag. 124.

Voſſ. de Orig. Idolol. lib. 1. cap. 20

Serv. in 11. Æneid.

Natal' Com. Mytholog. lib. 2. cap. 1. pag. 97.

Huet. Demonſtrat. Evangel. tom. 1. p. 212

quod puer hic Atys *exſectis* accenſendus ſit, quo nos hic ſpectamus. Conſuli etiam poteſt *Cunrad. Dietericus*, qui ſic inquit: *De Cybele narrant* (hæc eſt *Mater* illa *Magna*, de quà Servius) *eam jam vetulam deformem Attidis pueri ſpecioſi amore exarſiſſe, &, quem ad ſtuprum illicere non poterat, eviraſſe. Alii referunt vetulam, cum audiviſſet Midam, Regem Peſſinuntium, filiam ſuam deſtinaſſe Attidi, rivalis impatientem tum ejus veretrum abſcidiſſe. Hinc factum ut Cybeles Sacerdotes exſecarentur ad Phrygium tibiæ cantum.* Hauſit hæc Vir Doctus ex *Arnobio*, *Minucio Felice* in *Octavio*, aliiſque. Conveniunt (inquam) *fere* in hoc Scriptores, quod *Atys* exſectus fuerit, non dico *omnimode*; quoniam negari non poteſt, narrationi de hoc puero interſerta quædam eſſe mere fabuloſa, E. G. Magnam Matrem eum in Pinum arborem commutaſſe, juxta hoc Ovidii,

Dieter. Antiqq. Bibl. pag. 392.

Arnob. c. Gentes lib. 5.

Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Ovid. Metam. 10.

ut & qui Moſem ex eo faciunt *exſectionem* hanc inficias ire; neque enim *Moſes* exſectus unquam fuit, imo ne quidem *filius* ejus, licet a Matre Sephorâ circumciſus; denique *Euſebium Neo-caſarienſem Macrobium*, *Fulgentium* alioſque eam ἀλληγορικῶς explicuiſſe. *Atys* (dicit Euſebius) *maxime flores ſignificat, qui antequam ad fructum veniunt, defluunt, quapropter pudenda ei fuiſſe inciſa feruntur, quoniam flores defluxi ſemina producunt.* Hi *florem* ex *Attide* fecerunt, (ut nonnulli *Solem*) hujuſque exſectionem habuerunt pro *floris defluxione*, quæ niſi præcedat, expectati fructus conſequi non ſolent. Excuſſit, quin forte diſcuſſit allegoriam illam, Phyſicamque myſterii explanavit rationem inſignis Mathematicus, *Julius Firmicus Maternus*, qui vixit tempore Filiorum Conſtantini M. Hic enim, poſtquam conciſam de *Cybeles Sacris* inſtituiſſet narratiunculam, ſic pergit: *Hic quoque, ſacratiſſimi Imperatores, ut error ille celetur, etiam hac ſacra phyſica volunt eſſe ratione compoſita. Amare terram volunt fruges; amatum vero hoc ipſum volunt eſſe, quod falce meſſor maturis frugibus facit. Mortem ipſius dicunt, quod ſemina collecta conduntur; vitam rurſus, quod jacta ſemina annuis vicibus recunduntur. Vellem nunc mihi inquirenti reſpondeant, cur hanc ſimplicitatem ſeminum ac frugum cum facinore, cum morte, cum faſtu, cum pœnâ, cum amore junxerint? Itane non erat aliud, quod diceretur. Itane non erat quod in agendis Deo ſummo pro frugibus gratiis, faceret miſera mortalitas? ut gratias pro renatis frugibus agas, ululas? ut gaudeas plangis? Nec te cum veram*

Euſeb. de Præp. Evangelic. lib. 2. cap. 2. p. 58.

Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 21.

Fulgent. apud Gyrald Tr. cit. pag. 124. 1. cap. 21.

Jul. Firm. Matern. de Myſter. & Error. Profanar. Gent. cap. 3.

Digitized by Google

ram rationem videris hoc aliquando feciſſe pœnituit: ſed hoc agis, ut annuis luctibus occupatus, vitam ſemper fugias, mortem requiras; Dicant mihi, quid hoc frugibus profuit! ut fletus ſuos annuis ululatibus ſeminent, in triſtitia interfecti funeris calamitatibus ingemiſcant. Quod dicant phyſicâ ratione compoſitum, lugetis & plangitis, & luctus veſtros aliâ ratione celatis. Novit Agricola, quando terram aratro dimoveat, quando ſulcis frumenta committat; novit quando maturatas Solis caloribus colligat ſegetes; novit quando toſtas ferat fruges. Hæc eſt Phyſica ratio, hæc ſunt vera ſacrificia, quæ ab ſanæ mentis hominibus annuo labore complentur. Hanc ſimplicitatem Divinitas quærit, ut homines in colligendis fructibus ordinatis temporum legibus ſerviant. Cur huic ordini miſera mortis figmenta quæſita ſunt. Cur celatur lachrymis quod celari non debuit. Unde confiteantur neceſſe eſt, hæc Sacra non in honorem frugum, ſed in honorem eſſe compoſita mortis alienæ.

XI. Imo ex dictis conſtat, eo loco habitam hanc *Attidis* exſectionem & mortem olim fuiſſe, ut in rei memoriam, omnes ſuos Antiſtites evirari *Magna Mater* voluerit, qui, teſte Servio, *Archigalli* appellabantur. Inſtituebatur autem hæc eviratio in urbe *Hierapoli* (quæ an illa ſit, quæ *Syriæ* eſt, *Bambyca* aliter nuncupata, an quæ *Cretæ* & *Cariæ* dicitur, an quæ magnæ *Phrygiæ*, Laodicææ proxima, non uſque adeo planum eſt) Turcæ *Seideſcher* hodie vocant; notatuque de ea dignum eſt, *tum* quod in collis alicujus imminentis faſtigio puteum habeat, ſemijugeri pene magnitudine, tam peſtilentes exhalantem nebulas, ut omnia animalia ſeptum ingreſſa protinus extinguat, cum tamen aër undique vicinus plane innoxius ſit; *tum* quod ſacris faniſque refertiſſima ſit, unde & nomen gerit, quæ enim Latini *ſacra* Græci ἱερὰ dicunt. De Civitate hac *Bochartus*: *Itaque urbs Hierapolis, quæ, teſte Plinio, Syris* Magog *vocabatur, ab hoc eodem ſive* Magog *ſive* Prometheo *videtur traxiſſe nomen, quia Promethei filius* Deucalion *Scyta putatur hanc condidiſſe, & in ea conſecraſſe templum Deæ Syriæ.* Lucianus *de* Deâ Syria: *οἱ μὲν ὦν πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Σκύθεα τὸ ἱερὸν εἵσασθαι λέγουσι. Plerique igitur Deucalionem Scytam templum conſecráſſe dicunt.* Sunt etiam qui Templum illud a Baccho denominarunt. Atque in hoc quidem, quod *Cybeles* ſive *Magnæ Matris* ſacris dicatum eſſet, non in aliis urbis fanis, *Galli* exſecabantur. Quo vero id factum fuerit *inſtrumento* in obſcuro eſt, quoniam in diverſa eunt Autores: *Teſtam Samiam* ponunt Victorius, Pomponius Lætus, Juvenalis,

Strab. Geograp. lib. 13.

Bochart. Geograph. Sacr. lib. 1. cap. 2. pag. m. 14.

Iuvenal. Satyr. 9.

Mollia qui ruptâ ſecuit genitalia teſtâ.

Hoc magis, quod ipſe *Atys* ea teſtes ſibi ſuſtuliſſe dicatur. Horatius & Petronius meminerunt *ferri.*

Ut cuidam teſtes caudamque ſalacem
Demeteret ferro.

Petron. Arbiter. lib. 1. Satyr. 2.

Perſarum ritu male pubeſcentibus annis
Subripuêre viros, exſectaque viſcera ferro
In *Venerem fregêre.*

Auguſt. de Civit. D. lib. 7. cap. 25.

Negant aliqui vere caſtratos *Gallos* vel *Archigallos* fuiſſe, ſed ſic habitos tantum eſſe, quod quaſi caſtrati, ex quo ſacerdotio *Cybeles* inaugurati erant, venere ſemper abſtinerent. Sed reclamat illi ſententiæ *Auguſtinus*, expreſſiſſima enim verba ejus ſunt: *Atys ille non eſt commemoratus, nec ejus ab iſto interpretatio requiſita eſt, in cujus defectionis memoriam Gallus abſcinditur.* In quæ notavit Vives: *Feſtus tamen* Gallos *inquit, idcirco etiam ſe excidêre, quod violarunt parentis nomen. ne & ipſi poſſunt unquam parentes fieri.* Unde *Prudentius,*

Aſt hic metenda dedicat genitalia.

Lactant. de Inſt. lib. 5. cap. 9.

Accedit *Lanctantius*: *Sacerdotes ejus* (Cybeles nempe) *deglabrato corpore ſua pectora tundunt, lamentantur ſicut ipſa.* Addit Quintilianus: *Gallus etiam fortunam corporis ſignificat, id eſt,* caſtratum, *nam tales erant* Galli, *Sacerdotes Cybeles.* Hinc Γάλλους τὶ τέμνεις, *Gallos quid exſecas?* hoc eſt, quid actum agis? quid ſpolias nudum? quid affligis afflictum? Seneca *Semi-viros* eos vocat; at cur hoc, ſi *exſecti* non fuerint? Ovidius:

Ovid. In Ibin.

Attonituſque ſeces ut quos Cybeïa Mater
Incitat ad Phrygios vilia membra modos.

XII. Sed unde (*dicis*) *Gallorum* nomen *Eunuchis* adhæſit? *Reſp.* Non omnibus *Eunuchis* inſcriptum id fuit, ſed iis peculiariter, qui in Sacris *Magnæ Matris*, id eſt, *Cybeles* ſacerdotio fungebantur; qui tamen neque hoc ſolo ſed aliis etiam nominibus veniebant Dicebantur *Corybantes*, quod in Sacris Deæ ſuæ ſaltantes incederent; *Cabiri* a *Cybyro* Berecynthiæ monte, ad cujus pedem habitabant; *Dactyli*, quod quinque tantum eſſent numero, & totidem ſorores haberent, ut juncti digitorum numerum repræſentarent. *Telchines*, quod novem numero Rheam a Rhodo comitati eſſent in Cretam, quæ Toſchinia poſtea, a Telchinibus illic appellentibus vocata. Κούρητες ſive *Curetes*, a κουρᾷ ſive *tonſura*; ut & *Arcananes*,

Bochart. Diſert. An Æneas fuerit Romæ? pag. 16.

ab

ab ἀςερήτικῷ & κείρειν ſive κάρειν, quod *intonſi* eſſent. Nominis *Galli* rationem ſic exponit Lucretius:

Saubert. de Sacrific. Veter. cap. 6

Lucret. lib. 2.

> Gallos *attribuunt, quia Numen qui violarunt*
> *Matris & ingrati genitoribus inventi ſunt;*
> *Significare volunt, indignos eſſe putandos*
> *Vivam progeniem qui in oras luminis edant.*

Hieronymus dictos putat, quod Sacerdotio nulli admoverentur, quam qui natione *Galli* eſſent, illique ideo evirarentur, quod urbem Romam olim incendiſſent, adeoque non niſi in Nationis contumeliam: unde & in hunc uſque diem ſunt, qui Francos *Gallos* nominari exiſtimant; ſed ſine ullâ rationis ſpecie: quis enim tam vecors, & communis ſenſus expers eſt, ut *Gallos*, perpetuos Romanorum hoſtes, nomen ſibi accipere vel retinere voluiſſe cogitet, quod adverſariorum contemtus ſibi impoſuerat? Dicendum potius, Sacerdotes illos *Gallos* vocatos eſſe *vel* a viro quodam, qui *Gallus* nominatus omnium forſan Sacerdotum eorum primus & princeps fuit; *vel* a Phrygiæ fluminis cujusdam nomine. Ita Feſtus: *Galli qui vocantur Matris Magnæ Comites dicti ſunt a* flumine, *cui nomen eſt* Gallo. *Quia qui ex eo biberint, in hoc furere incipiant, ut ſe privent virilitatis parte.* Conſonat Feſto *Ovidius:*

Hieronym. in Hoſ. 4.

Herbert. de Relig. Gentil. cap. 10. pag. 96.

Ovid. Faſt. lib. 4.

> *Cur igitur* Gallos, *qui ſe excidère, vocamus,*
> *Cum tantum a Phrygiâ Gallica diſtet humus?*
> *Inter, ait, viridem Cybelem altaſque Celenas*
> *Amnis it inſanâ, nomine* Gallus, *aquâ.*
> *Qui bibit inde, furit, procul hinc diſcedite queis eſt*
> *Cura bonæ mentis, qui bibit inde, furit.*

Et *Herodianus* in *Commodo:* Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσι, οἱ τῇ θεῷ τομίαι ἱερώμενοι, id eſt, *in hoc, quem diximus, Peſſinunte Phryges olim Orgia colebant, ad ipſum fluvium* Gallum, *a quo etiam evirati Deæ Sacerdotes cognominantur Galli.* Hinc *gallare*, græce βακχεύειν, nihil aliud eſt, quam *inſanire*; eo quod gallantes *Gallorum* furorem imitentur. *Et Deam gallantes vario retineant ſtudio*, inquit *Nonius*. Idem ſonant hæc *Stephani* verba: τὸν Γάλλον (dicit) ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν τυρίαν ποταμὸν καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλεῖσθαι, ἀπὸ ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι. *Gallum veniſſe ad Tyriam fluvium, atque iſtic habitaſſe, & vocaſſe eum* Gallum; *ab illo enim eos, quibus præciſum veretrum*, Gallos *appellant.*

Herodian. in Comm. lib. 1. pag. 30.

Digitized by Google

XIII. Quamobrem frigida nonnullorum conjectura nimis eſt, qui ex ipsâ linguâ Sanctâ derivatum nomen hoc volunt; a voce גַּל & גָּלַח quod *abradere* ſignificat. Ethnicorum enim ὀνομοθεσία hæc fuit, eoque quis inducere in animum poteſt, eos, qui Hebræa nec norunt, nec forſan de iis ſomniarunt unquam, Sacerdotibus ſuis Hebræum nomen impoſuiſſe, vel ab Hebræâ radice deductum? *Archi-Gallos* dixit *Tertullianus*, qui fanaticorum *Gallorum* ſive exſectorum horum principes erant. *Archi-gallus ille Sanctiſſimus* (inquit alicubi) *ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat*. Ecce Epitaphium heroi iſtiuſmodi Romæ in S. Martinâ in Montibus ſcriptum, quod exhibet *Gyraldus*: D. M. C. *Camerius Creſcens* Archigallus, *Matris Deûm*, *Magnæ* Idææ & *Attis Po. Ro.* Imitabantur autem hi *Galli* ſive *Archi-Galli* in Sacris ſuis *Cybelem*, *Attidem* ſuum lugentem. Ejulabant, pectus tundebant & cædebant palmis. *Inquinatâ voce* (ut apud *Valerium* eſt) clamabant, id eſt, *ſordidâ* & *obſcœnâ*; Pinus etiam ſtatuebatur in memoriam Pinus, ſub quâ ſe caſtrârat *Attis*; rami Pinus coronis ornabantur, quia *Cybele* ſic honorârat pinum; Stipes ejus velabatur lanâ, quia *Cybele* exanimati *Attidis* pectus lanâ velaverat ob teporem conciliandum; Pane abſtinebatur quia, *Cybele* eo abſtinuerat ob mœrorem. Habebant ſe ita, donec in *Almone* Matrem Idæam laviſſent; tum enim Dea, depoſito qualore & ſordibus, hilaris videbatur, & ipſi eandem lætitiam concipiebant.

Tertull. Apol. cap. 24.

Gyrald. Tr. cit. pag. 125.

Valer. M. lib. 7. cap. 7.

Arnob. c. Gentes. lib. 5.

Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, *feſtaque per oppida thedæ*:
Quis modo jam ſævos adytis fluxiſſe cruores.
Cogitet? aut ipſi qui jam meminêre miniſtri?

Valer. Flacc. 8. Argon.

Ac porro toti furibundi & bacchabundi, jactatis comis, vaticinabantur, & Sacra ſua incipiebant, continuabant, abſolvebant. Unde & a furore illo *Cybele* ipſa, cui inſerviebant inſanientes, *Enthea* dicta eſt. Martialis:

Cum ſectus ululat matris Entheæ *Gallus.*

Imo in ipſum caput ſaltabant; unde & *Cybelem* dictam vult *Feſtus* ἀπὸ τοῦ κυβιςεῖν τὴν κεφαλήν, id eſt; a *ſaltando in caput*: quod ſaltationis hoc genus Sacerdotibus ejus familiare eſſet.

XIV. Inter *Eunuchos* inventi non tantum qui ab *aliis*, ſed etiam

etiam qui a *ſe ipſis* ex ſecti ſunt; quo quidam ipſum hunc *Attidem* retulerunt. Sic Catullus:

Devolvit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

Rapit Atys teſtulam (inquit Arnobius) *quam inſtigator ipſe geſtitabat inſania, furiarum & ipſe jam plenus, perbacchatus, jactatus, projicit ſe tandem & ſub pini arbore* ſibi genitalia *deſecat, dicens* &c. Licet nec deſint, qui id *Cybeli* tribuerunt, ut ſupra viſum eſt. Quinimo omnes *Cybeles* Sacerdotes ſe ipſos manu propriâ eviraſſe proditum eſt. Dicunt id diſertè verba e *Servio* mox allegata: *Mater Magna inſtituit, ut quotannis in Sacris ſuis plangeretur* [Atys] *& effecit, ut cultores ſui viriles ſibi partes amputarent.* Ita etiam Lucianus: *Accepto autem eo, continuo ſe ipſum ſecat, curritque per urbem* &c. *Archi-Gallos faciet* (inquit) ex *Firmico* Elmenhorſtius) *qui virilia ſibi propriis amputant* manibus. Tribuitur id *Combabi* etiam amicis (de quo mox plura) ſic enim de iis Lucianus: *Amici autem illius, qui maximâ erga ipſum benivolentiâ affecti fuerunt, in ſolatium ejus, quod paſſus ille fuit, ejuſdem afflictionis ſocietatem ultro ſibi elegerunt, nam &* ſeipſos *caſtrarunt. Alii autem dicunt, quod Juno, cum amaret Cambabum, multis caſtrandi cupiditatem in mentem immiſerit, ne videlicet ſolus ille ob amiſſam virilitatem lugeret.* Horatius:

Quin etiam illud
Accidit, ut quidam teſtes caudemque ſalacem
Demeteret ferro.

XV. Etiam *mulieres Eunuchas* vidit Antiquitas; De quibus pluribus agit *Paulus Zachias*, ſed juxta *artis* ſuæ præcepta, quæ nos non attingimus. Cœpit fœminarum caſtrationem primus *Adramites* Lydorum Rex, teſte *Rhodigino* & Athenæo (Suidas *ad Gygem* rem transfert) idque hoc quidem fine: Ὅπως αὐταῖς χρῷτο ἀεὶ νεαζούσαις, *ut florenti ſemper ætate iis uteretur*, inquit *Voſſius*. Sicut inter Matris Magnæ Sacerdotes non tantum Gallorum ſed & *Gallarum* meminit *Catullus*:

Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ *pede propero*
Itaque ut domum Cybellæ tetigere laſſulæ
Nimio e labore ſomnum capiunt ſine Cerere.

Putat tamen *Voſſius* per *Gallas* mulieres intelligendas non eſſe,

Auguſt. de Civ. Dei. lib. 6. cap. 7.
Arnob. c. Gentes. lib. 5.
Lucian. de Deâ Syr. pag. 419.
Elmenhorſt in Minuc. Pelic. pag. 32.
Lucian. ib. pag. 760
Horat. Serm. lib. 1. Satyr. 2.
Rhodigin. ll. Antiqq. lib. 10. cap. 14.
Voſſ. Tr. cit. lib. 3. c. 66.
Catull. in Galliamb.

Digitized by Google

eſſe,ſed ita dictos eſſe ipſos Sacerdotes mares,quod per exſectionem mulieribus ſimiliores eſſent, quam viris, ſaltem evirati eſſent, non viri. Forſan etiam, quod *muliebri* inceſſerint amictu, *mulieres* vocitavit Catullus. *Haud Viri videntur* eſſe (inquit Lucianus) *haud fœminæ, veluti cornices, quæ neque corvis neque columbis adnumerantur. Hinc* (pergit) *veſtimento virili exuti, indumenta muliebria gerunt, opera mulierum perficiunt. Ornabantur quippe tunicis albis, in modum lanceolarum quaquaverſum fluente purpurâ depictis, item mitellis crocotis & carbaſinis.* Sunt tamen & manent Eunuchi revera *viri*,quia partium quarundam corporis reſectio ſexum vel naturam mutare non poteſt; Ita Baſilius: *Etiamſi* Eunuchus *fuerit, tamen eſt vir natura; quemadmodum enim bos cornutus, reſectis cornibus, non per cornuum ablationem factus eſt* equus, *ſed adhuc* bos *eſt, etiamſi non habeat cornua; ſic &* mas *reſectis omnibus membris, non ablatione horum* fœmina *factus eſt, ſed adhuc* mas *eſt naturâ.*

Catull. Eleg. 64. Lucian. de Deâ Syr. p. 762. Herbert. de Religion. Gentil. cap. 10. p. 96. Baſilius, Libr. de Virginit.

XVI. Neque ſimplex apud Veteres *Eunuchorum* uſus fuit. Cultui enim *ſacro*, ut ex dictis liquet, *Cybeles*, ſive Magnæ Deæ adhibebantur, imò nemo alius præter illos. Nam poſt *Attidis* mortem conſtitutum eſt, nullum *in Magnæ Matris* ſacerdotibus locum fore, niſi qui ejus inſtar eſſet eviratus, ut mox diximus. Hinc Hipponenſis Doctor. *Itemque de mollibus eidem Matri Magnæ contra omnem virorum mulierumque verecundiam conſecratis, qui uſque in heſternum diem madidis capillis, facie dealbatâ, fluentibus membris, inceſſu fœmineo per plateas vicoſque Carthaginis, etiam a populis, unde turpiter vivebant, exigebat.*

Auguſtin. de Civ. Dei lib. 7. cap. 26.

XVII. Adhæc, quod ipſo præfertur nomine, *cuſtodiæ mulierum* inſerviebant. Ita enim Pagninus: *Sunt, qui peregrinum aut Ægyptium nomen cenſent* (loquitur de voce סרים) *quo cubicularii miniſtri vocati fuerunt: qui cum Gynecæis maximè præficerentur, ne de fide continentiæ ſuſpectæ eſſent, caſtrari ſolebant.* Unde Claudianus:

Hinc honor Eutropio, cumque omnibus unica virtus
Eſſet in Eunuchis, thalamos ſervare pudicos,
Solus adulteriis crevit:

Pagnin. Theſaur. pag. 1838. Claudian. lib. 1. in Eutrop. Heinſ. In Matt. 19. 12.

Eunuchi ſive εὐνοῦχοι igitur (inquit Heinſius) *ab hac virtute ita dicti tales, ut a fide Syris, quod primario ſervandæ matronarum pudicitiæ præeſſent.* Spectant huc *Juliani Imperatoris* etiam verba, qui rationem rogatus,ob quam una cum tonſoribus & coquis *Eunuchos*

palatio

Digitized by Google

palatio ſuo ejeciſſet, nihil aliud reſpondit, quam *quia uxor mea e vivis jam diſceſſit*: innuens, eos non niſi Imperatricis cuſtodiæ adhibitos fuiſſe. Scilicet,

> *Quem penes eſt* dominam ſeruandi *cura* Bagöe. Ovid. Amor. 2.

Bagoë eſt *ſpado*, *eunuchus*, ut ante diximns. Non raro interim falſi ſunt Veteres, cum uxorum ſuarum caſtitatem viris hujusmodi *non-viris* ſecurè nimis commiſerunt; de quo ſic Elmenhorſtius ex *Philoſtrato*: *Dum hæc agerentur, ingens clamor in Regia auditur ab Eunuchis Regis mulieribuſque exortus. Fuerat autem deprehenſus Eunuchus, cum unà ex Regiis pellicibus cubans, & ſicut mœchi facere ſolent, venerea exercens.* Quod hoc quidem minus mirandum, quia ſequior ſexus vix ſatis alienus a deglabratis hiſce hominibus nonnunquam viſus eſt: Juvenalis,

Arnob. c. Gent. p. 96. f.

Elmenh. in Arnob. pag. 102.

> *Sunt quas* Eunuchi *imbelles ac mollia ſemper*
> *Oſcula delectent, & deſperatio barba.*

Juvenal. Satyr. 6.

Imo vero non ſolum coiiſſe aliquando *Eunuchos* ſed & ſeminis loco humorem quendam ejeciſſe, vulgare in Medicorum Schola eſt. Faciunt huc Pythræ hæc verba apud Comicum:

> *At pol ego amatores audieram eſſe mulierem eos maximos,*
> *Sed nihil poteſſe.*

Terent. in Eunuch. Act. 4. Scen. 3.

Et hoc Martialis,

> *At prius, o mores! Et* Spado *mœchus erat.*

Martial. Eleg. 6.

Qua itaque de cauſâ Ægyptii, tractu temporis naſutiores facti, *Eunuchorum concubitum uiut inanem timere inceperunt*: ut loquitur *Scaliger*. Quos & in hunc uſque diem Turcæ imitantur: *Qui* enim *potentiores ſunt* (verba ſunt Augerii Busbequii) *& frequens habent Gynicium, ejus cuſtodia* Eunuchos *apponunt, non modo teſtibus captos, ſed toto cole; alioqui ſimplicibus* Eunuchis *ſe parum tuto mulieres ſuas putant committere, quod eis ſupereſſet, quo delectare poſſint, quamvis ad generationem non ſint pares.* Operæ vero huic *Græcorum Chriſtianorum* filios plerumque adhibent, etiam ipſiſſimis hiſce temporibus, ut teſtis eſt *Thomas Smithæus* in Epiſtola de *Hodierno Græcæ Eccliſia Statu.*

Scalig. de Subt. Exerc. 175. §. 2.

Busbequi Epiſt. pag. 184.

XVIII. In commiſſi ſtupri vel adulterii pœnam *exſectio* a quibusdam etiam inſtituta. Sic *Fretho*, Danorum Rex, quem etiamnum imitantur *Bengalenſes*, ſancivit, ut quiscunque alienum violaſſet thorum, teſticulis ſuis multaretur. Fuerunt etiam, qui vix congruentius illatam ab uxorū ſuarū procis injuriam vindicari poſſe exiſtimarunt,

Smith. de Hodierno Gr. Eccle ſ Stat. cap. 6.

marunt, quam ſi doloroſâ & contumelioſâ caſtratione inepti ad exercendam venerem redderentur; juſtiſſimo Dei pariter ac Judicum terrenorum judicio luentes in ea corporis parte, quâ maxime peccaverant, & fœdæ ſuæ libidini inservierant. Spectant huc Venuſini Poëtæ verba: *Quin etiam illud Accidit* &c. quæ e *Satyrarum* ejus lib.1. *Satyr*.2. mox adduximus; ut hæc etiam Martialis:

Horat. Satyr. lib. 1. Satyr. 2.

> *Uxorem armati ſequeris, puer Hyle, tribuni,*
> *Supplicium tantum dum puerile times.*
> *Væ tibi, dum ludis,* caſtrabere; *jam mihi dicet,*
> *Non licet hoc: quid? tu quod facis, Hyle licet?*

Martial. lib. 2. Epigr. 90.

Nec non diſertus Valerii locus: *Sed* (inquit) *eos quoque, qui in vindicanda pudicitia dolo ſuo pro publicâ lege uſi ſunt, ſtrictim percurram: Sepronius Muſca C. Gallium, deprehenſum in adulterio, flagellis cecidit: C. Memmius L. Octavium, ſimiliter deprehenſum, nervis contudit: Carbo Accienus a Vibieno, item Pontius a P. Cernio deprehenſi,* caſtrati *ſunt.* Eſt quidem, quod Hadrianus, Domitianus, ac tandem etiam Juſtinianus *caſtrari mares* vetuerint. l. 4. §. idem *D. Hadrianus* D. *ad Leg. Cornel. de Sicar. Tranq. in Domitian. nov.* 142. At (quod obſervavit Celeberr. Iuriſconſultus *Ant. Matthæus*) non loquuntur *illi de deprehenſis in adulterio, ſed iis dumtaxat, qui libidinis, aut quæſtus promerciive cauſa caſtrabantur.*

Valer. M. Lib. 6.

Matth. de Crimin. pag. m. 438.

XIX Fuerunt denique, qui ſui *evirationem* ſuſceperunt, ne violatæ fidei & cuſtodiæ mulierum, quæ concreditæ ſibi erant, ſuſpicionem incurrerent. Quo *Combabi*, formoſiſſimi Syri adoleſcentis (ſi Hiſtoricis fides) exemplum pertinet. Hic enim, cum *Stratonice*, uxor Regis Aſſyriæ, ejus curæ commiſſa eſſet, eò quod formam ſuam male ſibi ceſſuram, & infortunium adportaturam eſſe præſagiret, cum Reginâ ad novam urbem exſtruendam profecturus, *τὰ ἀνδρεῖα ſua in capſula, ſigillo obſignata, domi reliquit.* Regina interim illius pulchritudine illecta ipſumque de concubitu interpellans, & continuam repulſam ferens, mentis impos, adulterii tentati apud Regem eum arceſſit, unde & miſer juvenis domum reverſus, in carcerem compingitur, capite, ut putabatur, propediem plectendus. At quid fit? *Abſciſſum membrum* oſtendens, vinculis & omni ſuſpicione ſiniſtra liberatus fuit, & maximis opibus, authoritate, & honore a Rege donatus. Doctum

Lucian. de Deâ Syriâ pag. 762.

Montagn. Eſſais, liv. 2. chapit. 29. pag. 611.

Salmuth. in Panciroll. part. 2. tit. 2 pag. m. 90.

Doctum forte elabendi hanc artem dixeris *Cambabum* a decantato *Caſtore*, qui ſe, juxta Juvenalem, *Juvenal. Satyr. 12.*

> *Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno*
> *Teſticulorum; adeo medicatum intelligit inguen.*

Plinius: *Eaſdem partes ſibi ipſi* Pontici *amputant fibri, periculo urgente, ob hoc ſe peti gnari.* Apulejus: *Ea beſtia captivitati metuens ab inſequentibus, repræciſione genitalium liberatur.* Adpetuntnr ſcil. juxta nonnullos, teſticuli ejus in medelarum uſum; quare redimit ſe parte eâ corporis, propter quam maxime quæritur, ut eâ orbata expers periculi fiat. Unde Ovidius: *Plin Hiſt. Nat. lib. 8. cap. 30. Apulejus en Etameph. lib. 1.*

> *Sic ubi detracta eſt a te tibi cauſa pericli,*
> *Quod ſuper eſt tutum,* Pontice Caſtor, *habes.*

Ovid. Poëmat de Nuce.

Ut & *Caſtorem* quidam *caſtrando* ſeſe denominarunt. Quo & *Tertullianus* videtur alluſiſſe his verbis: *Quis tam caſtrator carnis caſtor, quam qui nuptias abſtulit?* Sed ſuppoſitione mere chimæricâ ſeduci ſe paſſus eſt infelix juvenis, ſi, hoc animal ſecutus, ſævire in proprium corpus, intentione utut non malâ, inſtituerit; quoniam planè falſum eſt, id ipſum ob cauſam jam dictam, teſticulos ſuos vel præſcindere vel (ut loquitur Solinus) *aevorare.* Audiſis *Dioſcoridem*: Μάτην ἱστορεῖται ὅτι διωκόμενον τὸ ζῶον ἀποσπᾷ τοὺς διδύμους καὶ ῥίπτει, ἀδύνατον γὰρ ἐστιν ἅψασθαι αὐτῶν, προσύπτων ὄντων, ὥσπερ ὑός. *Fruſtra* (inquit) *refertur, animal iſtud, ubi urgetur, teſticulos ſibi avulſos abjicere, neque enim fieri poteſt, ut attingat eos quum ut apro adhæreant, & applicita ſint corpori.* Quam Dioſcoridis opinionem *Seſtius*, medicinæ apud *Plinium* diligentiſſimus explorator, olim etiam amplexus eſt. *Serv. ad Georg. lib. 1 Tertull. adverſ. Marc. lib. 1 cap. 1. Solin. Polyhiſt. cap. 13. Dioſcorid. de Medic. Mater. lib. 2. cap. 23. vel, juxta alios 26.*

XX. Utut ſit, in laude ſaltem pleræque olim Gentes ponebant, ſiquidem vel ob cultum, vel ob mulierum cuſtodiam ſuſcipiendam, vel ad violatæ fidei, circa mulierum curam, ſuſpicionem averruncandam, ſive eluendam, caſtrarentur vel ſeipſos exſecarent. Aſt nunquam ſaniores Chriſtiani (neque enim *Valeſios* vel *Valeſiones* putidos hæreticos, quos nimis temere ſecutus eſt *Origenes*, hic moror) de negotio hoc ita judicarunt, ê contra toto id animo condemnarunt & deteſtati ſemper ſunt, *tum* propter dolores acerrimos, tyrannidem hanc comitantes, *tum* ob vim natu- *Plin. lib. 42 c. 3.*

ræ humanæ factam. *Prius* inde conſtat, quod eximiâ ſemper operâ indiguerint evirantes, ut evirandorum dolores qualitercunque lenirent & edulcarent. Audi de eo *Paulum Zachiam* jam laudatum: *Quin etiam* (inquit) *interdum non modo teſtes, ſed & coles ipſe & ſcrotum præciditur . . . . . . Ac mirandum eſt, quomodo ex tam atroci vulnere non multi pereant; quod evenire tradunt Turcarum Scriptores, quia multo opio caſtrandos in profundiſſimum ſomnum impingunt, ut doloris acerbitatem ac noxam, ex quâ certo certius pene omnes interirent, evitare valeant.* Ubi & de Aſſyriis narrat, eos ad doloris vehementiam in *caſtrandis* præcavendam, in balnea eos demittere, ac ſupinis venas, quæ circâ guttur ſunt, & *Apoplectica* vocantur, apprehendere & alligare, & ſic illos ſenſu omni & motu privare. Adjicit *Voſſius* de *Gallorum* exſectione: *Ea eviratio fiebat ad tibiæ cantum; qua res & furentis rabie ſtimulabat ad caſtrationem, & caſtratis mox dolorem minuebat.* Nec non Lucianus: *Multi ex adſtantibus ipſis* (caſtrandis nempe) *tibiis accinunt & tympana pulſant; alii autem divinitus inſpirata ſacraque carmina cantant. Atque hoc opus extra ædem peragitur, neque ingrediuntur in* ædem, *quicunque illa faciunt. Hiſce diebus &* Galli *fiunt.* Quæ cum ita ſint, erraſſe videtur *Plutarchus*, vel quiscunque Autor eſt, qui, ſub ejus nomine, libellum de *Fluminibus* in lucem emiſit, dum in fluvio Phrygiæ *Sangario* lapidem naſci refert, quem ſi quis, quod raro tamen fit, invenerit, *caſtrationem*, naturæ alias inimicam & contrariam, ſacerdotibus *Gallis* uſitatam, æquo patientique animo imò citra dolorem, perferri poſſe pertendit. De *Poſteriori* audiendus iterum *Auguſtinus* diſſerens in hæc verba: *Huic monſtro nec Jani monſtroſitas comparatur. Ille in ſimulachris habebat ſolam deformitatem:* Iſta (Magna Mater) *in Sacris deformem crudelitatem;* ille *membra in lapidibus addita;* hæc *in hominibus perdita. Hoc dedecus tot Jovis ipſius vitia & tanta ſtupra non vincunt.* Ille *inter fœmineas corruptelas uno Ganymede Cœlum infamavit;* iſta *tot mollibus profeſſis & publicis, & inquinavit terram & Cælo fecit injuriam.* Et paulo poſt: *Iſta Magna Deorum Mater etiam Romanis Templis caſtratos intulit, atque iſtam ſævitiam moremque ſervavit, credita vires adjuvare Romanorum, exſecando virilia virorum, &c.*

Zach. Tract. Cit. p 199. 200.

Voſſ. lib. cit. pag. 154

Lucian. de Deâ Syria pag. 419.

Saubert. de Sacrific. Veter. cap. 6. p. m. 135

XXI. Ortuſque hinc procul dubio contemtus etiam eſt, cui nunquam non expoſiti fuêre *Eunuchi*, eo quidem uſque, ut *exſectis* cujusdam occurſus indicium mali omnis olim extiterit; quaſi *alter canis* vel *prægnans canis* eſſet, qui, obviam factus, infauſtum diem vel iter fere portendebat. Ita *Horatius*.

Im-

Digitized by Google

Impios parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis, & *ab agro* *Horat.*
Rava decurrens lupa *Lannuvino* *Od. 28.*
Fœtaque vulpes,
Rumpat & ſerpens iter inſtitutum.

Exemplo ſit *Creſcentius*, Pontificis Maximi in Concilio *Tridentino* *Slidan.* olim Legatus, cui ſimplex *Atri canis* conſpectus talem incuſſit me- *lib. 23.* tum, ut nullo remedio liberari ab eo potuerit. De quo ſic Sleidanus: *Martii* (inquit) *die vigeſimo quinto ſcribendis litteris ad Pontificem valde fuerat occupatus, & laborem ad noctem uſque continuavit.* *Cluver. Epi. Hiſtor- pag.m. 721.* *Ibi ſurgens, ut ſe reficeret, ecce viſus eſt illi* canis *quidam* ater, *inuſitatâ magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demiſſis, ingredi, & ad ipſum recta contendere, deinde ſub menſam dilabi; perculſus & obſtupefactus, ubi demum ſeſe collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo; jubet adferri lumen, & inveſtigare* canem: *cum autem nuſquam appareret, ne in vicino quidem conclavi, gravem ſuſcepit cogitationem, & in morbum incidit, ſimulque vita cœpit deſperare, quantumvis etiam familiares atque medici conſolarentur, neque falſum ejus erat judicium, nam invaleſcente morbo,* Veronæ *deceſſit. Moribundus etiam ſuis acclamaſſe fertur, ut* canem, *qui lectum aſcenderet, arcerent.* Prout haud diſſimili eventu a *Cornelio Agrippâ*, morti jam vicino, *Canis ater* viſus eſt. Unde ſic in ipſum Nonnemo:

Sint vana hæc humana licet, ſed vanius illud,
Hæc a latranti *te didiciſſe Sopho.*

De *Eunucho* id notavit *Lucianus* hiſce verbis: Εἴ τις βάκηλον, ἢ Εὐνοῦχον ἴδοι ἢ πίθηκον, εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας, ἐπὶ πόδα ἀναστρέφει, καὶ ἐπανέρχεται, οὐκ ἀγαθὰς μαντευόμενος τὰς ἐφημέρους ἐκείνας πράξεις ἔσεσθαι αὐτῷ ἀπὸ πονηροῦ τοῦ πρώτου καὶ δυσφήμου κληδονίσματι. *Lucian. in Pſeudol.* *Et quidem* (inquit Donatus) *etiam nunc ſuperſtitio multos invaſit,* ἀπράκτους *cenſere dies, in quibus fors exeuntes domo inteſtabili occurrerunt vel abſciſſo.* *Donat. Obſerv. in Terent. Phorm. pag. 618.* Ne defuerunt tamen, qui ſingulari exſectos favore & honore proſecuti ſemper ſunt: Qualis fuit *Cyrus*, de quo *Xenophon* in Libris, quos de *Inſtitutione* ejus conſcripſit. *Eutropius* ipſe *caſtratus* nullos, niſi ſui ſimiles, in pretio habebat, & ad dignitates promovebat; unde & accidit, ut mortalium plurimi tum ſibi tum liberis ſuis virilitatem demere ſuſtinuerint, ut ſe illi commendarent, atque ad optata munera promoverentur; licet multi eorum e vulnere obierint. Æſtimatus etiam Impe-

Digitized by Google

Sueton. in Claud. cap. 28. *Lud. Viv. in Auguſt. de Civit. D. pag. 413.* *Conſt. 142. tit. 42. lib. 3. §. qui hominem. & L. Corn.* *Juſtin. Mart. Apolog. 11. pag. m. 71.* *Sueton. in Domitian.*

peratori *Claudio* ſingulariter fuit *Poſides*, ſive (ut alii legunt) *Poſidius* Eunuchus. Ita enim Suetonius: *Libertorum præcipue ſuſpexit Poſidem Spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros haſtâ purâ donavit.* Communiter tamen (ut dicere cœpi) contemtiſſimi *exſecti* erant. *Apud Bardeſanem Syrum* (inquit Vives) *Legitur in Oſreone, Juſſiſſe Abgarum Regem abſcindi manus eorum omnium, qui ſe excidiſſent; ac ita ibi ritum illum ceſſaſſe. Imperator* bonorum confiſcationem cum capitis pœnâ in *caſtrantes*, peræque ac in ipſos homicidas, decrevit. Prout *Juſtini* tempore Alexandrinis medicis quenquam *exſecare*, ſine ſpeciali Præſidis permiſſu illicitum etiam erat. Juvene enim quodam libello ſupplici a Præſide *Felice*, ut teſtes ſibi abſcinderentur, petente, negabat id Præſes, negabant medici: Nam (verba ſunt Juſtini) *ἄνευ τῆς τοῦ ἡγεμόνος ἐπιτροπῆς τοῦτο πράττειν ἀπειρῆσθαι ἔλεγον*, *ſine conſenſu* Præſidis *id facere interdictum eſſe dicebant.* De *Domitiano* etiam Suetonius: *Caſtrari mares vetuit, Spadonum pretia moderatus eſt.* Ut honori etiam ductum *Auguſto*, quod *evirandi* licentiam, Romæ uſurpatam, legibus cohibuerit. Ita in eum *Martialis:*

Martial. Epigr. lib. 6.

Luſus erat ſacra connubia fallere teda,
Luſus & immeritos *exſecuiſſe* mares.
Utraque tu prohibes, Caſar, populiſque futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude jubes.
Nec Spado *jam, nec machus erit te præſide. . .*

Hieronmy. in Galat. 5. 12.

Neque id mirum, cum ſummo mortis periculo expoſiti eſſent, quibus ſors hæc ſubeunda. Plerumque enim e multis tam pauci evaſere incolumes, ut *ex nonaginta* vix *tres* fuerint ſalvati. Refert de *Genutio* quodam *Gallo*, id eſt, Matris Magnæ ſacerdote, a *Surdinii* (alii legunt *Surdonii*) liberto hærede inſtituto *Valerius Maximus*, quod, quia genitalia ſibi ipſi membra amputaverat, tanquam obſcœna perſona, indignus fuerit habitus, qui aliquid ex Teſtamento caperet; quoniam perinfame ducebatur, monſtri illius, abjectique generis hominum, *inquinatâ* voce, ſub ſpecie petiti juris, tribunalia pollui. Neque enim (ut verba illa Valerii *παραφράζει Oliverius Arzignanenſis*) æquum videbatur, ut is, qui nec inter viros nec inter mulieres numerari poterat, qualis *Gallus* hic erat, adeoque ab utroque ſexu alienus, hæres inter homines haberetur. Imo *inquinatâ* ejus voce (quia nempe exſecti

Valer. M. lib. 7. c. 7. *Oliver. Arzignanenſ. in D. Valerii Loc.*

ſecti *rancâ* ſive *fractâ* voce loquebantur, juxta illud Juvenalis,

Et fractâ *voce loquendi*)

ampliſſimorum *judicum conſeſſus dehoneſtaretur*.

XXII. Atque hæc quidem hactenus non malè: ſed quod miſelluli *Spadones*, quos vel natura inimica vel aliorum injuria tales fecit (qualis inter alios fuit *Hermotimus* ille apud *Herodotum*, ab hoſtibus in bello captus, & *Panionio Chio* venundatus, ab eoque caſtratus) tam contemtim fere habeantur, ne juris quidem ſpeciem habet, imò revera nihil aliud eſt, quam afflicto afflictionem addere. Saltem multo benignius eos tractat ipſum *Jus Canonicum*, cujus utut hic *Canon* ſit: *Siquis abſcidit ſemet ipſum, id eſt, ſi quis amputavit ſibi virilia, non fiat Clericus, quia ſui eſt homicida & Dei conditionis inimicus*; addit tamen poſtea: *Eunuchus ſi per inſidias hominum factus eſt, vel ſi in perſecutione ejus amputata membra virilia, vel ſi ita natus eſt, & eſt dignus, fiat Epiſcopus*; id eſt, a Clericatu eam ob cauſam non arceatur, nec removeatur. Imò ipſo facto *Exſectos* tales *ad* Sacra munia Antiqui promoverunt. Sic de *Tigrio* quodam, natione barbaro, & exſecto, refert *Sozomenus*, quod, libertatem conſecutus, ad *Preſbyterii* dignitatem evectus ſit. Ut & de *Dorotheo*, Antiochiæ Epiſcopo, Euſebius: *Dorotheum* (inquit) *primatu Eccleſiæ inſignitum cognovimus. Erat autem natura* Eunuchus, *ita ex ipſâ nativitate comparatus*. Sunt (ſcio) qui *caſtratos* ſemper flagitioſos clamitant, eamque ab cauſam muneribus publicis juſte excludi: imò impudenter pronunciaſſe medicum quendam celebrem refert *Zachias*, ne unquam quidem auditum eſſe, *quod aliquis exſectus bonorum morum eſſet*.

Decret. part. 1. Diſt. 55. cap. 3 8.

Sozomen. lib. 8. cap. 24.

Euſeb. lib 7. cap. 32.

Zach. Tr. cit. pag. m. 202.

Scilicet Eunuchus nullâ pietate movetur. *Claudian.*

At verba hæc ſunt, præterea nihil: quis enim docuit id illos μισευνούχους? *vel* an dicent, *exſectionem* illam nequitiam quandam hominum mentibus infundere, quam antea non habuerunt, vel expellere eorum animis virtutem quam imò habuerunt? probent id, & vicerint. Eſt quidem, quod Athanaſii & Nazianzeni tempore *Eunuchi Arianis* ut plurimum faverint; Sic enim de iis Athanaſius *Quem Pater declarat eſſe ſibi Filium, averſantur, & contra eos, qui dicunt eum genuinum Filium ex Patre, rabiunt*) *auri amorem Chriſti amori prætulerint*, Imperatores ad *perſequendum Orthodoxos* concitarint, vix *virile quicquam præter impietatem habuerint*, adeo ut *Eunuchum* & *impium* vocari idem tum eſſet, ut pluribus locis oſtenditur a Nazianzeno. At quis a miſerorum hominum

Athanaſ Ep. ad. vit. Solitar. agent.

Nazianzen. Orat. 20. 21. 23.

num *eviratione* cuncta hæc derivet, & non a prava potius animi ipſorum diſpoſitione naturali? quam cum reliquis hominibus communem quidem habebant, ſed quæ Principum favore, quo ut plurimum fruebantur, non parum ſæpe confirmabatur hocque παῤῥησιαςικωτέρως in machinationes flagitioſas & Eccleſiæ Dei noxias ſubinde erumpebat. Unica igitur opprobrii miſerorum illorum hominum cauſa eſt, ut ut iniquiſſima (neque enim aliud quicquam obtendi poteſt) quod *quaſi extorres ab utroque ſexu aut natura origo aut clades corporis eos ſepararit*, ut loquitur *Mamertinus*; quodque, dum mares eſſe videntur, nec fœminæ ſint, nec mares, ſed ſed fœminæ non fœminæ, viri non viri, adeoque neque viris neque fœminis jure æſtimabiles. *Tertium hominum Genus* Alexander Severus dixit.

XXIII. Non deſunt interim, qui Deum æſtimii hujus diſpendium qualibuſcunque aliis privilegiis repenſitaſſe iis volunt. Teſtibus enim *Hippocrate*, *Galeno*, *Ariſtotele* neque *calveſcunt*, neque *podagrici* fiunt, neque (ut addunt) alii *Elephantiâ* unquam corripiuntur. Quinimo memorabile eſt, quod *Dio* de *Specu Hierapolitano* prodidit: *Ciſterna* (inquit) *undique circumſepta ſtat, ſpiratque aura omnibus animantibus noxia, intereuntque cuncta protinus, qui halitum olfactumve hauſerunt. Hi duntaxat impune peſtifera alioqui ſpiramenta hauriunt, quibus genitalia exciſa ſunt.* Sic illi. Quæ an omnino vera ſunt, ego non determino. Docere ſaltem experientia videtur, ad vocalem muſicam aptiores eos fere eſſe, quam alios; quod *vocem* plerumque *fractam* habeant, juxta *Juvenalem*, adeoque ad venuſtatem in cantando fœmineam accedentem. Licet ſint, qui *fractam vocem* per *laſcivam* & *diſſolutam* interpretari malunt: ſed minus congrue, cum *Eunuchis* peculiariter tribuatur, & qui non exſecti ſunt tam laſcive & diſſolute loqui poſſint, ac ipſi exſecti:

Aëtius lib. 13.

Camer. Oper. Subciſ. pag. 466.

Alexand ab Alexand pag. m. 614.

> *Hic turpis Cybeles, & fractâ voce loquendi*
> *Libertas.*

Alibi explicat ſe *Juvenalis*, dum eviratos *raucam cohortem* indigitat:

Juvenal. Satyr. 6.

> *Mollia qui ruptâ ſecuit genitalia teſtâ*
> *Jam pridem, cui* rauca cohors, *cui tympana cedunt*
> *Plebeia.*

Quæ raucedo, ſi altiuſcule attolli vocem contingat, rumpi vel

fran-

frangi eam facit; atque inde acutior aſperiorque tum ſonus, qui gratiam addere Cantionibus ſolet. Hinc Regiones in orbe Aſiatico non tantum ſed & Europæo invenias, in quibus huic præcipue uſui *Eunuchos* videas adhiberi. Cauſam dictæ *raucedinis* ſic exponit *Farnabius* in Juvenalis allegatum locum: *Rauca cohors Cantu*, inquit, *quod* Eunuchis, *ut & fœminis ex frigore ſuperflui humoris abundantia, arteriam aſperam craſſiorem reddens, vocis meatum anguſtat.*

Farnab. in Juven. Satyr. 6.

XXIV. Huc uſque *in genere* de *Eunuchis* ſive exſectis. *Quæritur* jam in *ſpecie*; 1. An *Potiphar*, dictus סָרִים *Pharaonis*, vere exſectus fuerit? *Reſp.* Affirmat id *Theodoretus*, ab eoque deceptus *Hieronymus Fracaſtorius*, dum, quoties de *Potipharis* uxore loquitur, *Virginem* illam vocat. Ego negandum id puto, ratio eſt, quia favores ſunt ampliandi. Quum ergo vox סָרִים peræque *principem* ſive *aulicum* in Scripturâ ſignificet, ac *caſtratum* ſive exſectum, quidni *prius* potius *Potiphari* adſcribemus, quod favorabilius eſt, quam *poſterius*, quod minus favorabile imo odioſum eſt? niſi textus circumſtantiæ fideive analogia obſtent, quod hic non liquet. Et ſufficit (meo judicio) hæc ratio, ad id, quod intendimus, demonſtrandum. Quod enim alii inferre exinde id etiam velint, quod Potiphar *uxoratus* fuerit, dilutum eſt; quum dubium eſſe vix poſſit, quin apud *Perſas*, *Ægyptios* aliaſque nationes Orientales ipſi quoque *exſecti* matrimonium inierint. Diſerte ſaltem Illuſtr. *Grotius* id pronunciat, dum ait: *Spadones in Ægypto conjuges ſumere ſolebant, ut non omnis voluptatis in venere expertes.* Confirmant id etiam Hebræorum allata verba: dicunt illi de Eunuchis *Solis*, quod non exuerint calceum, neque *uxori* eorum calceus exutus ſit; ut & de Eunuchis *Hominis*, quod calceum exuerint, *uxorique* eorum calceus exutus ſit: quod ſupponit certe, eos *uxoribus* non caruiſſe. Quò & hoc *Seldeni* refer, loquentis de Sacerdotum Iſraeliticorum nuptiis: *Excipiunt* (inquit) *Magiſtri Sacerdotem caſtratum & Eunuchum; eum enim rite potuiſſe ſive proſelytam ſive Libertinam non aliter, ac Iſraelitas cæteros caſtratos ac Eunuchos, ducere aſſerunt.* Ne de *Eunuchorum* uxoribus addam, quæ adulterii ſuſpectæ ad bibendas *aquas amaras* condemnabantur, ne quis opinaretur, eos, quod verorum virorum munus explere non poſſent, virorum privilegio privandos eſſe. Neque fortius ſtringit quod ab aliis adducitur, *Potipharem exſectum* eſſe non potuiſſe,

Theodoret. in Geneſ. quæſt. 98.

Grot. in Deuteron. 25. 1.

Conf. leg. ſi ſerva 39. §. fin. ff. de Jur. Dot. leg. alumnos 14. in fin. ff. de Manum. Vind.

Selden. Ux. Hebr. lib. 1. cap. 7 Acoluth. de Aquis Amaris. cap. 3. pag. 142.

non tantum quod uxorem habuerit, ſed quod liberos etiam procrearit: quod evinci poſſe putant ex Gen. 41. 45. ubi dicitur, Joſephum Aſnath, *Filiam* Potipharæ, Principis *On* (quem eundem hunc Potipharem eſſe volunt) matrimonio ſibi copulaſſe. At fruſtra (inquam) ſunt; ſupponunt enim non ſolum, quod non probant, ſed quod apertè falſum eſt. 1. Quia Potiphar, de quo hic quæritur, non fuit *Princeps* ſive Sacerdos *On*, ſed Princeps *Satellitum*, vel, ut verba propriè habent, Princeps *mactantium* ſive *jugulantium*,

Simſon. Chron. Cathol. part. 1. pag. 30.

Cohen, id eſt, Sacerdos Heliopoleos; quæ multum differunt. 2. Quia omnem fidem videtur ſuperare, quod *Joſephus*, totius Ægypti tum Pro-Rex, ejuſdem fœminæ Filiam in uxorem ſibi ſociaſſet, quæ antehac ad tam nefandam impuritatem ipſum ſollicitârat. Addunt

Martyr. in Geneſ. 41. f. 165. b. 166. c.

alii, quod *Joſephi* dominus Potiphar vocetur, ſocer vero ejus non *Potiphar* ſimpliciter ſed *Potiphera*, adjectâ litterâ י. At elumbe argumentum id eſt; quum variationes iſtiuſmodi, in uno eodemque nomine, ſat frequentes in Scripturâ occurrant. Quicquid ſit, ad deliramenta ſaltem Judæorum releganda ſunt, quæ otioſi quidam homines de *Potiphare* hoc in ſcenam produxerunt: nempe illum in finem *Joſephum* emtum ab eo eſſe, ut, cum juvenis formoſiſſimus eſſet, abominabili ejus ſtupro libidini ſuæ ſatisfaceret; Deumque ipſi, ut id caveret, virilia exſiccaviſſe, ita quidem, ut cum poſtea inhabilis eſſet ad conjugium tanquam caſtratus, ad ſacerdotium fuerit electus: vel, quod *Rabbi David* commentus eſt, uxo-

Druſ. in Deut. 23. 1

ratum tamen *Potipharem* fuiſſe, licet *Eunuchum*, quod teſtes quidem ejus caſtrati eſſent, non vero ejus nervus, id eſt, virile membrum, explicante *Druſio*. Nullum enim aliud fundamentum hæc habent, præter impudentiſſimam Talmudicorum quidlibet fingendi & ſcribendi licentiam.

XXV. *Quæritur* 2. de Reginæ Candacis *Eunucho*, quis qualisve is fuerit? *Reſp.* Nomen ejus quidam faciunt *Judich*, cenſentque

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 1. Lud. de Dieu Obſerv in N. T. ad Actor. 8. Alſted. Paratitl. Theol. pag. 42.

ipſum, jam a *Philippo* converſum, omnium fuiſſe primum, qui Evangelium *Æthiopibus* annunciavit. *Lucæ* nuncupatur Ἀνὴρ Αἰθίοψ εὐνοῦχος, δυνάστης Κανδάκης τῆς βασιλίσσης Αἰθιόπων. Act. 8. 27. Hinc *Candace* nomen hujus *Eunuchi* non fuit (ut perperam autumavit *Nazianzenus*) ſed Dominæ ſeu Reginæ ipſius. Multo minus regio, unde acceſſerat, *Candacis* nomen geſſit, ut (*Alſtedio* teſte) Theologus quidam Hiſpanus ſomniavit, Reginam *Candacen* per Reginam *de Candacia* exponens. Reclamant enim illi figmento omnes Geographi, omnes Hiſtori-

ci.

Digitized by Google

ci. An vero *exſectus* & *eunnchus* propriè dictus fuerit, perquam perplexum eſt: in negativam propendent Eruditorum plurimi, *Calvinus, Beza, Bullingerus, Heinſius, Freidlibius, Ravanellus, &c.* exiſtimantque eum ob dignitatem tantum, quâ gaudebat, vocatum ita fuiſſe. Neque deeſſe videtur ratio, quia non ſolum Dynaſtes Reginæ vocatur, ſed & ipſiſſimis exprimitur verbis, qualenam ipſi munus a Dominâ ſuâ demandatum fuerit: nempe omnium Theſaurorum ejus cura & cuſtodia; cui quidem negotio præcipue adhiberi ſolebant *Eunuchi*, quos *dignitatis* ſupra nominavimus, id eſt, Regum & Reginarum honoratiores miniſtri. Cæterum Æthiopem hunc uxoratum fuiſſe, vix certo affirmes, minime quidem inde id colligas, quod non tantum εὐνοῦχος ſed ἀνὴρ εὐνοῦχος nuncupetur, id eſt, *vir eunuchus.* Neque enim vocabulum Ἀνὴρ *ſexus* diſcriminativum vel *conjugii* indicativum ſemper eſt, ſed ſæpe nihil aliud quam τὶς, id eſt, *quidam* ſignificat, ſic Zach. 8. 23. *Vir Judæus* quis dicitur, id eſt, ſimpliciter Judæus; & alibi *vir Abiezer*, id eſt, ſimpliciter Abiezrita, nullo ad ſexum vel matrimoniū reſpectu habito.

XXVI. *Quæritur* 3. An Daniel *eunuchus*, id eſt, vere caſtratus fuerit? Reſp. Affirmant id communiter Judæi, ſicut *Prophetam* eum fuiſſe præfractè negant, ad hagiographa Librum ejus referentes, quia *aulicus* fuit. Certant, ut ſententiam ſuam confirment, verbis plerumque tum Eſaiæ cap. 39. 7. *De filiis tuis, qui exibunt de te quos genueris, tollent, & erunt* Eunuchi (in Orig. סָרִיסִים) *in Palatio Regis Babyloniæ*; tum ipſius *Danielis* cap. 1. 3. 6. *Et ait Rex Aſphenes Præpoſito* Eunuchorum, *ut introduceret de Filiis Iſrael, & de Semine Regis. Fuerunt ergo inter eos de Filiis Juda Daniel, Ananias, Miſael & Azarias. &c.* At quid inde? ergone *Daniel* fuit *exſectus*? negatur illa ſequela: quia (ut ſupra oſtenſum) vox סָרִיסִים non minus *Regum* ſignificat *Miniſtros*, quam propriè *dictos* caſtratos. Vertit, fateor, Hebræam vocem per *eunuchos* Hieronymus, cum quibusdam aliis, qui Verſione ejus uſi ſunt, ſed qua de cauſa id fecerit, facile ſubolfeceris: Oſor ille ſingularis fuit ſtatus *matrimonialis*, unde factum, ut quotquot poterat Scripturæ invenire loca, *virginalem* vitam commendantia etiam vel minimâ tantum ſpecie, eò rapuerit. *Piſcator, Belgæ* aliique habent *Aulicos* Conf. Gen. 37. 36. Bene Forerius: *Eunuchi*] סריס *forte nomen peregrinum ſeu Ægyptiacum eſſe videtur, quo is appellatur, qui Regi erat a negotiis aulicis, maxime autem curandis cubiculis.*

Maimon. Mor. Nevoch. lib. 2. cap. 45.

Forer. in Eſ. 37. 7.

Digitized by Google

Hinc Hieronymus vertit Eunuchus, i. e. *Cubilis Cuſtos*, *& licet illi quoque interdum caſtrarentur*, *ut de fide continentiæ minus ſuſpecti eſſent*, *tamen non omnes Spadones fuiſſe conſtat ex nonnullis S. Scripturæ locis.* Sunt, qui Judæorum huic hypotheſi Ezechielis verba cap. 14. 14. etiam opponunt, *Si fuerint tres Viri iſti in medio*, *Noe*, Daniel, *Job*, *nec filios nec filias liberabunt*, autumantes *Danieli* ibi filios adſcribi, adeoque *caſtratum* eſſe non potuiſſe; at non cogit illud argumentum, quia locus ille de peculiaribus Sanctorum illorum liberis non loquitur, ſed de filiis & filiabus tantum in communi; *Soonen en Dogteren*, non haare *Soonen en Dogteren*, habent Interpretes Belgæ.

XXVII. *Quæritur* 4. Quid de Lege Deut. 23. 1. ſtatuendum, quâ omnes in V. T. *Eunuchi* Congregatione Jehovæ eliminabantur? verba ſic ſonant: *Ne vulneratus teſte neque exſectus virilitate venito in Congregatione Jehovæ.* Reſp. Non eſt conſenſus inter Interpretes, quid per *ingreſſum in Congregationem Jehovæ* intelligendum *ſit*. Judæi indicari per eum volunt matrimonium cum muliere Iſraeliticâ initum; adeoque, dum arceri exſectos a *Congregatione Jehovæ* debere dicitur, nihil aliud id eſſe, quam admittendos illos non eſſe ad communionem cum populo Dei, & jus Iſraelitidem ducendi; ſed quam abſurdi in eo ſint, multis eos docuit Celeberr. *Junius*, quæ non repetimus. Unde nec bene tum Hebræorum tum Chriſtianorum aliqui ex eodem hoc loco educere voluerunt, omni *univerſim* matrimonio *Eunuchis* interdicendum eſſe. Nam utcunque textus is ageret de matrimonio (quod hactenus non probatur) non loquitur tamen de *omni* matrimonio cum qualicunque muliere ab *Eunucho* ineundo, ſed de eo tantum, quod cum Iſraelitide contraheretur. Licet negandum alias non ſit, plenam periculi rem eſſe, viris iſtis *non viris* uxorem ducendi libertatem temere permittere. Extat eâ de re haud illaudabilis *Leonis* Conſtitutio, quâ nulli non *exſecto* matrimonio ſeverè interdixit. Cumque objici poſſe videret, quod ſi propter ſterilitatem *Eunuchi* a conjugio ſint excludendi, multis etiam aliis prohiberi id oportere, cum non omnes, qui uxorati ſunt, fœtificos ſe præſtent, ſequentem in modum difficultatem illam tollit: *Tametſi* (inquit) *nullus ex iis fœtus gignatur*, *non tamen in hoc congregati ſunt*, *ne quam communi vitæ utilitatem conjugalis copulæ adferant*, *cum potius contra procreandorum liberorum deſiderio congregatos conſtet*, *quos effectum deſiderio reſponſurum opinantes*, *in eventu ſpes fefellerit.* *Hic*

Jun. in Deut. 23.

Leon. in Conſt. ad Styli. n. conſt. 98.

Hic vero ut tale quid dici poſſit, permultum abeſt, cum qui ad peregrinam illam immixtionem convenerunt, liquido ſcientes ſe ſteriles ac ad gignendum inutiles convenire, naturæ quaſi inſidiati ſint. At ſane ob hoc duntaxat odio etiam ambo digni ſunt; mulier quod cum conjugalis conſuetudinis cupida, fœcundo ſe jungere poſſet, infœcundum & ſterilem prætulerit: Eunuchus vero, quod ut in vacuum Dominus benediceret, impotentiâ ſuâ effecerit. Si quis porro fundum, ex quo alias aliquis fructus metat, vaſtet & incultum relinquat, at non hunc tanquam malum atque pernicioſum odio habemus, ejuſque, ſi fieri poteſt, inſtitutum reprimemus: illi vero, qui fundum, ex quo ratione præditum germen pullulet, deſolat & inutilem reddit, tanquam nihil indignitatis committat, id facere permittemus. Alii ſunt, qui, & (noſtro judicio) melius per introitum in *congregationem Jehovæ* intelligunt admiſſionem ad publicam & politicam populi Iſraelitici gubernationem. *Venire* (inquit Piſcator) *in congregationem Jehovæ puto eſſe venire in ſenatum ſive in Conſeſſum judicum, id eſt, per ſynecdochen membri, gerere officium magiſtratus*: Cumque dicitur excludendos a congregatione hac eſſe contritos vel *exſectos*, ita id interpretantur, perſonas iſtiusmodi publicis adminiſtrandæ Reip. muniis non admovendas, imo vero plane arcendas iis eſſe.

Piſcat. in Deut. 23. 1.

Mus Var. Sacr. in Deuteron. 23. 1. 2.

XXVIII. Ratio hujus Legis hæc communiter adfertur: quod *Eunuchi* muliebres potius quam viriles habendi videantur, utpote fracti paſſim non *corpore* tantum ſed & *animo*, adeoque ad gubernationem publicam vix ipſis fœminis habiliores. At ſupponitur in hac ratione, quod a plurimis nequaquam concedetur; ineptiores nempe eſſe ad agenda publica qui virilibus carent, quam qui iis non carent. Plane ſaltem aliter de iis judicavit *Xenophon*, cujus verba non pigebit huc transſcribere. *Quod autem maxime quis exiſtimet* (inquit) *Eunuchos imbelles effici ne id quidem Cyro videbatur. Et heic ei argumento erant animalia quoque cætera. Nimirum feroces & inſolentes equi, ſi caſtrentur, deſinunt illi quidem mordere, ac inſolentes eſſe, ſed nihilominus ad res bellicas idonei ſunt: & tauri, ſi caſtrentur, nonnihil de ferocia & contumacia remittunt, ſed robore ſuo tamen & viribus ad laborandum haud deſtituuntur; eodemque modo canes caſtrati, non amplius Dominos illi quidem deſerunt, ſed ad cuſtodiam & venationem nihilo redduntur deteriores. Sic & homines magis ſedati fiunt, ubi hæc cupiditas eis eſt adempta. Neque tamen vel negligentoires ſunt in exſequendis iis, quæ imperantur, vel minus ad*

Xenoph. de Inſtit. Cyri lib. 7. pag. m. 571.

equitandum vel jaculandum idonei, *vel minus honoris & gloriæ cupidi. Imo tum in bellis tum in venando manifeſte declarant*, *in animis ipſorum* Strab. lib. 12. pag. 374 *quoddam contentionis ſtudium* (φιλόνεικον , id eſt, *ſtudium vincendi alios*) *ſupereſſe.* Ut neque eximiâ animi fortitudine caruit *Phileterus* ille *Thianenſis* (cujus meminit *Strabo*) dum *Pergami* Præfectus (quod tum vix plus quam *Caſtellum* fuiſſe aliqui autumant) *Arſinoæ Lyſimachi uxori inviſus factus*, *ab eâque coram Rege accuſatus*, *id tamen utut* Eunuchus *efficere potuit*, *ut Caſtellanos omnes ad defectionem adduxerit*; *imo vero*, *exortis deinde multis bellorum in Aſia motibus*, *tantum ingenio polluerit*, *ut Lyſimacho a Seleuco Nicatore*, *& hoc iterum a Ptolomæo Ceraunο e medio ſublatis*, *per totos viginti annos caſtellum pecuniamque*; *in eo aſſervatam* (erat enim Alexandri ſucceſſorumque ejus ταμεῖον) *ſecurus poſſederit*, *Eumenique fratris ſui filio moriens reliquerit.* Et quid de *Narſe Eunucho*, Imperatoris Juſtiniani Cubiculario, num virtute & induſtriâ clarus etiam fuit? Hic enim utut *bibliopola* prius, poſtea tamen, ob egregias animi dotes, *patriciatus* honore auctus fuit, ac deinde, in locum *Beliſarii* Ducis ſurrogatus, miſſuſque in Italiam, *decem* ibi annis variis eventibus fortiter pugnavit, tandemque *Gothos* inſigni prælio ad *Anienem* fluvium fudit. De *Poſidis* Spadonis, Claudii liberti, virtute etiam *Juvenalis*,

Juvenal. Sat. 14. *Ut* Spado *vincebat Capitolia noſtra* Poſides.

Quid etiam *Bagoas*, alii legunt *Bagoſas*, Eunuchus? hiccine in aulâ Artaxerxis Ochi adeo potens & induſtrius fuit, ut ſine ipſo nihil ageretur? ne de expeditionibus ejus bellicis quid dicam. Mitto plurium aliorum exempla, quos contumelioſa alias eviratio juſtâ ad gubernandum & præliandum dexteritate minimè privavit. Adeo ut fruſtra ſit Clariſſ. *Salmuthus*, dum inſit: *Nam ſi ſic* exſectis membris, *aufertur ab aliquo viriditas illa*, *quæ homini naturaliter inſita eſt*; *quantum virium vel roboris in bello habiturum cenſes* Eunuchum. *Quomodo autem lacertis ac viribus pugnabit*, *cum teſtes*, *a quibus diffunditur eliciturque virilis pars hominis*, *ablati ſunt*? Ne de *Ariſtotele* addam, qui omne animal *caſtratione* plus manſueſcere aſſeruit, ſolo homine excepto, qui non manſuetior ſed ferocior eâ ſit. Multo proinde veroſimilius eſt, ideo ex Dei Lege dignitates publicas *Eunuchis* demandari non licuiſſe, quia periculum erat, ne Magiſtratus per eos excellentia qualicunque contemtui apud populum exponeretur; cum promptiſſimum ſit, talibus corporis ſui vitium exprobrare, eaque exprobratio redundare facile poſſit in ipſum munus, quod ab ipſis geritur. Palam id eſt in *Narſis* de

Salmuth ad Paucier. lib. 1. tit. 45. & lib. tit. 2.

de quo mox diximus, exemplo; hic enim, utcunque rebus geſtis apprimè clarus eſſet, *eunuchiſmi* ſui ignominiam & improperationem evadere tamen non potuit. Ita enim de eo *Sophia* Imperatrix, *Juſtini Minoris* conjux, ad *Romanos:* Ponam *illum caſtratum in gynecæo ut penſam filet, lanam cum puellis.* Quo ſcommate adeo quidem contemtibilem eum reddidit dictis Romanis, ut in hæc verba proruperint: *Melius nobis eſſet ſervire Gothis, quam Græcis, ubi Narſes caſtratus imperat, & nos ſervitio premit.* Unde & alii falsè nonnunquam de eo: *Mirum eſt, Gallum contra Gallos tam vehementer belligerare.* Faciunt huc *Forerii* iterum verba. *Ecce ego lignum aridum*] id eſt, *Arbor, quæ exaruit, quæ non eſt utilis niſi in ignem & incendium. Vel* lignum aridum *ſe appellabat* (Eunuchus) *quod arbores aridæ non ſint adſpicientium oculis grata & quaſi pudefiant*: Eunuchi *vero excluſi ab Eccleſiâ* (vel etiam Reip. adminiſtratione, utrumque enim intelligit per remotionem *a Congregatione Jehovæ*) *veluti inutiles & publicæ functioni inepti, non poterant non* pudefieri. *Quare & nomen, quo hic uſus eſt Propheta, a verbo eſt, quod* areſcere *proprie & in Hiphil pudefieri interdum notat, ut ſupr.* 30. *& Jer.* 1. *&* 6. *&* 10. *&c.* Ipſe Ambroſius *Calligono*, Eunuchorum apud *Valentinianum* præfecto, *evirationem* ſuam per contemptum improperavit: huic enim perniciem Sancto viro minitanti ac dicenti: *Me vivo tu contemnis* Valentinianum? *Caput tibi tollam*, animosè repoſuit: *Deus permittat tibi facere quod ais & minaris, ego enim patiar quod Epiſcopi eſt, tu facies quod* Spadonis *eſt.* Ac minus quidem mirabitur quis Divinum hoc de *exſectis* inſtitutum, ſi conſideret, neminem quoque ad Sacerdotium ac imprimis *Pontificatum* in V. T. admiſſum fuiſſe, niſi qui omnibus corporis vitiis (quæ ad 142. numerum extendunt Talmudici) expers eſſet. Levit. 21. 17. ſpeciatim nullo etiam in vaſis *ſeminariis* defectu laborabat, ut membri genitalis compreſſione, contuſione, avulſione, abſciſſione, vel teſticuli contuſione & compreſſione, vel parte teſticuli exſectâ, vel teſticulo unico, &c. quinimo ne *ullum* quidem animal *caſtratum* offerri Deo licitum unquam fuiſſe, ut verba Legis diſerte habent: Levit. 22. 29. *Compreſſum vero aut contuſum, aut avulſum, aut exciſum ne offertote Jehovæ, & in regione veſtrâ ne fieri ſinatis illud.* Quare & communibus calculis pronunciant *Magiſtri*, nullum animal caſtrare, aut qualiacunque *membra ſeminis*, id eſt, generationis, præcidere, aut infœcunda reddere integrum Iſraelitis fuiſſe. Imo inter ipſos Paganos ſunt, qui ab agendis publicis *caſtratos* remo-

Hottinger. Hiſt. Eccleſ. tom. 1. pag. 316.

Abb. Urſpergenſ. in Chronic.

Salmuth. loc. cit.

Forer. in Eſ. 56. 3.

Coſter. in Vit. Ambroſ.

Selden. de Succeſſ. in Pontif. lib. 2. cap. 5.

Bochart. de Animal. Lib. 2. cap. 46. p. 522.

removerant, *Lucianus*: Μὴ δὲ τὴν ἀρχὴν θέμιτον εἶναι τῷ Βαγώᾳ μεταποιεῖσθαι φιλοσοφίας, καὶ τῶν ἐπ' αὐτῇ ἀριστείων, εὐνούχῳ γε ὄντι· ἀλλὰ τοὺς τοιούτους οὐχ ὅπως τούτων ἀποκλείεσθαι ἠξίουν ἀλλὰ καὶ ἱερῶν αὐτῶν, καὶ περιρραντηρίων, καὶ τῶν κοινῶν ἁπάντων συλλόγων. *Neque principio Bagoa licere, cum Eunuchus eſſet, Philoſophiam ejuſque præmia ſibi vindicare, ſed & tales ab his non ſolum excludendos cenſent, ſed & ab ipſis Sacris & aſpergillis & publicis omnibus cœtibus*: juxta hoc *Claudiani*:

Claud. lib. 1. in Entrop.

Hi nullas meriti vittas ſemperque profani.

Clemens Alex. Stromat. III. p. 468.

XXIX. Quæ cum ita ſint, toto certè errarunt Cælo, qui quicquid de *exſectis* hic dicitur, ad meram *allegoriam* traxerunt, per *exſectos* & *eviratos* tales tantum perſonas intelligentes, quæ omni ſpirituali dote deſtitutæ erant, & nihil cum veritate & pietate commune habebant. Sic Clemens Alexandrinus (ne plures e Patribus adducam) Εὐνοῦχος οὐχ ὁ κατηναγκασμένος τὰ μόρια, οὐδὲ μὴν ὁ ἄγαμος εἴρηται, ἀλλ' ὁ ἄγονος ἀληθείας. Eunuchus *non qui per vim exciſas habet partes, ſed qui cœlebs eſt, dictus eſt, ſed qui non gignit veritatem.* Si enim talis interpretatio teneat, quid per *ſpurios*, quid per *Ammonitas*, quid per *Moabitas*, quorum etiam mentio hic fit, quoſque non minus, quam *exſectos virilitate*, a gubernatione publica arcendos eſſe eodem halitu mandatur, intelligendum erit? an tota eorum ratio etiam non aliter quam allegoricè erit explicanda? quis hoc dixerit? Aliud eſt, ſiquis præter id, quod Legis verba expreſſe innuunt, etiam aliud quid, per ſenſum myſticum, indicari iis putet, ſive moralem quendam uſum elicere inde præſumat; ut fecit D. Paræus, cum dixit: *De caſtratis & ſpadonibus hæc cauſa fuit; voluit Deus ſignificare, quod Cives populi debeant eſſe viri honeſti, & perfecti in partibus fidei & pœnitentiæ.* Nam hoc pacto non negatur, de veris tamen *exſectis* ſermonem ibi eſſe, quod Patres quidam negant, & expoſitione ſuâ allegoricâ convellere intenderunt. Obſervandum tamen, cum Eunuchos in V. T. *congregatione Jehovæ* eliminatos fuiſſe dicitur, id de eliminatione vel excluſione *morali* intelligendum non eſſe, id eſt, de tali, quæ æternæ ipſorum ſaluti fraudi eſſe potuerit, modo cæterâ Deum vere timerent: abſit. Totum enim hoc ceremoniale vel potius politicum fuit, œconomiæ iſtorum temporum attemperatum; ſub quâ plurimi etiam alii, vere tamen pii, ob qualemcunque im-

Paræus in Deut. 23. 1.

Eſ. 56. 3. 4.

immunditiem *Legalem* a Tabernaculo nonnunquam arcebantur, adeoque nonnunquam etiam (ut hic) a dignitatibus *Politicis*; nam ad ipſa *Sacra* admittebantur etiam *exſecti*, *ſpurii*, *Ammonitæ* & *Moabitæ*, modo legibus & ceremoniis *Moſis* initiati eſſent, & ſe contra Legis præceptum non polluiſſent. Vide Exod. 12. 48. *Quodſi peregrinabitur apud te* peregrinus, *qui facere voluerit Paſcha Jehovæ, circumciditor ei omnis Mas, tum demum accedito ad faciendum ipſum, & eſto ſicut ipſe indigena terræ. At nullus præputiatus veſcitor illo.* Adde Levit. 22. 18. *Alloquere Aaronem Filioſque ejus, & omnes Filios Iſraelis, dicens eis, quicunque e domo Iſraelis, aut ex* peregrino, *qui erit in Iſraele, oblaturus erit oblationem ſuam, ſecundum omnia Vota ſua, & ſecundum omnia voluntaria munera ſua, quæ offerunt Jehovæ in holocauſtum.* Non loquuntur quidem Loca illa inſignitè de *exſectis* ſed de *peregrinis*; at ſimilium ſimilis eſt ratio. Sociantur cum ſe invicem in verbis *Deuteronomii*, quidni ergo & hic conjungendi ſunt, & ſub peregrinis *evirati* etiam comprehendendi? Conf. Num. 9. 14. *Hæc porro verba* (inquit Muiſius locum Deuteronomii reſpiciens) *non eſſe ita accipienda, ut ſonent* Sacrorum *interdictionem, ſatis evincunt Leges* Exod. 12. 48. Levit. 22. 18. Num. 9. 14. Quod vero Lex hæc, ut ſic, nihil *moralitatis* proprie continuerit, hinc quoque conſtat, quia obligationis perpetuæ non fuit, ſed tantum temporariæ: obligare enim deſiit mox a reditu Iſraëlitarum e *Captivitate Babylonica*, ut nonnulli volunt; ceſſat ſaltem jam, ut nemini dubium eſt, ſub *Evangelii* temporibus. Eſ. 56. 3. 4. 5. 6.

Levit. 22. 18.

Eſai. 56. 4.

Muis. Var. Sacr. ad Loc. Deuter. 23. 1.

Calvin. in in Eſ. 56. 3. 4.

EXERCITATIO VII.

DE

SUSCEPTORIBUS.

BREVIARIUM.

Suſceptorum *nomenclatura apud varios varia. Unde ἀνάδοχοι dicti?* Patrimi & Matrimi *voces male iis applicatæ.* Origo *eorum e Vet. Teſt. non derivanda. Locus Eſ.* 8. 2. *illuſtratus. Hebræorum* אֲבִי הַבְּרִית *in Circumciſione.* Teſtes *habuerunt Hebræi in* Circumciſione *non* unum *tantum ſed* plures, *minimum tres, eoſque defæcatiſſimi ſanguinis Iſraelitas & Jureconſultos.* Ὑποβολιμαῖον *Dionyſii teſtimonium rejectum. Suſceptorum ortus a quibuſdam ad* Hygini, *ab aliis ad* Tertulliani *tempora relatus. Sententia Autoris. Suſceptorum* duplex *in Vet. Eccleſia genus,* Parvulorum *unum,* Adultorum *alterum.* Hoornbekius *laudatus. Mos adhibendi* Suſceptores *juris non* Divini, *ſed* humani. *Quo ſenſu licite tamen in Eccleſiis hactenus obſervatus?* Auguſtini *monitum ἀξιομνημόνευτον. Ætate minorennes, Hæretici, aperte impii, Seneciones decrepiti in* ſuſceptores *nec advocandi nec admittendi.* Joh. Gerardi *χρησφύγετον explosum.* Uriæ Sacerdotis & Zachariæ *ex Eſ.* 8. 2. 2. *exempla perperam adducta. Locus* 2 *Reg.* 16. 10. 11. 12. *vindicatus.* Objectiones & inſtantiæ *excuſſæ.* Baptiſmi *formulæ Eccleſiarum* Palatinarum & Belgicarum *ut differant? Ex* ſuſceptione *qualis obligatio? Conſectarium inde deductum.* Murettæ *Diaconi in Elpidopho-*

dophorum animoſitas. Bucerus *ad partes vocatus.* Objectiones *eliſæ. Formularum* publicarum *interpretatio ad quos pertineat? Ad curam educationis liberorum quomodo* Parentes *quomodo* Suſceptores *obligati?* Eſtius *refutatus. Loquendi modus van* het Kint te heffen *unde? Pontificiorum inter* Teſtes & Suſceptores *diſtinctio exploſa. Quæſtio de* genuino fœderationis Infantum indicio *expedita.* Cauſa *fœderationis ſpiritualis alia* eſſendi *alia* cognoſcendi. Prior *mera Dei gratia,* poſterior *Parentum fœderatorum baptiſmus & vita, quantum liquet, pia.* Balduinus *notatus. Infantes in* proximis *non tantum, ſed in* remotioribus *etiam Parentibus cenſendi.*

I.

NOminibus variis Scriptores olim deſignarunt, qui præter Parentes baptizandis parvulis adſiſtebant. Dicebantur ipſis *Sponſores, Fidejuſſores, Vades, Proteſtantes, Patrini Matrini, Patres Matreſque Spirituales, Compatres, Commatres, Offerentes, Teſtes, Geſtantes, Porrectores, Fide-dictores, &c.* Græce ἡγεμόνες, κατηγεμόνες, σύντεκνοι; at propriiſſime ἀνάδοχοι ſive *Suſceptores,* ab ἀναδέχομαι, quod proprie eſt *excipio, ſuſcipio;* licet & *expromittere* & *ſpondere* nonnunquam ſignificet. *Patrimos & Matrimos* etiam vocavit Platina: *Voluit* (inquit) *Hyginus, unum ſaltem Patrimum unamve matrimam baptiſmo intereſſe:* ſed erroneè: quum, teſte *Feſto, Patrimus ſit, non qui compater alicujus eſt, ſed qui, cum Pater ipſe ſit, patrem tamen adhuc habet,* ut & *Matrima,* quæ dum matrem adhuc habet, ipſa tamen mater eſt. Conſentit *Feſto* Eraſmus in *Scholiis* ad *Hieronymum,* dum ait: *Patrimi dicuntur, quorum Patres adhuc in vivis ſunt; ut* Matrimi, *quarum Matres adhuc ſuperſunt.* Sunt, qui abſolvere hoc errore *Platinam* conati ſunt, totum eum deſcriptori & Amanuenſi ejus impingentes: ſic Clar. *Maſtrichtus* J.C. cujus hæc verba ſunt: *Eſt vero ille error deſcriptoris Platinæ, qui pro Patrinis patrimos legit. Nam & in cap.* 101. *diſt.* 4. *de Conſecr.* Patrinus *Legitur.* Quæ conjectura non plane improbabilis eſt.

Iſidor. de Offic. Divin. lib. 2. *cap.* 81.

Tertull. de Baptiſm. cap. 8.

Platin. de Vit. Pontif. pag. m. 39.

Eraſm. in Scholiis ad Hieronym. in Jovinia. lib. 1.

Maſtricht de Suſcept. p. 7. 8. 9. 14

II. Suſceptorum incunabula quidam ab ipſius populi Iſraelitici moribus derivarunt, trahentes eò locum Eſ. 8. verſ. 2. *Edixit Jehova,*

ſume tibi volumen magnum & inſcribe ei ſtylo humano, MAHER-SCHALAL-CHAS-BAZO: *quamobrem adhibui mihi* teſtes fidos, *Uriam ſacerdotem & Zecariam*, *filium Jebereciæ*, *& congreſſus ſum cum Propheiiſſa*, *concepitque & peperit filium*, *& dixit Jehova*, *voca nomen ejus Maher-Schalal-chaſ-Bazum.* At planè ἀπροσδιονύσως: 1. Quia Viri illi non vocabantur in *teſtes* Circumciſionis Filii prophetici (quod hic ſupponitur) ſed ipſius Prophetiæ, ut optime obſervarunt *Interpretes Belgæ*, in notis ad hunc Loc. Quibus conſonat *Fererius*, dum ait: *Crediderim ſane*, *quod*, *quia non credebat populus Domino promittenti devaſtationem Syriæ & Samariæ*, *obteſtatus ſit viros duos prædictos*, *ut eſſent ſibi teſtes*, *quod eis denunciarit tam illorum regnorum*, *quam ipſorum Judæorum*, *qui verbis ipſius nolebant fidem adhibere*, *devaſtationem*, *quin etiam illius temporis*, *quo Scriptura exarata eſt*, *teſtes idonei & memores eſſent.* 2. Quia in parvulorum Circumciſione Judæi non *duos* admiſerunt teſtes, ſed *unum* tantum, quem אֲבִי הַבְּרִית *Patrem fœderis* appellabant; vel etiam quandoque סַנְדָּק, id eſt, *Suſceptorem.* Utcunque poſt diſperſionem, cum periculum fore putarent, ne filiorum ſuorum inſitio in Dei fœdus in dubium a quoquam traheretur, multiplicarint eos teſtes, neque pauciores admiſerint, quam *decem.* Admittebant etiam peregrinos, qui proſelyti fierent, ad baptiſma & circumciſionem adhibitis teſtibus, ſed nunquam *uno* vel *duobus* tantum, ſed *tribus* ſemper, ut apud *Maimonidem*, *Buxtorſium*, *Seldenum* alioſque videre eſt. Debebant vero *teſtes* illi eſſe, כשרים לדון, *qui ritè judicia exercere poſſent*, id eſt, ſanguinis defæcatiſſimi Iſraelitæ, *etiam & Juriſconſulti* (inquit Seldenus) *tale fori genus*, *quod ſive auctoritate publicâ*, *ſive velut ex compromiſſo ſeu auſpiciis eorum intererat*, *ſelectum erat.* Quinimo triumviratus hic Proſelytorum *Baptiſmo* aſſiſtens adeo erat neceſſarius, ut, ſi pauciores adeſſent, *Baptiſmus* irritus nec pro initiamento haberetur. Adhæc cavere non tantum *teſtes* illi debebant, ut omnia rite in Baptiſmo præſtarentur, & de iis more majorum præſtitis teſtimonium perhibere, ſed & baptizandum, in aquâ conſtitutum, de gravioribus & levioribus *Legis* præceptis de novo condocefacere. 3. Quia, etiamſi Eſaias *duos* illos Viros in Circumciſionis filii ſui *teſtes* advocaſſet, *facti* id tantum fuiſſet, non *juris*, exempli, non præcepti; quod *poſterius* tamen volunt, qui telo hoc pugnant.

Belg. in Eſa. 8.2.

Forer. in eund. Loc.

Buxtorf. Lexic. Rabb. pag. 1512

Selden. de Jur. Natur. & Gent. lib. 2. *c.* 2. *p.m.* 139.

Lichtfoot. Hor. Heb. in Matth. 3. *verſ.* 6. *p.* 222.

4. Præ-

4. Præterquam quod putandum non ſit, omnia circumſtantialia & ritualia, quæ in populi Iſraelitici *Circumciſione* locum habuere, peræque Chriſtianorum *Baptiſmo* applicabilia eſſe.

III. Neque ſpecioſius alii, utut pauci, *Suſceptorum* originem Chriſti Apoſtolorumque temporibus attribuerunt; cum nulla ejus in Scriptis Euangelicis vel Apoſtolicis vola vel veſtigium ſit. Meminit perſæpe Hiſtoria Sacra Baptiſmi & Baptizatorum, ſed *Suſceptorum* vel *Sponſorum* nunquã & nullibi. Tametſi nullo ſolidiore & evidentiore argumento B. Paulus, iniquiſſimâ ſuſpicione gravatus, quod in proprium nomen quoſdam baptizaſſet, tueri ſe potuiſſet, quam ſi ad *Sponſorum* hujuſmodi *baptiſmalium* (ſi adfuiſſent) teſtimonium provocare integrum ipſi fuiſſet. Vid. 1 Cor. 1. 13. Imo certum eſt, ne quidem mox poſt Apoſtolorum exceſſum notos illos fuiſſe. Neque enim dentiſcalpio dignum eſt, quod quidam e Libro quodam *Dionyſii Areopagitæ* ad nauſeam uſque reponunt, cum jam dudum a *Coco*, *Riveto*, aliiſque demonſtratum ſit, Scriptum illud non γνήσιον ſed ὑποβολιμαῖον & ſuppoſitium planè eſſe. Ipſe *Bellarminus*, qui in reliquis, quæ in defenſionem Eccleſiæ Romanæ profert, nihil fere magis quam *Antiquitatem* crepare ſolet, hic tamen in adducendis Veterum ſuffragiis mutus magis eſt, quam piſcis.

Vice-Com. de Antiq. Baptiſmi Ritib.
Covarruv. de Matrim. part. 2. c. 6.
Rivet. Critic Sacr. lib. 1. p. 105

IV. Fuerunt ergo, qui *ad Higinum* (quidam legunt *Hyginum* cum y, alii *Iginum* ſive *Iginium*) Epiſcopum Romanum, qui ſedit circa A. 154. *Suſceptorum* primordia retulerunt. Ita Polydorus Virgilius: *Iginius* (inquit) *Romanus Pontifex ſtatuit, ut unus, quem* compatrem *vocant*, uti *teſtis intereſſet*, Baptiſmo ſcil: Qui & plurimos Eruditorum ὁμοψήφους nactus eſt; at lubrico ſtantes fundamento: quum non tantum *Damaſi Gloſſa* in *Higini* hujus vitam ſcripta, cui primario nixa eſt hæc opinio, jure ſuſpecta ſit, ſed & ipſe *Polydorus Virgilius*, in rerum præcipue religioſarum originibus eruendis, non raro fallat aut fallatur, quod multis inſtantiis, ſi id jam ageretur (ipſis hoſtibus judicibus) demonſtrari poſſet. Qui itaque accuratius hic videri volunt ἱστορεῖν, ad tempora *Tertulliani*, qui Seculo *tertio* floruit, maluerunt deſcendere: prout citra omne dubium is etiam eſt, qui primus omnium in Scriptis ſuis ἀναδέχων horum meminit, Libro nempe, quem de *Baptiſmo* conſcripſit, ubi hæc extant verba: *Quid enim neceſſe*

Polydor. Virgil. de Inv. lib. 4. cap. 4

Tertull. de Baptiſm. cap. 18.

eſt ſi tam neceſſe, SPONSORES etiam periculo ingeri, cum & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſint, & proventu malæ indolis falli. Sed adhuc dubito, an etiam hinc ſatis liqueat, *Suſceptorum* advocandorum morem ante ejus tempora neutiquam extitiſſe. Nam, præterquam quod de eo loquatur *Tertullianus* non tanquam de re novâ & recenter introductâ, ſed uſitatâ modo & exemplis antecedaneis procul dubio uſurpatâ, juſtam quoque hujuſmodi conſequentiæ ἀπόδειξιν non video: *Tertullianus* ſuo demum tempore meminit *Suſceptorum*, ergo ejus demum tempore eſſe inceperunt; nihil enim videtur obſtare, quo minus tempore quantulocunque ante eſſe potuerint, utut a nemine hactenus deſcripti vel in hiſtoriam relati. Malim ergo cum Clariſſ. *D. Hoornbekio* nullum hic præciſum tempus determinare, ſed aſſerere ipſocũ,

Hoornb. Vet. & Nov. part. 1. pag. 500.

Probabiliſſimum eſſe, eo tempore morem hunc obſervari cœpiſſe, quo certatim ex Gentibus plurimi ad Chriſtianam fidem adducerentur, atque baptizarentur, quo tum certiora de fide & conſtantia converſorum teſtimonia, & ſponſionem haberet Eccleſia, ſponſores illi baptizandis addui fuerunt, neque infantibus ſolum, vel *qui in infantia, a fidelibus orti parentibus, baptizabantur, ſed adulti quoque ob jam expoſitam cauſam.* Quibus verbis innuit ſimul Vir Doctus, *duas* in Vet. Eccleſiâ *Suſceptorum* vel Sponſorum ſpecies extitiſſe: *Adultorum* unam, *Parvulorum* alteram. Quorum *illi* potiſſimum ad Catecheſin videntur dati, ac ſine Sponſione admiſſi, quoniam ipſe adultus baptizandus confeſſionem edebat; *hi* ſponſione etiam onerabantur: vocabanturque *patrini in baptiſmo*, παιδαγωγοὶ & καθηγεμόνες. Ut illi, qui *adultorum* erant, *patrini in Catechiſmo*, vel etiam χειραγωγοὶ ſive *manuductores*: quandoque etiam ἡγεμόνες.

Pſeudo-Dionyſ. Areop. de Hierarch. Eccleſ. cap. 7

VI. Quicquid de *moris* hujus ortu & progreſſu ſit, certum ſaltem eſt, non niſi Juris & uſus mere humani eum eſſe: ac proinde craſſiſſimè hactenus hallucinatos eſſe, qui tanquam neceſſarium quid a Deoque præceptum imponere eum hominibus voluerunt; quin imo neſcio qualem non cognationem ſpiritualem inde deduxerunt, infinitos conſcientiæ ſcrupulos iſti cerebri ſui figmento inædeficantes; prout haud exiguam eorum partem Clariſſ. *D. Voetius*, in aureo ſuo de *Politicâ Eccleſiaſticâ* Opere, pronuper enotavit.

Jus Canonic. clauſ. 30. 4. 3. Bellarm. de Matrim. lib. 1. c. 30. Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 2. Voet. Polit. Eccleſ. p. 1. lib. 2. pag. 712.

VII. Tametſi vero, ut dictum eſt, ex indifferentium genere ſit, ſive ſuper parvulorum Baptiſmo *Sponſores* advocentur, ſive non

non advocentur, negari tamen non debet, 1. Semper aliquem vel aliquos eſſe oportere, qui pro *baptiſmo* infantulorum fidejubeant, ſive is parens ſit, ſive alius quiſpiam, animo ſincero in fidejuſſione illâ coram Deo hominibuſque procedens. Atque hoc quidem eſt, quod ubique fere Reformati Statutis & Decretis ſuis Eccleſiaſticis cautum voluêre; tantique fuit θεάνδρῳ *Calvino*, ut exertis verbis *Farello* ſuo perſcripſerit: *Profanari Baptiſmum, ſi nemo ſit, qui in eo fidejubeat.* 2. Finem ſcopumque hujus Suſceptionis vel admiſſionis *Suſceptorum* eſſe ſemper debere, ut obligent ſe ſuſcipientes ad infantulorum eorum, pro quibus ſpondent, ſollicitiſſimam ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ τȣ͂ Κυρίȣ educationem & inſtitutionem, juxta Apoſtoli monitum, vel unà cum parentibus, donec in vivis adhuc ſunt, ſi opus ſit, conjunctim, vel maximè quidem poſt eorum exceſſum procurandam, Eph. 6. 4. Ut *Parentes Filios ſuos,* & Patrini *eos, quos de fonte lavacri ſuſcipiunt, erudire ſummopere ſtudeant;* illi, *quia illos genuêre, & eis a Domino dati ſunt,* iſti *vero, quia pro iis fide-juſſores exiſtunt* præſcribunt Capitula *Caroli* & *Ludovici.* Similiter *Eraſmus*, dum homines in infantiâ baptizatos, ubi adoleverint, interrogari vult, an habeant ratum, quod ipſorum nomine in Baptiſmo promiſſum eſt, & ſi ratum non habeant, liberos eos dimitti. Et ſignificantiſſimè Auguſtinus: *Qui filios* (inquit) *aut filias excipere religioſo amore deſiderant & antequam baptizentur & poſtquam baptizati ſunt, de caſtitate, de humilitate, de ſobrietate vel pace eos monere vel docere, non deſinant, & agnoſcant, ſe* fidejuſſores *eſſe eorum; pro ipſis enim reſpondent, quod abrenuncient Diabolo, pompis & operibus ejus; & ideo tam illi, qui excipiunt, quam qui excipiuntur, tam Patres, quam Filii pactum, quod cum Chriſto in Baptiſmi Sacramento conſcribunt, cuſtodire contendant, nec unquam aliquid Diaboli pompis vel Mundi iſtius luxurioſis oblectationibus concupiſcant.*

Synod. Emdan. de Ao. 1571.
Calvin. Ep. ad Farell.
Capit. Car. & Ludov. lib. 1. cap. 46.
Concil. Arelatenſ. 4. ca. 14.
Eraſm. in Præf. ad Matth.
Auguſtin. de Temp. ſerm. 116.
Forbeſ. Inſtr. Hiſtorico-Theologic. lib. 10. cap. 5. §. 22.

VIII. Ex quo tum conſequi neceſſe eſt, neque ætate minores, neque hæreticos, neque apertè & profanè impios, neque pleni dierum ſeneciones ad *ſuſceptionem* hanc advocandos vel admittendos eſſe: Non *ætate minores*, quia neque aliis dare illi poſſunt, quod ipſi non habent, cognitionem nempe Dei & fidei; neque juſtâ deliberatione, attentione & reverentiâ coram Dei & Eccleſiæ facie id ipſum promittere. Accedit, quod in ipſis ſecularibus *minorennes* a tutelâ arceri videas, quid ni multo *magis* in ſpiritualibus? Neque etiam *hæreticos*, quia præſumi non poteſt, ſerio illos ſpondere, eam ſe doctrinam inculcaturos parvulis eſſe,

C. Teſtimonium 54. ext. de Teſt. c. ſuper. 13. eodem.

vel

vel curaturos, ut ab aliis iis inculcetur, quam falſam, impiam, animæque parvulorum pernicioſam fore, publice profiteri ſolent. Ne quid addam de *ſcandalo* ex *Suſceptorum* iſtiuſmodi requiſitione & admiſſione dubio procul orituro. Limitationem (ſcio) hic effinxit *Joh. Gerardi*, dum ſtatuit, accipi pro *ſuſceptoribus* poſſe tales, qui orthodoxi non ſunt, *ſi ſanabiles ſint, & ſpes converſionis eorum affulgeat.* Sed fruſtra eſt: ſi enim (ut bene obſervavit laudatus modo Voetius) *de ſponſoribus vel ſuſceptoribus adſcititiis id intelligatur, qua ſuadere ratio poteſt, ut parentes adſumant eos, qui ipſi in viâ aut vix in viâ ſunt, & ipſi inſtitutione in Orthodoxâ fide indigent, & de quorum Orthodoxiæ ſuſceptione, certi nihil polliceri ſibi poſſunt?* Non etiam *aperte impios*: luditur enim ſic in re ſeriâ, Baptiſmus exponitur probro, conſcientiæ iſtiuſmodi *Sponſorum* gravantur voto, quod nec volunt, nec (utut vellent) poſſunt exſolvere, miſellulæ tandem infantulorum animæ æternæ damnationis periculo exponuntur. Quinimo nihil abſurdius excogitari poſſe videtur, quam quod Eccleſia ejus acceptilaret ſponſionem, qui converſatione inhoneſtâ, nomen illud, in quo baptizantur omnes, cotidie coinquinat. Nec denique *ſeneciones* decrepitos, τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχοντας, *alterum pedem in tumulo habentes.* Hi enim, antequam *infantes* illum ſæpe ætatis attigerunt annum, qui promiſſæ educationis & inſtitutionis capaces eos reddit, non raro

Joh. Gerard. Loc. Theol. Tom. 6. pag. m. 345.

Voet. Polit. Eccleſ. part. 1. lib. 2. pag. 707.

Humanâ ceſſant conditione frui,

id eſt, ad reliquos abeunt; adeoque *ſuſceptionis* fidem liberare, licet forte vellent, mortis interventu nunquam liberant, liberare ſaltem raro poſſunt. Et quorſum tunc illa eorum *fidejuſſio*, ſi ἀνυπόκριτος fuerit, quam quod in ipſa mortis horâ graviorem iis creet moleſtiam, angique inde eos faciat, quod *ſponſione* ſuâ, temere nimis ſuſceptâ, talem animabus ſuis curam imponi permiſerint, quam nunquam præſtituros ſe eſſe, ſi non præviderint, prævidere ſaltem facile potuiſſent.

IX. Neque in contrarium facit (ut videri forſan poſſet) *Eſaiæ* exemplum, qui *Uriam* Sacerdotem, hominem, ut 1 Reg. 16. 10. 11. videre eſt, impium, nequiſſimum Apoſtatam, ad Regis *Achazi* nequitiam & impietatem factum, ad *ſuſceptionem* tamen Filii ſui in circumciſione admiſit, imo *fidelem teſtem* exerte vocavit. Eſ. 8. 2. Nam. 1. ut mox oſtenſum eſt, de *ſuſceptione* teſtium in *Circumciſione* nullus ibi ſermo eſt. 2. Utut ſermo de ea eſſet tamen

tamen teſtis dicitur, non ratione *perſonæ* ſuæ, ſed *muneris*, quo fungebatur; ita ut hujus reſpectu ferendo teſtimonio non eſſet inidoneus, imo vero teſtimonium ejus omni exceptione majus ſic foret, quod nemo auderet, eo quod Sacerdotalis perſonæ eſſet, repudiare: quapropter neque mirum eſt, delectum eum a Propheta fuiſſe, ad teſtimonium vaticiniis ſuis, actionibuſque a Deo ſibi imperatis, perhibendum; prout veriſimile eſt, *Zachariam*, alterum illum teſtem, etiam in authoritate quali quali fuiſſe conſtitutum. Adeoque, ut dixi, quod *teſtes fideles* עדים נאמנים hi vocitentur ad *authoritatem* potius *perſonarum*, quam ad earum probitatem videtur referendum; ſicut vocem etiam Hebræam LXX. Interpretes per ἀξιοπίστων interpretari ſolent. 3. Sunt etiam, qui alium *Uriam* intelligi hic volunt; at neſcio, quo colore; cum in univerſo V. T. nemo alius ejus nominis occurrat, qui *Sacerdotio* admotus fuerit. Mentio *Uriæ* quidem fit Jer. 26. 20. 23. ſed is fuit *Propheta*. item Ezr. 8. 33. Neh. 3. 4. 21. at is fuit *Levita*. Nec non 2 Sam. 11. 3. 6. & 12. 9. 10. & 23. 39. & 1 Reg. 15. 5. ſed *dux militaris* is fuit, unus e fortibus Davidis, minimè *Sacerdos*.

Calvin. in Eſ. 8. 2.

X. *Dicis*, quod ſi hæretici ſive impii parvulorum *Avi* vel *Aviæ*, *Patrui* vel *matertera*, vel aliâs e proximis eorum conſanguineis ſint? *Reſp.* Superſtitibus parentibus ſollicitari tamen ad *patrinatum* vel *matrinatum* non debent, ob rationes jam dictas; quinimo, ſi ipſi ſe offerant, petitio eorum prudenter potius declinanda eſt.

XI. At nequit tamen (*inſtas*) educandorum infantum cura iis negari, quippe quæ, defunctis parentibus, ipſo naturæ jure in ipſos devolvitur? *Reſp.* Non negatur iis cura, quæ naturaliter ipſis debetur, ſed *nova* tantum *obligatio* ad curam illam, ex *novâ* baptiſmali *promiſſione* oritura, illis non imponitur; ſpeciatim haud talis nova obligatio, ad ejusmodi ſubeundum officium, ad quod certi ſumus (quicquid etiam verbis coram Eccleſiâ in contrarium teſtari videantur) plane ineptos eos eſſe, ſaltem a præſtando eo toto animo abhorrere.

XII. Sed operæ pretium fecerimus, ſi ſpicam hanc paulo diligentius fricemus: ſciri enim non parum refert, quouſque *Suſceptorum* hęc Baptiſmalium obligatio ad parvulorum curam extendere ſe debeat, vel non debeat. Educi autem optime id poteſt ex ipſo *Liturgiæ*, quæ prælegi ſolet, contextu, cum reſponſionibus, quæ quæſtionibus propoſitis ſubnectuntur. Sunt *Liturgiæ* quædam exemplaria, in quibus nulla a ſuſceptoribus reſponſio exigitur,

 tur,

tur, ſed *monentur* tantum illi, ut præſtent, quod propoſitum a Miniſtro eſt; atque ita velut arbitrio *Suſceptorum* videtur committi, quid præſtare velint vel non velint, ſaltem nullo formali promiſſo debitores fiunt dictæ educationis curæ in ſe ſuſcipiendæ. Et ſic fere habent adminiſtrandi *Baptiſmi* formulæ in Eccleſiis *Electoralis Palatinatus* receptæ. At vero *Vernacula* noſtra, ea ſaltem, quæ communioris uſus, & omnium antiquiſſima, nec non a Patribus Synodi Dordracenæ relecta & approbata eſt, planè aliter ſonat; proceditque non tantum *adhortative* ſed & *interrogative*, requirens tum ab infantuli Parente, tum a *Suſceptore* ejuſdem, promiſſionem categoricam, præſtituros ſeſe eſſe, quicquid per quæſtiones prælectas publice a Miniſtro interrogantur. Verba ſunt: *Tertio, An non promittis & proponis, hoſce Infantes, cum ad rationis uſus pervenerint, quiſque ſuos, quorum vel parens vel teſtis eſt, in prædictâ Doctrina pro viribus inſtituere, vel curare & juvare ut in eâ inſtituantur*? ac reſpondetur, *Imo*. Proinde cum ibi directe non tantum a Parentibus, ſed inſignite etiam a patrinis & *Suſceptoribus* promittatur dicta cura, quis dubitet, quin ambo ad ſuſcipiendam illam directè etiam obligentur? Maxime cum promiſſio illa rei ſit licitæ, ſanctæ & poſſibilis non tantum, ſed & voluntariè plane ſingularique modo ſolenniter facta, advocato, in præſtandâ illâ, non tantum Deo ut teſte, ſed universâ etiam Eccleſia.

Voet. in Præf. ad Exam. Catech. Remonſt. § 2

XII. Quæ cum ita ſint, quis peſſime animabus ſuis conſulere non videt, qui tam inconſiderate ſæpe *ad fidejuſſionem* hanc provolant, parum advertentes, qualem conſcientiis ſuis laqueum temeritate ſuâ injiciant? Nec non illos, qui *ſolis* ſæpe obſtetricibus vel quibuſvis aliis, *Infantes* ad Baptiſmum geſtantibus, quos vel quas pro *teſtibus* haberi tamen nolunt, reſponſionem ad publica Miniſtri interrogata imponunt, vel rogati eam in ſe ſuſcipiunt. Præſertim vero illos, qui vix ullâ præſtandi ejus, quod promiſerunt, ſollicitudine tanguntur, ſed totum hoc negotium abſolviſſe ſe probe putant, modo coram ſuggeſtu cum parvulis decore ſe ſtiterint, voculam conſenſus [*Ita*] pronunciarint, & donis baptiſmalibus (de quibus ne ſomniavit quidem unquam religioſa Antiquitas) honori & exiſtimationi ſuæ ſatis conſuluerint. Cum factæ promiſſionis tam turpiter immemores, notorie perjuros in Deum, Eccleſiam, infantuloſque ſe præbeant; imo ſacerrimum hoc Divini fœderis obſignaculum profane irrideant & illudant. Graviter de *Suſceptoribus* iſtiuſmodi vel parvulorum potius proditoribus,

ribus Elias Cretenſis; *Suſceptores* (inquit) *ſi probè noſſent, quæ a Magno Dionyſio definita ſunt, & quæ ab illis cura exigatur & ſollicitudo de eo, qui per ſpirituale lavacrum regeneratur, & ab his ſuſcipitur, ſegnius quidem ad ſuſceptorum miniſterium prodirent, etiam ardentius invitati.* Anxiori certe curâ & intenſiori zelo rem hanc olim egit *Muritta* Diaconus, de quo *Victor Uticenſis*; Acceſſit is (inquit) *Elpidophorum*, quem de fonte *ſuſceperat*, jam a fide Chriſtianâ apoſtatam factum, &, tempore *Hunerici* Vandalorum Regis, fideles atrociter perſequentem, ſumptâque albâ veſte, quâ, pro ætatis illius ratione, cum baptizaretur, indutus fuerat *Elpidophorus*, coram omnibus eam expandit & ventilavit, hiſce eum animoſè obteſtans verbis: Hæc ſunt linteamina, *Elpidophore*, ,, miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum majeſtas venerit ,, judicantis, quæ cuſtodivit diligentia mea ad teſtimonium tuæ ,, perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulphurantis. ,, Hæc te immaculatum cinxerant de fonte ſurgentem; hæc te ,, acrius perſequentur, cum flammantem gehennam cœperis poſſidere, quia induiſti maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens ,, atque amittens veri baptiſmatis & fidei ſacramentum. Quid ,, facies miſer cum ſervi Patrisfamilias ad cœnam congregarint ,, invitatos? Dicet tibi Rex: Quomodo huc intraſti, non habens ,, veſtem nuptialem? Non video veſtem, quam tibi dedi, perdidiſti militiæ Chlamydem, quam aquâ mundavi, & purpurâ ,, mei ſanguinis decoravi. Characterem non video Trinitatis. ,, Ligate ergo eum pedibus & manibus, qui ſe ſeparavit a fratribus ,, catholicis, & in tenebras projicite. *Imovero* (ut graviter alicubi Bucerus) *impii ſe* plagii *obligant, qui quos* Baptiſmate *Chriſto Domino conſecraverunt, non etiam ſummo elaborant ſtudio ad Chriſti obſequium inſtituere atque formare. Nam iſtud negligentes, quod in ipſis eſt, ſuos liberos, quos Domino addixerunt, rurſus rapiunt, producunque & mancipant Satanæ.*

Elias Cretenſ. Reſp. ad Dionyſ. Monach. pag. 340.

Victor Uticenſ. lib. 3. de Perſecut. Vandalor.

Bucer. de Regn. Chriſt. lib. 2. cap. 9.

XIV. *Excipis:* Ego Liturgiæ verba ſic non intelligo, ut me tam rigidè obligent? *Reſp.* Quomodo ea igitur intelligis? luculenta & perſpicua ſunt; vel alium eorum ſenſum cedo, qui ipſi textui non reluctetur. Imo utut alium ſenſum ferrent, penes te tamen non ſtat publicæ *Formulæ* interpretatio, ſed penes Eccleſiam tantum, cujus eſt formula: cæteroquin hoc pede ad omnes Eccleſiarum formulas idem poſſes excipere, adminiſtrationis *Cœnæ*, confirmationis in *Miniſterio*, *Senioratu*, *Diaconatu*, *Matrimonio*,

monio &c. Sicque nihil in Eccleſiarum regimine intactum & inconcuſſum relinqueretur; quinimo omnis earum ἐυταξία convelleretur & in purum Babel commutaretur. 1 Cor. 14. Verſ. ult.

XV. *Inſtas*, cum *Suſceptor* ſum, non reſpondeo ad Quæſt. *Tertiam*, ſed ad *Duas* tantum priores, quæ *declarationem* duntaxat requirunt, non *promiſſionem*? Sed reſpondesne ut *teſtis*? At quâ talis expreſſe compellaris quæſtione non primâ, neque ſecunda, ſed *tertiâ*; utut & in illis digitus in te intendatur, ſed (inquam) *teſtis* vocabulum ibi non exprimitur. Et quis divellere te docuit, quæ Formula expreſſe conjungit? Ea non exigit reſponſum ad interrogatorum illorum unum vel alterum tantum, ſed ad *omnia*. Sic enim præloquium habet: *Ut ergo pateſcat, te animatum ita eſſe, tuo nomine ad hæc* ἀνυποκρίτως *reſpondebis: Primo, ſecundo, tertio* &c. Vir ſane, ſi quiſquam, naris emunctæ fuit *Simon Epiſcopius*, attamen is, cum a. 1613. Amſtelodami fraternæ prolis *ſuſceptorem* ageret, nec ſine limitatione ad prælectam *Baptiſmi formulam* reſpondere vellet, hoc ſimilive effugio elabi non ſtuduit: quod feciſſet procul dubio, ſi ullam veri vel æquitatis ſpeciem in eo offendiſſet.

Brandt. Hiſt. Ref. part. 2. pag. 217.

XVI. *Pergis*: Parentibus educationis curam demando, quibus extra controverſiam ea incumbit. Ita eſt, ſed & tibi ea incumbit, licet non *abſolute*, ex pacto tamen & vi promiſſionis, qua eam ultro in temetipſum ſuſcepiſti. Duplici tenentur hic vinculo parentes, tum *naturæ* tum *fidejuſſionis*; *prius* nihil ad te, ſed quidem *poſterius*; Cura Parentum baptizati tua etiam eſt, non *privative*, ſed *cumulative*. Utcunque diſſimulandum non ſit, quin, ſiquidem parentes officio ſuo circa parvulos probè defungantur, neceſſum non ſit, ut ipſo facto curæ iſti te immittas; ſufficit enim, ſi, demortuis illis, onus id ſuſcipias; vel, ſi viventes curæ iſti deſint, ſerio eos ac prudenter moneas, ſique omiſſum neglectumque hac in parte aliquid ſit, id ipſum corrigas & emendes. Ita enim Formulæ verba habent. *De Kinderen inde voorſeyde leere te onderwyſen of te doen ende te helpen onderwyſen.* Liberaſti fidem, ſi finem promiſſi tui obtinueris, vel per parentes (quorum potiores partes hic ſunt) vel per te, vel per alios. *Moguntinenſe Concilium* vetat *Can.* 55. ne quis proprium filium vel filiam de ſacro fonte ſuſcipiat, cujus hanc rationem dat Eſtius: *tum ut cogantur homines amicitiam ad alios propagare, tum quia melius providetur puero, dum præter parentem carnalem, qui jure naturæ tenetur ejus ſalutem procurare, ei datur inſuper*

Eſt. in Libb. Sentent Lib. 4. Diſt. 7. §. 3.

parens ſpiritualis, cujus id proprium munus fiat ex Sponſione. Sed, utut bene dicatur, e re pueri eſſe, ſi *parentum* curæ alia, quæ *fidejuſſoris* eſt, accedat, non ſequitur tamen inde, ipſos Parentes filios vel filias ſuas de ſacro fonte ſuſcipere non oportere, cum hæc ſe mutuo non tollant, ſed adjuvent; imo e contra melius providetur puero ejuſque inſtitutioni, ſi non naturæ tantum ſed & ſpecialis fidejuſſionis vinculo parentes ad eam obligentur. Et quam frivolum eſt, quod de *amicitia* ad alios *propagatione* obtenditur? *cogi* enim hanc, non convenit, ſed *ſuaderi*; & quid baptiſmalibus præciſe *ſponſionibus* ad id opus, ſi media quævis alia in promptu ſatis ſint?

XVII. Adhuc *ais*: Baptiſmi Formula non requirit promiſſionem a *Parente* & *Sponſore* junctim, ſed ab *alterutro* tantum; loquitur enim *disjunctive*: promittiſne Pater *vel* ſponſor, non Pater & ſponſor; ſic ut innuere videantur, ſufficere, modo vel *Pater* promiſſionem faciat vel *Sponſor*, opus vero non eſſe ut uterque eam faciat *Reſp.* Ita eſt, loquitur *disjunctive* Formula non *collective*, ſed id ideo non fit, quod peræque obligari nolit *Sponſorem* ac *parentem*, ſed ut *Sponſorem* a *Parente* diſtinguat; cum enim *duo* fere ſint, qui parvulum baptizandum offerunt, non poteſt ambos Miniſter eodem nomine affari, hinc *Parentem* appellat ſuo nomine, *Sponſorem* ſuo: non poteſt dicere pater & ſponſor, vel ſponſor & pater, quia nemo ſe ſub *utroque* illo formali coram cathedrâ ſiſtit (*ſponſoris* vocabulo ſtricte ſumpto) ſed ſub *alterutro* tantum, vel ut *Pater*, vel ut *Sponſor*. Proſpectum hoc modo Autores Formulæ caſui iſti voluerunt, quo fieri nonnunquam poteſt, & non raro fit, ut *parens* celebrationi Baptiſmi infantuli ſui non interſit: quodſi enim tum textus *Patrem* tantum affaretur, nemo eſſet, qui reſpondere poſſet, adeoque fruſtrà eſſet tota illa interrogatio; hinc utroque nomine allocutionem fieri decreverunt, ut ſi tum *Parens* tum *Sponſor* adeſſent, ambo pro ſe reſponderent, ſin abeſſet Pater, non deeſſet tamen, qui interrogationi ſatiſfaceret, idque tum fieret per *Sponſorem*. Confirmantur quæ dixi exinde, quod nunquam non videas, utcunque præſens ſit *Pater*, annuere tamen quæſitis a Miniſtro ipſos etiam *Sponſores*; quod quare fiat, vel fieri debeat, imperceptibile mihi eſt, ſi affirmatione illâ non eque illi ac Parentes obligentur, ſique rogati dicant *Ita*, id vel dicis cauſa non tantum fiat, vel, ſi ſerio

Digitized by Google

reſpondeant, minus educationis curam in ſe ſuſciperent, ac Pater, qui eâdem tantum reſponſione utitur.

XVIII. Sed abibitne ſic tandem *Suſceptio baptiſmalis* in ζυγὸν δυςβάςακτον, cui omnes ſe ſubducent? *Reſp.* Non fiet id a verè piis, quibus Sanctorum communio propriæque non tantum animæ ſalus, ſed & aliorum cordi eſt. Et utinam ſæpe, qui ſic animati non ſunt, humeros ſuos huic oneri ſubtraherent potius, quam tam temere ad ſuſcipiendum illud proſilirent. Cui enim bono *fidejuſſionis* hujus ſolennitas, ſi quod ore promittitur neque animo intenditur, neque opere præſtatur? Expediretne, ex ſapientiſſimo Salomonis monito, *ut non voveres, quam ut voveas, & non perſolvas*? Eccleſ. 5. 5. In caſſum ſane *Suſceptores*, & ex conſuetudine magis quam ratione, advocantur, ſi baptiſmalia & dona & convivia, aliaque pompatica pro ἔργῳ, educatio vero in fide, quam Parentes & *Suſceptores* in Baptiſmo confitentur & promittunt, pro παρέργῳ, imo ut nihil fere habeantur.

XIX. At poſſumne eſſe *teſtis* adminiſtrati Baptiſmi, licet *promiſſor* & ſponſor non ſim, maxime cum formula *teſtis* nomenclaturâ exertim utatur, *Cujus vel parens vel* Teſtis *es*? Reſp. Papicolarum hoc εὕρημα eſt, qui inter Baptiſmi *Teſtem* & *Suſceptorem* diſtinguere satagunt; per *Teſtem* intelligentes eum, qui manum tantum commodat, ad tangendum, ſuſtinendum, levandum parvulum, dum baptizatur; per *Suſceptorem* illum, qui manu tangit, aut tenet, aut ſuſcipit, aut levat parvulum in Baptiſmo, unde & phraſis apud noſtrates, *van het Kint te heffen.* Sed commentitium diſcrimen id eſt & inutile, hiſce ſaltem temporibus, quæ adminiſtrati & accepti baptiſmi peculiares *Teſtes* non requirunt; cum quotquot adſunt auditores pro *teſtibus* haberi poſſint. Licet alia forſam ratio fuerit, cum quondam ſub perſecutione, aut quocunque alio turbato Eccleſiæ ſtatu, Baptiſmus clam adminiſtraretur. Utitur (fateor) formula *teſtis* vocabulo, ſed quo ſenſu id faciat, ipſâ interrogatione clarè ſatis innuit: non enim quærit, veliſne, porrector parvuli dum es, ubique & ſemper teſtimonium perhibere, revera baptizatum infantem illum eſſe, *ſed num promittas ac propoſueris eum, juxta cum Parentibus, in doctrinâ Domini enutrire & inſtituere*? Cui itaque quæſito ſi diſerte per affirmationem reſpondeas, quis dubitare poteſt, te non tantum *teſtis* ſed & *promiſſoris* partes in baptiſmo illo obiiſſe?

Paſtoral. Rom. cap. de Baptiſm.

XX, Hac

XX. Hæc de *Suſceptoribus*. Quibus, ob materiæ affinitatem, hanc adjicio Quæſtiunculam: *Unde ſciri poſſit Infantulos, qui Baptiſmo tinguntur, verè fœderatos eſſe* (ut tales enim potiuntur tantum Baptiſmo) *cum ipſi neque per fidei profeſſionem, neque per bonorum operum praxin indicare id poſſint?* Reſp. I. De *Seipſo* certus quis eſſe poteſt, vere fœderatum ſe eſſe, per internum Sp. S. genuina in ipſo regenerationis κριτήρια operantis & oſtendentis, teſtimonium. Rom. 8. 16. 1 Cor. 2. 12. II. De *aliis adultis* judicare id poſſumus juxta *charitatis judicium*, tum ex eo, quod per Baptiſmum fœderi externo inſiti ſint, tum ex veræ reſipiſcentiæ fructibus, quos ferunt. Matt. 7. 16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. III. *Parvulos* quod attinet, de eorum fœderatione e ſtatu fœderationis Parentum, e quibus prognati ſunt, judicium ferendum eſt. Gen. 17. 7. Act. 2. 39. Adeo ut, ſi parens uterque vel alteruter Divino fœderi inſitus nobis appareat, neque videre poſſimus, eum fœdere illo indigne ſe habere, exiſtimandum ſit, ipſius etiam *prolem* fœderis ejuſdem conſortem eſſe. Rom. 11. 16. 1 Cor. 7. 14. Act. 2. 39. Ezech. 16. 20.

XXI. Sed quod ſi *Parentem* poſt infantis Baptiſmum, impium, atheum, profanum fieri contingat, ſic ut fœderatus cenſeri amplius non poſſit, tumne etiam infans fœderis ejus communione, cui antea in parente illo inſitus habebatur, rurſus exterminabitur, & pro non fœderato, acceptoque baptiſmate indigno erit habendus? *Reſp.* Nequaquam: ſequeretur id neceſſe, ſi *eſſentiale* fœderationis *principium*, quod infantem vere fœderatum facit, parentis vel parentum fœderatio eſſet; at id minime dicimus. *Principium* enim *eſſentiale*, quod in fœdere tam externo quam interno infantem conſtituit, non eſt aliquid, quod a parentibus in eum derivatur aut defluit. ſed ſola Electio, *Juſtificatio*, *Adoptio* & *promiſſio Divina*: Ὑμῖν γὰρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία, καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν. Act. 2. 39. Notandum itaque, cum *de fœderatione* Parentum hoc in negotio ſermo eſt, non ſic conſiderandam eam eſſe, quaſi hæc ipſa cauſa *eſſendi* fœderationis infantum eſſet, cujus nempe vi & virtute fœderi Dei ſpirituali immatricularentur & implantarentur, abſit; id enim ſi ponatur, ſequeretur, ex piis parentibus pios, ex impiis impios ſemper filios oriri oportere, cui tum verbum Dei tum omnium temporum experientia apertiſſime reclamat. Sed Parentum *fœderatio* accipienda tantum eſt, ut

1 *Reg.* 14. 13. 2 *Reg.* 18. 1. & 21. 18.

regula

regula ſive *medium cognoſcendi* vel potius *judicandi* fœderationem parvulorum, quo mediante Eccleſiæ conſtare, & juxta quod judicare ea poteſt, quomodo iiscum, quoad admiſſionem eorum in fœdus externum per *Baptiſmi* adminiſtrationem, procedendum ſit, vel non procedendum: quidve de ſtatu eorum coram Deo, ex judicio charitatis ſentiendum de iis ſit, vel non ſentiendum. Adeoque nugatur vel calumniatur potius *Baldunus*, cum Theologis noſtris impingit, quod putent, *Infantes parentum ſuorum fide credere*, ideoque *admitti ad Baptiſmum*. Quis enim *Calvinianorum* (ut odioſe noſtros vocat) id unquam dixit? Neque parentum fide credunt infantes, neque pietate eorum pii ſunt, neque fœderatione eorum fœderati; at (ut dictum eſt) cum parentes operibus ſuis ſe fideles, pios, fœderatos eſſe teſtificantur, colligere exinde Eccleſia poteſt, etiam *parvulos* eorum externi fœderis per *Baptiſmum* communione & privilegio arcendos non eſſe; quinimo exinde per *charitatem* judicare, etiam interni fœderis vere participes eos eſſe.

Balduin. de Caſib. Conſc. lib. 2. c. 10. caſ. 8.

XXII. *Dicis* tandem: Quodſi uterque parens talis ſit, ut pro fœderato haberi nequeat, num infantuli eorum ſacro baptiſmate ideo defraudandi? *Reſp.* Abſit; ſed ad parentes remotiores aſcendendum tum eſt, ad *Avos, proavos, abavos*, &c. His ce enim ſolis, ſi fœderati fuerint, promiſſio fœderalis facta non eſt, ſed etiam *ſeminis* ipſorum. Gen. 17. 7. Act. 2. 39. Ὑμῖν γὰρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν. Ad quod *ſemen* infantes parentibus *immediatis*, utroque licet impio & non fœderato, nati procul dubio referendi etiam ſunt. Cum enim *perſonalis* tantum parentum iſtiuſmodi immediatorum impietas ſit, adeo utique infantibus eorum obeſſe ea non debet, ut ob eam ſolam pro *Avorum, proavorum, abavorum*, &c. ſemine habendi non forent. Sed de his pluribus alii.

Ridder. Baptiſm. & Sal. Infant. pag. 27.

EX-

EXERCITATIO VIII.
DE
ANGELORUM LAPSU.

BREVIARIUM.

De lapſus *Angelorum* tempore *opinio* Thomæ *rejecta. Locus Ioh.* 8. 44. *explicatus. De peccato Angelorum primo* Tertulliani, Cypriani, Baſilii, Ambroſii, Damaſceni, Lactantii, Bernardi, Auguſtini *diſcrepantes calculi.* Ἐπίκρισις *Autoris. Loci Geneſ.* 6. 2. *παρερμηνεία reſutata. Origo erroris.* Tilenus, Giſelbertus, Albinus *notati. Lapſorum Angelorum* numerus *incertus.* Guiljelmi Pariſienſis & Antonii Ruſcæ *in eo determinando temeritas. Verba* Apoc. 12. 4. *vindicata.* Plures *in integritate* Angelos *perſtitiſſe, quam lapſos eſſe, probabile. Iacobus* Marchantius *pulſatus. Peccati Angelorum* pœnæ *multiplices. An* Angeli etiam lapſi *in Cælum* nonnunquam *admiſſi? Loco Eph.* 6. 12. *lux affuſa.* Lolhardiſtarum *hæreſis ſtupenda & impia. Quo tempore orta?* Lolhardus Walterus *quis? An idem fuerit cum* Matthæo Lollardo? *Ratio dubitandi. Hæſitatio* Autoris. *Angelorum peccatum cur irremediabile.* Voetii & Turretini *modeſtia laudata. Nonnullorum eapropter iniquior in* Voetium *cenſura rejecta?*

I.

SPirituum Angelicorum aliquos in veritate non perſtitiſſe expreſſe docet Chriſtus, Joh. 8. 44. At dubitatur, *quando* integritate ſuâ exciderint, *quodnam* primum eorum peccatum fuerit, *quænam* apoſtaſiam illorum pœnæ conſecutæ ſint.

II. De peccati eorum *tempore* ſentiunt aliqui, ſtatim eos poſt primum creationis ſuæ inſtans lapſos eſſe, argumento loci mox citati, ubi dicitur: *Diabolum homicidam eſſe ab* initio; ita Thomas. At falſus eſt Doctor Seraphicus, cum id *ab initio* non dicat principium creationis *Angelorum*, ſed *hominum*; adeo ut innuere voluerit Servator, vix hominem in Mundo extitiſſe, quin mox Diabolus vitæ & beatitudini ejus fuerit inſidiatus. Abſurdiores Thoma ſunt, qui *ante* ipſum *mundum* ejuſque creationem cecidiſſe eos putant. Neque enim, ut obſervatum ſupra, concedendum eſt, eos *ante* mundum extitiſſe, nedum quod veritate & felicitate ſuâ tum modo excidiſſent: erant tum mera non entia; non entium autem nullæ ſunt affectiones.

Thom. 1. part. 1. qu. 63. art. 7.

III. Vix ergo certi quid hic ſtatueris, niſi hoc unum forſan, quod ante Protoplaſtos defecerint. Fuit enim *Diabolus*, ut Scriptura teſtatur, *Evæ ſeductor*; at eſſe hoc non potuit, niſi propriæ prius bonitati repudio miſſo. *Abſit hoc* (inquit Auguſtinus, ſive quisquis autor ſit Libri de *Mirabilibus* Scripturæ) *ut ſentiamus, poſſe ſuaderi homini peccatum a Diabolo, niſi prius ipſe is peccaverit in Cœlo.*

August. Oper. Tom. 3. lib. 1. cap. 12.

IV. Ut neque apodictici quid dixeris de *primâ* & principe eorum transgreſſione; in varia enim hic iterum eunt Doctorum ſententiæ. Sunt qui in *Invidiâ* eam collocarunt; ita *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Baſilius*, & quotquot e Neotericis veſtigia eorum premunt. In *hoc* vero quidam *invidiam* illam poſuerunt, quod viderit eos, homines ad felicitatem ſuæ ſimilem deſtinatos eſſe; *alii* in hoc, quod omnes creaturas ſubjectas homini eſſe videre non potuerint; in hoc denique aliqui, quod indignè tulerint, Deum, ante jacta Mundi fundamenta, non ſuam ſed hominum naturam *Verbo* ſuo æterno hypoſtatice unire conſtituiſſe & decreviſſe.

Tertull. lib. 1. de Patient. c. 5. Cyprian. de Bon. Patient. cap. 1. Gomar. Oper. Theol. part. 1. pag. 421.

V. *Ambroſius*, *Damaſcenus*, *Lactantius*, *Bernardus*, aliique Invidiæ *ſuperbiam* prætulerunt; cujus objectum materiamque variè iterum diſtinxerunt. Quidam æqualitatem eos cum ipſo Deo ambiviſſe aſſerunt; alii beatitudinem ſupernaturalem, propriis viribus ſine gratiâ Dei acquirendam, deſideraſſe eos volunt; alii inordinate eos appetiviſſe præeſſe aliis, ſubeſſe nemini; nonnulli eos in propriæ eminentiæ contemplatione nimis ſibi applauſiſſe; quidam denique recuſaſſe eos Deo morem gerere, ab eoque dependere, vel potius *Filio* ejus ſubeſſe, eique obſequium præſtare; quos inter eſt Clariſſ. D. *Burmannus*, qui inde id probat, quia Chriſtus ob ſimile peccatum Judæos *e Diabolo* eſſe, declaravit. Joh. 8. 44. Facit huc

Ambroſ. Ep. 84. Damaſc. de Orth. Fid. lib. 2. cap. 2. Lactant. Inſt. cap. 8. Bernard. Serm. in 1. Advent. Burman. Synopſ. p. 1. c. 26.

huc *Gregorii* locus: *Celſus nimirum eſſet* [Diabolus] *ſi ei, qui veraciter celſus eſt, inhærere voluiſſet, ſi participatione veræ celſitudinis contentus fuiſſet; ſed dum privatam celſitudinem* ſuperbe *ſibi appetiit, jure perdidit participatam.* Gregor. in Job. cap. 17.

VI. *Invidiam* cum *ſuperbiâ* conjunxiſſe videtur *Auguſtinus*, duo hæc peccata adeo ſibi invicem innexa eſſe exiſtimans, ut, poſito uno, alterum neceſſario etiam videatur ponendum. *Nonnulli volunt* (inquit) *ipſum ei* [Angelo] *fuiſſe caſum a ſupernis ſedibus, quod inviderit homini, facto ad imaginem Dei. At cum* ſuperbia *ſit amor excellentiæ propriæ, invidia vero ſit odium felicitatis alienæ, quid inde naſcatur, ſatis in promtu eſt; amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus, quod eis non coæquetur.* Neque divortit ab *Auguſtino* inſignis ejus admirator Cl. D. *Heidanus*, dum inſit: *Cum ergo ad novam & incompertam ſibi ſimilitudinis Dei affectationem perducere hominem tentavit* [*Diabolus*], *quod & effecit, quid aliud quam* ſuperbiæ & Invidiæ *malo victum id occepiſſe illum dicemus?* Daniel Tilenus, Vir, licet poſtea Apoſtata factus, vere tamen ſagax & judicioſus, *nihil ſpecialius* de peccato hoc affirmandum autumavit, ſed *in genere cum Scriptura dicendum tantum eſſe: Angelos malos in veritate non perſtitiſſe, vel, ut Judas loquitur,* originem ſuam non ſervaſſe, *ſed proprium domicilium reliquiſſe.* Auguſt. de Geneſ. lib. 2. c. 19. Heidan. de Orig. Error. lib. 2. c. 4. §. 8. Tilen. Syntag. p. 1. p. m. 123.

VII. Ego diſcriminandum puto inter *primum* cogitationis & appetitus labendi initium, & *peccati completi* & conſummati *ſpeciem*; ſique ad *prius* reſpiciatur, neque *invidiam*, neque *ſuperbiam*, neque aliud peccatum aliquod particulare locum hic habuiſſe; ſed Angelorum lapſum primò incepiſſe a *remiſſiore* & minore eorum *attentione circa contemplationem Dei*, cui nunquam non intentiſſimos eos eſſe oportuerat; atque exinde tum conſequi nihil aliud potuiſſe, quam quod mentis aciem, jam a Deo quadantenus averſam, ad ſe ipſos convertere inciperent, & excellentiam propriam admirantes, ſenſim ſine ſenſu in turpem a Creatore ſuo apoſtaſiam prolaberentur. *Poſterior* vero ſi conſideretur, id eſt, hujus vel illius peccati ſingularis *ſpecies*, ex jam dictâ ad contemplationem Dei inadvertentiâ oriunda, omnino pro *ſuperbiâ* videtur determinandum, maxime ob hanc rationem: quod Apoſtolus, cavens ne *novitius* in ἐπισκοπὴν *eligatur*, peculiarem hanc prohibitionis illius cauſam alleget, *ne inflatus in judicium Diaboli incidat.* Ubi diſerte ſuperbiam ſive animi elationem τὸ κρίμα τοῦ διαβόλου indigitat. Audiſtis *Alcimum*, qui ſic olim cecinit: 1 Tim. 3. 6. Alcim. de Pecc. Origin.

 An-

Angelus hic dudum fuerat; ſed crimine poſtquam
Succenſus proprio tumidos exarſit in auſus,
Se ſemet feciſſe putans; ſuus ipſe Creator
Quod fuerit, rabido concepit corde furorem,
Autoremque negans: Divinum conſequar, inquit,
Nomen, & æternam ponam ſuper æthera ſedem
Excelſo ſimilis, ſummis nec viribus impar.

Sedanenſ. p. 1. p. 157.

Quibus *Molinæi* hæc adde, notatu ſane digniſſima: *Accommodatiſſima ratio* (inquit) *ad inveniendum quod fuerit* primum *peccatum Diaboli, eſt conſiderare, quâ in re poſita ſit Angelorum beatitudo & perfectio. Oportet enim primum peccatum aliquid ſit, quod in iſtam perfectionem impingat, & ab eâ deflectere incipiat. Perfectio & beatitudo Angelorum poſita eſt in unione cum Deo, uniuntur autem Deo viſione Dei, quæ amorem accendit. Nimirum oportet primum peccatum Angelorum fuerit remiſſio quædam aut minor attentio circa contemplationem Dei; quam remiſſionem accidiſſe hoc modo oportuit. Angelus inhærens contemplationi faciei Divinæ, incepit aciem intellectus à Deo ad ſe ipſum convertere, & ſuam ipſius lucem & vires ac ſapientiam admirari, unde factus eſt ad contemplandum Deum & proinde ad amandum remiſſior. Sed* (*ut fit*) *ſimulac a ſummâ perfectione tantiſper deflectitur, mox itur in præceps, nec finis eſt, donec a ſummo gradu ad imum devolvaris. Sic Angelus ex remiſſiori contemplatione Dei, factus eſt ſui admirator, admirationem nimius ſui amor, nimium amorem ſui ſuperbia, ſuperbiam rebellio eſt conſecuta.*

Turretin. Inſtit. Theolog. Elenct. part. 1. pag. 651.

VIII. Nihilominus verum eſt quod *Tilenus* dicit, Chriſtum Judamque de Angelorum lapſu *in genere* tantum loqui; ſed ei non obſtat, quod ex aliis tamen Scripturæ locis *ſpeciale* quicquam probabiliter educi de eo poſſit; ut ex jam dictis conſtat. Ut neque ſolus *Tilenus* ſic ſenſit neque primus: nam inter Antiquos quoque extiterunt, qui primam Angelorum prævaricationem plane in Scriptura diſſimulatam eſſe arbitrati ſunt. Ita *Giſelbertus* (qui, teſte *Trithemio*, Ordinis *Benedictini* monachus olim fuit, *Voſſius* eum vocat *Præpoſitum monaſterii Weſtmonaſterienſis & Anſelmi Cantuarienſis Diſcipulum*) Peccatum (inquit) *Angeli tacitum, quia incurabile, hominis patefactum, quia curandum.* Quem ſecutus poſtmodum eſt *Albinus*, hiſce verbis: *Angelicum peccatum ſilentio in Geneſi abſconditum eſt, & hominis patefactum, quia Ange-*

Voſſ. Theſ. Theol. de Prim. Adam. Pecc. pag. 48.

Giſelbert. de Alterc. Ecc. & Synag. cap. 5.

Albin. Quæſt. in Geneſ.

Angelorum vulnus Deus non prædeſtinavit curare, hominis vero ſanare prædeſtinavit. Nam, utcunque reſtrictiuſcule de peccati hac Angelici diſſimulatione loquatur *Albinus*, quam *Giſelbertus*, *hoc* patefactionem ejus abſolute negante, *illo* diſſimulationem ejus ad librum *Geneſios* tantum reſtringente, in ratione tamen occultationis allegandâ planè conveniunt, & prout in ratione illâ, ita & in ſpiſſâ hac ſatis hallucinâtione & errore. Quænam enim illa conſequentia eſt: peccatum illud fuit incurabile, ergo non patefactum? anne igitur omnia peccata incurabilia nunquam patefacta? quid de *Judæ* peccato tum dicendum? Vel an omnia peccata celata incurabilia? quid de tot Abrahami, Davidis, Joſiæ, Petri aliorumque Sanctorum quotidianis incurſationibus tum fiet, quas *celavit* quidem Deus in Scripturâ, aſt *curare* tamen prædeſtinavit, imo ipſo eventu curavit & *ſanavit*?

Magdeb. Centur. 10. cap. 4. & Centur. 8. cap. 4.

IX. Utut ſit, ſtupidiſſime ſaltem impegerunt inter antiquos Patres, qui in hoc Angelorum *primum* peccatum poſuerunt, quod mulierum ſpecie capti, ſtupri cum illis conſuetudinem inierint, παρερμηνεία loci Gen. 6. 2. *Viderunt Filii Dei filias hominum, quod bonæ eſſent, & acceperunt ſibi uxores de omnibus, quas elegerunt.* Duabus enim opinio hæc fulta eſt hypotheſibus plane falſis. 1. Quod angeli, vel dæmones ſaltem, naturæ ſint corporalis. 2. Quod per בני אלהים loco allegato *Angeli* intelligendi ſint. Non enim בני אלהים *Angeli* ibi ſunt, ſed illi ex piiſſimi *Sethi* prole, ſuper quos nomen Dei invocatum erat, quique ipſi nomine *Dei* ſe jure vocitabant; oppoſite ad *hominum filios*, qui ex poſteritate *Caini* oriundi erant. In errorem hunc procul dubio multos induxêre *Philo* & *Euſebius*, qui, utentes *Verſione* LXX. editionis Veteris, voces בני אלהים *filios Dei* per τȣ̃ς ἀγγέλȣς τȣ̃ Θεȣ̃ transtulerunt. Prout verſionem illam, teſte *Hieronymo*, imitatus etiam eſt *Aquila*. Aquila (inquit) *plurali numero filios Deorum auſus eſt dicere; Deos intelligens Sanctos*, id eſt, *Angelos*. Accedit, quod neque tum demũ temporis, quo reſpicit locus citatus, inceperint mali eſſe Angeli, ſed eos ante illud tempus, jam malos modo fuiſſe, neceſſe ſit; eo quod unus eorum feliciſſimum hominem ad defectionem ſuæ ſimilem in ipſo rerum primordio modo ſollicitarit. Ne Thomæ rationem adjiciam, *quod non contingat ſpiritualem naturam affici ad bona*, vel etiam ad mala, *quæ corpori propria, ſed quæ in rebus ſpiritalibus inveniri poſſunt.*

Martyr. in Geneſ. 6. f. 27. a.

Hieron. in Geneſ. 6.

X. Angelorum lapſorum numerum multi etiam temere definiverunt: *Guilielmus Pariſienſis* ad decimum Angelorum ordinem eum determinavit: in quam definitionem hæc annotavit *Anton. Ruſca*: Cum *ergo* (ait) *juxta hujuſce Authoris mentem tot legiones ſint in unoquoque ordine ſubſtantiarum abſtractarum, quot ſunt in una legione Angeli, legionis autem numerus ſit ſex millium, ſexcentorum ſexagnita ſex, apparet evidenter, ſi dicamus ad numeri integri ordinis Angelorum, adſcendere multitudinem Dæmonum peccantium, cecidiſſe ſex mille & ſexcentas ſexaginta ſex legiones malorum Angelorum, quæ conſtituunt numerum* 44435556. Deauratæ nugæ! Alii *tertiam* preciſe Angelorum partem lapſam eſſe arbitrati ſunt, trahentes eo D. *Johannis* locum, Apoc. 12. 4. ubi dicitur, quod *Draco Magnus*, id eſt, Diabolus, *caudâ ſuâ traxerit tertiam partem Stellarum cœli, quas abjecit in terrâ.* Sed æque frivole: Tametſi enim daretur, per *Draconem Magnum* Diabolum intelligendum ibi eſſe, non tamen ideo de *primo* ejus ſociorumque *peccato* ſermonem eſſe conſequeretur. Quin probabile e contra eſt, potentiſſimam tantum Diaboli vim eo loci indicari, quâ notabilem, etiam ipſorum Doctorum & Antiſtitum in Eccleſiâ Dei, numerum a genuinâ veritatis Divinæ profeſſione avelleret, & in partes ſuas pertraheret. Neque verbis *tertiam partem* mordicus nimis inhærendum eſt, numerus enim certus pro incerto ponitur. Quodſi omnes verſus hujus voces propriiſſime & κατὰ τὸ ῥητὸν accipere velis, non tam *gehenna* infernalis, quam ipſa *Terra* pro Diabolorum habitaculo & receſſu erit habenda: dicitur enim expreſſé, Draconem *tertiam Stellarum Cœli partem* non in Infernum ſed *in Terram projeciſſe*: imò quidni *Draconis*, *caudæ*, *Stellarum* voces proprie etiam ſumendas tum dixeris? Proinde hoc unum rurſus hic certum tantum eſt, non unum vel duos vel paucos Angelos, ſed plurimos ſimul prævaricatos eſſe; *Nomen* enim *eorum eſt Legio*, *quia multi ſunt*, inquit Chriſtus: eoſque quidem ſpeciatim, ut jam olim obſervavit Nemeſius, *qui ad inferiora propenſi, res terrenas concupierunt, cum a propenſione ad res ſuperas & Deum receſſerint.* Utcunque improbabile non ſit, plures adhuc ex Angelis ſupereſſe, qui in veritate perſtitêre, quam qui ab eâ deſciverunt: hac nempe de cauſâ (inquit Thomas) quia *peccatum eſt contra naturalem inclinationem*; *ea vero, quæ contra naturam fiunt, in paucioribus accidunt. Natura enim conſequitur ſuum effectum, vel ſemper, vel in pluribus.* Licet haud certo tamen, cum Marchantio dixerim, numerum *illorum* plus duplo majorem eſſe, quam *horum.*

Guilj. Pariſ. de Univerſ. part. 3. cap. 8.

Ruſca de Infern. & Stat. Damn. lib. 5.

Paræus in Apoc. 12. 4.

Nemeſ. de Anim. cap. 4.

Thom. part. 1. Quæſt. 63. Art. 9.

Marchant. Hort. Paſt. Tract. 1. Lect. 5. Propoſ. 2.

XI. Ut

XI. Ut vero umbra corpus, ita apoſtaſiam Angelicam juſtiſſima mox inſecuta eſt pœna. *Nihil enim* (ut loquitur Bernardus) *fecit, nihil operatus eſt, tantum cogitavit ſuperbiam, & in* momento, *in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus eſt.* *Bernard. Loc. Citat.*

Quo circa primus male ſanâ mente tumeſcens
Lucifer (eximio nam quod frueretur honore)
Sperabat regale Dei, ſoliumque decuſque,
Corruit amiſſo vilis ſplendore, miſerque
Dum Deus eſſe cupit, totâ caligine totus
Obrutus eſt, levis atque licet proſtratus ad ima.

XII. Luerunt Angeli rebelles, & etiamnum luunt in eo, quod *Intellectus* eorum, licet naturaliter reſiduus, ſpiritualiter tamen corruptus & obumbratus plane ſit; quod in peccato obfirmata ſit eorum *voluntas*, ita ut neque unquam peccati ſui pœnitentiam acturi ſint, neque omnino agere eam poſſint. Secus ac opinatus eſt *Clemens*, de quo ſic Magdenburgenſes: *Ad pœnitentiam etiam & converſionem alluſiſſe videtur idem* Clemens, *ubi ait,* *Magdenb. cent. 2. c. 4.* Diabolum, quia liberum habeat arbitrium, poſſe duci pœnitentiâ. *Quod quidem dictum occaſio videtur fuiſſe erroris Origenis, diſcipuli ejus, qui opinionem*, de Diabolis adhuc ſalvandis, *poſtea magis ex profeſſo ſparſit.* Quod viſione Dei beatificâ æternum ſint privati; quod continuis doloribus ſine menſurâ modoque excrucientur; quod nullo unquam juſto delectationis objecto exhilarentur; quod nunquam non conſcientia eorum vellicetur & lancinetur; quod deſperatione nunquam finiendâ exagitentur; quod e Beatorum *Apoc.* habitaculo indignabunde a Deo exturbati ſint, ſic ut nullus eis *12. 8.* in iſto οἰκτηρίῳ locus amplius ſit. Jud. verſ. 6. 2 Petr. 2. 4. *Ordinarius* nempe & cum delectatione conjunctus. Nam quandoque etiam, Deo permittente, cœlum eos ingreſſos fuiſſe, Scriptura exertim docet: Ita Job. capp. 1. & 2. Angelis coram Deo congregatis, *Molin. in* *Satan* dicitur *interfuiſſe*; Deus etiam Micheæ apparuit 1 Reg. 22. *Diſp. Sedan. part. 1.* 21, circumſtantibus Angelis, de quorum turbâ prodiit Spiritus *pag. 159.* mendax, ad ſeducendos Prophetas operam ſuam promittens. Imò Vir quidam Magnus Apoſtoli verba Epheſ. 6. 12. huc etiam reducit; ubi luctam nobis dicit cum malitiis *ſpiritualibus*, *quæ ſunt* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις; ſed dubito an ſatis apposite. Quod *tum* in Abyſſo infernali, *tum* aliquando hic in mundo non niſi ignominioſiſſimam torto-

tortorum vicem obire coacti ſint. Job. 1. & 2. 2 Cor. 12. 7. Epheſ. 6. 22. Denique quod catenis tenebrarum ad judicium magnæ diei aſſerventur, 2 Pet. 2. 4. adeoque intentiores adhuc cruciatus, quam jam ferunt, præſentiſcentes, ad recordationem terribilis iſtius Judicii, non niſi continuo exhorreſcere poſſint.

XIII. Interim non defuerunt antehac, qui errore ſtulto & ridiculo, *injuſte* omnia hæc a Diabolis ſubiri pertenderunt, *Lolhardi* nempe ſive *Lolhardiſtæ*, quorum hæc abominanda opinio fuit: Non tantum *Deum peccata non punire*, *Baptiſmum nullius efficaciæ*, *Pœnitentiam non neceſſariam*, *Magiſtratui non parendum* eſſe; ſed etiam *bonos potius Angelos* Inferni *pœnas mereri*, *quam Luciferum*; *vel*, ut alii id referunt, *Luciferum cum aſſeclis ſuis injuriâ e Cœlo deturbatum*, *atque aliquando in Beatitudinem recipiendum iterum eſſe.* Autor ſententiæ hujus fuiſſe fertur *Lolhardus Walterus*, qui A°. 1315. in *Germaniâ* concionatus, anno ejusdem ſeculi 22. *Coloniæ* vivus exuſtus dicitur. Quod dubitare me facit, an idem hic *Lolhardus* quidem fuerit cum *Matthæo* illo *Lollardo*, cujus *Heda* & *Buchelius* in *Hiſtoriâ Ultrajectinâ* meminerunt. Hujus enim *oſſa*, juſſu Florentii Epiſcopi 50. Ultrajectini, *exhumata*, *atque ante atrium Pontificale combuſta*, *cineresque in foſſis urbis diſperſos eſſe* narrant; quod quomodo in corpus, jam ante vivicomburio conſumptum, cadere potuerit ἀκατάληπτον videtur? Ut neque nomine & ortus tempore convenire videntur; *hujus* enim cognomen eſt *Lollardus*, prænomen *Matthæus*, illius prænomen *Lolhardus*, cognomen *Walterus*. Buchelius emerſiſſe etiam putat *Lolhardos* A°. 1360. quod ab aliis, quin ab ipſo Bellarmino, ad annum 15. vel 16. ejuſdem ſeculi refertur. Ego me hærere hic confiteor. Tranſiit *Lolhardiſtarum* hoc nomen etiam in *Angliam* ſub exceſſu *Eduardi* III. Ut & Wiclefi ſectatoribus impoſitum eſt, eo quod hi cum illis in *Miſſæ*, *Extremæ Unctionis*, *Propriarum ſatisfactionum*, *Authoritatis Papæ improbatione*, & *oppugnatione* paria facerent. Alii dictos putant a *lolio*, quod ſicuti *lolium* ſegetem Dei inficerent & corrumperent, ſed ſine fundamento. Interim ſtupidiſſimus, dico, & ridiculus eorum *de Angelorum pœnis* error hic fuit. Quomodo enim Spiritus, qui e Cœlo deturbari digni erant, *boni* dici poſſunt? & quomodo *Lucifer* injuſte cum ſuis maledictionem pati dicendus, qui, Scripturâ judice, omnium prævaricatorum princeps & anteſignanus fuit?

Hotting. Hiſtor. E. part. 3. p. m. 950.

Heda Hiſt. Ultr. p. 259. 283.

Bellarm. Chronolog. pag. 109.

Trithem. in Chron. ad Ann. 1315.

XIV. Quam autem ob cauſam irremediabile plane *Angelorum* hoc *peccatum* ſit, eique nunquam concedenda aliqua venia, multi ampli-

amplificare hactenus magis, quam demonſtrare conati ſunt. *Peccatum Diaboli* (inquit idem Thomas) *fuit irremediabile, quia nec aliquo ſuggerente peccavit, nec habuit aliquam pronitatem ad peccandum ex precedenti ſuggeſtione cauſatam, quod de nullo hominis peccato dici poteſt. Item Angelorum peccatum remedium habere non potuit, quia ſecundum immutabilitatem naturæ ſuæ impœnitibiles ſunt ab eo, in quod ſemel convertuntur.* Neque ſolus ita *Thomas*, ſed varii etiam inter Antiquos Scriptores. Sic *Hugo Etherianus*, qui univerſo pene ſeculo *Thomam* anteceſſit: *Peccatum certe Diaboli* (dicit) *veniâ caret, quia non ſuggeſtione ſed propriâ ſuperbiâ corruit: homo vero, quia non per ſe cecidit, ſed per alium, reſurgere poteſt per Jeſum Chriſtum.* Quin hoc ipſo longe etiam vetuſtior *Haymo*, Epiſcopus Halberſtatenſis, qui Seculo octavo floruit. Hujus verba ſunt: *Fortaſſe quærit aliquis; quare homo ſit reparatus potius, quam Angelus lapſus; Cui reſpondendum: hominem non tantum deliquiſſe, quantum Diabolum. Ille enim diabolo ſuadente peccavit;* diabolus *vero nullo ſuadente, ſed ſuperbiendo corruit.* Homo, *quia corpus habebat, manducare indigebat,* diabolus *autem, quia Spiritus eſt, totus inexcuſabelis fuit. Fuit & tertia cauſa; quia* homo *necdum pervenerat ad locum, ubi æternaliter cum Deo regnaturus erat, ſed in Paradiſo terreno morabatur, de quo transferendus erat ad Cœlum, completo numero electorum:* diabolus *autem in Cœlo jam erat collocatus.* Quin certant ſimilibus etiam ratiunculis alii quidam Viri Docti; ſed neſcio, an ſibi ipſis nedum aliis perſpicacioribus unquam iis ſatisfecerint. Mihi hic perplacet Celeberr. *Voetii* modeſtia, qui ἐπέχειν mavult, quam temerè quicquam definire. *Nos putamus* (inquit) *nullam hic demonſtrativam & cogentem rationem poſſe adferri, præter liberum Dei beneplacitum*, Matt. 11.27. Rom. 9. 15. *Eph.* 1. 11. *a reliquis rationibus abſtinendum, ne fidelibus paleas pro doctrinâ ſcripturarum, & adverſariis conjecturas noſtras pro ſolidis reſponſionibus venditemus. Et ne viam ſternere videamur, ad analogicum quoddam meritum de congruo, propter quod hominibus magis liberatio obtigerit, quam Dæmonibus. Aureum eſt monitum Aquinatis:* Cum quis ad probandam fidem Chriſtianam inducit rationes quæ non ſunt cogentes, cedit in irriſionem infidelium: Credunt enim, quod ejuſmodi rationibus nitamur, & propter eas credamus. *Quod utinam applicaretur ſexcentis aliis conjecturis & congruentiis & aitiologiis, quæ ad ſingula fere conſilia, dicta, facta Dei aut Chriſti Servatoris, eorumque ordinem & circumſtantias, otioſe a plurimis commentatoribus & Poſtilliſtis adferri ſolent.* Neque aliter Magnum Genevenſium Decus *Turretinus*, dum ait: *Vera ergo ſeveritatis illius*

Thom. 1. 2. *qu.* 80. *art.* 4. & *in Opuſc. Cont. Græc. cap.* 5.

Hug. Etherian. de Regreſſ. Animar. cap. 9.

Bellarm. de Script Eccleſ. ad A. 850.

Magdeburgenſ. Cent. 9. *cap* 4. *p. m.* 37.

Voet. Diſpp. Select. part. 1. *pag.* 920.

Vid. Gomar. Op. Tom. 1. *pag. m.* 421.

Turretin. Inſtit. Elenctic. part. 1. pag. 651. *cauſa non alibi quærenda eſt , quam in* liberrimo Dei beneplacito, *qui , ut in hominibus lapſis ſuam* miſericordiam , *ita in* Angelis *apoſtatis ſuam* juſtitiam *&* ἀποτομίαν *demonſtrare voluit.* Vapulavit , ſcio, ob hanc ἐποχὴν a nonnullis *Voetius* , quaſi opinione hac ſuâ monſtrum quoddam aleret , ſaltem paradoxi aliquid in ſcenam producere inſtituiſſet. At , ſi accuſaſſe ſat eſt , quis innocens erit ? Eluit ſufficienter illam maculam Vir ὀρθοδοξώτατος tum alibi, tum in peculiaribus pro ſententiâ hac ſuâ *vindiciis* , ad quas nemo hactenus, quod ſciam , verbum repoſuit. Quicquid ſit , piiſſima ſaltem & nemini non accepta hæc illius conſideratio eſſe debet , ob quam nullam aliam in Dei hac diſpenſatione rationem , præter *liberrimum* ejus *beneplacitum* , ſe admittere poſſe dixit : *Addo* (inquit) *me metuere , ne ſi cauſæ & rationes miſericordiæ (Scripturâ tacente) in ipſo* homine *quærantur , abſoluto Dei beneplacito , liberrimæ gratiæ , & immeritæ miſericordiæ , & earundem ſolidæ defenſioni præjudicium aliquod adferatur.* *Voet. Diſpp. Select. part. 5. pag. 601.*

EXERCITATIO IX.

DE SADDUCÆIS ET PHARISÆIS.

BREVIARIUM.

Univerſum Prophetarum tempus Hæreſium & Sectarum *expers fuit. Cujus ratio redditur.* Naziræi, Kenæi, Rechabitæ *hæreticis non accenſendi. Variæ mox a Captivitate Babylonicâ* ſectæ *inter* Hebræos *ortæ. Celebriores inter eas* Sadducæorum , Phariſæorum , Eſſæorum : Joſephi *locus illuſtratus.* Scultetus *laudatus.* Primi *inter Iudæorum hæreticos* Sadducæi. *Qui*

Qui male a nonnullis cum Doſithæis *confuſi.* Sadducæorum *origo & dogmata. Quibuſcum an* Karræi *paria faciant, dubitatur.* His *cur reliqui Iudæi magis ſeve inſenſi, quam aliis? Quo ſenſu* Spiritus *eſſe* Sadducæi *inficiati ſint? Opinio eorum, de* negatâ Dei Providentiâ, *fruſtra a* Voſſio *incruſtata.* Joſephus *ad partes vocatus.* Sadducæorum & Epicuræorum *convenientia.* Illorum, *in tutandâ & propagandâ* ſectâ *ſuâ, crudelis pertinacia.* Arnobius *ab* Elmenhorſtio *emendatus. An Libros* Propheticos *rejecerint* Sadducæi, *ſolumque* Pentateuchum *ut Verbum Dei admiſerint? Sententiarum divortium.* Negantium *opinio recepta & adſtructa.* Lichtfootus *notatus.* Joſephus *elucidatus.* Objectio *ſoluta. Locus Matth.* 22. 22. *vindicatus,* Legis *vox non* Prophetis *vel* Hagiographis, *ſed* Scribarum *paſſim* verbis *apud Hebræos oppoſita. Sententiarum* conciliatio *fruſtra a* Druſio *tentata. Odium inter* Judæos & Samaritanos *unde? An* hi, *præter* Pentateuchum, *omnes quoque Scripturas rejecerint?* Leuſdenus *laudatus.* Phariſæi *unde dicti? Quo tempore orti? An* omnia fato *adſcripſerint, an* quædam *tantum?* Sigonii *oſcitatio notata.* Sadducæorum *cum* Phariſæis *convenientia & diſconvenientia.* Joſephus & Gorionides *ad partes vocati.* Haſidæi *quinam?* Caſaubonus *laudatus.* Phariſæi *non* Sadducæi *ab* Haſidæis *oriundi.* Molinæus *refutatus.* Mulieres Phariſææ. *Hebræorum de illis Proverbium. Carpocratis* Marcellina, *Montani* Priſcilla, Maximilla, Helena *parum iis abſimiles.* Paulæ & Euſtochii *elogium. Harum cum* Hieronymo *in agrum Bethlehemiticum ſeceſſio non omnimode laudanda.* Phariſæis *tamen* mulieribus *non accenſendæ.* Phariſæi *inter* Chriſtianos *quinam* Nazianzeno *dicti? De* Phariſaizantibus *in Eccleſia Reformata Hiſtoriola.* Viri *cujuſdam* Docti *ſuper eâ* Digreſſio *expenſa & caſtigata. Catechizationes publica*

blicæ*, *non minus quam **domeſticæ**, ***neceſſariæ***. ***Diſtinctio inter Catechizationes*** **minus Pueriles & nimis pueriles** ***exploſa***. **Burmannus** ***laudatus***.

I.

OBſervatu dignum eſt, univerſo Prophetarum tempore nullas in Populo Dei *hæreſes* ſectaſque extitiſſe, utcunque craſſiſſima imo abominanda in eo *idololatria* ſæpe graſſaretur. Verumtamen mox, a Prophetarum exceſſu, ſub Templo ſecundo, maleſana quædam dogmata Iſraelitarum animos cœperunt occupare; quod hinc procul dubio factum, quia immediatum Divini Verbi miniſterium tum non amplius ita obtinebat, quam ante; ac proinde pluſculum homines ratiocinationibus ſuis humanis, quam ipſi Deo, ſibi vel voce vel ſcripto loquenti, attribuere incipiebant; eaque, quæ ab eo hauſerant, ſcire non contenti, ardorem mentium ultrà ad rimandum omnia tulerunt, atque adeo ſuis ſe tenebris turpiter involverunt.

Cunæus de Rep. Judæor. lib. 2. cap. 17.

Bertram. de Rep. Jud. cap. 19.

II. Certum quidem eſt, etiam ante dictam Captivitatem, *Naziræorum, Kenæorum & Rechabitarum* mentionem in Scriptura fieri; at illi Hæretici non fuerunt, multo minus peculiarem quandam *Sectam* conſtituerunt; quippe non opinionibus aut ſententiis, ſed non niſi certâ quadam diſciplinâ vivendique ratione a reliquo populo tantum diſtincti.

III. Suppullulantibus vero inter Judæos hæreſibus, mox in varias itum eſt partes: *Sadducæorum*, *Geniſtarum*, *Meriſtarum*, *Galilæorum*, *Graciensium*, *Phariſæorum*, *ac Baptiſtarum* meminit *Juſtinus*. Addit iis Euſebius *Homero-baptiſtas Masbathæos*, *Samaritas*; hiſque iterum Epiphanius *Scribas*, *Nazaræos*, *Oſſenos*, *Herodianos* nec non Philaſtrius *Heliognoſtos*, *Muſoritas*, *Trogloditas*, *Aſtaritas*, *Puteoritas*, *Belitas*, &c. Omnium celebratiſſimi Chriſti tempore fuerunt *Sadducæi*, *Phariſæi*, *Eſſæi*, qui ſinguli ex profeſſo in Scripturâ refutantur; *Phariſæi* & *Sadducæi* a Chriſto ipſo ut cuivis conſtat; *Eſſæi* a Paulo, Col. 2. 17. 18. Teſtatur quod dixi *Ioſephus*, dum ait: *Judæi* ἐκ τῶν πάνυ ἀρχαίων *in tres ſectas erant diviſi*, Eſſenorum, Sadducæorum, *& eam*, *quæ* Phariſæorum *vocata eſt*. Ubi ὡς ἐν παρό-δῳ notandum, illud ἐκ τῶν πάνυ ἀρχαίων per *a multis retro ſeculis* verti non debere, ut a nonnullis factum, ſed per *a temporibus admodum antiquis*. Nam licet ex Hebræorum calculo, dictarum *ſectarum* ortus referendus ſit ad Annum ante Chriſtum natum 335. vel, ut alii volunt, 370. non tamen *treceni* illi anni, & quod excurrit, pro multis ſecu-

Philaſtr. de Hæreſib.

Joſeph. Antiq. lib. 18. cap. 2. pag. m. 617.

ſeculis haberi poſſunt. Appoſitè in hanc rem *Scultetus*, dum inquit: *Etſi veriſimile eſt, Synagogam Templi ſecundi, non multo poſt quam deſierunt Propheta, cœpiſſe dividi in factiones & ſectas, dicere tamen non potuit Joſephus a* multis retro ſeculis *factum id eſſe, nam* Sadducæi *paululum ſaltem antiquiores videntur fuiſſe Phariſæis, at illorum Authores* Saddok *&* Baitho, *ut ut antiqui fuerunt, non legitur tamen aliquot ante Chriſtum natum ſeculis vixiſſe.* Niſi *forte Joſephus, quod Hebræi plerique incertum, vere an falſo faciunt, ad Sanballathem Cuthæum & Manaſſen principium ſectarum illarum retulerit.* *Scultet. Exercit. Euang. lib. 1. cap. 20.*

IV. Hæreticorum primi fuere *Sadducæi* vel *Saducæi* (perinde enim eſt ſive per D. ſimplex ſive geminatum id legas) a quibusdam etiam Minæi vel *Epicuræi* dicti. Originem traxerunt a *Sadoko* ſive, ut alii legunt, *Saduko*, qui inſignis Hæreſiarcha fuit, vixitque tempore *Antigoni Sochæi* Pontificis M. & diſcipuli *Simeonis Juſti*, qui & *Jaddus* dicebatur. Perperam aliqui *Sadducæos* cum *Doſithæis* confuderunt, cum *hi* exerte mortuorum reſurrectionem ſtatuerint, *illi* vero exerte & conſtanter eam negent. Utcunque autem *Sadducæi*, quoad doctrinæ ſummam, peræque cum *Baithoſæo*, a Baithoſo, qui etiam Sochæi diſcipulus fuit, convenirent, ac cum *Sadoko*, maluerunt tamen ſemper ab *hoc* denominari, quam *ab illo*, eo quod Baithoſum pro *ſpurio* haberent; imò quidni pro puro puto figmento? dubium enim non ſine ratione eſt, an vel unquam in rerum naturâ vir aliquis ejus nominis fuerit. Sic Fullerus; *Quodſi* (inquit) *Eliam audiemus, Rad.* צדוק Baithos *erit proprium viri neſcio cujus, nomen, qui æqualis* Saddoko (unde Sadducæi) *diſciplinæ ſuæ ipſe quoque princeps ſectatoribus ſuis* (ביתוסים) Bethoſæorum *appellationem pepererit. Quâ in re inſignem prodit* ἀνιστορησίαν. *Siquidem nullus uſpiam apud Judaicæ Hiſtoriæ ſcriptores comparet* Baithoſus. *Quem tamen minime omnium perpetua oblivione obruere debuiſſent, illuſtris præſertim ſectæ authorem.* *Druſ. in Matt. 22. verſ. 23.* *Fuller. Miſcell. Sacr. lib. 2. c. 3.*

V. Dogmata quædam docuerunt *Sadducæi* excellenter abſurda. Negabant *mortuorum reſurrectionem*, ex male intellectâ Præceptoris *Sochæi* mente, de quo admodum perſpicue, ut ſolet, ex Clariſſ. L. *Emperenrio* D. Leuſdenus, ut ille forte ex *Maimonide*: *Hic Antigonus* (inquit) *varias vivendi leges & regulas diſcipulis ſuis præſcripſerat, & inter cæteras de Deo colendo hanc regulam, quæ invenitur in Pirke Abhoth cap.* 1. Ne eſtote ſicut ſervi, qui ſerviunt Domino propter mercedem, ut nempe accipiant præmium, ſed eſtote ſicut qui miniſtrant Principi ſuo hac conditione, ne accipiant *Leuſd. Phil. Mixt. pag. m. 133. 134.*

l'Empereur in Not. ad Bertram. de Rep. Hebræor. c. 19.

Præmium, & ſit Dei timor ſuper *vos ex hac præceptoris ſui regula duo illi Diſcipuli ſcil.* Sadokus & Baithoſus *talem fecerunt ſequelam: ſi Deo non debeamus ſervire ullo modo mercedis intuitu, aut ſpe retributionis alicujus, ergò nulla poſt hanc vitam dabitur reſurrectio mortuorum. Perverſa igitur explicatio verborum præceptoris Antigoni fuit vera cauſa ſectæ Sadducæorum.* Quod ſi verum ſit, ut revera eſt, haud immerito forte dubitatur, an *Karræi,* qui *Sadducæis* annumerari alias ſolent, jure iis accenſendi quidem ſint, cum *reſurrectionem mortuorum* iiſcum in dubium non vocent? Sed dicendum. 1. Non uſque adeo conſtare, quicquid ſuſtinuerint alii, an iidem *Karræi* cum *Sadducæis* unquam fuerint, an vero non potius *Phariſæi* aliique Judæi per convitium & contemtum *Sadducæis* eos annumerârint, eo quod ambo Patrum παραδόσεις præfractè rejicerent. *Karræorum* enim vox non tam *propria* eſt, quam *appellativa*, cunctos eos denotans, qui *ſoli ſcripturæ* adhærebant. Saltem, ſi *Scaligero* fides, a quo neque abludere videtur *Scultetus*, *Karræorum* nomen prius mundo innotuit, quam *Sadducæorum*. Vel 2. primitus *Karræos* quidem fuiſſe *Sadducæos*, ipſamque *mortuorum reſurrectionem* etiam negaſſe, ſed poſtmodum, cum non ſine magno periculo reſurrectionem mortuorum publice inter Judæos negari poſſe animadverterent, paucoſque ſententiam illam patronos habere viderent, a *Sadducæis* deſciviſſe. Adeoque 3. *Karræos* hodiernos, id eſt poſterioris ætatis a *Sadducæis* omnino diverſos eſſe, quippe tum doctrinâ tum moribus ab iis multum recedentes. Nihil enim, præter ea, quæ alii etiam Judæi tenent, commune iiſcum habent, quam traditionum humanarum rejectionem. Vitæ etiam aliquatenus moratioris ſunt, quam *Sadducæi*, ſpecietenus ſaltem: quam ob cauſam multo iis infenſiores reliquos Judæos, ac præcipue *Phariſæos* etiam eſſe, quam *Sadducæis*, non improbabilis conjectura eſt. Neque enim ob ſolam Traditionum rejectionem eſſe id poſſunt, cum illa non minus a *Sadducæis* quam *Karræis* teneatur. Videtur e contra uſſiſſe ſemper reliquos Judæos, imprimis *Phariſæos*, quod *Karræi* honeſtioris converſationis προφάσει, quâ dementare minus naſutos *Phariſæi* alias ſolebant, ipſorum apud plebem exiſtimationi quadantenus obeſſent. De infeſto hoc Judæorum in *Karræos* odio ita habet *Poſtellus* apud *Scultetum*: Caraim *ditiſſimum hominum genus eſt, ſed uſque adeo cæteris inviſum hominibus, ut bona pars virginum illorum, qui per affinitatem & paucitatem non ſibi ſatis ſunt, innupta maneat. Aſſerunt inſuper communis opinionis Judæi, ſi accideret ut* Chriſtianus & Ca-

Druſ. in Actor. 23. 8.

Hoornb. cont. Judæos. l. 1. c. 1. p. 71

Scaliger. Adv. Serar. p. 318.

Scultet. Exercit. Evangel. cap. 23. l. 1.

Buxtorf. Lex. Talm. pag. 2115.

Scultet. loc. citat.

Digitized by Google

& Caraimus *unus demergerentur unà, pari utriuſque ſalvandi poteſtate,* *Lightfoot*
pontem ſe effecturos corpore Caraimi *ad ſalvandum* Chriſtianum. *in Act. 23.*
Adhæc *animas humanas mortales* fecerunt *Sadducæi*, ac cœleſtes Spi- *pag. 108.*
ritus, id eſt, *Angelos* eſſe pernegarunt. Licet ſint, qui hoc eis
ſenſu id tantum tribuunt, quod conceſſerint quidem, creatos
fuiſſe *Angelos*, ſed poſt completam *Pentateuchi* Hiſtoriam eos in nihi- *Rich.*
lum evanuiſſe, & poſt *Moſem* non fuiſſe vel *Angelum* vel *Spiritum* vel *Sim. Hiſtor.*
Prophetiam; quod hinc factum quidam putant, quia Judæi in *Critic. lib. 1.*
Talmude confitentur, *Angelorum* & menſium nomina in uſu apud *c. 7. pag. 44.*
ſe non fuiſſe, niſi poſt reditum e Babylone, adeoque quæ Scrip-
turæ de *Angelis* referunt tanquam a Doctoribus Judæis addita, & *Grot. in*
inſtar *Allegoriarum* intelligenda tantum eſſe. Quibusdam eorum, *Mat. 16. 6.*
Herodianiſmum etiam tribuit Grotius: *Atqui Marcus* (inquit) Sad-
ducæis *præteritis nominat* ζύμην ἡρῴδου. *Credo, quod* Sadducæorum
nonnulli ſimul erant Herodiani, *h. e. Herodem Magnum eſſe dicebant* Si-
loh, *a Jacobo promiſſum.* Divinam *denique* Numinis *providentiam*
impugnarunt. Eſt quidem, quod Doctiſſ. *Voſſius* poſtremum
hunc eorum errorem, qui certe e levioribus non eſt, de negatâ
Dei providentia, incruſtare quadantenus velit, ut hæc ejus, ver-
ba indicant: *Ex Philoſophis Gentium hanc Sadducæorum opinionem* [de
mortalitate animæ] *amplexi ſunt Epicuræi, imo longe deteriorem.*
Nam Sadducæi agnoſcebant Deum curare res humanas, *quippe* *Voſſ. de*
eum bonis bene facere in hac vitâ; Epicuræi autem in totum tollebant *Idol. Gentil.*
Providentiam Divinam. Sed quid tanto apud Magnum Virum fa- *lib. 1. cap.*
vore propudioſum hoc hominum genus dignum fecerit, fateor *10.*
me ignorare. Etenim ego, luſtratis variis de Hebræorum *Sectis*
Scriptoribus, nullibi non offendi, quin *Providentiæ divinæ* negatio
diſertiſſimè ipſis tribuatur: E pluribus unum tantum adducam
locum ex *Joſepho*, qui ita habet: *Sadducæi fatum omnino negant & e* *Joſeph.*
rebus tollunt, dicentes, nihil fataliter evenire hominibus, & omnia in *l. 13. cap. 9.*
noſtrâ poteſtate eſſe, ut tam felicitatis nobis ipſis authores ſimus, quam
infortunii, ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus. Quinimo eo ipſo, quod
tam prope acceſſerint ad Epicuræos *Sadducæi* hac in re, non defue-
runt inter Eruditos, qui *Sadokum* & *Baithoſum*, authores ſectæ
Sadducæorum, principes quoque conſtituerunt *Epicuræorum*. Ta-
metſi vero *Sadducæi*, Dei Providentiam negantes, vix *Atheis*
eſſent meliores (quibus perinde pene eſſe dixeris, ſive hoc ſive il-
lud credatur) tam obſtinate tamen dogmatibus ſuis olim inhære-
bant, ut infeſtiſſimi nonnunquam a ſe diſſentientibus eſſent, quin
crude-

Digitized by Google

crudeliter eos perſequeretur. Docet id *Johannis Hyrkani F. Simeonis* Pontificis ſimul & Regis exemplum; hic enim jam ſenex modo, & poſtquam Pontificatum Maximum quadraginta annis geſſiſſe, *Sadducæus* demum factus, tanto pro ſectâ ſua percitus fuit furore, ut præceperit & promulgari juſſerit publicâ voce per omnes Regni ſui provincias, ut reciperet quiſque dogmata *Zadok* & *Baithos*, ſub comminatione mortis, ſiquis obſequi recuſaret. Cum vero multi, occulte licet, in Sapientum placitis perſeverarent, inquiſitione factâ, quoſcunque reſcivit, occidi fecit. Neque multo melius *Jonathas*, de quo *Joſephus*: hic enim, a *Phariſæis* ad *Sadducæos* apoſtata factus, in tantum deſerti ordinis oſorem commutatus eſt, ut *conſtitutiones eorum* non tantum *abrogarit*, ſed *obſervatores earum pœnis etiam affecerit.* Præter jam dictos errores alium inſuper *Sadducæis* adſcribit *Arnobius*; dum formam Deo corpoream tribuiſſe eos dicit. *Neque quiſquam* (inquit) *Judaicas in hoc loco nobis opponat &* Sadducæi *generis fabulas, tanquam* formas *tribuamus & nos Deo.* Sed bene in verba illa obſervavit *Elmenhorſtius*: Sadducæos *Deo* formam corpoream tribuiſſe *nullus veterum Eccleſiæ Doctorum, quod ſciam prodidit. Aut igitur hic lapſus* Arnobius *eſt*; *aut, quod magis credibile, periit author, ex quo hæc deſumpſit, neque ad notitiam venit poſterorum.* Unus Montacutius accedere *Arnobio* quadantenus videtur, dum (quod Samaritis alias adſcribitur) quod Deum ſub formâ *Hirci* invocârint, Gen. I. I. pro *Elohim* ſubſtituto *Aſima*, id eſt, *Hirco*, Saducæis etiam applicat. Errore procul dubio mnemonico, vel quod *Samaritaniſmum* cum *Sadducæiſmo confuderit.*

Joſeph. Antiqq. l. 13. c. 18.

Arnob. c. Gentes. lib. 3.

Elmenh. in Arnob. pag. 72.

Montacut *Apparat.* §. 54.

VI. Sed altioris indaginis exſurgit hic quæſtio, quæ fuſius excutienda: ſcilicet, An *libros Propheticos rejecerint* Sadducæi, *ſolumque Moſis Pentateuchum pro genuino Verbo Dei habendum eſſe cenſuerint?* Et magna certe ſuper hac re ſententiarum pugna eſt. Pro *Affirmativâ*, ſtatuente eos non niſi Moſis Pentateuchum recepiſſe, ſteterunt hactenus *Joſephus*, *Hieronymus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Iſidorus*, *Sixtus Senenſis*, *Lyranus*, *Voſſius*, *Hoſpimanus*, *Merula*, *Grotius*, ac tandum etiam *Lichtfootus*, qui de eâ diſſerit: *cum in Sectam ſecedere voluerint* Sadducæi, *imbibitâ jam hæreſi*, non eſſe reſurrectionem mortuorum, *& tortiis jam tandem* Angligoni *verbis in talem ſenſum, minus mirum, ſi libros Moſis ſolos admittere voluerint, quippe quod in iis nihil plane occurreret, quod ipſorum errori contradiceret. Atque inſuper quod Libros iſtos ſolos conſignaſſe præ ſacris viderentur*

Cunæus *de Rep. Hebræor. p. m. 476.*

Spanhem. Dub. part. 3 pag. 3.

Lichtfoot. *in Act. cap. 23. 8.*

Leuſd. Philolog. *mixt. diſſert. 3.*

rentur antiquiores illi Magni nominis Viri, qui eos ſolos græce verterant. Quam ſententiam, de ſolis *Pentateuchi* libris a LXX. in græcum idioma transfuſis, Vir ille Doctiſſimus adoptaſſe etiam videtur, licet, ſi quod res eſt dici liceat, nullo fundamento, ut ab aliis demonſtratum eſt. *Morin. Exercit. 8. cap. 2.* Prout neque vero conſonum eſt, quod libri Moſis *nihil plane* contineant, *quod errori* Sadducæorum, de mortuorum reſurrectione negata, *contradiceret*; exertè enim obſtat locus famoſiſſimus Exod. 3. verſ. 6. ut ex ſeqq. plenius eluceſcet. In contraria vero eunt *Joſephus Scaliger, Druſius, Scultetus, Cunæus, Spanhemius, Hottingerus, Coccejus* &c. qui putant, peræque Sadducæos omnes Divini Canonis libros recepiſſe, ac reliquos Judæos. *Coccej. Sanhedr. pag. m. 306.* Et ſane, ſi æquâ lance negotium hoc ponderemus, videntur qui *poſteriorem* ſententiam tenent propius ad veritatem acceſſiſſe. Quod (ne dicam imperceptibile eſſe, quomodo abominandam talem opinionem Spiritus S. in catalogo errorum ſectæ *Sadducæorum*, quem præpoſuit, non recenſuiſſet, ſed plane eam diſſimulaſſet; *Hottinger. Theſ. Philolog. lib. 1. cap. 1.* quomodo etiam ferre eam potuiſſet Populus Judaicus, e contra mille potius crucibus eam non vindicaſſet; Phariſæique capitales Sadducæorum hoſtes eam ipſis nunquam improperaſſent) luce meridianâ clarius pateſcet, ubi oſtenderim tantum, primarium adverſæ opinionis fulcimentum perquam caducum imo ſtramineum plane eſſe. Ponitur id vulgo in hiſce *Joſephi* verbis: *Multa Phariſæi ex Patrum ſucceſſione tradiderunt legitima* ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μουσέως νόμοις, *& ideo Sadducæi his authoritatem abrogant, dicentes oportere tantum obſervari* νόμιμα τὰ γεγραμμένα *legitima, quæ ſunt ſcripta*, τὰ δὲ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. *Joſeph. Antiqq. lib. 13. cap. 18. pag. m. 453.* At 1. Quid ibi, quæſo, de Prophetarum libris a *Sadducæis* rejectis, & ſolo Pentateucho recepto, cum Joſephus Moſis legem non Prophetis vel eorum ſcriptis, ſed *traditionibus humanis* notoriè tantum opponat, haſque non illos reſpui a *Sadducæis*, atque in hoc eos diſtingui a Phariſæis velit? Et quis hoc ſenſu idem cum *Joſepho* hic non dicit? niſi cui, *Holſt. Præpar. ad Meſſiam. pag. 223.*

> *Exactas placeat ſervare tenebras,*
> *Splendentemque die medio non cernere ſolem.* *Prudent. lib. 1. contr. Symmach.*

Eo magis, quod nihil vulgatius apud Hebræos fere ſit, quam Legem non *Prophetis*, ſed *Scribarum verbis* opponere. Sic diſertè *Gorionides*: Phariſæi *dicebant*: *Servemus legem quam, tradiderunt Patres noſtri in manus noſtras, expoſitam juxta os* Sapientum, *qui expoſuerunt* *Gorionid. Hiſt. Judaic. lib. 4. cap. 6.*

legem per Kabalam. *At* Sadducæi *dicebat*, *ne credamus & ne audiamus ullam* traditionem *aut ullam expoſitionem*, *niſi* legem *Moſis ſolam*. Oppoſite ſcil. ad *Kabalam*? 2. Quidni per τοὺς *Moſis* νόμους
1. Cor. 21. *leges Moſis* vel νόμιμα τὰ γεγραμμένα *legitima*, *quæ ſcripta ſunt*, in genere *verbum* Dei etiam intelligas, prout *legis* vocem tam late quandoque ſumi & ſumendam eſſe, liquido conſtat. Solus inſpiciatur *Lichtfootus* Comment. in 1 Cor. 14.21. ubi varia Talmudicorum loca hanc in rem adducit: ut & alibi hunc ex R. Azaria: *Nonne apud Sapientes noſtros B. M. multa loca reperiuntur*, *in quibus nomen* Legis *complectitur etiam* Prophetas *& Hagiographa?* In N. T. idem
Theophylact. in Rom 3.19. de voce νόμος in liquido eſt. ſic 1 Cor. 14.21. & Rom. 3.19. *Scimus*, *quod quæcunque* Lex *loquitur*, *iis*, *qui in* lege *ſunt loquitur*. In quæ verba *Theophylactus*. Νόμον λέγει πᾶσαν τὴν παλαιὰν, οὐ μόνον τὰ Μωσαϊκά. Legem *appellat totum V. T. non* ſolum *Moſaica* 3. Aſſerit *Ioſephus*, rejicere Sadducæos τὰς παραδόσεις τῶν πατέρων, ex quo ſi ſequatur, eos libros quoque Propheticos, eoſque quidem omnes, rejeciſſe, probandum utique eſt, Prophetarum libros ad τὰς τῶν πατέρων παραδόσεις pertinere, quod non puto quenquam ex opponentibus tentaturum, nedum effecturum eſſe. Dicit quidem *Voſſius*, *Ioſephum Scaligerum* a ſe, pluribuſque aliis ante nominatis Scriptoribus hac in re diſſentire, *argumentis* compulſum *haud ſatis firmis*; ſed dicit id tantum; mallem equidem, Virum Magnum argumentorum illorum infirmita-
Voſſ. in Theſ. Theol. pag. 177. tem firmioribus argumentis demonſtraſſe, quam ſimpliciter ut tam levia & vana ea exſibilaſſe.

VII. *Dices*, ſi *Sadducæi* alios Scripturæ libros, præter *Pentateuchum*, receperint, cur ergo Chriſtus Matt. 22. 32. non potius clarè ex Propheta aliquo, quam tam obſcure, & per conſequentiam tantum, e libro Moſis ſecundo cap. 3. verſ. 6. *Ego ſum Deus Patris tui*, *Deus Abrahami*, *Deus Iſaaci &c.* Reſurrectionem mortuorum comprobavit? *Reſp.* 1. Quia Chriſto ſic placuit; neque enim pondus argumentationis ejus ullatenus eo emaſculabatur, quoniam illatio ea peræque *Sadducæis* convictiva eſſe potuit, ac expreſſimus quidam Scripturarum locus; *tum* quod conſtructa eſſet e libro, quem ipſi ut *Divinum* recipiebant, *tum* quod, in rerum fidei probatione, etiam conſequentiis agi poſſe, in dubium nunquam traxerunt. 2. Tametſi libros alios ſacros ut *Canonicos* etiam admitterent *Sadducæi*, ſingulari tamen ratione & affectu in Moſis *Pentateuchum*,

teuchum ferebantur: cujus ergo cum Jeſus ignarus non eſſet, tali ipſos telo aggredi libuit, cui ipſimet virtutis plurimum adſcribebant.

VIII. Conciliare diſcrepantes has opiniones conatus eſt Doctiſſimus *Druſius*, ſtatuens, illos tantum *Sadducæos* ſolum Pentateuchum recepiſſe, qui inter *Samaritanos* vixerunt, qui vero inter *Judæos* ſemper habitarant, reliquam etiam V. T. Scripturam admiſiſſe: hac procul dubio nixus hypotheſi, quod etiam *Samaritæ* ſolos libros *Moſis* ut principium fidei receperint, reliquos Scripturæ libros non receperint, ut in *Doſitheo* ſaltem, ſive *Doſten*, cujus ſectatores Δοσθηνοὶ *Doſtheni* dicti, manifeſtum eſſe videtur; de hoc enim ſic, ex *Photio*, Cl. Voetius; *Quod in Divinos* Prophetas *maledicus, in Patriarcham* Judam *contumelioſus fuerit, exploſiſque & exſibilatis* Prophetis, *omnia ſibi vaticinia, quin & Divinitatem arrogarit*; vel (ut Tertullianus) *primus auſus ſit* Prophetas *repudiare*. Sed quomodo probabit Vir Litteratiſſimus, unquam notabilem aliquam *Sadducæorum* partem inter *Samaritanos* commoratam eſſe; nam ad hanc vel illam ſingularem perſonam eum reſpicere, credibile non eſt. Erant enim *Sadducæi*, utut hæretici, revera tamen adhuc *Iudæi*; at quam internecinum inter hos & *Samaritanos*, tam ob Templum Hieroſolymitanum reſtitutum, quam ob alias cauſas, odium ſemper fuerit, nemo eſt qui neſciat. Eſt quidem, quod ex *Judæorum* Gente, eo quod uxores duxiſſent Samaritanas, transfugerint quidam ad *Samaritanos*, & inter illos præcipue Sacerdos *Manaſſes*, Jaddi, Magni Pontificis, frater; ſed unde liquet, transfugas illos præciſe *Sadducæos* fuiſſe? quod, ſi quicquam, probandum hic erat. Ne dicam, inter Viros celebres non deeſſe, qui negant, ipſos *Samaritanos*, præter *Pentateuchum*, omnes Scripturæ libros rejeciſſe, ſaltem dubitanter de eorum ſuper hac re ſenſu loqui ſolent. Dicunt quidem, eos *Moſis* libris ſingulariter adhæſiſſe, at non in oppoſitione *ad* libros Hiſtoricos, Propheticos, & Hagiographa, ſed ad *Phariſæorum* aliorumque Traditiones; quod *idem* eſt, quod de *Sadducæis* mox aſſeruimus. *Nonnulli* (inquit Cl. D. Leuſdenus) *veroſimiliter dicunt, Samaritanos ſolam Legem pro verbo Dei agnoviſſe, oppoſite ad* Traditiones *Legis* Phariſaicas *non ad* alios Scripturæ libros. Ita etiam Petrus a Valle. *Pentateuchum ab initio receperunt* [Samaritani] *& neſcio num aliud aliquid.*

Huet. Demonſt. Euangel. tom. 1. pag. m. 76. 273.

Voet. Diſpp. Select. part. 2. pag. 152.

Tertull. de Præſcript cap. 45.

Suicer. Theſaur. Eccleſ. pag. 801.

Al. Roſſ. de Mund. Religionib. pag. 25.

Bejer. in Addit. ad Selden. de DIs Syr. p. 286.

Leuſd. Tract. cit. Diſſert. 8. pag. 57.

Antiqq. Oriental. p. 165.

Goodw. Moſ. & Aar. pag. 44. 45.

IX. Hæc de *Sadducæis*. Addendum etiam verbum de *Phariſæis*. Hos aliqui nomen ſortitos putant a פרש per *ſchin, interpretari*, quia

Hieron. adv. Luciferian.

legis Interpretes haberi volebant. Sic *Melanchton*; Alii a פרש per *ſin*, quod tum *expandere* ſignificat, quia Philacteria ſua expandebant, tum *ſeparare*, quod ab aliorum hominum conſortio & conſuetudine veſtitu non tantum, ſed ſingulari etiam pietatis προφάσει ſe ſeparârent, quod priori veroſimilius eſt. At multa de his alii, quæ non repetimus.

Suidas in Voc. Φαρισαῖοι.

X. Orta horum ſecta eſt annis præterpropter ante Chriſtum natum 140. tempore, (ut quidam putant) *Jonathanis Aſſamonæi*, ſaltem ad ejus tempora eorum demum meminit *Joſephus*; licet multi, juxta Hebræorum calculum, longè eos antiquiores habeant, ut in præcedentibus videre eſt. Errores tenuerunt varios eoſque graviſſimos & putidiſſimos. Præcipui fuerunt, 1. Quod pleraque, quæ fiunt, fato aſtriſque attribuerint. *Pleraque* (dico) non *omnia*, ut voluiſſe videtur *Joſephus*, Lib. 18. cap. 2. Πράσσεσθαί τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ αὐτῆς ὁρμῆς ἀφαιροῦν): *fato* quæcunque *geruntur tribuunt, nec tamen homini voluntatis aſſenſum adimunt.* Licet alibi aliter locutus ſit, Libro nempe 13. cap. 9. ubi infit: *Quædam* non omnia *fato* [Phariſæi] *tribuunt.* Quæ ergo loca non bene cum ſe invicem contuliſſe etiam videtur *Sigonius*, dum abſolute *Joſepho* adſcribit, quod ſenſerit, Phariſæos non *quædam* tantum, ſed *omnia* fato aſtriſque ſubjeciſſe. Non incongrue Vir quidam Doctus Judæorum ſectas hoc modo diſtinxit; quod *Sadducæi* omnia tribuerint libero arbitrio, nulla fato; *Eſſæi* omnia fato, nulla libero arbitrio; *Phariſæi* quædam libero arbitrio, quædam etiam fato. 2. Quod Patrum παραδόσεις Legemque oralem in magno pretio non tantum habuerint, ſed ſupra ipſam Legem ſcriptam æſtimârint. 3. Quod cultui externo quam maxime inhæſerint, juſtitiamque propriam erigere conati ſint. Quod 4. ab animarum μεταβάσει (*revolutionem animarum* vocant) alieni non fuerint. Statuunt quippe, *Joſepho* teſte, ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην. Τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. id eſt, *Animam omnem quidem incorruptam eſſe, tranſire autem in alia corpora ſolas bonorum, improborum vero æterno ſupplicio cruciari.*

Magdenb. Centur. 1. lib. 1. cap. 4

Matth. 16. 2. 14. & 19. 17. 18. Luc. 16. 15. & 11. 52.

Sigon. de Rep. Hebr. lib. 5. c. 11.

Goodw. Moſ. & Aar. lib. 1. cap. 12.

Matt. 5. 20.

Luc. 18. 11.

Joſeph. de Bell. Judaic. lib. 2. cap. 7

Druſ. de Judæor. Sect. lib. 2. c. 2.

XI. Moribus vero vitiiſque non multum a *Sadducæis* diſcrepabant: Ambo enim erant impii, licet *Phariſæi* externâ formâ modeſtius ſe haberent. Act. 26. 5. In judiciis erant crudeliſſimi, in paren-

Merul. Theſaur. Temp. pag. 13.

Digitized by Google

rentes duri, inhumani, ἀστοργώτατοι, Matt. 15.4. utroſque uno nomine Johannes γεννήματα ἐχιδνῶν, *progeniem viperarum* dixit, id eſt, peſſimorum parentum peſſimos liberos, nempe κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν, *mali corvi malum ovum*, imò vel ipſiſſimorum Dæmonum genuinos filios; prout ſunt, qui per *viperas* ipſos *Diabolos* intellexerunt: ita Paulus Elymam *Filium Diaboli* vocitavit, omnibus que Judæis rebellibus & præfractis improperavit Chriſtus, quod *e Patre Diabolo* eſſent. Joh. 8. 44. Exiſtimatione tamen apud *Magnates* prævalebant fere *Sadducæi*, procul dubio quia vitæ erant licentioris ac laxioris, & forte vix meliores, quam athei. *De Lege* enim *Divinâ* (inquit Philaſtrius) *non aliud expectantes*, Epicuræam *dementiam potius, quam Divinæ Legis jura ſectabantur.* Unde & inviſiſſimi Vulgo fere erant, quod effuſiſſimam eorum impietatem ſæpe non ferebat. *Phariſæi* e contra apud altioris ſubſellii homines vix ullo loco erant, at æſtimatiſſimi apud plebem; hanc enim excellentioris pietatis oſtentatione ita dementabant, ut nihil non apud eam valerent; prout, ſi ullibi, in Chriſti paſſionibus luculentiſſimè patuit. *Ditiores ſtant a* Sadducæorum *partibus* (inquit Joſephus) Phariſæi *cateræ multitudinis utuntur favoribus.* Sive (ut Gorionides) *manus tenuis plebecula erat cum Phariſæis, quæ adjuvabat eos, præter divites & potentes ejus, qui erant cum Rege & Sadducæis, & adjuvabant eos.* Interea hoſtes erant inter ſe infenſiſſimi, utut, ſi quando pii vexandi & lacerandi eſſent, facillimo negotio coirent.

Hoſpin. de Monach. lib. 1. cap. 3. Cameron. Myrothec. in Matt. 3. Caſaub. c. Baron. pag. m. 56.

Philaſtr. de Hæreſ. §. 5.

Ioſeph. Antiqq. lib. 13. cap. 18. pag. 454. Gorionid. lib. 4. 29. ſ.

XII. Accedebant vero ſectæ *Phariſaicæ* quidam ſolius Lucri causâ, qui *Phariſæi Sichemitæ*, quidam Virtutis ſtudio, qui *Phariſæi ex amore*, quidam Pœnæ metu, qui *Phariſæi ex timore* vocabantur. Dicebantur eorum alii quoque *Truncati*, quod meditabundi incedentes vix pedes humo tollerent tanquam truncati eſſent; alii *Impingentes*, quia, quoties prodirent in publicum, oculos clauſos habebant, adeoque in parietes muroſque ædium caput ſæpe impingebant, *veneſcantes ad parietes* vel *cæcutientes* aliter dicti; alii *Mortarii*, quod inſtar profundi mortarii pileum geſtarent, ſic ut nec hac nec illac circumſpicere, verum oculos ſolum humi & ante ſe per lineam rectam eorum aciem emittere poſſent; alii denique *Phariſæi, quid debemus facere & faciemus illud:* qualis fuiſſe videtur, qui Luc. 18. 18. ad Chriſtum accedebat. Omnes in genere, ut jam dictum eſt, vivendi ratione externâ aliis hominibus devotiores & rigidiores erant, religionem conſtituentes, quam venuſte *Epi-*

Hotting. Th. Philol. pag. 28.

Buxtorf. Lexic. Talmud. pag. 1852. 1853

Epiphanius ἐθελοπερισσοθρησκείαν dixit. Unde neque immerito aliqui ab *Haſidæis* eos derivarunt, ut *Scaliger*, *Molinæus*, aliique; quippe quod hominum genus huic noſtro, ſi non in omnibus, in pleriſque ſaltem conſimillimum fuit. Licet & ſint, qui Haſidæos & Eſſæos ſive *Eſſenos* pro iiſdem haberi volunt, ut *Bertramus*, *l'Empereurius*, *&c.* Obſervatu digna ſunt, quæ *Caſaubonus* in hanc rem habet: *Proprie* חסידים (inquit) *pii omnes ſancti & benigni vocantur; neque illa appellatio ulli ſocietati magis ſuit peculiaris, quam vox boni aut ἀγαθοῦ; itaque liber extat inter Hebræos ſatis magnus;* חסידים *inſcriptus, quia dicta & facta piorum ſanctorumque virorum exponuntur, non autem Aſidæorum duntaxat. Et apud Rabbinos familiare proverbium eſt, quo ſignificant, non poſſe filios terræ, id eſt, imperitos & ignaros Legis vere pios eſſe. Poſtea cum Reges vicini vexarunt Judæos, & cuperent eorum religionem ire exſtinctum, facta ſunt ejus populi duæ partes, unam conſtituebant οἱ ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τοῦ ἔθνους, ut eos appellat Joſephus lib. 12. c. 17. viri pii, veræ religionis retinentes, qui in libris Judæorum paſſim* חסידים *nominantur.* Et paulo poſt: *Alteram partem populi conſtituebant, qui in libro Regum Domus ſecundæ, Gorionidæ & aliis vocantur.* פרשעים מישראל οἱ ἀποςατήσαντες ἀπὸ τοῦ Ισραὴλ, *impii, apoſtatæ, & Legis proditores.* Alii רשעים eos dixerunt, id eſt, *impios & ſceleratos homines.* Ante captivitatem Babylonicam eodem veniebant nomine חסידים & צדיקים, hominesque vere pii per eos ſignificabantur; at poſtea diſtinguere ſe cœperunt חסידים a צדיקים, quaſi ferventioris pietatis zelo illis ſuperiores. Nempe qui צדיקים dicti, ſolis Scripturis incumbebant, contenti non ſapere ultra quod ſcriptum erat. חסידים vero imperfectas Scripturas eſſe dicebant, niſi adderentur aliqua, quibus ſupplerentur. Hinc in Machabæorum libris חסידים ἑκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ vocantur id eſt, *ſtudentes accuratiori legis obſervationi*, & inſuper addentes *obſervationes voluntarias & legis auctaria*, quæ ἑκουσιάσμοι & ἐπίμετρα Græcis nuncupantur. In quo quis non videt, iiſcum paria plane facere *Phariſæos* noſtros, quos deſcripſimus. Clar. *D. Molinæus* ipſos *Sadducæos* ab *Haſidæis* deduxit. Hi (inquit, locutus erat de חֲסִידִים) poſtea in ſectam Phariſæorum, Sadducæorum & *Eſſenorum diviſi ſunt.* Supponit nempe Vir Doctus, extincto inter Judæos Prophetiæ dono, ad ſarciendum utcunque hoc diſpendium, emerſiſſe novum hominum genus, id eſt, hosce חֲסִידִים putatque id veluti communem ſectam conſtituiſſe poſtmodum diſtri-

Bertram de Rep. Iudæor. cap. 19.

Caſaub. Adverſ. Baronium Exercit. 1. pag. m. 54.

Molinæi. Vat. cap. 7. pag. 13.

diſtributam & diſtractam in tres alias mox memoratas. At (inquam) ſupponit id, non demonſtrat; ſaltem quomodo *Sadducæi* ex hoc trunco, quorum ne ullam quidem ſimilitudinis ſpeciem habuerunt, enaſci potuerint, oſtendi luculentius velim. Erant *Haſidæi* externâ ſaltem pietate ſplendidiſſimi, rigidiſſimæ & exactiſſimæ diſciplinæ; *Sadducæi* horum ne γρῦ quidem habebant, e contra, conſentientibus omnibus, vitæ erant diſſolutiſſimæ, & vix ipſis Gentilibus imò Atheis meliores & moratiores. Quare & *Druſius* Sadducæos ab *Haſideis* non tantum diſtinguit, ſed hiſce illos directe opponit. *Rurſus Gorionides* (inquit) *lib.* 4. *cap.* 29. *Et erant Sadducæi in Iſrael*, *pro parte unâ*, *&* Haſidæi, *quos ſequebatur populus*, *pro parte altera.* Quomodo ergo iidem eſſe potuerunt, vel illi ex hiſce originem ſuam derivaſſe?

Grot. in 1 Machab. cap. 2. 42.

Goodwin. Moſ. & Aar. cap. 9

Carpzov. in Schickard. pag. 389.

Druſius Exercit. Spec. de Haſidæis.

XIII. Fuerunt etiam *Mulieres Phariſææ*; quum enim conjugio non abſtinerent *Phariſæi mares*, quis miretur, *tum* doctrinæ profeſſione *tum* vivendi ratione paria iiſcum uxores ſuas feciſſe? Satagebant hæ fæminæ externo rigidioris pietatis zelique obtentu alias quaſque antecellere, cætera nequaquam iis meliores, nonnunquam etiam deteriores. In quas hoc proverbium jaciebant Hebræi: *Virgo*, *quæ ſemper orat*, *vidua*, *quæ vicinas ſuas ſæpe viſitat*, *infans*, *qui menſes ſuos non implet*, *mundum conſeneſcere faciunt.* Similes hiſce quidam fecêrunt, neque immeritò, Carpocratis *Marcellinam*, Apellis ſive Severi *Philumenam*, Montani *Priſcillam* ſeu *Priſcam* (utroque enim nomine venit apud Euſebium) & *Maximillam*, Simonis denique *Helenam*, ipſi *Ennæam*, Irenæo & Auguſtino *Selenem* dictam, quam ex proſtibulo *Magus* acceperat, ſuamque eſſe finxit, tanquam æterni Patris cogitationem. Singulariter quippe hæ mulieres Spiritum Sanctum ejuſque miras crepabant revelationes (Πεοφήτιδας, *Prophetiſſas* eas dixit Montanus) cætera haud bonæ notæ. Quantocyus enim Spiritu impletæ eſſent, viros ſuos dimittebant, quinimo (teſte *Apollonio* apud Euſebium) χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτας, *aurum*, *argentum*, *veſteſque pretioſas* accipiebant. Sunt, qui *Paulam* & *Euſtochium* huc reductas etiam volunt, eo quod, intenſioris devotionis ergo, cum *Hieronymo* in agrum *Bethlehemiticum* ſeceſſerint: ſed contra charitatem. Utcunque enim nemo *ſeceſſionem* illam omnimode laudaverit, nimis tamen durum eſt, piis illis animabus *Phariſaiſmi* ſtigma ideo inſcribere. Non dimiſit maritum ſuum Paula, ut Montani *Prophetiſſæ*, ſed eo mortuo

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. *cap.* 14 *&* 18.

Euſeb. loc. cit.

propoſuit *Diſputationem Theologicam*, in quâ inter alia hoc egit, ut quouſque, non tantum inter Pontificios, ſed inter ipſos etiam *Reformatos* Phariſaiſmus vel ſaltem ſemi-phariſaiſmus etiamnum deliteſcat, palam omnibus faceret; quod quomodo & unde ibi deduxerit, repetere hic opus non eſt, cum totam illam *Diſputationem* Operi ſuo de *Origine Erroris*, quod hoc ipſo Anno publicum fecit inſeruerit, Libro nempe VIII. cap. I. Quum vèro *Diſputatio* illa eſſet argumenti non parum odioſi, & varios in Belgio miniſtros acerrimè pungens, oppoſuêre ſe ei Scriptores duo Anonymi, alter ſub *Iſaaci Hermanni*, alter ſub *Optati Avenarii* nomine, utroque eorum id intendente, ut contumelioſam *Phariſaiſmi* maculam, ſibi, ut putabant, ſuique ſimilibus adſperſam, quâ poterant ſinceritate, cordate tamen eluerent. Sed quid ille Theologus? neglexit is primum, vel potius alto ſupercilio contempſit utrumque illum Opponentem, neque verbulum iis repoſuit. Prodiit tantum qualiſcunque ejus Hyperaſpiſtes, qui idiomate vernaculo (forte è re Eccleſiæ erat, etiam in *vulgus* contentionem illam ſpargi) Scripti, imprimis poſterioris, nervos ita ſe incidiſſe jactitavit, ut nihil ultra ad abſolutiſſimam ejuſdem refutationem opus eſſe præſumeret. Verumtamen, eo forte, quod in ventoſo hoc potius quam ſolido tutamine ſecurè ſatis acquieſcere Vir ille Magnus non potuerit, ipſe tandem in arenam deſcendit, peculiarique *Digreſſione* excutere, quæ objecta ſibi ab Adverſariis iis eſſe videbat, tanto animi fervore, titulo forſan Prioris eorum juſto certè acriori offenſus, aggreſſus eſt, *quaſi verberibus maluerit, quam verbis rationibusque ſecum experiri.* Querelas paſſim fundens de ingenti ſibi ab utroque Opponente, *priori* imprimis, illata injuriâ; multa de Precum, Catechizationum Eccleſiaſticarum, publicarum reprehenſionum &c. *abuſibus* conglomerans; in accuſandis & inſimulandis a ſe diſſentientibus *Fratribus* præfractè perſeverans; μυκτηρισμοῖς & aculeatis ſtricturis miſerandum in modum multos eorum exagitans; perpetuam denique (quod nemo forſan a manſuetudine pene octogenariâ exſpectârat, & ſine horrore vix quiſquam legat) Opponentium ſuorum *conſcientiis*, *niſi reſipiſcant*, *ob calumnias ex inferno natas*, *carnificinam* portendens. In quibus omnibus an juſta ſatis lenitate, juſtâ ſatis charitate Vir ille Doctus proceſſerit, noſtrum non eſt determinare, ſera procul dubio poſteritas id judicabit. Hoc ſaltem mirari imprimis ſubiit, qui *Digreſſiunculam* eam evolverunt, quod, cum multus & operoſus adeo fuerit Vir ille Doctus in iis, quæ ad rem parum faciunt

& affectus forte ſpirabant commotiores, in ipſius controverſiæ *ſummâ* tam parcum & jejunum ſe præbuerit; vix enim aliud quid ad omnia ſibi objecta reſpondiſſe eum deprehendunt, quam quod dicat: *eodem* ſemper *utrumque ſuum Adverſarium elencho teneri, quaſi inter abuſum rei & verum ejus uſum diſtinguere non didiciſſet, & illum taxans hunc ſimul ſublatum voluiſſet.* Habet id *Oper. cit. pag.* 432. idemque repetit *pag.* 441. At arbitrantur Viri cordati, nihil prorſus illo ſuo ſubterfugio in ſcenam eum produxiſſe, quam quod ipſi ejus *Opponentes* prætexturum & cauſaturum eum eſſe, jam modo præſagierant non tantum, ſed & prædixerant. Videatur *Avenarius* pag. 24. Ille ex ip-
Fabul. Phariſ. pag. 24. ſiſſimo Viri Magni contextu ad oculum ibi demonſtrat, verba ejus non tantum Catechizationum, longarum precum, Viſitationum Paſtoritiarum &c abuſum, ſed & ipſiſſimum earum uſum ſpectare, taxare, ſugillare. Hic, putant naſutiores, pedem figere debuiſſet Vir Doctus, & *vel* ex naturâ vocum, quibus uſus erat, *vel* e verborum circumſtantiis liquido oſtendere, contextum ſuum interpretationem adeo odioſam, quam quæ objecta ipſi erat, admittere non poſſe; non vero ad nauſeam uſque Opponentibus ſuis oggerere, quod *Elenchum ignorent, fallaciam a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter committant* &c. nam hoc totum erat, quod in quæ-
De Orig. Error. pag. 448. 449. ſtione verſabatur. Dixiſſe eum quidem deprehendunt, *Catechizationes ſeſe ſemper inſtruendæ juventutis neceſſarias & utiles judicaſſe, propogandaque notitia & contra errores muniendi efficax medium.* Sed obſervant, ipſum ad Catechizationes *Domeſticas* id tantum reſtrinxiſſe, quas diffuſo verborum apparatu commendat & laudat; neque hactenus male, utut ἀπροσδιονύσως, cum de iis nulla ipſi cum Opponentibus ſuis controverſia intercederet, loquente ipſo de alliis, hiſce de cæpis, Neque enim hi unquam ipſi impegerant, quod in Catechizationes *domeſticas* iniquior eſſet, ſed in publicas & *Eccleſiaſticas*; de quibus cum agere incepit, nequaquam in laudes earum excurrit, neque eodem loco eas habere ſe oſtendit, quo *domeſticas*; ſed ſatyricè e contra eas perſtrinxit, &, quo intenſius iis odium conflaret, noxios eorum fructus magno molimine conquiſivit, conglomeravit, amplificavit; non ſine amarulentâ eorum exagitatione, qui fautores & adjutores earum eſſent. Neque videre poſſunt, Catechizationum Eccleſiaſticarum *abuſum* Virum Doctum tantum petiiſſe, dum diſertis verbis pronunciat, eas *pueris*
Pag. 440. *deſtinatas, ſi aut nimis pueriles ſint aut adultis tantum convenientes, privatis magis domus aut Scholæ parietibus concludi convenire, quam publice ab*

omni

omnibus audiri; vixque decorum eſſe, paſtorem ſenem & canitie venerabilem conſpici præſidere tam puerili cœtui, in quo nulli adhuc inveniuntur idonei auditores Ethices. Putantque ex poſterioribus hiſce verbis invictè ſequi, utut haud eſſent *nimis* pueriles &c, ſed *pueriles* tamen Catechizationes, ex Theologi illius mente indecorum tamen eſſe, puerili tali cœtui *Paſtorem ſenem* præſidere; adeoque *Catechizationes* qualeſcunque *puerilis* ingratas ipſi fuiſſe, non illas tantum quæ vel *minus pueriles* eſſent vel *non niſi* (ut loquitur) *adultis convenientes*, quicquid in contrarium etiam prætexerit. Vident inductionem Virum Doctum inſtituiſſe planè mutilam, diſtribuentem Catechizationes publicas in *nimis pueriles* & *haud ſatis pueriles*, id eſt, non niſi adultis convenientes, quaſi nullæ tertii generis eſſent, id eſt, neque *nimis pueriles* neque *minus pueriles*, de quibus ſolis multiplicandis & ſedulo proſequendis quæſtio erat, non de aliis. Adhæc parum honorifice eum cauſam ſuam deſeruiſſe cenſent, eo quod ad ſexcenta fere, ſibi objecta, mutior ſit quam piſcis; hic illic enim ipſum rapuiſſe aliquid tantum animadvertunt, quod leve eſſe putabat, ut difflaret, reliquis vel intactis, vel, ut tanto vindice indignis, contemptim exſibilatis & effurcillatis. Speciatim *Facta* quædam impegiſſe ipſum Fratribus ſuis obſervant, ſat ſane, ſi vera eſſent, atrocia, Eccleſiæ noxia, animabus pernitioſa, ad eaque probanda provocatum ipſum ſolemniter ab Opponentibus ſuis eſſe, at nihil ipſum niſi eandem crambem recoxiſſe, vel ſicco pede omnia tranſiliiſſe. Adeo ut, ſcriptionibus hiſce adverſariis tum Viri illius Reverendi, tum Opponentium ejus, probe cum ſe invicem comparatis, ultro parere ſatis videant, *hoſce* magis, quam *illum* charitati, veritati & modeſtiæ litaſſe; quæ de *Infernalibus* in ſe jactis *calumniis* queritur, cano & venerabili ejus capillitio danda eſſe exiſtimantes. Multo interea æquiorem, ac Virum hunc Celeberrimum in Reformatas Eccleſias præbuiſſe ſe animadvertunt Cl. D. *Burmannum*, quippe qui *Phariſaiſmi* infamiam plane iis abjudicavit, ſolis Pontificiis qui & ſoli ejus rei ſunt, eam adjudicavit: *Quinam* (alicubi quærit) ſunt *horum temporum genuini* Phariſæi? ac reſpondet: *Non ſunt illi inter* Reformatos, *ut* Papiſtarum *aliqui nos calumniantur, qui quippe nihil commune iiscum habent, e contra omnia ipſis adverſantia, ſed, ut ipſi quidam inter* Pontificios *fatentur, inveniuntur illi tam* quoad *doctrinam*, quam *quoad* mores *in ipſo* Papatu, *præcipue inter* Monachos, *& ſpeciatim* inter *Jeſuitas.*

Avenar. pag. 26.

Burman. in Libb. Regg. &c. pag. 521.

EXERCITATIO X.

DE ORATIONIS EFFICACIA ET LOCO.

BREVIARIUM.

Odium *inter homines intercedens quomodo vim* Orationis *tollat? Cur odio &* inimicitæ *id magis tribuat Scriptura, quam aliis peccatis? Loco 1 Tim. 2. 8. lux affuſa. An omnis* Oratio inefficax *nullâ* promiſſione *nixa? Promiſſiones divinæ aliæ* generaliores *aliæ* ſpecialiores. *Variæ hanc in rem obſervationes. Quali Fidei* certitudine *in* Oratione *opus? Orationes* optimæ *quæ? Genuina* Orationis *efficacis* κριτήρια. *Locus Matt. 6. 7. elucidatus.* Βαττολογία *a Chriſto taxata quænam? Vox illa unde derivata?* Βάττος *quid?* Baronius *notatus.* Βαττολογία *&* πολυλογία *an differant? Aliud* Βαττολογία *aliud* συμπλοκὴ *apud Rhetores.* Repetitionum *in Scripturâ uſurpatarum* ἔμφασις *& uſus. Vnde in* Gentilium *precibus tot* βαττολογίαι*? Deorum apud Paganos mira* πολυωνυμία. Pontificiorum & Muhammedanorum *Battologiæ. Non omnis* precum prolixitas *ut* battologia *condemnanda. Orationis* loci *alia in* Veteri *alia in* Novo *Teſtamento ratio. Cur Apoſtoli, etiam poſt Chriſtum glorificatum, in Templo aliquando adorarint? Legis* Ceremonialis *ejuſque* obligationis *tempora varia.* Oratio ad menſam *quando primum inſtituta? Hebræorum* קידוש *quid? Conſueta ejus formula.* Naucratitarum *in* orando *poſt ſumptum* prandium *mos,* Θεοὶ ἐπιτραπέζιοι *qui?* Chriſtianorum, *in concipiendis* ad menſam *precibus negli-*

gligentia taxata. Caſaubonus, R. Abraham, Chryſoſtomus, Tertullianus *laudati.* *Orandi ad* Orientem *ritus unde? Nonnullorum, in collocandis cadaverum ſuorum ad* Orientem *capſulis, ſuperſtitio noata.* Paganorum *eâ in re diſcrepantes mores.* Damaſceni *de oratione ad* Orientem *conſiderationes variæ.* *Hebræi quamdiu ad* Orientem, *juxta Talmudicos, adorarint, quando ad* occidentem *adorare inceperint? Divina hac de re ordinatio.* Heliognoſti *vel* Devictiaci *hæretici qui?* Valeſius *notatus & refutatus.* Muhammedani *cur ad* auſtrum *adorent? Adoratio ad* Orientem *apud* Paganos *uſurpatiſſima Dicterium,* plures Solem adorare *Orientem* quam *Occidentem, unde? Gentium ad hanc vel illam Mundi plagam adorandi ratio haud uniformis.* Has *quare imitari maluerint Chriſtiani,* quam Judæos? *Converſio Orantis ad hanc vel illam plagam in ſe plane indifferens. Varia nihilominus in Antiquorum hoc* more *culpanda. Nullum adorationis ad* Orientem *in verbo Dei vel præceptum vel exemplum Apoſtolicum.* Seldeni *παρέργαμα* *Baptizandi in Vet Eccleſiâ ubi & quomodo Diabolum ejurare ſoliti? Non omnia Veterum* Templa *ad* Orientem *ædificata. Prabendi ſcandali occaſio cavenda.* Melciadis Afri *exemplum laudatum. Iejunium, menſe* Auguſto *celebari olim ſolitum, cur abrogatum?* Manichæi *ſolicolæ. Reducendæ in Eccleſiam adorationis ad* Orientem *patroni refutati.*

I.

MIſſis iis, quæ Theologi de *Oratione* paſſim obſervarunt, pauca de ejus *efficacia* & *loco* tantum delibabo, quibus forſan alii pro materiæ momento ex profeſſo non ita incubuerunt. *Quæritur* itaque, an omnis inter homines intercedens *inimicitia* orationis *efficaciam* plane tollat? Innuere id videtur Apoſtolus 1 Tim.2.8. Βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας χωρὶς ὀργῆς

καὶ διαλογισμοῦ. *Velim igitur viros precari in omni loco, puras manus attollentes, abſque ira & diſceptatione.* In quem locum Chryſoſtomus: *Munda ſit orantis intentio hujuſmodi memoriæ peſte, vitio omni atque perturbatione libera accedat ad eum. Nullus adeo audax ſit, ut* inimicitias exercens *ad Deum pergat adorandum.* Et quid Seneca, licet Ethnicus?

Chryſoſt. in 1 Tim. 2. 8.

Senec. Thyeſte.

Moneo ne ſacra manus
Violata cæde, *neve* furiali *malo*
Adſpergat aras.

Neque ἄκαιρος Apoſtoli admonitio hæc erat, cum tunc temporis multi Chriſtiani iraſcerentur hoſtibus ſuis, imprimis gentilibus Tyrannis, qui bonis ipſos privabant, patriâ extorres faciebant, ad mortem petebant; pro quibus orare tamen eos volebat, conſentaneè Chriſti mandato. Matt. 5. 44. Προσεύχετε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, καὶ διωκόντων ὑμᾶς. *Orate pro perſecutoribus veſtris* &c. Ego ad *quæſitum* ſic reſpondeo. 1. Non tolli plane precum efficaciam, ſi *inimicitia* quædam invito alicui inſit, vel potius eum obruat. Nam licet neque tum a peccato excuſari poſſit, ſed vere ἥττημα ſit, orationi adhærens, eamque imperfectiorem reddens, pro peccato tamen gratioſe condonato habenda eſt, quodque adeo Dei ab orante benignitatem in tantum non avertit, ut ad preces ejus plane non reſpiceret. At ſecus res ſe habet cum tali *inimicitiâ*, quam qui concepit, non oppugnat, non deteſtatur, neque ſerio deteſtatus eſt unquam, e contra ſibi ipſi in illâ abblanditur, mordicuſque eam tenet & fovet. Fruſtra certe orat, & utinam tantum fruſtra, qui eâ pollutus coram Dei throno ſe ſiſtit; Deus enim *peccatores non exaudit*. Joh. 9. 34. id eſt, impœnitentes & inconverſos peccatores, quos inter habendus indubie eſt, qui vel minimum in corde ſuo peccatulum aſſervat, ac præfracte ei adhæret. Atque huc præcipue ſpectat *Apoſtoli* locus mox allegatus.

Pſ. 66. 81.

III. Sed *dubium* eſt, cur odio præprimis & *inimicitiæ* in Verbo Dei adſcribatur, quod *vim* orationis intervertant, & non peræque aliis peccatis, utut ſæpe atrocioribus? *Reſp.* Tribuitur id etiam aliis peccatis. Eſ. 1. 15. Amos. 5. 21. Pſ. 66. 18. Deſignatius tamen *inimicitiæ* & odio id applicari, negari non poteſt: idque *vel* quod, dum oramus, ſingulariter Deum nobis ut amicum proponi conſentaneum ſit, ſi auditurus ſit preces noſtras; eo vero po-

poſito nihil abſurdius excogitari poſſit, quam quod, dum orantes ut fautorem & amicum experiri Deum deſideramus, ipſi nos in filios, ſaltem creaturas ejus, noſtroſque per naturam fratres, hoſtes inimicoſque præbeamus. *Monet deinde Chriſtus* (verba ſunt Ambroſii) *ut cum ipſe veniam tibi poſcis, tum maxime largiendam aliis noveris, quo precem tuam operis tui voce* commendes. *Vel* quod, dum proximum odio habemus, remotiſſime a debitâ illa beneficientia in eum non tantum abſimus, quam in nos a Deo conferri precibus noſtris contendimus; ſed & nunquam turpius, quam ſic conſtituti, in vulgatiſſimam æquitatis naturalis regulam impingamus: *Quod tibi fieri ab aliis vis, fac ut idipſum iis præſtes.* Matt. 7. 12. *Quomodo* enim *poſſibile eſt, ut ad Deum juſte quis accedat, ejuſque gratiam & auxilium* imploret, *remiſſionem peccatorum ab eo contendat, qui fratri ſuo iraſcitur temere, & nil niſi vindictam adverſus eum meditatur?* ut loquitur *Crocius* in dictum *Apoſtoli* locum.

Ambroſ. de Cain & Ab. Lib. 1. cap. 9.

Croc. in 1 Tim. 2. 8.

IV. Adhuc *quæritur*, An omnis oratio inefficax ſit, quæ nullâ Dei promiſſione nixa eſt? *Reſp.* 1. Eſſe neceſſario debet promiſſio aliqua, cui inædificetur oratio, quin per *fidem* a Deo efflagitari quicquam impoſſibile ſit, eo quod illa hujus fundamentum eſſe debeat. 2. Imo & cognita illa promiſſio quadantenus orantibus eſſe debet; *Fides* enim, quæ oculata non eſt, *fides* non eſt. Dico tamen *quadantenus*, id eſt, ſive in *genere* ſive in *ſpecie*, ſive *diſtinctius* ſive *confuſius.* Certum enim eſt, cunctas Dei promiſſiones omnibus fidelibus peræque manifeſtas non eſſe; ſunt enim ſæpe ſimpliciores, qui vix diſtincte apprehendunt promiſſa ſibi a Deo facta, ſed ſciunt & credunt tantum *in genere*, Deum juſte & debite ſe orantibus in Filio ſuo propitium ſemper fore, neque *unquam* defuturum eſſe ſuis in omnibus iis, quæ tum gloriæ ſuæ tum precantium ſaluti conductura eſſe exiſtimat. Atque in haſce promiſſiones genericas ſi toto adhuc animo ſimpliciores illi recumbant, cum ſerio particularioris promiſſionum cognitionis ſtudio, omni ſane orationum ſuarum fructu non ſunt defraudandi. 3. Imovero ne iis quidem omnis orationis *efficacia* perit, qui, utut bene ſatis promiſſiones Dei ſpeciales, quibus niti debent, cognoſcentes, tamen particulariter ſibi ipſis, ut vellent, applicare eas non poſſunt, id eſt, ſe ipſos probe certiorare, non *in genere* tantum factas, ſed & *ſibi* factas illas eſſe; modo ſollicitâ curâ certiorationi illi tum excitandæ tum magis magiſque confirmandæ ſtudeant & incumbant: idque ob *duas* haſce rationes. 1. Quia, ſi ſecus res ſe haberet, plurimorum pio-

piorum, cum tentationibus luctantium (hoc enim in ſtatu certi oratio eorum turbari maxime ſolet) orationes in caſſum abirent; quod quis credat de iis, quorum ipſa ſuſpiria gemituſque Deo apprime placent. Pſ. 38. 10. 2. Quia certioratio illa *ſubjectiva* orantis animæ actio non tam eſt, quam Dei, ſive ſancti ejus Spiritus, in animâ illâ operatio; teſtantis nempe, per *generalia* illa divinarum promiſſionum enunciata, ipſam in *particulari* deſignari vel deſignatam etiam eſſe: quod teſtimonium cum per animam non ſtet ſibi ipſi pro lubitu ſuo perhibere, ſed a liberrimo Dei pendeat, arbitratu, quis concipere poteſt, ſi, liberrime id a Deo inhiberi quandoque contingat, in piarum orationum præjudicium cedere id debere.

V. Neque negandum tamen eſt, ad precum *efficaciam* certitudinem quandam *ſubjectivam* neceſſario etiam requiri; at illa, ſi quoad eſſentiam, non quoad hos vel illos gradus conſideretur, in ſequentibus hiſce conſiſtit: quod certi ſint orantes 1. Rem, quam a Deo contendunt, ejus naturæ eſſe, ut licite contendi ab eo poſſit. 2. Orationis ſuæ negotium, quo occupantur, officium Deo gratum acceptumque eſſe. 3. Nulli ſe alii fundamento id ipſum inædificare, quam conſummatiſſimo Chriſti Soſpitatoris merito. 4. Unicum tantum ſimplicemque finem a ſe per id intendi, Dei nempe bonum, glorificationemque, & in tantum duntaxat id quod ſuum eſt, quatenus id Dei iſti bono & glorificationi inſervire poteſt. 5. Sapientiſſimam Dei diſpenſationem, quâ ſuorum precibus nonnunquam videtur non reſpondere, omnium earum rerum, quas precibus ſuis efflagitarunt, bonitatem & lucrum ſufficientiſſime exæquare & compenſare. Hac quidem fide & certitudine ſi pii orantes in cordibus ſuis non deſtituantur, habent utique quod de precum ſuarum virtute & efficaciâ ſibi gratulentur, utcunque de Divini favoris guſtu, reconciliationiſque ſuæ cum Deo evidentiâ, pro hoc vel illo tempore gloriari forte non poſſint.

VI. Unde & conſequi neceſſe eſt, neque rei a Deo petitæ impetrationem, neque ſingularem animi in orando fervorem, alacritatem, vel dulcedinem pro ſolis vel præcipuis orationis vere efficacis, id eſt, indubie a Deo exaudiendæ, κριτηρίοις habendas eſſe; quoniam abeſſe hæc nonnunquam poſſunt, imo ſubinde abſunt, licet oratio tamen apud Deum rati-habeatur. At tutius multo genuinam *Orationis* vim ex *duobus* hiſce colligas punctis: 1. Si in qualicunque Dei ad preces noſtras diſpoſitione & diſpenſatione lu-

lubentes acquieſcamus, acquieſcere ſaltem totis viribus nitamur & allaboremus. Matt. 26. 39. coll. c. Heb. 5. 8. *(2)* Si per ipſiſſimam eorum, quæ petivimus, negationem a ſincero Dei obſequio & cultu non tam avertamur, quam tanto potius fortius eo propellamur. Quod enim in precum noſtrarum exauditione primariò intendit Deus, ſubordinatè ſcil. ad ſui gloriam, nihil aliud eſt, quam animarum noſtrarum in verâ ſanctificatione ulterior progreſſus & promotio. Quam ergo ſi largiatur nobis ad preces noſtras, utcunque particularium noſtrarum petitionum denegatione intercedente, audiviſſe eas certe dicendus eſt, ſi non ad voluntatem, ſaltem ad utilitatem & ſalutem noſtram; quinimo ad voluntatem etiam noſtram, *rationabilem* ſcil. quoniam & hæc in nihil aliud, cum precamur, magis intenta eſſe debet, quam in hoc ipſum ſanctimoniæ noſtræ augmentum & incrementum.

VII. Quamobrem pro Orationibus omnium efficaciſſimis & præſtantiſſimis habendæ paſſim ſunt, non quæ prolixiores, non quæ ornatiores & diſertiores, non quæ ipſi oranti ſuaviores & dulciores ſunt, ſed per quas impenſiſſimè in ſui cum Deo unione ſtabiliri, & in cordis vitæque ſanctitate & integritate excitari & promoveri ſe anima perſentiſcit. Hoc eſt. 1. Quæ animam Deo exhibent maxime contritam. Luc. 18. 12. Pſ. 51. 19. (2) Quæ firmiſſimam in Deum fiduciam exprimunt. Hoſ. 12. 5. (3) Quæ Deum inſtantiſſime & quaſi impudentiſſime urgent & conſtringunt. Luc. 11. 8. (4) Quæ promptiſſimam voluntatis Divinæ obedientiam connexam habent. (5) Quæ aliorum piorum votis ſociatæ maxime ſunt; ut vis unita fortior. Sicut delirare nedum errare dicendi ſint, qui vel facundâ diſpoſitione, vel ſtentoreis clamoribus, vel operoſâ verborum profuſione (*Battologia* Servatori dictâ) preces ſuas Deo commendabiliores reddi poſſe exiſtimant; quum ſingula illa hypocritis communia non tantum ſint, ſeu nequicquam quidem ad orationum eſſentiam faciant, nedum ſingularem quandam vim & efficaciam iis addant.

Weſſel. Gron. de Orat. lib. 1. cap. 14. 25.

VIII. Dixi, haud etiam *Battologiâ* ſive verboſitate preces noſtras Deo commendatiores reddi; perſtringit enim illam Jeſus Matth. 6. verſ. 7. Μὴ βαττολογήσητε ὥσπερ οἱ ἐθνικοὶ. Quæ verba varii varie vertunt: *Ne eadem blaterate* tranſtulit Beza; *Ne inania loquamini* Arias Montanus; *Ne loquaces ſitis* Stephanus; *Ne multum loquamini* Vulgata; *Ne ſitis multiloqui* Eraſmus; *Ne balbutite more blæſa lingua hominum* Bejerus.

Beza, Arias Montanus, Stephan. Eraſmus in Loc. Bejer. in Additam. ad Prolegom. Seldeni de DIS Syris c. 3. p. m. 111

IX. Neque enim conſtat inter Autores, unde vox ea originem traxerit; Clariſſ. *Gathakerus*, Vir ſagaſiſſimi judicii, illis eam vocabulis accenſuit, *quæ hodie apud idoneos Græcos Scriptores non inveniuntur, utut uſu communi alias trita ſatis ſint.* Deducta videtur vel a *Batto*, Cyrenicorum Principe, τραυλῷ καὶ ἰσχνοφώνῳ id eſt, homine blæſæ & garrulæ linguæ. Vel a *Batto*, inepto & ignobili quodam Poëtâ ταυτολόγῳ, qui multis & vanis ad nauſeam uſque repetitis verbis hymnos ſuos conſcribebat, ad id unum intentus, non ut *bona* diceret, ſed *multa*. Vel a *Ruſtico* illo vetulo, Nelei armentario, quem πολυλαλίας & πολυλογίας vitio laboraſſe notavit *Ovidius*, dum Mercurium, de bobus amiſſis requiſitum, ſic alloquentum inducit:

Gathaker Adverſ. cap 41. pag. 410.
Herodot. lib. 4.
Cicer. ad Attic. lib. 6 Ep. 5.
Muſcul. in Matt. 6. 7.
Cato de Re Ruſtic. cap. 141.
Ovid. Fab. lib. 2.
Bejer. loc. cit.

Sub illis
Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis.

Tametſi alii ſint, qui, non a nomine quodam proprio, ſed a *Ba Aba*, *Ba*, *Batt*, voce μογιλάλοις ſive titubantibus, ſermonem inchoaturis uſitatâ, derivatam eam volunt. Omnino eſt a βάττος, quod eſt τραυλόφωνος, juxta *Heſychium*. Eſt vero βάττος, quoad ὀνοματοποιΐαν, a *ba* vel *bat*, quæ ſyllaba crebro *infantibus* in ore eſt, unde & βαβαξ, ὁ φλυαρὸς, ut idem *Heſychius* exponit. Hinc βατταρίζω, quod idem eſt cum βαττοτογέω, *Balbutio, linguâ titubo.* Et Βατταρισμὸς *titubantia, heſitantia.*

Caſaubon Exerc. 14. §. 8. pag. 324.

X. Grande inter Βαττολογίαν & πολυλογίαν diſcrimen effinxit *Baronius*, eum quidem in finem, ut argumento noſtro, contra verboſiſſimas Romanæ Eccleſiæ Cantiones nervos incideret; ſed vapulat eapropter Doctiſſ. *Caſaubono*, ac jure quidem. Quod enim Chriſtus Βαττολογίαν ante dixerat, mox per πολυλογίαν expreſſit. *Putant enim* (dicit de Ethnicis) *ſe in* multiloquio *ſuo exauditum iri.* Pro vocibus conſimilibus habentur etiam *Suidæ*, dum ait: βαττολογία ἡ πολυλογία. Prout βαττολογεῖν quoque per *multâ loquacitate uti* exponit Chryſoſtomus: Βαττολογίαν ὀνομάζει τὴν φλυαρίαν, τὴν διὰ πολλῶν λόγων προφερομένην, ὠφελείας δὲ πάσης ἐστερημένην. Battologiam *nominat importunam loquacitatem*, multis *quidem* verbis *conſtantem, omni vero utilitate deſtitutam.* Imò vero, utcunque omne *vaniloquium*, quod per βαττολογίαν indicari *Baronius* vult, non ſit *mul-*

Suidas. Tom. 1. pag. 542.
Chryſoſt. in Matth. Hom. 30.

multiloquium, omne tamen *multiloquium*, *prout* Servator id accipit, videtur eſſe *vaniloquium*. Quid enim excogitari poteſt *vanius*, quam pluribus verbis id ipſum coram Deo repetitum velle, quod ſemel dictum ſufficere abunde poteſt? Si itaque vetitum voluerit Chriſtus *vaniloquium*, prout concedit Cardinalis, cur non etiam *multiloquium*, cum hoc illud neceſſariò involvat? Alii Βαττολογίαν & Πολυλογίαν diſtinguunt: quod *hæc* inanem loquacitatem & multiplicandorum verborum vanitatem notet, *illa* vero moleſtam & confuſam eorundem verborum repetitionem & iterationem. Neque hactenus malè, licet Chriſtum ad diſcrimen illud citato loco reſpexiſſe & attendiſſe, veriſimile non ſit.

Pezel. in Argum. & Object. Melancht. part. 6. pag. 23. Dieteric. Lexic. N.T. pag. 180.

XI. *Gentibus* vero Chriſtus Βαττολογίαν hanc peculiariter improperavit, nec ſine ratione; cum inter illas uſurpatiſſima eſſet. In genere enim erant inter eas plurimi, quos κενοφώνους, id eſt, multa ac ſupervacanea garrientes, vel Φλυάρους nuncupabant, (*projectos locutuleios* vocat Agellius) quorum βαττολογία etiam res ſæpe civiles coinquinabat. Exemplum ejus habet *Lampridius*, ita enim quidam apud eum: *Parricida trahatur, Rogamus Auguſte, parricida trahatur. Hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæſar, Delatores ad leonem, Exaudi Cæſar, Delatores ad Leonem, Exaudi Cæſar.* &c. Imò quandoque non tam inquinabat, quam ornabat, & venuſtatem addebat orationi, nonnunquam etiam acrimoniam; ſed tum Rhetores συμπλοκὴν ſchema id vocabant, non βαττολογίαν, quia *vocabulum* hoc ſemper in malum ſumitur. Sic Cicero: *Quem Senatus* damnavit, *quem omnium exiſtimatio damnavit, eum ſententiis veſtris abſolvetis?* A quo neque inter ipſos Chriſtianos abhorruit *Arnobius*, dum dixit: *Quando eſt humanum genus Diluvius interemtum?* non ante nos? *Quando mundus incenſus?* non ante nos? *Quando urbes ampliſſimæ marinis cooperta ſunt fluctibus?* non ante nos? *Quando cum feris bella, & prælia cum Leonibus geſta ſunt?* non ante nos? *Quando pernicies propulis ab anguibus data eſt?* non ante nos? Quin in ipſis Scripturis repetitiones iſtiuſmodi ſat frequentes ſunt. Sic Ezech. 33. 11. *Revertimini, revertimini a viis veſtris malis.* Hoſ. 3. 2. *contendite cum matre veſtrâ, contendite.* Sic in Carmine lugubri Sauli & Jonathani a Davide dicto, ter repetuntur eadem verba: *Quomodo ceciderunt robuſti.* Et quid idem in querelis ſuper morte *Abſolomi.* 2 Sam. 18. 33. *Abſolon mi fili; Abſolon mi fili, Abſolon*

Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 9. Agell. N. Attic. lib. 1. cap. 15. Lamprid. in Commod. Cicer. pro Milone. Arnob. c. Gentes. lib. 1.

ſolon mi fili. Adde Dan. 2. 2. חוק וְחִזּוּק *Confirmare & confirmare.* Ezech. 46. 21. Et *ecce atrium in angulo ipſius atrii, atrium in angulo ipſius atrii,* Gen. 14. 10. Et *vallis Siddim putei* בֶּאֱרוֹת בֶּאֱרוֹת, id eſt, *multi* putei. Jer. 2. 13. *Ad excidendum ſibi ciſternas, ciſternas.* בארות בארות, id eſt, *multas* ciſternas. Eſ. 25. 7. *Operimentum operimentum ſuper omnes populos,* id eſt, *multiplex* operimentum. Pſ. 122. 4. *Quia eo aſcenderunt tribus tribus Domini,* id eſt, *omnes* tribus. Et in N. T. Ἀμὴν ἀμὴν Joh. 3. 5. &c. πρασιαὶ πρασιαὶ, *areolæ, areolæ,* Marc. 5. 40. Nec non dicendi genus *Cycloides* & ἀμοιβαῖον in carminibus ſacris uſitatum; cum eædem voces, inſertis ſubinde aliis, duplicantur aliquando vel triplicantur. At, inquam, βαττολογίαις hæc accenſenda non ſunt, ſed ἀναφοραῖς, ἐπιφοραῖς & pleonaſmis potius, quia vanitatem non habent, ut illæ, ſed ἔμφασιν, aliumque in oratione uſum non contemnendum. Verſamur nos hic in materiâ *Precum* ſive orationum, non *politicarum,* ſed *religioſarum,* in quibus olim *Pagani* ſupervacaneam ſuam ſuperſtitioſamque βαττολογίαν & πολυλογίαν oſtentabant, quaſi μαγγανεύοντες περὶ τοὺς θεοὺς, id eſt, *incantantes Deos ſuos,* juxta phraſin *Polybianam:* quo & vehemens eorum clamor, quem in precibus ſuis adhibebant, referendus, quem per βαττολογίαν hanc etiam ſignificari quidam volunt. Inſtituti vero hujus hæ fere penes rationes ipſos erant. 1. Quod non *unum* tantum, ſed *multa* ſimul beneficia unâ oratione comprehendere & efflagitare in more haberent. Petebant junctim uxorem caſtam, pulchros liberos, divitias, fundos, ædes, fidos famulos, & neſcio quid non, proinde, quum multa adeo Deos ſuas rogarent, impoſſibile pœne fuit, preces eorum βαττολόγους & πολυλόγους non eſſe. 2. Quod *omnia* fere *Deorum* ſuorum *nomina* in orationibus ſuis coacervarent, vel quod Majeſtatis id aliquid habere arbitrarentur, vel quod ignorarent, quo vel quali nomine, quos invocabant, maxime delectarentur. Atque hoc quidem in *hymnis* ſuis præcipue obſervabant; illi enim (inquit Seldenus) *ita plerumque peragebantur, ut quam plurimis congeſtis, quæ elogia complecterentur, nominibus, numen invocarent.* Specimen horum græcum, Appollini dictum, perque omnia Epitheta alphabetica ordine contexta exhibet Clariſſ. *Sanbertus,* hiſce incipiens verbis: Ὑμνείω Παιᾶνα μέγαν θεὸν &c. Imo, ne quid titulorum precibus ſuis deeſſet, generalem hanc fere clauſulam ſubnectebant:

Priceus in Matt. 6.

Fuller. Miſcellan. Sacr. lib. 2. cap. 16.

Selden. in Proleg. de Dis Syr. cap. 3. pag. 55.

SIVE

SIVE QUO ALIO NOMINE INVOCARI VOLUERIS. *Victorius* ex Æſchyli *Agamemnone*: Ζεὺς ὅστις ποτ᾽ ἔστιν, εἰ τόδ᾽ αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ τοῦτο νιν προσεννέπω, οὐκ ἔχω προσεικάσαι πάντ᾽ ἐπισταθμώμενος πλὴν Διός. *Jupiter, quicunque eſt, ſi hoc ei placet, vocato. Hunc ipſum alloquor; Non poſſum alicui aſſimilare omnia ponderans præter Jovem.* Horatius,

Saubert. de Sacrif. Vet. cap. 11. Victor. Var. Lect. lib. 3. cap. 2.

Matutine Pater, ſeu Jane lubentius audis.

Horat. lib. 2. Sat. 6.

Imo tantus eos excruciabat metus, ne Deorum ſuorum exiſtimationi quicquam detrahere hic viderentur, ut mireris hominum inſaniam: ſic *Socrates* Protarcho apud *Platonem*: τὸ δ᾽ ἐμὸν δέος ὦ Πρώταρχε, ἀεὶ πρὸς τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ᾽ ἄνθρωπον, ἀλλὰ πέρα μεγίστου φόβου. *Meus autem metus, o Protarche, circa* Deorum nomina *non eſt humanus, ſed ſupra maximum timorem.* 3. Quod *ſingulos* quandoque *Deos* ſimul invocarent; quorum cum eſſet numerus fere innumerus, colligere facile eſt, quali non πολυλαλίᾳ opus ipſis fuerit. Quin addebant ſubinde in precibus, quos vel Deos vel Deas eſſe haud certo ſciebant, eoſque his affabantur Verbis: SIVE TU DEUS ES, SIVE TU DEA, vel DI DEÆQUE OMNES. 4. Quod pergrata, ut putabant, Diis ſuis πολυλογία & imprimis πολυωνυμία hæc eſſet. Hinc enim *Diana* apud *Callimachum*, Jovem Patrem, ut perpetuum ſibi virginitatis florem & πολυωνυμίαν tueretur, enixe obſecravit, dicens.

Plato in Phileb.

Briſſon. de Antiqq. Formul. lib. 1. p. 44. Arnob. adverſ. Gent. lib. 3. Gyrald. Hiſtor. Deor. Syntagm. 17.

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, Ἄππα, φυλάσσειν,
Καὶ πολυωνυμίην,

Selden. lib. c. p. 55.

Opinabantur ſaltem miſellulæ Gentes, Deos ſuos inſulſâ hac adorandi ratione exhilarari & placari optime poſſe. Qua propter referendum huc quoque eſt, quod de Sacerdotibus *Baaliticis* 1 Reg. 18. 26. proditum extat; *Amane nempe uſque ad meridem, invocaſſe eos nomen Baal, dicentes, o Baal exaudi nos.*

1 Reg. 16. 26.

Multa Deum orantes onerant eſque Æthera votis.

XII. Neque error hic apud ſolas Gentes ſubſtitit, e contra plurimos etiam qui verum alias Deum adorare ſe jactitabant, turpiter invaſit. Hujuſcemodi enim hymni, Divinis nominibus referti, reperiuntur etiam in *Canticis Arabicis*, ubi centum amplius nomina ita nonnunquam congeruntur, ut nil præter adjectam ſingulis invocandi interjectionem admittant. Quo & *Muhammedanorum* ſive Turcarum deprecationes & precationes βαττολογώτατοι pertinent, quarum memorabile hoc ſpecimen ex *Weiſteinio* exhibet Hottingerus: *O Deus, o lux, lux quæ plendere facta eſt in luce. Imo, per lucem in luce mea, lux tua, o lux. o Deus, o potens roboratus es in potentiâ. Imo per potentiam, in potentia mea, potentia tua, o potens. O Deus, o Magnifice, magnus factus es in magnificentia tua.* Hottinger. H. E. ad ſec. XVI. p. 3. in Præf. *Imo per magnificentiam tuam, in magnificentia mea, magnificentia tua o Deus, o Magnifice, o pulcher, pulcher habitus in pulchritudine. Imò per pulchritudinem in pulchritudine mea pulchritudo tua, o pulcher, o Deus. O Qui es unus, o Deus, o magne, qui magnus factus es in magnitudine. Per magnitudinem in magnitudine mea, magnitudo tua, o magne; Sub finem* (pergit idem Hottingerus) *annectit precatiunculam brevem, cujus hæc eſt clauſula: Et ille Excelſus eſt & magnus, ò Deus, ò Deus, ò Deus, o ille &c.* Quæ vocula הו *ille*, pro eſſentiali Dei nomine poſita 1158 vicibus ordine ſequitur, ut vox אלהא *Deus* 889. vicibus. Nonne *vero hoc eſt* (addit Vir magnus) βαττολογεῖν; Et quid de Eccleſiis *Romanis* dicemus? Fugere neminem poteſt, etiam illas, ut *Phariſæorum* hypocriſin, ſic *Ethnicorum* in orando βαττολογίαν multoties paſſim imitari. Exemplo duntaxat ſit, quod in Pſalterio Jeſu non hæ vel illæ, ſed quindecim hujuſmodi occurrant Oratiunculæ: *Jeſu, Jeſu, Jeſu miſerere; Jeſu, Jeſu, Jeſu adjuva; Jeſu, Jeſu, Jeſu, da hic mihi purgatorium meum.* Adeo ut hominibus illis peræque Servatoris hæc verba applicari poſſint, debeantque, ac iis, quos eo tempore ipſis fere nominibus compellavit. Licet cenſendum tamen non ſit, eum omni Orationum *prolixitate* plane iis interdixiſſe: alienus enim ipſemet, adhuc βροτοειδής, ab illâ non fuit. Luc. 6. 12. & 18. 1. & 22. 44. ut neque poſt ipſum Apoſtolus ejus *B. Paulus*. 1 Theſſ. 3. 10. & 5. 17. Eph. 6. 18. 1 Tim. 5. 5. Verum Verborum tantum vanitati & *ſine mente ſonis*, nec non fiduciæ illi, quam in *vaniloquentiâ* ſuâ Ethnici reponebant, infeſtum ſe præbuit; Orationes vetuit *tautologas*, non ſimpliciter *prolixas*, &, pro circumſtan-

tiarum

tiarum ratione, longius productas; diu multumque *loqui* vetuit, diu *precari* non vetuit, cum inſignis inter hoc & illud, teſte *Auguſtino*, differentia ſit; Eſt enim inquit *multum loqui in orando rem neceſſariam ſuperfluis verbis agere, multum autem precari, ad eum, quem precamur, diuturnâ & pia cordis excitatione pulſare.* Quare & multa procul dubio imo millena verba fundere longe facilius eſt, quam unam Oratiunculam rite concipere. Oſtendit id *Weſſelus Groningenſis* (ut narrat de ipſo *Pradinius*) cum multorum βαττολογίαν in recitandis precibus conſiderans indignabunde diceret: *Hi homines unâ horâ* plurimas Orationes *Dominicas recitare poſſunt: Ego vero* toto anno *vix unam*. Sed de his ſatis.

Auguſt. Ep. 121. cap. 9.

*Weſſel. Groning. Oper. *** 5.*

XIII. Dicenda quædam reſtant de Orationis *loco*. Indifferens in N. Teſtamento eſt, ubicunque a vere piis, cætera devotæ fundantur vel non fundantur preces 1 Tim. 2. 8. Matt. 18. 2. Mal. 1. 11. utut aliter plane fuerit ſub. V. T. Erant enim tum loca quædam aliis ſanctiora ſanctitate licet non *inhærente*, ſignificationis tamen, & *relativâ*, unde & fiebat, ut, ſi quæ cultus partes, nominatim preces, in loco reliquis ſanctiore ac præſertim quidem in *Templo* tum peragerentur, eæ efficaciores Deoque gratiores ſemper reputarentur. Quamobrem etiam apud ipſos Veteres Chriſtianos publicis cultus locis *Orationum* ac εὐκτηρίων nomen impoſitum non tantum eſt, ſed & diu poſtmodum adhæſit. Aſt ceſſat jam (inquam) manifeſtato Chriſto, genuino Templi ἀντιτύπῳ, *Locorum* hoc *diſcrimen*, ut a multis hactenus Theologis contra Pontificios probatum eſt. Rectè Anaſtaſius, Epiſcopus Næcenus; *In omni loco* (inquit) *exaudit Deus ſuorum orationem, attendens affectioni & non loco, etiamſi aliquid videatur intereſſe. Ita cum in ædibus ſuis oraret Cornelius, adveniens ei dixit Angelus:* Orationes & Eleemoſynæ tuæ adſcenderunt coram Deo. *Quid ergo Cornelio obfuit facta in ædibus oratio? Quid autem Phariſæo profuit ſuperbus ſuus in Templum acceſſus, plenuſque faſtu & arrogantia?*

Voet. Politic. Eccleſ. part. 2. pag. 808. & ſeqq.

Gathak. Adv. cap. 41.

Ruffin. lib. 9. cap. 9. Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib 8. cap 1.

Anaſtaſ. Quæſt. in. Script. qu. 2.

XIV. Cui tamen non obſtat, quod aliquando ipſis etiam Apoſtolis poſt exceſſum & receptionem in Cœlum, in *Templo* Hieroſolymitano adorare viſum fuerit; non enim fecerunt id illi ex neceſſitate, ſed ex libertate, utcunque non ſine gravibus rationibus. Metuebant quippe praxi contrariâ exoſos ſe reddere Genti Judaicæ, quæ Legis Ceremonialis abrogationem necdum ſatis docta erat. Frequentior quoque hominum turba in Templo ſe paſſim ſiſtebat,

bat, quare hoc libentius ſe eò conferebant, ut plures ſimul auditores doctrinis & ſermonibus ſuis ædificarent. Neque peccabant ſic facientes, quia licet *mortua* jam tum Lex Ceremonialis modo eſſet, needum tamen erat *honeſte ſepulta*. Tria enim, juxta Auguſtinum, Ceremoniarum tempora obſervanda ſunt: Unum *ante* Chriſti paſſionem, & tunc *vivebant* adhuc legalia; alterum *poſt* paſſionem, & tum *mortua* erant; tertium *poſt* veritatis Evangelicæ Legiſque Cæremonialis abrogatæ ſufficientem denunciationem & manifeſtationem, & tum *ſepulta* & *mortifera* erant. Adorabant vero in Templo Apoſtoli tempore iſtoc medio, quo, ut in exemplo *Titi* non circumciſi & *Timothei* imò circumciſi videre eſt, indifferens erat, eam vel obſervare vel non obſervare, pro ratione vel *ſcandali* evitandi, vel animarum ædificationis promovendæ. Diſtinguit etiam, & bene quidem Doctiſſ. *Davenantius*, cum veteribus Scholaſticis, Ceremonias legales in Sacrificia, Sacramenta, Sacra & Obſervantias; dicitque, nullo modo licuiſſe poſt Chriſti paſſionem *Sacrificia* adhibere ad propitiationem Dei, nec *Sacramenta* ad ſanctificationem ſpiritualem, nec *Sacra* ulla legalia ad immediatum Dei cultum: licuiſſe vero ad tempus (præſertim Judæis Chriſtianam religionem amplectentibus) quaſdam ex *Obſervantiis* retinere, hunc nempe in finem, ne infirmis fratribus *offendiculo* eſſent. Act. 21. 26. Atque huc acceſſus Apoſtolorum ad Hieroſolymitanum Templum etiam referendus.

Auguſtin. Epiſt. 19. ad Hieronym.

Davenant. in Coloſſ. cap. 2. verſ. 8.

XV. Ad Orationis *locum* pertinet Precatio ad *Menſam* & ad *Orientem*. Prioris originem *Baronius* hinc acceſſit, quod Chriſtus, poſt finitam cum Apoſtolis ſuis Cœnam, *hymnum* cantaverit. Matt. 26. 30. & Marc. 14. 26. At plane falſus in eo eſt, quoniam Chriſtus etiam ante illud tempus benedictione ſuâ ſuper cibo, oculis in Cœlum ſublatis, Diſcipulis ſuis præivit. Matt. 14. 19. Quemadmodum neque morem hunc plurimis annis ante ipſi Iſraelitæ ignorarunt, ut in *Moſis* præcepto, Populo Dei Deut. 8. 10. dato, videre eſt ut receptiſſimum quoque Hebræis ante Chriſti adventum, fuit, non niſi Oratione pronunciata cibum capere, quam קידוש *Sanctificationem* vocitabant, Græci εὐλογίαν *Benedictionem*, vel εὐχαριστίαν, *Gratiarum actionem*; tum nempe rerum omnium uſum ſanctum & legitimum demum eſſe reputantes, cum Deum earum authorem precando agnoviſſent: hinc in Berach Fol. 35. c. tante Clar. Buxtorfio: אסור לו לאדם שיהנה מן העולם הזה בלא ברכה id eſt, *Prohibitum eſt homini ulla re frui in hoc mundo ſine benedictione.* Eratque con-

Baron. Annal. ad A. 34.

Caſaubon. Exercit. 16. §. 63. pag. m. 590.

Buxtorf. Diſſertat. de Primæ. Cœn. ritib. §. 461

conſueta eorum quâ ſuper pane benedicebant formula: *Benedictus tu, Domine Deus noſter, rex mundi, qui producis panem e terra;* Quam dum recitabat Paterfamilias ambas ſuas manus *pani* impoſitas habebat, quem non niſi pronunciatis, iſtis verbis accumbentibus diſtribuebat. *Rabbi Abr. Zacutus* inter tria, præclara *Moſis* inventa *cibi benedictionem*, ex Deuteron. 8. cap. etiam recenſuit. *Paulus Brugenſis* author eſt, Judæos a ſumto cibo recitare ſolitos eſſe ſeptem Pſalmos pœnitentiales, hoc eſt, a Pſalm. 112. uſque ad 118. Quin ipſiſſimis Paganis conſuetudo hæc in pretio fuit. Ita de *Naucratitis* Athenæus apud *Voſſium*, quod cõſueverint, finito prandio vel Cœnâ, ἐπαινίσαντας ἱς γύναικα, Sacerdote precibus præeunte, Prout θεοὶ ἐπιτραπέζιοι. *Dii ſuper menſam conſtituti*, huc etiam faciebant, quos Ethni cœnantes & prandenites invocabant. Nec non *Diotogenis Pythagorici* præſcriptum, *Caſaubono* aliiſque citatum (ne de *Platonis ſympoſio* loquar) *Bene ſit etiam* (inquit) *ut Deus initio & Cœna & prandii invocetur, non quia tale quid Numini ſit opus, ſed ut quiſque Dei recordans, animo ſit compoſito. Atque hoc Paganus homo cum ſcribat* (addit Caſaubonus) *monſtro ſimile eſt, reperiri inter Chriſtianos, qui ſecus faciunt*, allegatque *Chryſoſtomi* querelam de quibuſdam ſui temporis hominibus, *qui neque initio neque in fine Cœnæ Deum laudarent.* Quos inter an haberi etiam non debeat univerſa fere Nobilitas Gallica, Pontificiæ religioni addicta, cum ratione dubites; eo quod nuperrimum *Ludovici* XIV. cum Belgis bellum innumera pene documenta exhibuerit, eam ne ullam quidem vel benedicendi vel gratias agendi, ante vel poſt prandium cœnamque, rationem plerumque habuiſſe, ad Regis ſui exemplum, cum de eo moneretur, provocantem. Aliter certè, ac *Euſtochiũ* ſuam olim monuit Hieronymus: *Neque cibi* (dicens) *ſumantur, niſi oratione præmiſſâ, neque recedatur a menſâ, niſi referatur Creatori gratia;* & de Veterum Chriſtianorum *Cœnis* refert Tertullianus. *Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, provocantur in medium Deo canere, hinc probatur, quantum biberit, atque* ORATIO *convivium dirimit.* Rationem autem, ob quam nulli non hominũ officii hoc incumbat, hanc reddit *Sebaſtianus Barradius*, omni exceptione majorem: *Cerne* (dicit) *Cœlum, ſtellas, Solem, Lunam, elementa, terræ fructus, animantia omnia, gratias Creatori agere nequeunt, quia ratione carent, pro omnibus gratias agere ad hominem ſpectat, cui omnia ſerviunt. Solvat ergo debitas Dei, gratias homo tum pro ſe, quam pro reliquis creaturis, quæ illius ſerviunt utilitati:* Faciat id *active præpennis pro* לחם חק *Pane demenſi*, aliiſve cibi potuſque recreationibus, quæ non niſi materialiter & *objective* id poſſent.

Abr. Zacut. in Libro Juchaſin. p. 9.

Zepper. de Legib. Moſ. lib. 4. cap. 21.

Voſſ. Harmon. Euangel. lib. 1. cap. 16. § 14.

Polydor. Virg. de Rer. Invent. lib. 6. cap. 6.

Chryſoſt. in Matt. Homil. 56.

Hieron. in Epl. ad Euſtoch. de Cuſtod. Virgin.

Tertull. Apol. cap. 39.

Barrad. Concord. Euangel. Tom. VI. p. 263. 6.

Prov. 30. 8.

XVI. Cum de Oratione ad *Orientem* ſermo eſt, non ita digitus intenditur ad *locum*, ubi perſona orans olim ſtabat, quam quo facie ſuâ, dum precaretur, converſa erat. De ortu hujus ritus varie ſemper diſputatum eſt. Vetus quorundam traditio eſt, Chriſtum cruci affixum *occidentem* ſpectaſſe, ſicque locatum etiam fuiſſe in ſepulchro, ut caput *occidentem* verſus poſitum fuerit; quod etiamnum quidam in conſtituendis & collocandis cadaverum ſuorum capſulis tam ſuperſtitioſe imitantur, quaſi ſumme neceſſarium id ducerent. Non enim dici poteſt, eos e Gentium moribus id accepiſſe, cum has inter hac in re neutiquam conſenſus ſit. *Athenienſes* mortuos ſuos πρὸς δυσμὰς βλέποντας, *ad occaſum ſpectantes* poſuêre. Ita *Ælianus*: Ἀρχαίας γὰρ θήκας ἀνοίξας, ἀπέδειξε πάντας Ἀθηναίȣς πρὸς δύσιν κειμένȣς κατὰ τὸ πατρῷον αὐτοῖς ἔθος, τȣ̃ς δὲ Μεγαρεῖς εἰκῆ, καὶ ὡς ἔτυχε τεθαμμένȣς. *Reſeratis enim antiquis monumentis, oſtendit* [Solon] *omnes* Athenienſes *verſus* occaſum *patrio more jacere*: *Megarenſes vero temere & ſine diſcrimine ſepultos eſſe.* Cujus contrarium tamen de iiſdem *Athenienſibus* teſtatur *Laërtius*, eandem hanc *Solonis* tangens Hiſtoriam. Pro indubitato eruditi habent, morem fuiſſe *Phoenicibus* πρὸς δύσιν ποιεῖν ὁρᾶν τȣ̀ς νεκρȣ̀ς, *Græcis* ἐπ᾽ ἀνατολάς. Illis ad *occaſum* his ad *Orientem* cadavera collocare. Addunt, Chriſtum, cum prodiret e ſepulchro & in Cœlum adſcenderet; faciem ſuam ad *occidentem* etiam convertiſſe. Denique ad eandem plagam eum converſurum ſe eſſe, cum rediturus erit ad judicandos vivos & mortuos. Adeoque, cum quis, *occidentem* ſpectans, in *Oriente* neceſſario eſſe debeat, Chriſtum jam in *oriente* ſemper conſiſtere, ac per conſequens ibi etiam ſingulariter tum cogitationibus tum precibus noſtris quærendum eſſe. Alii ritum hinc derivant, quod Adamus Paradiſo in *Oriente* ejectus ſit, atque ideo conveniens duxiſſe Veteres, ut *ad Orientem* orantes reſpicerent, recordantes terreſtris *Paradiſi*, quo propter peccatum extorres facti erant. Adhuc alii, mundi hanc plagam ſpectari cœpiſſe, quod Chriſtus *in* Scripturâ Luc. 1. 7. ἀνατολὴ ſive *Oriens* nuncupetur. Omnes hæ conſiderationes, & ſi quæ ſint aliæ, junctim & quaſi in faſciculo exhibentur a Johanne Damaſceno, cujus hæc
„ verba ſunt: *Non ſimpliciter & fortuito ad Orientem* adoramus;
„ ſed quia ex viſibili & inviſibili, id eſt, intellectu & ſenſibili con-
„ flati ſumus naturâ, duplicem adorationem Creatori noſtro offeri-
mus,

Voſſ. Harm. Euangel. lib. 2. cap. 7. §. 36. 37. & in Theſib. Theolog. pag. 94.

Ælian. Var. Hiſtor. lib. 5.

Laërt. in Solone.

Selden. de DIS Syr. Syntagm. 2. cap. 8.

Scultet. Exercit. Euang. lib. 1. cap. 12.

Crauſer. Obſ. Philol. pag. 891.

Valeſ. in Euſeb. pag. 45. 6.

Damaſc. de Orthod. Fide lib. 4. cap. 15.

,, mus, ut & mente pſallimus & corporalibus labiis. Et bapti-
,, zamur aquâ & Spiritu, & *dupliciter* Domino unimur, myſte-
,, riis participantes & gratia Spiritus. Quia igitur Deus & lux
,, intelligibilis, & Sol juſtitiæ & *Oriens* in Scripturis nominatur
,, Chriſtus, dedicandus ei Oriens eſt ad orationem. Nam omne
,, *præſtantius* magiſque bonum Deo offerendum, a quo omne bo-
,, num benigne largitur. Dicit autem Divinus David, *Regna*
,, *terra cantate Deo, pſallite Domino, qui aſcendit ſuper Cælum Cæli ad*
,, *orientem.* Et quia dicit Scriptura, *plantavit Deus Paradiſum in*
,, *Eden ad Orientem*, ubi hominem, quem plaſmavit, poſuit;
,, quem transgredientem exilio multavit, & e regione *Paradiſi*
,, ipſum habitare fecit, ab occidente videlicet. Antiquam igitur
,, patriam requirentes & ad ipſam ſuſpirantes Deum adoramus.
,, Et Moſaicum Tabernaculum ad *orientem* habebat velum &
,, Propitiatorium. Et tribus Juda, ut honorabiliſſima ad *ori-*
,, *entem* caſtra ponebat; & in famigerato Salomonis Templo
,, porta Domini ad *orientem* ſituebatur. Verum etiam & Chri-
,, ſtus ad occidentem reſpiciebat, & ſic aſſumptus ad *orientem*
,, ferebatur, & ſic ipſum Apoſtoli adoraverunt; & ſic *veniet quem-*
,, *admodum intuebantur illum euntem in Cælum*, ut Angeli dixere
,, ad Apoſtolos. Et, ut ipſe Dominus dixit, *quemadmodum ful-*
,, *gur egreditur ab* oriente, *& pervenit uſque ad occidentem, ſic erit ad-*
,, *ventus Filii hominis.* Ipſum igitur expectantes ad *orientem* adora-
,, mus. Non ſcripta autem eſt hæc *Apoſtolorum traditio*, *nam*
,, *multa ſine ſcripto nobis tradita ſunt.* Aſt, ut verum fatear, vix
ullam certitudinem omnia hæc habent, imo quædam ne veriſi-
militudinem quidem: ſumuntur enim hic multa a *Damaſceno*, quæ
non probantur: prout neque ex ipſiſſimis ejus præſuppoſitis ſolide
evincitur, quod quæſtionis cardinem hic facit.

Clem. Alexand. Stromat. 7. Juſtin. Mart. Reſp. 118. ad Orthodox. Tertull. Apologetic. cap. 16. Baſil. Cæſ. de Sp. S. c. 27

XVII. Melius proinde ſtatueris, morem hunc partim ex *Judæorum odio* partim ex *Paganorum* κακοζηλία originem ſuam traxiſſe, Tametſi enim, juxta Magiſtros, ab Adamo ad Abrahamum uſque, quos inter magnum temporis intervallum interceſſit, annorum nempe 1949. vel 1950. adoratum fuiſſe ſtatuatur verſus *orientem*, eo quod creatum fuiſſe Adamum exiſtiment facie ad *Orientem* converſa, poſt Abrahamum tamen ſaniorum Hebræorum continuus mos fuit adorare ad *occidentem*; Porta enim Tabernaculi ſpectabat ad Solem, ſancta ſanctorum, illi oppoſita, converſa erant ad *occidentem.* Omnia ſacrificia *hac* verſum offerebantur.

Voet. Diſpp. Sel. part. 3. pag. 272. 275. Herbert. de Relig. Gentil. cap. m. 21. Funct. Chron. fol. 15. Buchelzer. Chronolog. pag. 1. 4.

Digitized by Google

In ritibus *Azazeli* hirci duo frontibus *huc* verſis ſtatuebantur Moles pro *Phara Adumma* ſeu *Vaccâ rufâ* erecta feneſtras habuit ad *Occidentem* apertas. Sex lampades in candelabris aureis ardebant verſus ſeptimam, quæ media erat, & hæc, juxta *Talmudicos*, verſus locum Sanctiſſimum, & dicebatur lampas *occidentalis*. Quod hâc quidem de cauſâ ita ordinaverat *Deus*, ne, ſi Gens Iſraelitica ad *ortum* converſa adoraret, Solem ipſum venerari magis videretur, quam *Solis* Dominum. De quo ſic Maimonides: *Dicunt Rabbini noſtri in* Gemara *Abrahamum Patriarcham deſignaſſe Occidentem pro loco Sancti Sanctorum. Cauſa autem hujus rei, meo judicio eſt, quod, cum communis eo tempore ſuperſtitio fuerit, Solem adorare ac pro Deo habere, ſine dubio omnes homines ad Orientem ſe converterint. Itaque convertit ſe Abraham Patriarcha ad Occidentem in monte Moriah, hoc eſt, in ſanctuario, ita, ut tergum ſuum Soli obverteret. An ignoras enim, quid fecerunt Iſraelita, cum apoſtatarent, & ad errores illos antiquos declinarent.* Poſteriora ſua (inquit *Propheta*) verterunt Templo Dei & faciem ſuam ad *Orientem* verſus, & curvabant ſe ad ortum Solis *vel verſus Orientem ipſi Soli.* Neque *Ezechielis* ætate (cujus verba ſunt, quæ *Maimonides* hic adducit) id tantum fiebat, ſed multo tempore poſt ſecuti etiam ſunt, qui *Heliognoſti* vel *Devictiaci* dicebantur, qui, teſte *Philaſtrio*, Solem non tantum *adorabant*, ſed omnia eum ſcire dicebant, quæ Dei ſunt; adhæc ſolum homines illuminare, iiſque omnia nutrimenta ſua ſubminiſtrare. Turpi certe errore & portentoſâ idololatriâ, quam nemo non e pientioribus Judæis toto animo eſt deſtatus. Quamobrem & mirari ſubiit, quomodo Doctiſſ. *Valeſius* adorandi hanc conſuetudinem a Judæis, ex circumciſione ad Chriſtum converſis, dimanaſſe pertenderit, hoc imprimis (ut inquit) motus argumento: Quod *ubicunque terrarum eſſent, oculis in urbem Sacram Templumque directis, Deum veneratos ſint.* Plane enim contrarium hic apparet, & cur Deus ſic conſtituerit. Utcunque enim negari non poſſit, fuiſſe *Judæos*, qui ad *Orientem* ſe converterint, haud tamen *meliores* illi in Gente illâ fuerunt, ſed *pejores*, &, ut bene Cl. Voetius, *Judæi non populus.* Neque ad rem, quam adducit, ratio facit, niſi probatum dare poſſit Vir Magnus, reſpectu omnium eorum, qui, oculis ad Sacram Urbem Templumque converſis, olim adorabant, Hieroſolymam Templumque in *Oriente* ſemper ſita fuiſſe, quod ἀδύνατον ipſi eſſe perſuaſiſſimus ſum. Nihil enim manifeſtius & certius eſſe poteſt, quam Mundi plagam, quæ reſpectu ejus, qui in *Occidente* conſtitutus eſt, *Orientalis* eſt, reſpectu ejus, qui in *Oriente* ſtat, *Occidentalem* eſſe debere; nec non *Septentrionalem* reſpectu ejus, qui in

Maimonid. More Hannebuch. part. 3. cap. 45.

Kempius. de Oſculis. pag. 242.

Hottinger. Hiſt. Orient. lib. 1. cap. 8.

Philaſtr. de Hæreſ. part. 1. Hæreſ. 10.

Scalig. Exercit. 52. & 99.

Valeſ. in Not. ad Euſeb. p. 45.

Voet. Diſpp. Select. part. 3. pag. 270.

Digitized by Google

in *Auſtro*, ut & *Auſtralem* ratione ejus, qui in *Septentrione* conſiſtit. Ne itaque Chriſtiani veteres qualicunque ratione paria cum Judæis facere viderentur, modo plane oppoſito in orationibus ſuis habere ſe voluerunt; prout hodiedum etiam *Muſammedani*, odio noſtri, ad *auſtrum* ſolent adorare; licet Propheta eorum *Muhammed* parum hic ſibi conſtiterit: Plane vero aliter conſtitutum cum pleriſque *Paganis* fuit, his enim uſitatiſſimum fuit, ad Solem *Orientem* preces ſuas fundere. Speciali edicto *Numa*, Rex & Pontifex Maximus, ſancivit Romæ, ut ſubdelegati ſui preculas ſuas verſus *Solis ortum* inſtituerent, ut *Plutarchus* in ejus Vitâ teſtatur. Hinc *Virgilius*:

Voet. loc. cit. — *Plutarch. in Num.* — *Virgil. XII. Æneid.*

> *Illi ad* ſurgentem *converſi lumina* Solem. Et *Ovidius*:
> *His De placanda eſt*, *hac tu converſus ad* ortus
> Dic *quater* &c.

Ovid. Faſt. 4. — *Ezech. 8. 16.*

Qua etiam de causâ omnia ſua Templa & Baſilicas ita paſſim extruebant, ut mox *Orientem* ſolem exciperent. Quod aculeato *Pompeji*, in declinatam *Syllæ* dominationem ſcommati materiam olim dedit: Τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες ἢ δυόμενον προσκυνοῦσι. *Plures ſolem adorant* Orientem, *quam Occidentem*. Cui geminum hoc *Tiberii* in *Macronem*: Εὖγε τὸν δυόμενον ἐγκαταλιπὼν, πρὸς τὸν ἀνατέλλοντα ἐπείγῃ. *Bene tu, qui Sole Occidente relicto ad* Orientem *properas*. Atque in hoc, inquam, Gentes imitari maluerunt Chriſtiani Antiqui, quam Judæis, cum orarent, ſimiles eſſe. His forſan quam *illis* ideo infenſiores, quod tam nefandum in modum in Chriſtum Servatorem ſuum ſæviiſſent. Notandum interea eſt, utcunque *Paganorum* morem imitari hic maluerint Chriſtiani, quam *Judæorum*, haud uniformes tamen ſemper Gentiles in obſervandâ, ad quam ſe orantes converterent, mundi plaga fuiſſe. Variabant quippe in hoc pro locorum, temporum & perſonarum adorandarum vario diſcrimine. De *Locis* ſic *Vitruvius*, poſtquam regulariter, ex diſciplinâ Veterum, introitum cultumque eſſe debuiſſe ab *occidente* in *orientem*, aſſeruiſſet: *Sin autem* Loci *natura interpellaverit, tunc convertendæ ſunt earum ædium conſtitutiones.... Ita ſi ſecundum flumina ædes ſacræ fient, ita uti Ægypto circa Nilum, ad fluminis ripas videntur ſpectare debere. Similiter ſi circum vias publicas erunt ædificia Deorum, ita conſtituantur, uti prætereuntes poſſint reſpicere, & in conſpectu ſalutationes facere.* De *Temporibus* Hermes Triſmegiſtus: *De adyto egreſſi cum Deum orare cœpiſſent, in* Auſtrum *reſpicientes erant. Sole enim occidente cum quis Deum rogare voluerit*, illuc *debet intendere, ſicuti & Sole oriente in eum, qui* ſubſolanus *dicitur*. Planius id refert Alexander ab Alexandro: *Quod Mercurius* (inquit) *in Aſclepio exiſtimavit, ut adorantes medio die convertantur in Auſtrum,*

Roſſ. pag. 233. — *Plutarch. in Pompei.* — *Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 7. ad Fin. lib.* — *Vitruv. Architect. lib. 4. cap. 5.* — *Selden. de Syned. lib. 3. cap. 16.* — *Alex. ab. Alexandr. Gen. Dier. pag. 406.*

occiduo in Occaſum; *ſi vero primum oriatur ſol, in ortum.* De *Perſonis* adorandis Pindari Scholiaſtes narrat, morem antiquitus fuiſſe, καῖα τὰς ἀνατολὰς ἱερουργεῖν τοῖς Θεοῖς, ἀλλὰ πρὸς δυσμὰς τοῖς Ἥρωσι. *Verſus* Orientem *ſacra facere DIS*, *verſus* occidentem *Heroibus*.

Pindar. Scholiaſt. ad Iſthm. ad 4.

XVIII. In ritu tamen hoc, a Chriſtianis Veteribus vel ex *Judæorum* vel ex *Paganorum* more obſervato, ut ſic, nullum eorum peccatum verſabatur. Per ſe enim æque licitum erat ad *Orientem* quam ad *occidentem* precibus ſe convertere. Verum in vitio fuit, quod tum *ſibi* tum *aliis* illum ut legem impoſuerint, imò magni erroris dicam iis quandoque ſcripſerint, qui vel docebant aliter vel aliter faciebant: ſicut *Elxai* hæreticum *Epiphanius* hoc perſtrinxit nomine, quod adoratione ad *Orientem* auditoribus ſuis interdixiſſet. Nullum enim ritus hujus in N. T. præceptum extat, imo ne ullum quidem Apoſtoli vel Apoſtolici Viri exemplum. *Quæ litterarum figura* (inquit Auguſtinus) *Orientem verſus orare nos docuit*? Sic ut neſciam, quo fundamento alicubi dixerit Seldenus, *Templi judaici oſtium fuiſſe ab Oriente, contra quam Chriſtianorum mos eſt, qui ab Occidente Sacraria introeunt, & in* Orientem *verſi, more* (NB) *ab Apoſtolis antiquitus tradito.* Niſi errandi occaſionem ei dederit *Damaſcenus*, qui eodem locutus eſt modo, veterumque hunc adorandi morem *Traditionem Apoſtolicam* indigitavit. Reprehendendum etiam in Antiquis erat, quod præconceptæ huic de *Adoratione ad Orientem* opinioni ejuſque neceſſitati ita indulſerint, ut in peragendis aliis Sacris eandem plagam ſpectari ſemper voluerint, imo ad eandem Templa & Oratoria ſua paſſim extruxerint. Refert *Pſeudo-Dionyſius Areopagita*, eos, qui Sacro quondam Lavacro ſuſcipiebantur, *ter Diabolum* occidentem verſus *ſolenni ritu* & quæ *ſunt ejus Regni*, *ejuraſſe*, *& mox Chriſtum* in Orientem *adoraſſe*. Faciebant id expanſis in formam *crucis* manibus, poſtquam *ter* Dæmonem exſufflaſſent; ſcilicet, quia Chriſtus *expanſis manibus* in cruce *Occidentem* ſpectavit, & nos in baptiſmo *Chriſto crucifigi* Apoſtolus aſſerit. Hoc vero ritu finito, ut dicitur, ad *Orientem ſe convertebant*, pleraſque procul dubio ob rationes, quas ſupra ex *Damaſceno* adduximus. Atque *eadem de* cauſa (inquit Polydorus Virgilius) *Templa noſtra ita etiam ædificata ſunt, ut eorum Princeps altare* Orientem verſus *vergat, in quo Sacerdos rem Divinam faciendo, ſemper ipſum* Orientem *adſpiciat*. Sic ille. Quod tamen

Valeſ. ad Euſeb. pag. 45.
Epiph. lib. 1. Panar Hæreſ. 19.
Socrat. Hiſtor. Ecclеſ. lib. 5. cap. 22. f.
Auguſtin. apud Salm. in Panciroll. Part. 1. tit. 19.
Selden. Tract. cit. Syntagm. 2. cap. 8. p. 325.
Damaſc. loc. citat.
Dionyſ. Areopag. de Hier. Cæleſti. cap. 2.
Voſſ. Harm. Euang. lib. 2. cap. 7.
Polyd. Virgil. lib. 5. cap. 9.

men de *omnibus* Veterum Templis verum non fuit: aliter enim ſe res habuit apud Antiochenos, ut teſtis eſt *Socrates*: Ἐν Ἀντιοχείᾳ δὲ (inquit) τῆς Συρίας, ἡ Ἐκκλησία ἀντίστροφον ἔχει τὴν θέσιν· οὐ γὰρ πρὸς ἀνατολὰς τὸ θυσιαστήριον, ἀλλὰ πρὸς δύσιν ὁρᾷ. *Antiochia autem, quæ eſt in Syriâ, inverſus eſt Eccleſiæ ſitus. Neque enim altare ad Solis* ortum *ibi ſpectat, ſed ad occaſum.* Denique (ut bene obſervavit *Leo Romanus*) in præceptum, de *cavendo ſcandalo*, ritu hoc impingebant, miſcendo honorem uni Deo debitum cum paganis ceremoniis citra ullam neceſſitatem, quod quâcunque fiat intentione, ſemper peccatum eſt; quia ab *omni mali ſpecie* eſt abſtinendum, quod certe hoc adorandi modo non fiebat, ſed plane contrarium. Exiſtimabant enim Gentes, teſte *Tertulliano*, Chriſtianos Solem ipſum adorare, eo quod converſâ ad *Orientem* facie invocarent. Et mirandum ſane eſt, quomodo pii illi Veteres ad offenſionem, quam ex ſuâ *ad Orientem* adoratione Gentes ut plurimum capiebant, tam parum paſſim attenderint, quum a plurimis aliis rebus quam ſollicitiſſime ſibi caverint, quæ vel minimam tantum ſpeciem referebant, ſe qualitercunque cum Ethniciſmo ejuſque inſtitutis paria facere. Noluit hinc, ut teſtis eſt *Platina*, Melciades *Afer* (Epiſcopus Romanus XXXII. juxta alios XXIX. *Euſebii* ſucceſſor) fideles *diebus Dominicis* jejunare, ne *Ethnicos* imitari viderentur. Ipſa *Platinæ* verba ſunt: *Melciadis autem inſtitutum fuit, ne die* Dominicâ *neve quinta feriâ jejunaretur, quia hos dies* Pagani *quaſi* Sacros *celebrabant.* Prout haud aliam etiam ob cauſam Synodus Conſtantinopolitana *jejunium*, menſe *Auguſto* celebrari ſolitum, mutavit, & in aliud tempus tranſtulit. Sic de eo *Balſamon*: Ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἁγία σύνοδος ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πατριάρχου ἐρωτηθεῖσα, εἰ χρὴ τὴν ἐν τῷ Αὐγούστῳ νηστείαν ἐπιτελεῖν, ἀπελογήσατο, ὡς αὐτὴ ἡ νηστεία μετετέθη, διὰ τὸ μὴ περιπίπτειν ταῖς κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον γινομέναις ἐθνικαῖς νηστείαις. Id eſt, *Sancta Synodus* Conſtantinopolitana *in diebus Sanctiſſimi illius Patriarchæ interrogata, num* jejunium *illud menſis* Auguſti *celebrandum ſit, reſpondit, hoc* jejunium *mutatum eſſe, ne incideret in jejunia* Paganorum, *quæ illo tempore celebrari ſolent.* Quin ipſam ideo artem *ſtatuariam* damnavit *Tertullianus*; ut & omnes fere *coronarum geſtationem*, *tibiarum cantum*, *Spectacula*, *lotiones in diluculo Sa-*

Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 22 pag. m. 287.

Leo. Roman. de Nativitat. Domin. Serm. 7

Tertull. Apologet. cap. 16. & 30.

Vitruv. de Architect. lib. 4. cap. 5. & 8.

Platin. de Vit. Pontific. pag. m. 30.

Balſam. in. Reſp.

tur-

Clemens Alexand. Pædagog. lib. 3. cap. 11

turnalium tempore, *annulos Deorum imaginibus inſignitos*, *Natalium* ac Kalendarum, imprimis Januarii, *celebrationes*, *ſtrenarum miſſiones*, *Conviviorum ἀποφορητὰ*, & neſcio quæ non plura averſabantur. Imo ipſam *Templorum* denominationem reformidabant, utpote Gentibus receptam, ab iiſque derivatam. Atque hactenus in pleriſque non malè. At non concipio (inquam) quum in iis omnibus evitandis adeo fuerint accurati, quomodo circa *Adorationis* hunc ritum, ſtupidiſſimis Gentibus proprium, & ex mero *Solaris* luminis cultu oriundum, tanto fuerint liberaliores & faciliores. Hoc magis, quod putidiſſimi Hæreticorum *Manichæi* (Auguſtino teſte) *Solem* etiam adorarint. Quid ergo iis cum potius ſymbolizare fecit Chriſtianos, quam ritum procul dubio indifferentem adoptare, id eſt, *meridiem* vel *ſeptentrionem* præ *Orientali* plagâ eligere, a quo omne ſcandali periculum abfuiſſet?

Arnob. adv. Gent. lib. 6.

Auguſt. contr. Adimant. c. 13.

XIX. Quæ licet ita ſint, prodierunt tamen etiam hoc ſeculo, qui excuſare & palliare morem hunc non tantum ſed & per poſticum in purioris profeſſionis Eccleſias reducere conati ſunt. Sed laterem lavarunt, ut mox manifeſtum fiet, ſi argumenta eorum paucis tantum ad incudem revocaverimus: *Dicunt* 1. Orientalem plagam Mundi partem honoratiorem eſſe; quo telo ſupra etiam *Damaſcenum* certantem audivimus. Sed unde id conſtat? Imo mere chimericum id eſſe jam pridem demonſtravit Vir ſane Doctiſſimus, licet in multis paradoxiſſimus, *Thomas Brown*, Pſeudodox. Epidem. lib. 6. cap. 7. *Dicunt* 2. Adamum omneſque, qui Abrahamum anteceſſerunt, ad *Orientem* adoraſſe. At eſto: ergone ſequitur, etiam jam ad *Orientem* adorandum eſſe. Quidni pari jure inferam; poſtmodum Deus ordinavit ad *Occidentem* adorare, ergo & jam ad *Occidentem* eſt adorandum, concedentne id Opponentes? 3. *Dicunt*, multa in *Oriente* accidiſſe, quæ adorationem hanc commendant; quorum partem haud exiguam ex *Damaſceno* ſupra allegavimus. Sed, ut ante dictum eſt, fabuloſa maximam partem ea ſunt. Et, utcunque veriſſima eſſent, quænam ſequelæ ratio eſt, Stella Chriſti apparuit in *Oriente*, Chriſtus natus eſt in *Orientali* Bethlehemi angulo, Chriſtus ſepultus eſt facie ad *Orientem* verſâ, ergo adorandum eſt ad *Orientem*? Scilicet, baculus ſtat in angulo, ergo cras pluet. Confudit Doctores *Hierarchicos*, qui hæc & ſimilia prætexunt, nuper ſolide & conciſe Author Apologiæ pro Miniſtris nonconformiſtis in *Angliâ*, cujus hæc verba ſunt: *Quid enim eſt, quod intelligit* (Dr. Sparrovw) *per plagam* Orientalem,

Brouwn Pſeudodox. Epid. pag. m. 569.

lem, *de quâ tam mira narrat?* *Reſpondebit* (*opinor*) *partem Cœli Altiſſimi per eam deſignari, quæ reſpondet Æquinoctiali in Oriente Terræ Sanctæ locum illum, ſuper quem Sol oritur menſe Niſan.* *At pauci* (*opinor*) *hierarchici norunt, quænam pars Cœli reſpondeat Æquinoctiali Orienti Terræ S. Saltem nemo, qui Mathematicam primis labiis deguſtavit, credet, omnes noſtros choros, verſus quos vulgo adoratur, reſpondere iſti loco, ſuper quem oriebatur Sol menſe Niſan, ſive Æquinoctio verno.* Non pertendebant tantum Cathedrales, indifferens, vel, ut pluſculum dicam, congruum eſſe, reduci *in Eccleſiam* adorationis hunc ritum, ſed ut planè *neceſſarium* eum docebant, conſcientiaſque hominum ei, ut legi immotæ, alligabant; quamobrem tam maſcule obviam iis iri per Doctiſſimum hunc Apologiſtam operæpretium etiam fuit. Addo ego, ſi neceſſaria adeo *adoratio* ad *Orientem* ſit, quid de iis omnibus fiet, quibus ſæpe, quænam vel *Orientalis* vel *Occidentalis* Mundi plaga ſit, cognoſcere non datur? Quid fiet de *Clinicis*, qui ad hanc vel illam plagam ſe convertere non poſſunt? Imo quid de omnibus precibus ejaculatoriis, in quibus neminem vel ad *orientem* vel ad *occidentem* attendere, apud omnes in confeſſo eſt? Neque credo tamen, *Hierarchicos* orandi hunc ritum hiſce ſimilibuſque orationibus parum ſolemnibus minus, quam aliis ſolemnioribus operoſioribuſque applicatum velle: Saltem rationes videre velim omni exceptione majores, ob quas *hic* aliter quam *illic* Chriſtiano homini procedendum ſit. Quanto certe melius conſuluiſſent quidam Eccleſiis tum Patriis, tum transmarinis, tum omnibus, ſi hiſce aliiſve hujus generis εὑρήμασι piarum animarum tranquillitati & libertati nunquam inſidiati potius eſſent, quam quod tanto molimine velificantes plus juſto paparturientium nonnullorum conſiliis ac μεθοδείαις, funeſtorum bellorum ſchiſmatumque pernicioſiſſimo diſcrimini Eccleſiam expoſuerint, nequaquam etiam ſine circumjacentium Eccleſiarum, ob vicinitatem, præſentiſſimo periculo. *Aliquid enim mali propter vicinum malum.* Pie & accurate, quid tenendum hic ſit, determinavit Vir longe celeberrimus *D. Voetius*, cujus hæc verba ſunt: *Precatio verſus* Orientem *vel* Occidentem *in ſe & per ſe plane eſt adiaphora; cum tamen alterutrum ab Idololatris, inter quos vivunt Chriſtiani, mordicus retinetur, & conſcientia idololatrice ac ſuperſtitioſe ad illud alligantur libertatem ſuam Chriſtianam optime tuentur fideles,*

Apol. pro Miniſtris Non-Conf. pag. 13.

Voet. Tract. Cit. pag. 275.

ſi ipſo actu in contrarium eant, atque ita ſecundum legem caritatis & prudentiæ proximum ædificent, non ſcandalizent. In antiquis Eccleſiis ſi ad circumſtantias illas orationis propter urgentes rationes a Judæorum aut Gentilium cultu ipſis oblatas, ita attenderint, ut plurimæ ad Orientem aliæ ad Occidentem *ſe verterent, utique ἀκρίβεια eorum laudanda videtur. Secus judicandum, ſi tales rationes nullæ fuerint.*

EXERCITATIO XI.

DE

HORTO HEDENIS,

BREVIARIUM.

Duæ *inſignes in* Paradiſo *arbores*, Scientiæ boni & mali, & Vitæ. *Variæ & abſurdæ nonnullorum de* Priore *opiniones. Ipſa* Eva *ea non fuit, minus* omnium rerum in homine ſemen, *minime* Adami virilis *virga. Quæ profana opinio pluribus excutitur & revellitur Verè* plantam *fuiſſe ex vi* vocis *adſtruitur. At an* triticum, vitis, ficus, malum *fuerit, dubitatur.* Moſes Bar-cepha *notatus. Locus Canticorum 8. 5. vindicatus. Pomum* Adami *quid? Vocis* תפוח *ſignificatio.* Malorum *varia genera* Chriſtianorum Damaſcenorum *de* fructu *hoc ſententia exploſa. An Protoplaſti jam lapſi foliis* ficulneis *ſe texerint? Autoris de Arboris hujus* ſpecie ἐποχή. *Inhærente* ſcientiam *ingenerandi & multiplicandi facultate non polluit.* Ophitæ *hæretici qui? Cur* Arbor Scientiæ boni & mali *dicta?* Merceri πρόληψις *rejecta.* Grotii *error notatus. Locus Eccleſ. 7. 29. illuſtratus.* Grotii *cum Sociniano* Smalcio *συμφωνία nimia.* Cythræi *commentum rejectum.* Arbor vitæ *ἀλληγορικῶς a quibusdam explicata.* Ὀνοματολογίας *ejus ratio. Non ob vim vivi-*

vivificandi vel naturalem vel ſupernaturalem ita dicta, ſed quod Vitæ *ſymbolum eſſet.* Zanchius *refutatus. Arboris* Vitæ *nomenclatura non a* Diabolo *ſed a* Deo *ipſi inſcripta. Sacramentum Fœderis* Operum *fuit. Dubium de* Sacramentorum *etiam ante lapſum uſu expeditum.* Chriſtus *quomodo per* Arborem vitæ *deſignatus?* Zanchius *a* Witſio *excuſatus.* Arboris individuum *non fuit, ſed* ſpecies. *Locus Apoc. 22.2. explicatus.* Exceptio *diluta. Quo ſenſu in* Medio paradiſi *Arbor* hæc *ſteterit?* בְּתוֹךְ *Geneſ. 2.9. quid?* Moſes Barcepha *laudatus.* An *fructu ejus unquam uſi Protoplaſti? Locus. Gen. 3. 22. illuminatus. Variorum de utraque hac* Arbore *nugamenta exſibilata.*

I,

ORnandus erat *Hortus Hedenis* variis oblectamentis, quibus exhilararet ſe homo integer; hinc diverſa in eo flumina, animalia, flores, frondes & Arbores; quas inter *duæ* excelluere, quas *Sacramentales* jure dixeris; quod nempe, non tam nutritioni & recreationi ſervirent, ac fini cuidam ſublimiori, explorandæ ſcilicet hominis obedientiæ, ac, ſi in obedientiâ perſtaret, certiorationi ejus de vitâ, æternum cum Deo agendâ, confirmandæ. Harum vero una *Scientiæ boni* & *mali*, altera *Vitæ* indigitata fuit.

II. Non defuerunt, qui Arborem *Scientiæ boni & mali* ad plantas referre noluerunt, ſed per modum allegoriæ nihil aliud indicari ea pertenderunt, quam *coitum venereum* ſive *conjugalem*, quia nempe *cognoſcendi* vox *actum concubitus* in Scripturâ ſæpe ſignificat. Imo ſunt, qui ipſam mulierem *Evam* per eam intellexerunt, quacum congredi in Paradiſo Deus Adamo prohibuiſſet. Sed profligatam opinionem illam vide a Celeberr. *D. Mareſio*, Syllog. Diſpp. Theolog. part. 2. pag. 399. Cujus rationibus hanc unicam tantum addo: Quod ſi *Eva* fuerit ipſa *Arbor vetita*, quomodo dici tum poſſit, hanc ab illâ deguſtatam fuiſſe, niſi ſtatuere velis, *Evam* cum ſe ipſâ congreſſam eſſe, quo nihil concipi poteſt alienius. Ut neque eo, quod *Weigelius* ſomniavit, *cunctarum rerum ſemina in homine eſſe, & partem tam boni quam mali, eamque eſſe Arborem hanc* ſcientiæ boni & mali *in Paradiſo.* Quin omnium abſurdiſſimi, imo profane

Browne Pſeudo-doxiæ Epid. lib. 1. cap. 1.

Weigelius Gnothi Seaut. part. III. pag. 12. 13. 23.

 ne

ne Legulejus quidam *Arborem* hanc per ipſum *membrum virile* nuper interpretatus eſt; ſuperſtructis abſurdæ illi hypotheſi variis aliis abſurdis, creaturâ rationali, homine imprimis ſpecietenus ſaltem Chriſtiano, plane indignis; ut *conjugii uſum homini integro illicitum fuiſſe, adeoque in ſe & per ſe omni tempore malum, quinimo* καθ' ἐξοχὴν *peccatum eſſe*; *Primum peccatum* fornicationem *aut veluti* Sodomiam *fuiſſe, ex eaque prodiiſſe* Cainum, *atque adeo* originale peccatum, *quod inde derivatum eſt in poſteros*, generandi cupiditatem *fuiſſe*. &c. Quæ omnia ut ſuo modo adſtruat, magno molimine magnas nugas agit velutque e Tripode oracula de iis venditat. Locata fuit (ut teſtis eſt Moſes) *Arbor* hæc in *medio* horti; at quiſnam hic hortus? corpuſne *Adami*? decumana hallucinatio. Hoc ne enim *Eden* dictum? *Poſuit Deus hominem* ſive Adamum *in iſto Horto*; an poſuit igitur Adamum in Adamo, in corpore Adami? *Fluvius egrediebatur ex iſto horto*, iſque quadruplex, *Phiſon*, *Geon*, *Hiddekel*, *Euphrates*: hi ne egrediebantur e corpore Adamico? Quod utique conſequi neceſſe eſt, ſi hortus, in quo poſita arbor *Scientiæ boni* & mali fuit, fuerit *Adami* corpus, in cujus *medio*, juxta ſungi illius ſententiam Adami *virilitas* pendebat. Eva, abſente Adamo, decerpſit ab hac *Arbore* fructum, ergone fornicata cum *Adamo* eſt, libidinemque experta mediante ejus virilitate, abſente Adamo?

Somnia formoſo candidiora die.

Et quænam hic notari non poſſent, ſi, tanti forent ſpurcitiarum harum fuligines? Ipſe Bubalus, quæ de *horto* hoc narrantur propriè ſumit, ut & quæ de *Arbore Vitæ* occurrunt, quid ergo altera hæc *arbor* mythologice & ſymbolice eſt accipienda? Alii ſunt, qui operoſius ſuffenum illum delumbarunt, operoſius forſan ac dignus eſt homo, tum ob lib[illegible]ctorem, tum ob ratiocinationes ejus plane elumbes; quum vix aliud quicquam univerſis paginis faciat, quam quod,

Ryſſen. Diſſert. Pecat.

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomat, involvatque domum caligine cæcâ,
Proſpectum eripiens oculis: glomeretque ſub antro
Fumiferam noctem, commiſtis igne tenebris.

Sic enim ſolent in nebulas omnia commutare quotquot lucidiſſimis Scripturarum dictatis præ tumore ſuo non acquieſcunt.

VII. Claret ex ipſis Textus verbis, vere *plantam* Arborem hanc fuiſ-

fuiſſe; expreſſe enim עֵץ dicitur, ξύλον, Confer Gen. 1. 11. 12. Hoſ. 4. 12. Gen. 3. 34. Eſ. 57. 5. 6. Ioſ. 2. 6. Sed *qualis* planta fuerit, non ita planum eſt. *Frumentum* ſeu *triticum* fuiſſe variorum fert opinio, qui ideo Chriſtum Corporis ſui ſacramentum pane *triticeo* adminiſtrandum, inſtituiſſe putant, ut *quâ re contractum eſſet debitum, eâdem & exſolveretur*; quæ verba ſunt *Moſis Bar-Cephæ*, ſed cum grano ſalis accipienda. *Vitem* fuiſſe volunt alii, atque ideo ſanguinem ſuum dediſſe Ieſum in *vino*, pro peccatis Protoplaſtorum expiandis. Sunt qui pro *Citrino* decertarunt. Alii *malum* fuiſſe credunt, ſicque vocatum. quod eſio ejus omnis *mali* cauſa fuerit, argumento loci Cantic. 8. 5. *Sub ipſâ malo expergefacio te, & enixa eſt te mater tua.* Varia autem ſunt *malorum* generaliter que Aſſyriaca, *limonia* dicta, quoddam eſt fructu rotundo, *Aurantiis* duplo aut triplo majus, in cujus cortice fiſſuræ apparent, quæ *morſus* veſtigia referunt; atque hoc fere *pomum* ſive *malum Adams* dicunt.

Moſ. Barceph. de Paradiſ. part. 1. pag. 1.

Matthiol. in 1. Dioſcor. c. 131.

Plin. lib. 4. cap. 14.

> *Dentibus admorſum cur* pomum *apparet* Adami
> *Neu cadat ex animo mortis origo tuo.*

Sed probanda duo forent, ſi textus hic ſtringeret. 1. Per *matrem*, cujus ibi mentio fit, *Evam* intelligendam eſſe. 2. Vocem תַּפּוּחַ non in genere pro qualicunque fructu odorifero, ſed præciſe pro *malo* ſumendam eſſe; ſaltem *priori* modo eam etiam accipit *Pagninus*: Quidam (inquit) ad פּוּחַ *revocant ut ſit generale nomen arborum & fructuum odoratorum & ſuave ſpirantium.* Apud Talmudicos תַּפּוּחַ metaphorice vocatur *cumulatum* vel *tumulatum* in formam *rotundam pomi.* Meila fol. 9. 1. ונותן לתוך תתפוח *Et dat intra* pomum, *id eſt, uvas in torculari accumulatas, in cumulum uvarum, quæ prælo ſubjecta ſunt.* Et quam ridicula ratiocinatio eſt, fructus *Arboris vetitæ* debet fuiſſe *malum*, quia guſtatio ejus omnis *mali* cauſa foret; Luſus Grammaticus. Nam dictuſne eſt fructus ille *malum* Hebraice? nihil minus, ſed תַּפּוּחַ; vel an *malum*, quod miſeriam proprie ſignificat, eadem hac originali voce ullibi venit? quis unquam id ſomniavit? Adhæc qualenam intelligunt *malum*, qui ſententiam hanc tenent? Non enim unius generis apud Antiquos id fuit, ut mox dictum. *Nux* etiam *mali* nomen geſſit, præſertim *Pinea* & *Prænestina.* Martialis

Urſin. Arboret. Biblic. cap. 33. p. 405.

Pagnin. Theſ. fol. 3. 78.

Buxtorf. Lex. pag. 26. 20.

Varro de Re Ruſtic. lib. 11. c. 59.

Martia. lib. 3. Epigr. 25.

> *Poma ſumus Cybeles; procul hinc diſcede Viator,*
> *Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.*

Digitized by Google

dubio etiam fuit *Ophitarum* inſania, qui ipſum *Serpentem ſeductorem* ſumma olim veneratione coluerunt, quod operâ ejus & benificio homines ad Arboris hujus uſum adacti, adeoque in cognitionem boni malique, quod antea neſciebant, deducti eſſent; Imo *Serpentem* illum pro ipſo *Chriſto* habuerunt, vel (quod pejus eſt) Chriſtum in hoc animal *mutatum* fuiſſe blaſphemarunt.

Epiphan. Hæreſ. 37. *Irenæus. lib.* 1. *c.* 34.

V. Dicta ſic *Arbor* hæc fuit ab effectu deguſtationem ejus ſecuturo & revera ſecuto; qui fuit *cognitio* hominis *experimentalis* malorum tum turpium tum triſtium, oppoſite ad bona, quibus peccans excideret & privaretur. Διὰ τὴν περὶ τοῦτο γεγενημένην αἴσθησιν τῆς ἁμαρτίας. Ὀυδέπω γὰρ πεῖραν εἰληφότες τῆς ἁμαρτίας, εἶτα τοῦ ἀπειρημένου μετειληφότες καρποῦ, ὡς παραβεβηκότες τὴν ἐντολὴν, τὰς τοῦ συνειδότος ἀκίδας ἐδέξαντο. *Quod inde cœpit eſſe ſenſus peccati. Cum enim peccati periculum necdum feciſſent, ac deinde vetitum fructum guſtaſſent, tanquam precepti tranſgreſſores conſcientiæ* ſtimulos *ſenſerunt.* Ut loquitur *Chryſoſtomus.* Et alibi: Ἤδει μὲν γὰρ καὶ πρὸ τούτου ὁ Ἀδὰμ, ὅτι καλὸν μὲν ἡ ὑπακοὴ, πονηρὸν δὲ ἡ παρακοὴ ἔμαθε δὲ ὕστερον σαφέστερον δι' αὐτῆς τῶν πραγμάτων τῆς πείρας. *Sciebat quidem* Adamus *etiam prius, obedientiam quidem bonam inobedientiam vero malam eſſe, ſed deinceps clarius adhuc didicit, per ipſam rerum experientiam.* Utcunque haud conceſſerim tamen, eam *poſt* antegreſſum lapſum ita demum denominatam fuiſſe, eoque πρόληψιν Moſaicam tantum eſſe, cum etiam *ante* peccatum nominata ita apparet; quæ *Merceri* aliorumque quorundam ſententia eſt. Quid enim opus hic tali anticipatione, cum nihil obſtet, quin potuerit Deus peræque ab effectu conſecuturo, certiſſime tamen a ſe præviſo, quam ab eo, qui reverà conſecutus jam modo erat, nomen ei imponere? Imò non fruſtrà videtur Deus nomen illud ab ipſâ creatione ei indidiſſe, ut nempe vel ſimplex tantum ejus cogitatio, futurorum malorum Protoplaſtis prædictiva foret, fortiuſque eos a prohibito ejus uſu deterreret.

Martyr. in Geneſ. 2. *Fol.* 11. *a.* & 14. *b.* *Chryſoſtom. in Geneſ. Hom.* 15. *pag. m.* 35. & *Tom.* 7. *pag.* 25.

Mercer. in Gen. 2. 8. *Gregor. Nazianzen. pag.* 38. *Damaſcen. de Orthod. Fid. lib.* 2. *cap.* 11.

VI. Ut neque Celeberrimo *Grotio* aſſentiri fas eſt, qui *Arborem* hanc earum *tantum artium* Symbolum fecit, *quæ in iis rebus excogitandis verſantur, quibus tum bene tum male uti licet*, τῆς μέσης φρονήσεως, ut ex *Philone* loquitur. Quomodo enim ſic myſterio *Sacramentali* & *exploratorio ligni* hujus ſatisfaciat, fateor me non videre: præſertim cum nuſquam alibi in Scriptis ſuis quicquam, quod ſubli-

Grot. de Jur. Bell. & *Pac. lib.* 2. *cap.* 2. §. 2. *ut* & *in. Luc.* 23. 43.

& occaſionem colloquendi cum aliis de Deo habuiſſet, & ſuam obedientiam erga Deum externo opere declaraſſet: At unde opinionem hanc hauſerit, neſcio, cum nullum iſtiuſmodi *Templi* in verbo Dei veſtigium extet. Imò vero vix perceptibile videtur, quomodo frutex, arbor, *Lignum* in *Templum* fuerit commutandum. Et cui bono id fuiſſet, cum *Deum colendi*, cum *aliis* de *Deo colloquendi*, & *obedientiam* ſuam *externo* opere erga Deum *declarandi* occaſio *Adamo* nunquam defuiſſet, etiam ſine chimærici iſtiuſmodi *Templi* adminiculo? *Cythræ in Gen. 2. pag. m. 89.*

VIII. Sequitur *Arbor Vitæ*; cui idem fere evenit, quod *Ligno ſcientiæ boni & mali*. Inventi nempe etiam ſunt, qui Hiſtoriam ejus in meram allegoriam commutarunt, per *rerum æternarum contemplationem* eam interpretantes, ut ex *Galatino* refert Clariſſ. *D Mareſius*. Aſt notio tum *Arboris* tum *Arboris plantatæ* tam notorie opinioni iſti obſtat, ut opus non ſit operoſe eam refellere. Mitto, quod Deus Protoplaſtos, jam lapſos, uſu hujus *Arboris* arcuerit, ut Gen. 3. 22. videre eſt, quod quî factum eſſe credideris, ſi nihil ea niſi *rerum æternarum contemplatio* fuerit? Hæc enim *cæleſtium rerum contemplatio* res laudabilis & virtuoſa cum ſit, quomodo potuit eâ Deus homini, cui omne virtutis opus ſub æternæ mortis interminatione ipſemet mandaverat, ullo jure interdicere? ſaltem quis Deum feciſſe id dicet, niſi qui fungum pro cerebro forte habeat? *Rivet. in Gen. 3. 22. Mareſ. Tract. cit. pag. 406.*

IX. Ratio nominis *Arboris vitæ* haud eadem ab omnibus datur. In hoc conſpirant Autores, quod Protoplaſti, utentes eâ, victuri in æternum fuiſſent; at in *modo*, quo *Arbor* illa id præſtaret, non uſque adeo conveniunt: his *ſignificativum* tantum, illis etiam *effectivum* eum ſtatuentibus. Qui *poſteriores* in diverſa iterum eunt, quibuſdam vim ei tribuentibus vitam tantum *ſuſtentandi*, aliis eam etiam *prolongandi* ad octo vel decem millia annorum uſque, aliis *plane immortales* homines reddendi. Ubi tunc rurſus decertant, num vis illa *naturalis* ei fuerit, an *ſupernaturalis*. Conflictum illum vide apud *Eſtium*, *Paræum*, *Salianum* &c. Priores quod attinet, ſentiunt illi, *Lignum* hoc *vitæ* dictum eſſe, quod *vitæ* vel temporalis tantum, vel æternæ tantum, vel utriuſque ſimul (quæ verior ſententia eſt) ſignificativum & obſignativum homini eſſet. Quod ſic expreſſit Auguſtinus: *Erat homini in lignis aliis alimentum, in hoc ſacramentum.* Atque hæc quoque communis Orthodoxorum ſententia hactenus fuit, exceptis forſan *Martyre*, *Paræo* & *Riveto* paucisque aliis poſt eos, qui, ſuppoſitâ ſummâ *Eſt. in Libb. ſentent. Tom. 2. pag. 194. Paræus in Gen. 2. verſ. 11. Salian. Ann. vol. 1. pag. 52. Turretin. Inſt. Theol Elenct. p. 1. pag. 626. Auguſt. in Geneſ. ad Litt. c. 4.*

Digitized by Google

Martyr. in Geneſ. fol. 11.*a.*

ante lapſum humani coporis ἐυεξία, vim hujus *Arboris* effectricem ſimul & ſignificativam conſtituerunt. Adhæc nuperrime ὁ Δεῖνα inhærentem ejus virtutem eo uſque ſublimavit, ut univerſam hominis tam *ante* quam *poſt* lapſum (ſiquidem tunc uti eâ licuiſſet) immoaralitatem ab eâ ſuſpenderit; ſed nullo Sententiam illam ſtabiliens vel Scripturæ vel rationis firmamento, ut e verbus ejus liquet. Et certe inſolens non tantum ſed & abſurda opinio hæc eſt; eo quod non minoris virtutis ſit, de mortali immortalem aliquem facere, quam de mortuo vivum; at vero mortuum ad vitam reducere, virtutis creatæ non eſt, (qualis procul dubio *Arboris* hujus fuit) ſed tantum increatæ, id eſt, Divinæ & omnipotentis. Addo: quod ſi *Arbor* hæc immortalem hominem reddidiſſet, vel ipſa immortalis etiam fuiſſet, vel non; *prius* dicere quis auſit; & ſi *poſterius* ſtatuatur, ecce tum effectum causâ ſuâ multis numeris excellentiorem; cui omnes Logicorum leges reclamant. Quare neque nervum habet *Zanchii* hæc ratiocinatio, dum dicit: *Mirum videri non debere, quod* vivificandi & immortalem reddendi vis in *Arbore hac* reſederit; eo quod *Deus aliis cibis vim dederit ſuſtentandi naturalem calorem & humorem*: Non enim valet conſequentia a vi rei naturalis ad effectum *naturalem*, ad vim rei itidem naturalis ad effectum *ſupernaturalem*; qualis eſt in æternum à morte præſervari minime quidem, cum vis ad effectum talem producendum *naturalem* tantum talem fuiſſe ſtatuitur, ut fit a D. *Zanchio*. Eſtque hæc ipſa conſideratio, quæ tantum apud Theologos quoſdam, cætera hac in re a *D. Zanchio* non diſſentientes, valuit; ut *Arborem* hanc præſtare quidem potuiſſe homini dicant vitam *admodum longam*, ſed neutiquam tamen *æternam*, quippe extra cauſæ naturalis activitatis ſphæram manifeſte conſtitutam. Adducitur quidem loc. Gen. 3. 22. ſed parum ad rem is facit, ut ex interpretatione ejus, mox ſecuturâ, plenius patebit.

Zanch. Op. Theol. tom. 3. *pag. m.* 502.

Salian. Annal. V. T. Tom. 1. *pag.* 33.

X. Ejuſdem furfuris eſt aliud quoddam Viri cujuſdam Docti commentum, qui, quo ſpecioſius vim quandam ingenitam vitæ ſuſtentandæ & prolongandæ *Arbori* huic ineſſe negaret, finxit, denominationem hanc *Arboris Vita* non a Deo ſed Diabolo inditam ei eſſe, eo quidem inſtituto, ut eâ mediante, homo ad peccatum facilius induceretur & pelliceretur. Vult enim, Satanam *duplici* tentatione hominem aggreſſum eſſe, *tam* ſcil. ut manducaret de *Arbore Vita*, quam de *Arbore ſcientia boni & mali*. Poſterioremque tentationem peccatum proxime reſpexiſſe,

prio-

priorem verbis Evæ, quæ Dei nomine Diabolo regerebat, oppoſitam fuiſſe, פֶּן תְּמֻתוּן *Ne forte moriaris.* Gen. 3. 3. q. d. Tentator: *Non eſt quod verearis tantillum, nedum mortem, ut Deus ſcrupulum illum injecit; ecce enim tibi* Arborem *aliam ſcil.* Vitæ, *quæ tibi ejuſmodi vitam conciliare poterit, qualis vel ipſi Deo tribuitur.* Sed quid opus eſt, ad hujuſmodi hypotheſin recurrere? quum, tametſi dicatur, Deum nomen hoc *Arbori* huic indidiſſe, minime tamen inde ſequatur, eum vim ſimul prolongandæ vitæ ei indidiſſe; ſufficit enim, ſi dicatur, uſum eam ſignificativum & obſignativum a Deo accepiſſe. Neque potuit denominatio hæc tentationi Diabolicæ ullatenus inſervire, quoniam impoſita modo fuit, antequam ad tentandum Diabolus ſe accingeret. Gen. 2, 9. Et quis crediderit, id ipſum, ut inſignem titulum, rei cuidam impoſitum a Cacodæmone eſſe, a quo tot optimarum rerum alluſiones & comparationes in verbo Dei deſumuntur? Ergone ipſe Diabolus nomina cudiſſe dicendus eſt, quibus maxime extimia imo cœleſtia in hominem conferenda beneficia deſignanda a Sp. S. eſſent? *Sapientiam* enim, *Vitam æternam*, ipſum *Chriſtum* nomine hoc in Scripturis venire, nemini non manifeſtum eſt. *Hakſpan. Not. Phil. p. 1. p. 63.*

XI. Tenendum ergo, ut dixi, Deum hac *Arbore*, tanquam Fœderis operum Sacramento obſignare Protoplaſtis voluiſſe, *tum* vitæ præſentis gratuitam donationem, *tum* & ejus continuandæ, & tandem in beatam immortalitatem commutandæ certitudinem. Dubium quidem videri poteſt, an Fœdus *naturæ*, ſub quo *Arbor Vitæ* fuit, *Sacramenta* quoque requiſiverit vel admiſerit. cum ſublevandæ humanarum mentium imbecillitati inſervire ea debeant, quæ ſub Fœdere illo nec fuit nec eſſe potuit, ob ſtatus antelapſarii perfectionem; Deus enim *rectum* (ישר) *hominem* condiderat. At evaneſcet illud dubium, ſi *duplicem* eſſe humani ingenii imbecillitatem conſideremus; unam *mere naturalem*, aliam *ex peccato ortam*: Hæc proclivem hominem reddit ad diffidentiam, atque adeo ad infidelitatem; cujus nihil certe, ante lapſum fuit, adeoque hoc reſpectu ſtatus ille *Sacramentis* opus non habuit. Sed alia plane eſt *naturalis* imbecillitas: conſiſtit hæc in eo, quod abſque ullo etiam peccato non uno mentis obtutu vel rerum naturas intimas pervideamus, vel earum partes & circumſtantias omnes ſimul complectamur; e contra non niſi paulatim in earum cognitionem penetremus, ſenſimq; ab uno ad aliud prout vel cognoſcendi objecta *Turretin. Inſt. Theol. Elenct. p. 1. p. 627.*

vel credendi argumenta ſe nobis offerunt, procedamus. Adeo ut, quanto plura ſunt & illuſtriora documenta, quæ ad unius rei cognitionem vel perſuaſionem ingenerandam concurrunt, tanto naturaliter in nobis ſit vel rerum cognitio clarior vel perſuaſio certior & minus dubitabilis. Cum ergo ea etiam fuerit humanæ mentis natura *ante* peccatum, alienum certe non fuit, ſi ad ea, quæ homo ex mundi contemplatione de Dei erga ſe voluntate colligere & potuit & debuit, ex inſtituto Divino adhuc aliud quicquam, majoris confirmationis ergo, acceſſerit, quale *Arbor vitæ* hæc fuit. At *quæris*, num etiam Chriſtus *Arbore* hac deſignatus & adumbratus ſit. Sic vult *Jacobus Sarugenſis* apud *Moſem Bar-Cepham*, quem ſecuti ſunt *Paræus*, *Cocceius*, *Heideggerus*, *Burmannus*, *Witſius* aliique. Dixi alibi, *dupliciter* diſtinguendum hic eſſe. 1. Inter Chriſtum qua *Mediatorem* & qua *Dei Filium*, id eſt, ut ſecundam Trinitatis perſonam conſideratum. 2. Inter rei qualemcunque imaginem ſive repræſentationem, *& typum* proprie dictum: Chriſtumque *qua mediatorem* repræſentatum hac *Arbore* Adamo non fuiſſe; neque enim locum habere id potuit ſub iſtiuſmodi Fœderis oeconomiâ, ſub qua Chriſtus, ut *mediator*, neque promiſſus neque neceſſarius fuit. Imo dixi, ne concedendum quidem eſſe, Chriſtum *qua Dei Filium* ſub dictâ *Arbore*, tanquam ſub typo, delituiſſe: quoniam *Typus* (ſi vocem ſtricte ſumamus) proprie rei tantum *futuræ* eſt, qualis Dei Filius neque tunc erat, neque eſſe unquam poteſt, quippe χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Dixi tamen etiam, nihil alieni aſſerere illos, qui Dei Filium in *Arbore* illâ, tanquam in expreſſâ imagine, Protoplaſtis exhibitum fuiſſe exiſtimant; innuentibus id ſatis dilucide S. S. Scripturis, Apoc. 2. 7. & 22. 2. Prov. 3. 18. ac juxta eas Viris quam plurimis doctis & eruditis. Tandem *D. Paræum* a cenſurâ *D. Mareſii* vindicavi, qui ipſi adſcripſerat, quod *Crucem* Chriſti *Arbore* hac præfiguratam eſſe, dixerit. Oſtendi enim e *Paræi* verbis educi id minime poſſe, licet ἀκριβεστέρως & minus forte ambigue mentem ſuam poſſit expreſſiſſe. Propius acceſſiſſe ad opinionem illam videtur *D. Zanchius*, ut ut & ille excuſari forte poſſit. Audi Cl. *Witſium*, qui ſic nuperrimè id tentavit: *Hoc unum* (inquit) *ſupereſt, quo excuſari queant hæc & ſimilia* (reſpicit verba *Zanchii* mox nominati) *ſi dicamus, etiamſi ab initio homini integro eum in finem propoſita non fuerint, ut Chriſti gratiam ei ſignificarent, ſapienter tamen ita a Deo ordinata fuiſſe, ut homo retrogrado cogitationum*

Jacob. Sarugenſ. apud Moſ. Bar-Ceph. de Parad. part. 1.

Paræus in Gen. 2. 11.

Coccej. in Gen. 2. 8.

Heidegg. Hiſtor. Patriarch. p. 1. Exerc. 4. §. 49.

Burman. Synopſ. p. 1. pag. 409.

Witſ. de Fæder. pag. 58.

Heb. 13. 8.

ſua-

ſuarum greſſu ad ea remeans, poſt lapſum in iis animadvertere potuerit obumbrationem quandam earum rerum, quas novâ promiſſione nunc Deus ipſi revelaverat. *Witſ. Tr. cit. lib. 1. cap. 6. §. 20.*

XII. Frivolum interea, & vulgare nimis præjudicium eſt, quo multi hactenus unicam tantum & *individuam* in ſuâ ſpecie *Arborem* hanc fuiſſe, arbitrati ſunt. Contrarium enim nimis clare innuit Apoſtolus Johannes Apoc. 22. 2. dum eam in Cœleſti Hieroſolymâ *ab utrâque fluminis parte* exertè collocat; quod ſane uni individuæ arbori competere non poteſt, niſi pluribus eam locis ſimul præſentem eſſe poſſe ſomniare velis. Non deſunt, ſcio, qui intorquent hæc verba, dicentes juxta ea *Arborem* vitæ non ab utrâque parte fluminis, ſed in medio inter *plataam* & *fluminis utramque* ripam conſtitiſſe. At non attenderunt, qui locum ſic explicant, ad *Ezechielis* textum, unde *Johannis* hæc verba deſumpta ſunt, ibi enim liquidò Ezechiel dicit: *Ad flumen autem aſſurgunt in ripâ ejus hinc & inde omnes arbores eſculenti fructus, quarum folia non decidunt* &c. (NB.) *Aſſurgebant arbores illa in ripâ fluvii hinc inde*: ergo ſane *mediæ* locatæ non erant inter *plateam* (cujus ne verbo quidem meminit Propheta) & *ripas fluvii.* Neque ſequitur ideo, de diverſis arboribus Ezechielem & Johannem loqui, quia hic *ſingulari* ille *plurali* numero utitur; Quis enim ignorat, nomen ſingulare unius ſpeciei etiam omnia ejuſdem ſpeciei individua in ſe comprehendere? Ut neque pondus habet, quod frequentiſſime opponitur, oportuiſſe unicam & ſingularem tantum *Arborem* hanc fuiſſe, quia Chriſtus, cujus imago fuit, non niſi *unicus* fuit: ſequeretur enim exinde, nullis etiam aliis rebus repræſentandum Chriſtum fuiſſe, niſi quæ in ſuâ ſpecie *unica* tantum & ſingulares eſſent, cujus oppoſitum tamen paſſim conſtat. Deſignatus eſt Chriſtus per *mare*, per *nubem*, per *petram* &c, quæ tamen res in ſuâ ſpecie individuæ non fuerunt. Exiſtimo ergo, ſingularem quidem plantæ ſpeciem *Arborem* hanc fuiſſe, ſed varia tamen ejuſdem ſpeciei individua in Paradiſo extitiſſe; idque conſequi neceſſario videtur ex fine, quo deſtinata *Arbor* fuit, nempe ad oppignorandam hominibus beatam immortalitatem, idque non mera tantum & ſimplici de eâ cogitatione, vel ſimplici adſpectu ejus, ſed verâ & actuali ejuſdem deguſtatione & fruitione; quæ ſane quomodo convenienter ejuſdem individuæ arboris a ſingulis fieri potuiſſet, ſi Adam non peccaſſet, proleſque ejus aucta fuiſſet, ἀκατάληπτον mihi videtur. Quamo-

Ezech. 47. 12.

I. d'Eſpagne Shibbol. pag. m. 206.

Urſin. Arboret. Bibl. cap. 45 p. m. 586.

mobrem neque ullus dubito, quin, multiplicato deinceps genere humano, *Ligni* illius individua etiam extra Paradiſi pomoeria fuiſſent multiplicanda, ad omneſque mundi habitabilis oras extendenda. Peræque enim omnes homines ac Adamus & Eva (ſi lapſus non interveniſſet) eo, tanquam immortalitatis & communis foederis *Sacramento*, gaudere jugiter oportuiſſet.

XIII. Sequitur hinc, pro indubitato ſumendum etiam non eſſe (ut a multis fit) quod *Arbor* hæc exacte in ipſo Paradiſi *meditullio* locata fuerit. Si enim Arboris *ſpecies* fuerit, & non ſingulare tantum *individuum*, ut jam oſtendimus, quid obſtat, quo minus ejuſdem ſpeciei individua quædam in aliis etiam *Paradiſi* partibus extiterint. Dicitur quidem Deus, eam בְּתוֹךְ, id eſt, ut quidam vertunt, *in medio* Horti collocaſſe Gen. 2. 9. ſed idem de *Arbore Scientiæ boni & mali* ibi aſſeritur; quod tamen ſi rigide & localiter ſumas, de utrâque verum eſſe non poteſt, niſi vel duas illas arbores in unum corpus velis conflare, vel duo corpora idem *Paradiſi* meditullium occupaſſe aſſeveres. Quidni igitur בְּתוֹךְ per *intra* non per *in medio* interpretemur, præeunte Doctiſſimo *Mercero*, in h. Loc. vel illud *in medio Horti* ſic ſumamus, non quaſi præciſe eo in loco conſitæ hæ arbores fuerint, in quo æquali undique ab extremo *Hedenis* ſpatio diſtarent, ſed quod inter reliquas *Paradiſi* arbores ſingulari quadam ratione eminuerint, nimirum

Quantum lenta ſolent inter uiburna Cypreſſi.

Phraſi ſcil. Hebræa, quâ aliquid *in medio* eſſe ſæpe dicitur, quod inter alia excellit & magis eximium eſt. Ita *ambulare Chriſtus* dicitur in medio *Candelabrorum aureorum*. Apoc. 1. 13. *Item Agnus ſtare in* medio *Throni*, Apoc. &c. 7. 17. Sed confecit jam dudum hoc negotium *Moſes Bar-Cepha*, Tractatu de Paradiſo: *Medium* (inquit) *in textu ita accipiendum eſt, non quaſi particularem aliquem locum ſignificaret, ſed quaſi diceret, cum Paradiſus frequentiſſimus eſſet variis Arboribus & plantis, haſce duas Arbores non in ejus angulo quopiam ſitas fuiſſe, ſed in medio Paradiſi inter alias arbores extitiſſe.*

Moſ. Bar-Ceph. de Paradiſ.
Toſtat. in Gen. 13. qu. 159.

XIV. At quid de *Arboris* hujus *uſu* ſtatuendum? Quæri enim hic poteſt (nec ſine ratione) an unquam quidem Protoplaſti fructum ejus deguſtarint? Plerique in *Negativam* concedunt, trahentes eo locum Gen. 3. 22. Sed neſcio, an juſto fundamento: Poſito

ſito enim quod *Arbor* hæc fuerit immortalitatis Sacramentum. 2. Quod Protoplaſti quantocunque tempore in integritate ſuâ perſtiterint. 3. Quod nullum *Arbore* illâ abſtinendi mandatum injunctum eis fuerit; quæ omnia ipſa luce lucidiora ſunt; quæ excogitari poteſt ratio ob quam Adamus & Eva ejuſdem uſum fruitionemque diſtuliſſent? maxime, cum procul dubio ſapore & adſpectu ſuo ad ſui eſum vehementer eos invitarit! Neque ad rhombum facit Locus, qui in contrarium adducitur; minime enim is dicit, Adamum ad lapſum ſuum uſque *Arboris* hujus uſu abſtinuiſſe, de quo proprie quæſtio eſt; ſed dicit tantum, in futurum & poſt lapſum ei abſtinendum illâ fuiſſe. Imoverò ex ea ipſa prohibitione, tum demum & non ante promulgata, colligendum potius videtur, Protoplaſtos dictâ fruitione antea non ſuperſediſſe. Neque enim tanto zelo rem talem prohiberi opus eſſe videbatur, cujus ne quidem ſimpliciſſimus unicusque tantum uſus in eum uſque diem accidiſſet. Præterquam, quod ex omnibus pateat circumſtantiis, locutionem illam, qua Deus ibi utitur, mere μιμητικὴν fuiſſe, non minus ac illam, quæ verbis proxime antecedentibus continetur: Ecce *Adam factus eſt ſicut unus e nobis.* Quin etiam juſte neceſſarioque Protoplaſti, in perfidos jam a Deo apoſtatas converſi, *Arboris* hujus uſu arcebantur, utcunque antea fructu ejus potiti eſſent, quia præſentiſſimum jam periculum erat, ne, rupto & violato Dei Fœdere, cujus ſacramentum *Arbor* hæc erat, ſacrum hocce obſignaculum impie non tantum profanarent, ſed in ſui etiam noxam turpiter abuterentur.

XV. Cætera εἰς τὼ τ̃ ἑώλων καὶ ψυχρῶν λήρων, *evanidorum ac frigidorum claſſem* relegamus, quæ *tum* Judæi *tum* Chriſtianorum aliqui de *utraque* hac *Arbore* ſuaviter ſomniarunt. Ut de *Priore*, quod grandem ex eâ fuſtem *Eva* effregerit, eodemque maritum *Adamum*, quaſi per vim & verbera, ad eandem vetiti fructus guſtationem adegerit, compulerit. Quod cuncta animalia de eâ comederint, ſolo *Phœnice* excepto. Atque inde factum ſit, quod omnia mori jam debeant, e contra *Phœnix* (Hebræis חול dictus) nunquam moriatur, ſed mille annos vivat, exactiſque *mille* illis annis, corpus ejus quadantenus quidem pereat, & plumæ ipſi excidant, ſed remaneat tamen in ea particula quædam ad quantitatem ovi, indeque creſcat iterum ac juve-

juveneſcat. Alii ſic referunt. *Ea avis mille annis vivit, & in fine mille annorum* ignis *exit e nido ejus, & comburit eam, ſed manet in illo velut* ovum, *ex quo rurſus membra creſcunt, & reviviſcit.* Quo pertinere locum Jobi putant, cap. 29 18. *In* nido *meo expirabo, & ut* Phœnix *multiplicabo dies.* Ales *Gangeticus* dicitur Auſonio,

Auſon. ad Paulin.

Nec quia mille *annos vivit Gangeticus ales.*

Quod & *Sethus* ſemen aliquod ex ea ſumpſerit, ori *Adami* jam mortui juſſu Angelico id indiderit, atque inde tandem arbor ea excreverit, ex qua Chriſti poſtea patibulum confectum fuit. De *Poſteriore*, quod *Sethus*, a Patre *Adamo* ad portam *Paradiſi* miſſus, ramum ejus ab Angelis cuſtodibus impetrarit, terræque eum defixerit; ex quo tanta tandem arbor excrevit, ut *Virga Moſis*, *Virga Aaronis*, *lignum*, *quo dulcorata ſunt aqua Mara*, *pertica*, *cui Serpens æneus fuit impoſitus*, & denique ipſa *Crux* Chriſti fabricari inde potuerint. Hæc inquam, & ejuſdem generis multa, quippe non ἄγραφα tantum, ſed mere commentitia, ad Gerras Siculas remittimus; quoniam, juxta *Martialem*,

Turpe & difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

OTI-

OTIORUM THEOLOGICORUM

LIBER IV.

EXERCITATIO I.

DE JURE ZELOTARUM

BREVIARIUM.

De ejectis per Chriſtum e Templo ovium columbarumque *Venditoribus &* Numulariis *narratio ex Iohan. cap.* 2. *vſſ.* 14. 15. 16. Tractandorum *ſeries* : Πωλοῦντες & Ἀγοράζοντες. Columbarum venditores *qui & cur a Iohanne ſic dicti? Infamiâ notati fuerunt apud* Hebræos, *& quare? Ut &* Argentarii & Numularii *apud Romanos.* Columbarum *apud Hebræos in Sacrificiis uſus. Eorum* הממונה שעל הקינים Præfectus *ſuper* nidos *quis?* Petra Columbarum *qualis?* Κολλυβισταὶ & Κερματισταὶ *qui? An a ſe invicem diſtincti?* Hieronymus *notatus.* Cujacius *laudatus.* Κολλύβου *vox unde derivata? Ejus ambiguitas.* Collybi *propriè dicti deſcriptio. Quorumnam peculialiter fuerit* Collybum *dare?*

Quinam ab eo immunes? *Quis tum* Collybi *tum* Oboli argentei *valor?* Chytræus & Dietricus *notati.* *Quando* Nundinatores *hi* & Numularii *ſere in Templo congregati* Cenſus *Iſraelitis ad Paſcha impoſitus.* Pecuniæ, *quæ inde colligebatur, uſus.* *Templi* locus, *in quo conederunt,* Numularii. Στοὰ *quid?* Seldenus *laudatus.* *Templi* porticus *quot?* *Ad* exteriorem *quivis admiſſi, mulieribus* menſteatis *tantum exceptis.* Chriſti Φραγέλλιον. Franciſcanorum *de hoc nugæ.* Gretzerus & Barradius *cum ſe invicem commiſſi.* *Vnde confectum illud* Φραγέλλιον? Lyranus *pulſatus.* Janſenii, Eſtii, Mommæ παρερμηνεία *excuſſa.* Enallage generis *apud Græcos quando locum habeat?* Origo *erroris.* Euthymius *notatus.* Auguſtinus, Cyrillus Chryſoſtomus Euthymio *oppoſiti.* Objectio *ſoluta.* *An ſemel tantum an* ſæpius *ejectio hæc inſtituta?* *Sententia* poſterior *recepta & adſtructa.* *Ejectio, de quâ* Mattheus, Marcus & Lucas, *ab hac diverſa.* *Vtriuſque tamen notabilis convenientia.* *Cur Chriſtus tantâ vehementiâ in* Numularios *proceſſerit?* Hieronymi, Chryſoſtomi *aliorumque conjecturæ rejectæ.* *Ratio vera ab ipſo Chriſto adducta.* Momma *laudatus* Επίχειρσις *Autoris.* Θεῖόν τι *in* Ejectione *hac obſervandum.* Origenis & Hieronymi *placita.* *Quâ* autoritate *munitus Chriſtus eam inſtituerit?* *Sententia communis.* משפט קנאין Judicium Zeli *unde dictum?* *Simon* Zelotes. Hieronymi παρόραμα. Grotius *laudatus.* *De* Zelotis *varii varia.* *An iidem fuerint cum* Eſſæis? Joſephus *contra* Druſium & Seldenum *vindicatus.* Morte damnari *quot modis dici poſſit?* *Locus* 24. 29. *elucidatus.* Joſephus, *juxta Seldenum,* ſubleſtæ fidei *autor.* *Hebræorum* Capitales *quæ?* *Pœna* Iuris Zelotarum *deſcriptio.* *A* quibus, *in* quos, quibuſque modis *uſurpatum?* Cauſæ *exercendi ejus* primariæ & ordinariæ. Mulier Pagana & Sacerdotes juvenes *apud Hebræos qui?* Mattathiæ *exemplum ex* 1. *Ma-*

Machab. 2. 23. *An proceſſus ex* Jure Zelotarum *fuerit licitus*? Seldeni & Heideggeri *Sententia affirmans rejecta.* Hoornbekii *negativa recepta & confirmata.* Exceptio *diluta.* Phineaſi *exemplum* ἀπεξοτδιονυσον. Calvinus *laudatus.* *Ius hoc cum* Moderamine inculpatæ tutelæ & Lege de fure nocturno occidendo *non comparandum.* *Locus Exod* 22. 2. *illuſtratus.* Cicero, Plato, Rivetus, Coccejus *ad partes vocati.* *Loci Ioh.* 18. 22. *Act.* 7. 78. & 27. 12. *vindicati.* Objectio *diſcuſſa.* Cur *Chriſto*, ejectionem *hanc inſtituenti, nemo reſtiterit*? Hieronymi & Grotii *obſervationes.* Zelotarum *nota Chriſtianis haud temere inſcribenda.* Zelotæ *olim homines fere nefarii.* Aſſaſini *qui*, *& unde ſic dicti*? Legitimus zelus *commendatus.* *Quæſt.* 1. An *zelum* in rebus ſpiritualibus quadantenus cohibere ſemper peccatum ſit? *Ratio dubitandi.* *Variæ* diſtinctiones *obſervandæ.* *Sententia* negativa *recipitur*, *& quibus caſibus id peccatum non ſit*, *explicatur.* Abdæ *Perſarum Epiſcopi inconſideratus zelus.* Calvinus, Voetius, Gregorius *laudati.* Objectiones *ſolutæ.* *Præcepta* affirmativa & negativa *quo diſcrimine obligent*? Prudentiæ *ratio etiam habenda.* Bernardus & Mercerus *ad partes vocati.* *Variæ* inſtantiæ *eliſæ.* Spiritus τοῦ σωφρονισμοῦ *quid*? *Per* fidem *ambulandum*, *at non cæcam*, *ſed oculatam.* *Vnde ſciri poſſet*, *non tantum* Officii *noſtri quid eſſe*, *ſed* hic & nunc *præſtandum id eſſe*? Bernardi *obſervatio pia.* *Conſcientia* erronea *quando & quomodo obliget*? *Spiritus Prophetarum* Prophetis *ſubjiciendi.* *Locus* 2 *Tim.* 4. 2. *illuſtratus & vindicatus.* Cauſam Dei prodere *quinam dicendi*? *Nihil* inconſtantiæ *in bono magis contrarium*, *quam* prudentia. *Quæſt.* 2. An ſemper ad extremum virium zelandum? Diſtinctiones *quædam notandæ.* Zeli *exercitia non tantum* intenſive *ſed &* extenſive *conſiderandа.* *Vt & quoad* actus externos *corporis viribus attemperanda.* Peraldus *laudatus.* *Locus Eccleſ.* 9. 10. *explicatus.*

tus. Dum, pro circumſtantiarum ratione, zeli *actus* externi *nonnunquam cohibentur, commoditati carnali non indulgetur.*

I.

TExtus inſignis & profundiore conſideratione digniſſimus eſt, quem habet *Johannes*, Euangel. cap. 2. verſ. 14, 15, 16. Καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας βόας καὶ πρόβατα καὶ περιστερὰς, τοὺς καὶ κερματιστὰς καθημένους. Καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε. Καὶ τοῖς τὰς περιστερὰς πωλοῦσιν εἶπεν: Ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν, μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, οἶκον ἐμπορίου. Ἐμνήσθησαν δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστίν. Ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με. *Et invenit* (Jeſus) *in Templo venditores boum & ovium & columbarum, & numularios ſedentes, factoque flagello e funiculis omnes ejecit e templo, & oves & boves, & argentariorum numulos effudit, menſasque ſubvertit. Et columbarum venditoribus dixit: Tollite hinc iſta, ne facite domum Patris mei domum mercatus. Recordati ſunt autem ejus diſcipuli ſcriptum eſſe:* Zelus domus tuæ devoravit me.

II. *Tria* autem ſunt, quæ (præmiſſis pauculis aliis) circa verba hæc præcipuè expendemus: *Primo*, An Chriſtus *ſæpius*, quam *ſemel*, boum, ovium, columbarum venditores & numularios *Templo* expulerit? *Secundo*, quâ de *cauſa* id fecerit? *Tertio*, quâ *autoritate*? ubi tum de *Zelotarum Jure*, Antiquitatum Judaicarum parte non ignobili, & quibusvis forſan non ita obviâ.

III. Sermo eſt (ut liquet) de *Venditoribus boum, ovium, columbarum* & *Numulariis*, qui in templo conſidebant. In Græc. eſt vox πωλοῦντας, quam & reliqui Euangeliſtæ habent. At, quia *venditio* reſpectum indicat ad *emtionem*, addunt *Marcus & Lucas* ἀγοράζοντας, id eſt, *emtores*. Bobus autem & *ovibus* identidem Judæis, ad peragenda ſacrificia, opus fuiſſe longe eſt certiſſimum, adeoque haud mirum eſſe poteſt, etiam homines quoſdam tum fuiſſe, qui animalia illa prope Templum venalia habuerunt. Verum non de *Boum Oviumque* tantum, ſed & *Columbarum Venditoribus*

toribus loquitur *Johannes*; videnturque aliqui eſſe, qui mentionem *Columbas vendentium* fieri tum hic tum apud alios Euangeliſtas putant, non quod ibi præſto *Columbæ* tum fuerint, vel tum in Templo venditæ, ſed tantum quod hominum illorum vocatio fuerit, *Columbis* fovendis, docendis, & dein vendendis quæſtum ſuum facere; ſic ut eorundem *qualitas* hic tantum deſcribatur, non vero *commercium*, quod tum actu exercuerint: adeoque Spiritum Sanctum, dum horum meminit, innuere duntaxat voluiſſe, quam juſte Chriſtus Templo eos exegerit, quippe homines nihili non tantum, ſed & impios, qui Locum Sanctiſſimum præſentia ſua turpiter profanabant. Nam (quod probe notandum) *Columbarum Venditores* apud Hebræos infamia notati erant, quamobrem etiam juxta cum *Aleatoribus, Fœneratoribus & quæſtum ex Anni Remiſſionis fructibus facientibus*, à judiciis & teſtimoniis publicis arcebantur: quia nempe ex his nemo (hanc rationem dant *Talmudici*) *incumbebat rebus, quæ ad firmitudinem ſeculi*, id eſt, ad bonum publicum, ſeu vitæ humanæ commodum *ſpectant*. Maxime quum neque ſocii eorum, *Argentarii* & *Numularii* (de quibus mox plura) honeſto loco apud ipſos *Romanos* fuerint: *Suetonio* enim teſte, Antonio Cæſari Octaviano avus *Argentarius* in maledictis objectus eſt, & eundem Caſſius Parmenſis *Numularii* nepotem ad contumeliam appellavit: *Materna tibi* (inquiebat in quadam Epiſtolâ) *farina, ſiquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino hanc pinſit manibus* collybo *decoloratis Nerulonenſis* Menſarius. Sed neſcio, an qui ſic ſentiunt rem acu tetigerint: *Tum* quod non tantum de *Columbarum venditoribus*, ſed earum etiam *emtoribus* ſermo apud *Marcum* & *Lucam* inſtituatur; & quorſum ſane *emtores*, ſi venditio tum actu exercita non fuerit? *Tum* quod ſubſtiterint hi homines tantum in *extremo* Templi *Atrio*, ad quod hominibus etiam Gentilibus (unde & *Atrium Gentium* vel *commune* dicebatur) nedum Judæis, ut ut infamiâ aliquâ notatis, aditus patebat: quod & inde magis claret, quia ne quidem Iſraelitæ *lugentes*, *excommunicati*, imo *immundi* eo prohibebantur. Adeoque haud magis *Venditores* hi dicendi ſint præſentiâ ſuâ fœdaſſe & profanaſſe Templum, quam ipſiſſimæ Gentes aliique homines nefarii id profanabant.

Miſn. tit. Sanhed. cap. 3.

Sueton. Auguſt. cap. 4.

Torrent. in Sueton. Auguſt. cap. 4.

Lightfoot Centur. Chorograp. cap. 28.

IV. Ergo alii ſunt, qui per *Vendentes columbas* haud ſtricte id genus hominum deſignari volunt, quod non niſi *vendendis* iſtis animalculis vacabat, ſed in *genere* omnes illos, qui boves, oves,

Digitized by Google

Selden. de Jur. & Gent. lib. 4. c. 5. columbas, &c. divendebant, id eſt, pecorum mercatu victum ſibi quæritabant, ſive is fuerit *Columbarum* ſive aliorum animalium. Idque hinc eliciunt, quod illi, quos *Johannes* hic *boum*, *ovium* & *Columbarum Venditores* dicit, *Matthæo* & *Marco* ſimpliciter *Columbarum Venditores* nuncupentur, nullâ *Venditionis boum oviumque* mentione injectâ. At vero præterquam quod dici poſſet, non uſque adeo certum eſſe, an eadem hæc *Johannis* Hiſtoria ſit, cum illâ, quæ à *Matthæo Marcoque* enarratur, ut in ſequentibus pateſcet; fateor me videre non poſſe, quorſum frigidæ hujuſcemodi ſubtilitates tendant, quaque juris ſpecie inutilibus ſcrupulorum nebulis, in Scripturarum interpretatione, involvi quicquam opus ſit, quod per ſe manifeſtum ſatis eſt, imo ipſâ luce lucidius apparet. Quid enim difficultatis habet, ſi dicatur, nundinatores hoſce revera etiam *Columbas* vendidiſſe? maximè quum negari à nemine poſſit, earum uſum etiam in ſacrificiis fuiſſe vulgatiſſimum, utut non apud ditiores, apud tenuiores tamen. Levit. 1. 14. &. 5. 7. & 12. 6. Luc. 2. 24. Quinimo exertè docent Judæi, inter Templi præ-*Luc. 22. 52.* fectos, quos Græci στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ vocant, fuiſſe etiam aliquem, qui הממונה שעל הקינים, id eſt, *præfectus ſuper nidos* ſive *aves* dicebatur; quem ſic deſcribunt, quod ſit, *quocum paciſcuntur proſiclo, ut ad oblationes aves compararet has vel illas. Et quiſquis tenebatur vel turtures offerre vel pullos Columbarum, pretium ad ſanctuarium offerebat. Et iſte præfectus dabat aves iis, quorum erat offerre, & cum quæſtoribus eas æſtimabat; & poſtquam de pretio convenerat, eas intra triduum dabant.* Quo & fecit procul dubio *Petra* illa *Co-*

B. Wal. in Joh. 2. 16. *lumbarum*, de quâ hoc modo ex *Quiſtorpio B. Walæus: Scribit Num.* 196. *Adrichomius, quod fuerit Hieroſolymis* Petra Columbarum, *quæ ad meridiem montis Oliveti conſpiceretur, ſaxea, rotunda, ſublimis & concamerata turris, extrinſecus dealbata, atque anguſta; uno oſtiolo in ſummitate patens, in quâ domeſticæ ſervabantur Columbæ, & hujuſmodi Turris ſæpe vel* 5000. *Columbarum continuerit: Qui enim morbo vel itineris longitudine Jeroſolymam venire non poterant, mittebant pecuniam, pro quâ, quæ offerri debebant, emebantur.* Sic ille.

V. Occurrunt etiam *Numularii*, *Menſarii*, *Argentarii*, Græce à *Matthæo* & *Marco* κολλυβισταὶ & à *Johanne* κερματισταὶ dicti. Dicuntur κολλυβισταί. Κόλλυβος vero idem eſt, quod nos *Cambium* vocamus: ἀλλαγὴ ἀργυρίου *Polluci*, *Cicero* in Verrinâ *Cicer. in Verr.* ait, *deductionem factam pro* collybo, & in Epiſt. *Satis detrimenti eſſ*

in

in collybo. Græcis eſt *æreus nummus*, cui imago *bovis* impreſſa erat, derivatus forte παρὰ τὸ κολλᾶσθαι βοῦν, quod æri quaſi *agglutinatus* eſſet *bos*, id eſt, imago *bovis* incuſa. Οἱ γὰρ ἀρχαῖοι (ut habet vetus Homeri Scholiaſtes) τιμῶντες τὸ ζῶον τῶν βοῶν, διὰ πολλὰ μὲν, καὶ ὅτι δὲ ἱερὸν ἐστιν ἐνεχάραττον, τῷ μὲν ἑνὶ μέρει τοῦ νομίσματος, βοῦν, τῷ δὲ ἑτέρῳ, τὸ τοῦ βασιλέως πρόσωπον. *Veteres enim, cum* Bovem *multas ob cauſas in pretio haberent, maxime etiam quod Sacer eſſet, imprimebant alteri quidem numiſmatis Parti* Bovem, *alteri vero Imperatoris faciem.* Eſt ergo nihil aliud, quam detrimentum illud pecuniæ, quod in ratiociniis emptionem auri appellant, cum pecunia ad exteras nationes exportanda eſt, & apud *numularios* aliis nummis commutanda; ut ſi argentea moneta aureâ commutetur, aut genera quædam pecuniæ abrogatæ & antiquata alio quo genere permutanda ſint rato & recepto & promulgato in eâ provincia. Atque ita etiam vox κέρμα uſurpatur, quæ alias generaliter etiam ſumitur, notatque minimam cujuſcunque metalli particulam, uti ſegmina illa, quæ conciſa & ablata a *numis* ſunt. Et ſicut ſic κόλλυβος (inquit *Euthymius*) obolus eſt, qui pro permutatione monetæ datur, ita κέρμα congeries obolorum eſt, aut minutorum nummulorum, quibus fit permutatio; atque hinc κερματισταὶ hic vocantur. Sunt, qui diſtinguunt inter *Collybiſtas* & *Numularios*, quos inter eſt *Hieronymus*, qui exertè dicit, Judæos pro Numulariis *Collybiſtas* feciſſe. Verum haud benè; quum paſſim iidem ſint, tum *Theologis* tum *Jureconſultis.* Unus de hoc audiatur *Cujacius: Fuit olim* (dicit). *in Civitatibus certum corpus ſive* σύστημα *argentariorum, quorum erat publicum officium. Tabernas ac menſas cum ære in foro poſitas habebant. Apud menſas pecuniæ deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur, quod latine eſt* cambire. *Eorum munia, quæ varia ſunt, variis etiam appellationibus deſignantur. Nam & menſarii dicuntur, ſive menſularii & Numularii & Argentarii, & Argentariæ monetæ Executores, & argenti diſtractores*, Collybiſtæ, κερματισταὶ, &c. Notatu etiam digna ſunt, quæ de *Collybo* & *Collybiſtis* habent *Talmudici:* Fratres (*inquiunt*) commercium agentes quando tenentur dare *Collybum*, liberi ſunt à *decimis beſtiarum*; quando autem tenentur dare *decimas beſtiarum*, tum liberi ſunt à *Collybo.* Dimidii neceſſarii erant omnibus: nam quiſ-

Scholiaſt. ad Homer. Iliad. β. *verſ.* 449.

Waſer. de Antiq. Hebr. Numis lib. 1. *cap.* 17.

Hieron. in Matt. 12. 13. 14.

Cujac. de Pactis.

Maimon. Tract. de Sicl. part 1. *cap.* 3.

que

que tenebatur dare ſiclum dimidium, itaque cum accederet nummularium permutaturus ſiclum integrum, addebat aliquid ad ſiclum & illud additamentum vocabatur *Collybum*. Cum duo adferrent ſiclum unum integrum, quiſque tenebatur dare *Collybum* pro permutatione. Qui tenebantur dare *Collybum* erant Levitæ, Iſraelitæ, advenæ ſive proſelyti, ſervi manumiſſi; at Sacerdotes, mulieres, parvuli ſive minorennes exempti erant. Si quis per hosce tres permutaſſet, liber erat, ſi ipſemet permutaſſet aut per ſocium ſuum, tenebatur dare *Collybum* unum. Qui adferebat ſiclum duplum, & accipiebat ſiclos dimidios, tenebatur dare duo *Collyba*. De pretio *Collybi*, quod קולבון, ſic differunt: *Quanti valoris eſt iſtud lucrum? Tunc temporis, cum denarios perſolverent pro hemiſiclo Kolbon fuit dimidium Mea, hoc eſt, pars duodecima denarii & nunquam minus; non autem erant Kolbonoth ſicut didrachma, at ea ſeparatim ſepoſuerunt Trapezitæ, uſque dum de iis ſatisfieret ſacrato.* Vel ſic, *quantum* eſt *Collybum*? Obolus argenteus juxta verba *R. Meir.* At ſapientes dicunt dimidius obolus. Obolus vero argenteus eſt dimidia ſexta ex dimidio ſiclo, id eſt, duodecima pars dimidii ſicli, ponderis ſedecim granorum hordei: &, juxta Sapientes, dimidium ejus, octo ſcilicet granorum, dimidius nimirum obolus. Quicquid ſit, in hoc conſpirant Autores, *Collybum* numi vel numuli quandam ſpeciem fuiſſe. Adeo ut erraſſe videatur *Chytræus*, &, qui ex ipſo id adoptavit, *Dietericus*, dum *Collyba* per alia etiam eaque levia munuſcula, uvas, poma, nuces, etiam in hoc ipſo negotio, interpretati ſunt. *Hujus* verba ſunt: *Hi* (peregre advenientes) *cum uſuram accipere vetabantur Lege, pro mutuationis officio promittebant κόλλυβα, hoc eſt*, levia munuſcula, uvas, poma, nuces &c. *ideoque vocabantur κολλυβιςαὶ*. Hauſerunt id forte ex *Heſychio*, qui pro *bellariorum* aliqua ſpecie etiam ſumit; ſed an ille ad hunc uſum ea trahat, non ita in liquido eſt. Iuxta Hebræos cuivis annuatim dimidium ſicli, quod *collybus* ipſis erat, perſolvendum fuit, etiam ipſis pauperibus, qui ex eleemoſynis ſuſtentabantur; adeoque tam procul ipſis aberat, ut vel *uva* vel *nuce*, vel *pomis* hiſce vel illis redimere id pauperes illi potuerint, ut vel veſtem ſuam divendere, vel numulum ab alio emendicare opus habuerint, ne hemi-ſiclum illum non ſolverent. Quin ſi omnino eo carerent, neque ab aliis accipere eum poſſent, non urgebantur, ut aliud quoddam *leve munuſculum* ei ſubſtituerent, ſed vel pignus aut ipſa tunica eis extorquebatur, ut 25. menſis Adar die, vel totus illis

Leuſden. Philolog. Ant. p. 200

Chytræ. in Math. Dieteric. Lexic. N. T. p. 446.

Maimon. ap. Lightf. Heb. 14. pag. 312.

hemi-

hemi-ſiclus remittebatur. Sic enim *Maimonides* de *Trapezitis*, qui in unaquâque civitate die 15 ejuſdem menſis conſidebant, *Pacate* (inquit) *nummum illum exegerunt, a dante receperunt, non dantem autem non compulerunt.* Ne ullâ quidem nummuli illius, in *pomum* vel *uvam* vel *nucem* commutati mentione factâ.

VI. Congregati vero Nundinatores hi erant die præſertim *Vigeſimo quinto* menſis duodecimi, qui *Adar* vocabatur; ut quibus dimidius ſiclus non eſſet ex Dei lege Exod. 30. 13. in promptu, ibi pecuniam invenirent apud *Numularios*, ſive permutatione alterius monetæ, ſive dato pignore; atque ita nulla eſſet in cenſus penſione mora, quin totus Iſrael commemoratâ die uſque ad Paſcha impoſitum ſibi à Deo cenſum penderet. Ex qua pecuniâ comparabantur tum animalia ad ordinarias & publicas victimas & earum libamina; itemque neceſſaria ad panes propoſitionum & ligna pro ſacrificiis, & pro continuo igne alendo. De toto hoc negotio hunc in modum *Hieronymus: Sciendum* (inquit) *quod juxta mandata Legis, anguſtiſſimo in toto Orbe Templo Domini & de cunctis pene regionibus Judæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ, maxime Feſtis diebus, Taurorum, arietum, hircorum; Pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos Columbarum & turturum offerentibus, Accidebat plerumque, ut qui de longe venerant, non haberent victimas, excogitarunt igitur Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erant, ad ſacrificia vendebant, ut & venderent non habentibus, & ipſi rurſum emta ſuſciperent. Hanc vero ſtropham crebra venientium inopia diſſipabat. Poſuerunt itaque & Numularios, qui mutuam ſub cautione pecuniam darent. Sed quia erat Lege præceptum, ut nemo uſuras acciperet, excogitaverunt & aliam technam, ut pro Numulariis Collybiſtas facerent. Igitur quia uſuras accipere non poterant Collybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro uſuris accipiebant varias ſpecies, ut quod in numo non licebat, in his rebus exigerent, quæ numis coëmuntur.* Hieron. loc. cit.

VII. Eratque horum ſedes in *Templo*; quod probè intelligendum. Neque enim quis putet, fuiſſe eos in Templi *adyto*, ſive parte aliquâ ejus interiore: E.G. *Sancto* vel *Sancto Sanctorum*; Patebant enim hæc tantum hominibus ſingulariter ſanctificatis; ſed conſidebant in Templi veſtibulo, quod & στοὰ dicitur Joh. 10. 23. Sive in Atrio quodam, eoque quidem, quod *Gentium* dicebatur, ut jam dictum eſt. Sic enim *Seldenus*, *Locus, in quo* Numulariorum *hujuſmodi ac vendentium & ementium ſe-*

des à Scriptoribus poni, nec immerito, ſolet, ad Montis Templi partem Orientalem, ſeu Atrium Gentium, ſcilicet ad intermuralis partem exteriorem, cujus quidem ſanctitas tametſi diſpar haberetur ſanctitati interiorum Montis Templi partium, ſingularis tamen fuit, & Urbis reliqua ſanctitate multo præſtantior, ipſiuſque Templi ſtructura gratia diligentius tuenda. Quodque in Monte Templi exterius ita erat tamen etiam pro Templo habebatur, in quod & Gentibus aditus licitus erat. Quatuor enim *porticus* habuit *Templum* in circuitu (aliqui *tres* tantum ſtatuunt) & harum ſingulæ, ſecundum legem propriam habuêre cuſtodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienis: mulieres tantum menſtruatæ tranſire prohibebantur, ut *Joſephus* teſtatur.

Althoſ. Harm. Evang. pag. 173.
Joſeph. cont. App. lib. 2.

VIII. Facto itaque flagello de Funiculis, omnes hoſce Templo Christus ejecit. Καὶ ποιήσας φραγέλλιον, dicit noſter *Johannes.* Quidam Codices habent ὡς φραγέλλιον, prout verba etiam vertuntur à Vulgatâ, & *cum feciſſet* quaſi *flagellum.* Sunt, qui hinc extorquent, Chriſtum, *Franciſcanorum* inſtar, gemino fune præcinctum inceſſiſſe, eodemque ſeipſum ſubinde flagellaſſe: ita *Gretzerus* Jeſuita. Sed diſplicet ea opinio *Barradio*, utut etiam Jeſuitæ; qui Heröes ubi in gratiam redierint, noſtrum forſan erit, inſulſum illud commentum operoſius excutere, quâ moleſtiâ jam ſuperſedemus. At *unde hoc Chriſti* φραγέλλιον? Non deſunt, qui Chriſtum proprio ſuo cingulo uſum fuiſſe exiſtimant, ipſumque in formam flagelli id complicuiſſe; ſic *Lyranus* aliique. Sed multo veroſimilius mihi eſt, Salvatorem funiculos hoſce in ipſo Templo reperiſſe, cornibus forſan bovis cujuſdam alligatos vel humi jacentes: vulgari enim Chriſtus utebatur tum veſtitu tum cinctorio, quod in flagellum verti vix poterat.

Zeeman. in Gretz. Triumph. cap. 12.
Barrad. Concord. Euang. tom. 2. *l.* 3. *c.* 8.
Lyran. in h. loc.

IX. *Janſenii* & *Eſtii*, ſecutorum in hoc Cardinalem *Cajetanum*, ſententia eſt, Chriſtum hoc ſuo flagello non *Numularios* & *columbarum*, boum, oviumque *Venditores* ejeciſſe, ſed *animalia* tantum, quæ præſto ibi erant, boves, oves, &c. hoc argumento: quod vendentibus columbas dixerit. Verſ. 16. Ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν, *tollite hinc iſta.* Ergo *vendentes ipſos* (dicunt) non ejecit, ſed *Columbarum caveas* auferri tantum præcepit. *Bene probat* (inquit *Eſtius*, reſpiciens *Janſenii* locum) *non* homines, *ſed* boves & oves *flagello expulſos fuiſſe è Templo a Chriſto.* Neque ab hiſce ex Noſtris abludit Doctiſſ. *D. Momma*, dum ait: *Fecit* flagellum, *non adeo* ut cæde-

Janſen. in loc. cap. 19.
Eſtius in Difficil. Loc. Script. p. 597.
Momm. de Varia Eccleſ. Oeconom. Tom. 2. *pag.* 484.

cæderet homines, *quam bruta illa, boves & oves. Hæc voci illius non aſſueta non exiiſſent, niſi flagello adacta fuiſſent.* Et paulo poſt: *Homines manſuetius tractavit.* Verſ. 16. *Et Columbas vendentibus dixit, Tollite hæc hinc, &c. Videmus non* verberibus *ſed* verbis & rationibus *Dominum coëgiſſe mercatores hoſce ad obſequium.* Verum obſtat notorie textus, ita enim habet: *Invenit in Templo vendentes boves & oves & columbas & Numularios ſedentes, & facto flagello de funiculis,* omnes *ejecit,* πάντας ἐξέβαλε. At quos (quæſo) *omnes*? procul dubio eos, de quibus locutus mox *Johannes* erat, id eſt, *vendentes, ementes,* &c. Et quomodo Græca dictio πάντας, quæ eſt *maſculini* generis, referri poteſt ad vocem τὰ πρόβατα, quæ eſt *neutrius generis*? Fatcor quidem contingere aliquando per Generis enallagen poſſe, ut dictio *maſculina* referatur ad aliam, quæ eſt *neutrius* generis. V. Gr. Matt. 28. 19. Joh. 14. 26. Gal. 3. 16. Sed id tum fere accidere tantum conſtat, cum ratio aliqua ſingularis constructionem iſtiuſmodi anomalam exigit, & *perſonæ aliquæ* deſignantur. *Neutrum genus* (inquit Glaſſius) *quandoque pro Maſculino uſurpatur, quando ſcil. de* perſonâ *ſermo eſt.* At quæ hic extat *neceſſitas* ab ordinario conſtruendi modo recedendi? præterquam quod oves, boves, caveæ, &c. *perſonæ* non ſint, ſed res, quibusvis conſentientibus, omni perſonalitate deſtitutæ. Habent Viri docti procul dubio hanc opinionem ex *Euthymio*, dicente: *Sane oportet quod Chriſtus homines facto flagello* non verberavit, *ſed ipſos quidem exterruit &* expulit, *oves vero & boves* verberavit *& ejecit.* Sed neque (ut liquet) ipſe *Euthymius* perſonarum dictarum *expulſionem* negat, verum exerte eam concedit, ſed per *verberationem* eam factam eſſe tantum inficiatur. Imo quoad *verberationem* ipſam uni *Euthymio* Tres magni nominis Doctores opponi poſſunt, qui plane aliter determinarunt. *Qui Servator* (ait *Auguſtinus*) *flagellandus erat ab eis, prior illos* flagellavit. *Fecit flagellum de reſticulis, & inde indiſciplinatos negotiationem in Templo Dei facientes flagellavit.* Simile habet *Cyrillus*: *Non verbis tantum* (inquit) *moleſte tuliſſe ſe oſtendit, verum etiam* verberibus *tanquam iniquos ſervos, merito cadens è Templo ejecit.* Nec diſſentit *Chryſoſtomus*, dum ait, *non contentus ſolis* verbis *ſed etiam flagello arrepto* eos ejecit. Neque repugnat, quod Columbas vendentibus dixerit: *Tollite hinc iſta.* Poteſt enim id verbis prius præcepiſſe (ut nonnulli volunt) & tamen morantes & tergiverſantes poſtea flagello expuliſſe. Vel dixit id forſan, ut innueret, ſe non eos ſolos, ſed unà cum omni ſuâ ſupellectile & apparatu remotos voluiſſe.

Ambroſ. pag. 174.

Glaſſ. Gram. Sacr. pag. m. 76.

Aug. in Joh. Tr. 10.

Cyrill. in Joh. 2. c. 28 *lib. 2.*

Chryſoſt. in Matt. 21 12.

X. Dubium autem eſt; An *ſemel* tantum, an vero *ſæpius* Jeſus ejectionem hanc inſtituerit? In *poſteriorem* ſententiam Patrum nonnulli aperté conceſſerunt. *Manifeſtum eſt* (inquit *Auguſtinus*) *hoc non* ſemel *ſed* iterum *à Domino eſſe factum, ſed primum commemoratum eſſe a Johanne, ultimum autem a cæteris tribus Euangeliſtis.* Quibus hæc *Chryſoſtomi* conſonant: *Hoc & Johannes ſcribit, & ille quidem in principio Euangelii, & Matthæus ad finem; unde fit veriſimile,* bis *idem eſſe factum, & diverſis occaſionibus, quod apparet ex ipſis temporibus & ipſa ſcriptione.* Ipſa *Chryſoſtomi* verba ſunt: τοῦτο καὶ Ἰωάννης φησίν, ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου, οὗτος δὲ πρὸς τῷ τέλει, ὅθεν εἰκὸς δεύτερον γεγένηται τοῦτο, καὶ κατὰ διαφόρους καιροὺς καὶ δῆλον καὶ ἀπὸ τῶν χρόνων, καὶ ἀπὸ τῆς ἀποκρίσεως. Eodem inclinant *Druſius*, *Voſſius*, *Eſtius*, *Coccejus*, nec non *Grotius*, dum infit: *Videntur Viri eruditi recté colligere, antea quoque rem ſimilem à Chriſto factam, quæ à Joanne narratur, præterita ab aliis ob rei ſimilitudinem.* Imo ſunt, qui non *bis*, tantum ſed *tertiâ* etiam vice ejectionem hanc factam putant; in *Principio* nempe miniſterii Chriſti, circa *Finem*, ipſo die palmarum, & *Poſtridie*. Quod an verum ſit, jam non examino. Apparebit ſaltem, ſi calculum probè ſubducamus, eodem tempore quæ hic narrat *Johannes*, cum iis, quæ *Matthæus*, *Marcus* & *Lucas* referunt, accidere non potuiſſe. Evenit enim *hæc* ejectio Anno, poſt Chriſti Baptiſmum, *ſecundo*, ut ex Hiſtoriæ filo liquet; *ea* vero, de quâ loquuntur reliqui Evangeliſtæ, accidit demum paucis ante crucem diebus, quando celebri pompâ cum ramis & *Oſanna* exceptus à populo eſſet; ſic ut totius fere *triennii* ſpatio à ſe invicem diſtiterint. Accedit, quod diverſâ plane occaſione ejectiones hæ factæ ſint, adeoque eædem eſſe non poſſint; deſcenſus enim Chriſti in Capernaum, quem Johannes hoc Capite deſcribit, factus eſt ex *Canâ*, *priuſquam Johannes Baptiſta* in carcerem eſſet conjectus, ut cap. 3. 24. expreſſe dicitur. Is vero, quem *Matthæus* & *Lucas* habent, factus eſt ex *Nazareth* non *ante* ſed *poſt* dicti *Baptiſtæ* incarcerationem. Verum enim-vero, utcunque diverſæ *Ejectiones* hæ fuerint quoad *temporis occaſioniſque* circumſtantias, quoad reliqua tamen non uſque adeo à ſe invicem diſtant. Eodem enim *loco* proceſſus hic inſtitutus eſt, in *Templo*; contra *ejuſdem generis homines*, Boum, Ovium, Columbarum venditores, Numularios, &c. *eodem fervore* & *zelo*, menſarum ever-

Auguſt. de Conſil. Evang. lib. 2 cap. 67.

Chryſoſt. in Matt. 21. 12.

Druſ. in Marc. 11. 15.

Voſſ. Harm. Evang. lib. 2. cap. 6.

Eſtius in h. loc.

Coccej. in eund.

Grot. in Marc. 11. 15.

everſione; *eâdem* denique *adjectâ increpatione*: Domus mea *domus orationis* vocabitur, *vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum* Matt. 21. 13.

XI. Sed quænam (*dicis*) excogitari ratio poteſt, ob quam Chriſtus tantâ vehementiâ *Nundinatoribus* & *Numulariis* hiſce ſe oppoſuerit? Quid enim abjectius videri poterat, quam ut Servator primum ſibi flagellum aptaret, quod pretio potius emi honorificentius ipſi fuiſſet; deinde, inſtar æditui, *boves* & *oves* Templo exigeret, cum diſcipulis ejus demandandum id potius videretur; præterea quod *Collybiſtarum* & *Numulariorum* menſas evertit, videtur hominis fuiſſe, qui temerè & perturbatè ferebatur potius, quam maturâ deliberatione certoque conſilio. Adde, quod boves oveſque in *Templum* haud inducerentur, niſi ad ſacrificia Deo offerenda, quæ ipſi ſane Deo, ut erat Chriſtus, non uſque adeo ingrata eſſe potuerunt. *Myſtici* aliquid hic ſubfuiſſe cenſet *Hieronymus*, dum ſic loquitur: *Quotidie Jeſus ingreditur Templum Patris, & ejicit omnes tam Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, quam Laicos & univerſam turbam de Eccleſia ſuâ, & unius criminis habet vendentes pariter & ementes. Scriptum eſt enim, gratis accepiſtis, gratis date.* Addit *Chryſoſtomus*: ideo *Nummulariorum menſas evertit, quod ſignificat, quod in Templo Dei non debent eſſe nummi, niſi ſpirituales, qui Dei habent imaginem, non qui portant imaginem terrenam.* Alii ideo dicunt Chriſtum boves, oves, &c. Templo expuliſſe, ut tempus abrogandarum præcipue externarum iſtiuſmodi victimarum jam præ foribus eſſe, ſubindicaret. Sed fruſtra ad ænigmata hæc recurritur, quum ipſe Chriſtus juſtas alleget rationes, ob quas procedere ita viſum ipſi fuit; nempe quia Templum erat *domus Orationis*, Numulariique illi & κερματιςαὶ in *domum mercatus* id ipſum vertebant, imo in *ſpeluncam latronum.* Quæ verba patheti-

Hieron. in Matt. 21. 14.

Chryſoſt. loc. cit. ut & Oper. imperf. hom. 38.

,, ce hunc in modum παραφράζει nominatus *D. Momma*, Co-
,, gitare facile eſt (inquit) quanta colluvies hominum peſſimo-
,, rum cotidie impleverit Templum turpi lucro & quæſtui inhi-
,, antium; Quanta ibi vociferatio ementium & vendentium, quan-
,, tus mugitus boum, balatus ovium, pipitus columbarum;
,, quantæ fraudes ibi fuerint uſurpatæ, tum venden-
,, tium tum ementium, tum argentum commutantium;
,, adeo ut vix precibus & ſanctis meditationibus locus fuerit. Ita
,, vero domus Dei facta eſt domus emporii ſeu mercatus, & do-
,, mus Orationis, deſtinata ad fundendas preces, ſpelunca la-

Momm. Tract. cit. Pag. 483.

Digitized by Google

,, tronum & prædonum, hominum avarorum, quæſtuoſorum,
,, ὑπερβαινόντων, καὶ πλεονεκτούντων ἐν τῷ πράγματι. 1 Theſſ.
,, 4. 6. Ideo non potuit non Chriſtus ægre ferre inſignem hanc
,, confuſionem. Templum erat domus Dei; Deus hactenus il-
,, lud inhabitabat; in illo inveniebatur; erat Typus Chriſti, qui
,, nunc ipſe in Templum extiterat. Joh. 2. 19. unde dicitur היכלו
,, Mal. 3. 3. Ad id venit Dominus, Angelus fœderis, ut id faceret
,, quaſi ſolium ſuum, Jer. 3. ut in illo manifeſtaret gloriam ſuam,
,, & loqueretur verba Dei, qui eloquenda Pater ei dederat. A
,, puero indicavit decere, ſe nullibi magis eſſe, quam in Tem-
,, plo. Anno ætatis 12. inventus eſt ἐν τῷ ἱερῷ adeoque ἐν τοῖς
,, τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Luc. 2. 46. 49. Hic Dominus Templi hic
,, ſe gerit pro Templi Domino. Nolebat tolerare illius profana-
,, tionem. Erat locus is Sanctus. Sancta ibi erant tractanda, non
,, quæſtus, non mercatio. Erat domus Patris ſui, pertinebat
,, ergo ad illum, ut Filium, illius cura. Num dile-
,, ctus Dei in domo Dei fuiſſet & bonis oculis adſpexiſſet & vi-
,, diſſet עשתה המזמתה הרבים. Jer. 11. 15. Igitur hanc
,, ſuam diſplicentiam bono jure potuit oſtendere, & ejicere illos
,, mercatores & quæſtum quærentes, cum nummis, menſis, &
,, pecudibus ſuis, &c.

XII. Ut paucis omnia contraham, proceſſit hoc modo Servator. 1. Quia oſtendere voluit, ſe verum *Templi* Dominum eſſe, imo genuinum ipſiſſimumque ejus antitypum. 2. Quia legitimum *Templi* uſum voluit indicare, quod ſcilicet patere id nundinationibus & venditionibus non oporteret, ſed precibus, in Spiritu & veritate fundendis. 3. Quia Sacerdotum iniquitatem & φιλαργυρίαν perſtringere voluit. Ex hac enim ſolâ orta conſuetudo hæc erat, quod non in alio quocunq; loco oves, boves & columbæ, ſed in ipſo *Templi atrio* divenderentur. 4. Ac ultimo, quia ardentiſſimum ſuum pro cultu vere religioſo zelum ipſiſſimis ſuis hoſtibus manifeſtare voluit; hinc enim dixerat olim per Davidem כי־קנאת ביתך אכלתני *Quia Zelus domus tua exedit me*, Pſ. 69. 10.

XIII. Et ecce hic θεῖον καὶ θαυμαστόν τι: Expellenti Chriſto omnes cedunt, nemo reluctatur, imo ne contra hiſcit quiſquam; Chriſtus homo inermis, ſine authoritate humanâ, ſine ullo ſatelli-

tellitio, in publico loco & Templo quidem, in conſpectu Sacerdotum, quibus maximè exoſus erat, qui ad mortem eum conquiſierant, quorum aucupio & lucro inſtitores *nummularii* ac *argentarii* in Templo ſubſerviebant; homines quoque ipſos lucelli ſui avidos, ſatis multos, honeſtum, ut videbatur, negotiationis ſuæ prætextum habentes, facto ex funiculis flagello percutit, menſas eorum ſubvertit, è Templo ejicit, idque ſine tumultu, citraque, ut dixi, ullam ullius contradictionem, &c. Opus profecto heroicum imo vere Divinum. Sic ut non ſine ratione opinati quidam ſint, inter omnia Chriſti, quæ patravit, miracula, omnium fere hoc excellentiſſimum fuiſſe. Sic enim habet *Origenes*. *Præſens hiſtoria in nullo minorem poteſtatem prætendit his, quæ ab eo miraculoſius edita ſunt, quinimo conſtat hanc majorem demonſtrare potentiam miraculo, quo aqua converſa eſt in vinum, eo quod illic inanimata ſubſtitit materia, hic vero tot millium hominum domantur ingenia.* Quem ſecutus poſtmodum eſt *Hieronymus* hiſce verbis: *Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit Chriſtus, hoc videtur mirabilius eſſe, quod unus homo, & in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur; Scribis & Phariſæis contra ſævientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad unius flagelli verbera, tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & Cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus.*

Origen. in Joh. Tom. 2.

Hieronym. Loc. Cit.

XVI. Juſtis itaque de cauſis fecit Chriſtus, quod fecit; ſed haud ita palam eſt, *qua authoritate* id fecerit. Quanquam enim humani generis & Deus & Rex fuerit, atque ita quidem Univerſi, nedum Judæorum Dominus, ut quidquid ei placeret, illud non licitum ei fuiſſe, nefas ſit putare; privatus tamen, dum hic in terris verſaretur, tantum erat, neque munitus authoritate publicâ; ſic ut ita involare in *nundinatores* publicos, idque in publico loco & apertâ vi, non tantum πολυπραγμοσύνης ſed & tumultus ſeditioniſque ſpeciem habere potuerit. Solvunt communiter Theologi nodum hunc (& optimè quidem) hoc modo: quod Chriſtus impulſu quodam ſingulari adeoque authoritate extraordinariâ in expulſione hac proceſſerit. *Chriſtus extraordinaria authoritate* (verba ſunt Paræi) *tanquam ſummus Templi Dominus & Pontifex profanationem ejus vindicare debuit.* Cui conſonant judicioſiſſimi *Cartwrichti* verba: *Quod autem* (inquit) *videri potuit, Chriſtum in alienam meſſem falcem immiſiſſe, primum ſciendum eſt; Sacerdotum partes fuiſſe, impedimenta & onera in Templum*

Par. in Matt. 21. 22.

Cartwrigt Harm. Euang. p. 136.

Digitized by Google

plum importata amovere, qui tamen ſe civilibus negotiis non immiſcebant, hæc nulla magiſtratus authoritate invecta, ſed tantum cujusvis arbitratu ſuſcepta, ſine Magiſtratus authoritate exturbari potuiſſe. Denique Chriſtum, quod Rex in Eccleſiâ eſſet, ea feciſſe, quæ aliis miniſtris in Eccleſiâ non licet, eoque ipſo, ut ſe hoc jure facere aſſereret, ſuam è mortuis ſuſcitationem allegat. Unde & omnes Interpretes, qui ſic ſentiunt, ſollicite ſemper cavent, ne factum hoc Chriſti in exemplum à quoquam trahatur, applicantes eò Servatoris admonitionem, quam Apoſtolis *Iacobo* & *Iohanni* alibi inſinuavit: *Neſcitis cujus Spiritus ſitis. Luc*, 6. 55.

XV. Aliam tamen viam calcare hic placuit Viro apprime illuſtri *Iohanni Seldeno*, dum ex Jure *Zelotarum* derivare hoc Chriſti factum inſtituit; ſic enim in inſigni Opere *de Iure Naturali & Gentium juxta Diſciplinam Hebræorum* alicubi habet: *Quid obiter facilius, quam adverſus eum pro privato habitum* (*qui* eum & *tunc* quærebant perdere) *ſtatim egiſſe de vi publica ſive ex Iure patrio, ſive ex Romano, niſi id, quod feciſſet, ex Jure patrio, quod tunc temporis haud hac in re Romano ceſſerat, fieri fas fuiſſet. Ideo non iniquum videtur, ut exiſtimemus, fas etiam tunc habitum, Ebræo cuique privato, idque ex recepto, quod diximus,* Zelotarum *Jure. Quod heic adhibitum item eſſe elicere licet ex verbis D. Johannis hac de re: poſtquam eis, quos ejecerat, dixerat Chriſtus,* auferte iſta hinc; & nolite facere Domum Patris mei domum negotiationis, recordati ſunt Diſcipuli ejus, quod ſcriptum eſt, Zelus domus tuæ comedit me. *Perinde* ac τῶν קנאין *ſeu* Zelotarum juris, *moribus patriis ſubnixi, expreſſe illic meminiſſent, & ad Domini factum traxiſſent.* Huc uſque *Seldenus*.

Selden. de Jur. Natur. & Gent. lib. 4. cap. 6.

XVI. Quæ *Viri Celeberrimi* ſententia cum inſolentior eſſe videatur, non abs re erit, ſi in ejus veritatem penitiuſcule inquiramus; ac ſimul paucis ediſſeramus, quid ſtatuendum de *Jure* hoc *Zelotarum* ſit, qualiſve id uſus apud Hebræos olim fuerit. Multa eaque egregia de eo habet ipſiſſimus *D. Seldenus* in *Tractatu* antea citato, quæ κατ' ἐπιτομὴν videri poſſunt apud Clariſſ. *D. Hoornbekium Theol. Practic. part. 2. cap. 10. de Zelo.* Qui etiam, pro candore ſuo, ingenue ibi fatetur, ſe, quæ habet, ex dicto *D. Seldeno* depromſiſſe.

Hoornb. Th. part. Tom. 2. c. 10 p. 122. 123.

XVII. *Zelotarum* itaque *Jus* משפט קנאין *Judicium Zeli* aliter dicitur, nomenclaturâ ejus deſumptâ e verbis Dei de *Phineaſo* Num. 25. 11. בקנאו את־קנאתי בתוכם Quia *zelaretur Zelum meum inter eos.* Quo etiam *Simonis* Apoſtoli nomen, qui Matt. 10. 4.

Cana-

Cananites, Lucæ vero 6. cap. v. 15. *Zelotes* dicitur, referendum. Hallucinantur enim illi, ac inter illos *Hieronymus*, qui derivatum nomen id volunt ab oppido *Cana*, de quo Joſ. 19. 28. unde oriundum Apoſtolum hunc putant *Beda & Nicephorus* ideoque non *Simonem* καvvαῖον ſed *Simonem Cananeum* legendum eſſe putant. Nicephori ſunt: *Operæ pretium etiam fuerit*, Simonem Canâ Gallileæ ortum, *qui propter flagrantem in Magiſtrum ſuum ardorem, ſummumque Evangelicæ rei per omnia curam Zelotes cognominatus eſt, hic referre*; adeoque per alluſionem tantum eum Ζηλωτὴν à Luca dictum eſſe: quum conſtet, optime καναναῖος vel potius, ut, alia exemplaria habent, καvvαῖος derivari poſſe à voce קנאה *Zelus*, unde fit קנא & קנאי *Zelotes*. Καvvανίτης *non originem ſignificat* (inquit *Grotius*) *quomodo Urias Chittæus dicitur, ſed eſt cognomen Hebræum* קנא, *quod Lucas propriè reddit* Ζηλωτὴς, *quomodo & LXX. reddiderunt. Exod.* 20. 5. *& alibi.* imò non deſunt, qui eundem hunc *Simonem* è *Zelotarum* ſectâ quondam fuiſſe exiſtimant, nempe ante converſionem ſuam, prout Matthæus, ejus frater *Publicanus* antea fuerat, atque inde ſibi nomen hoc *Zelotæ* retinuiſſe; ſicut etiam, juxta nonnullos, *Simon leproſus*, de quo Matth. 26. 6. id nominis ſemper reſervavit, eo quod antea ipſâ *leprâ* laboraſſet. Ita *Scaliger Fuerunt & alii* Ζηλωταὶ *ſive* Kananæi, *corpus devotum*, σύςημα θεοσεβὲς, ϗ τάγμα εὐλαβὲς, *Sanctimoniæ vitæ, ac obſervationi legis deditum, ex quo ad Chriſti diſcipulatum tranſiit* Simon Kannæus. *Matt.* 10. 4.

Hieron. in Luc. 6. 15. — *Niceph. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 40.* — *Grot. in Matt. 10. 4.* — *Scalig. Elench. Trihæreſ. cap. 1*

XVIII. *Mentio* ſubinde hujus Juris *fit tum* apud *Talmudiſtas* tum *alibi*. Sic enim inter alia *Sanhedrin* ex verſione *Coccej, ſiquis ex Sacra ſupellectile quid furetur, maledicat per Idolum, concumbat cum paganâ.* Zelotæ (erant hi inter Hebræos, qui *Ius* hoc præcipuè prætexebant, juxtaque illud procedebant, ut mox patebit) *incurrunt in eum.* Item *Gemara Sanhedrin. Qui miſcetur cum Gentili, in eum* Zelotæ *incurrunt.* Meminit etiam ejus *Grotius* in libris de *Belli* & *Pacis Jure. Hebræorum moribus* (inquit) *Hebræus à Dei lege deficiens, aut ducem ſe ad falſos cultus præbens, ilico a quovis homine poterat interfici.* Judicium Zeli *id vocant Hebræi, quod à Phinea primum exercitum ajunt, & inde abiiſſe in morem. Sic Judæum quendam, Græcis ſe ritibus polluentem, occidit Matthatias. Sic trecenti alii Judæi a popularibus ſuis occiſi referuntur, libro, qui vulgo dicitur Machabæorum tertio. Nec alio obtentu inſtituta lapidatio in Stephanum, & conjuratio in*

Sanhedr. cap. 9. § 6. — *Gemar. Sanh. c. 9. § 2.* — *Grot. de Iur. Bel. & P. lib. 2. c. 20.*

Digitized by Google

Joſephus de Bell. Judaic. l. 4. c. 7. & l. 7. c. 30.
Coccej. *Sanhed. in not. ad cap. 9.*
Bertram. de Rep. Heb. cap. 19.
l'Empereur. … not. ad Bertr. de Rep. Hebr.

Paulum. De *Zelotis* inter alia hæc habet *Joſephus*, quod ſe (ut ut ſummis ſceleribus pollutos) *ſic nominarint, ac ſi optimis rebus ſtuduiſſent, & non peſſima facinora, uſque ad nequitiæ ſummum, Zelo affectaſſent.* Et alio loco: *Nomen ſibi ab iis, qui id quod bonum eſt, Zelo affectabant, impoſuère.* Quo & digitum intendiſſe videtur *D. Coccejus*, dum ait, *Quanta ſcelera hujus tituli obtentu patraverint nefarii homines Hieroſolymis, docet Joſephus in libris* ἁλώσεως. Quartam veluti Judæorum Sectam *Zelotas* hos fecit *Bertramus*, ſic de iis pronuncians: *Hæc vero* Secta *omnium ſuperiorum Judæis ipſis omnibus uedum authoribus & aſſeclis perniciosiſſima fuit, ut quæ Judæorum omnium excidium totiuſque Reip. Judaicæ proſtrationem non modò acceleravit, ſed & eam tam miſeram & calamitoſam effecerit.* l'Empereurius ad *Phariſæos* eos retulit.

Druſ. in Matt. 10. 4.
Selden. Tr. cit lib. 4. … 4. 5.

XIX. *Druſio* iidem ſunt cum veteribus *Eſſæis*. Hi enim (dicit) *id eſt*, Zelotæ *alio nomine* Eſſæi *dicebantur, & a quibuſdam ſicarii*. Cui & conſentit *Seldenus*, qui invicto argumento ſe aſſeruiſſe id putat: Poſtquam enim allegaſſet ex *Joſepho*, Eſſæos ſummâ in veneratione Moſem habuiſſe, idque eo uſque quidem, ut qui eum blaſphemaſſet morte punirent, ſic pergit: *Si de judicio forenſi rem capias, undenam apud Sectam banc imperium ejuſmodi aut juriſdictio? niſi de* Zelotarum *jure fuerit intelligendum, quomodo impune conviciantem quempiam Moſem, adeoque legis ſanctitatem polluentem ſic ii punire poſſent?* Sed (ut quod res eſt dicam) ne ullum quidem Scriptorem de *Eſſæorum* moribus & diſciplinâ agentem, videre mihi hactenus contigit, qui eos cum *Zelotis* paria facere aſſeruerit. Neque dicit etiam *Ioſephus*, incurriſſe mox Eſſæos in illos, quos ἐπ' αὐτοφώρῳ in *crimine* aliquo deprehendebant, quod *Zelotarum* tamen fuit; ſed quod Moſis ille calumniator *morte puniretur*, ſive *damnaretur*, ut habet *Interpret.* At vero, ſi *proprie* phraſin illam accipias, *morte* nemo *damnatur*, niſi judicio quodam præeunte, quod alienum tamen fuit à *Zelotarum* moribus & *jure*, quippe cujus exercitium nullum judicium publicum præcedebat. Porrò quidni illud *morte* puniri vel *damnari* intelligas de remotione iſtiuſmodi criminatoris e ſocietate & contubernio gregis ſui? prout idem *Ioſephus* de iis, quos dicto *loco* deſignat, dicit, *quod ſi qui in peccatis deprehenduntur eos* ἐκβάλλουσι τοῦ τάγματος, id eſt, *ejiciunt congregatione ſuâ, quam* (ut *Ioſephus* addit) *mors miſerabilis plerumque exoſpiebat.* Ὁ δὲ ἐκκριθεὶς, οἰκτίστῳ πολλάκις μόρῳ, διαφθείρεται, *Qui taliter fuerit*

Joſeph. de Bell. Iud. lib. 2. cap. 7. p. 786.
Scultet. Exercit. Euang. lib. 1. c. 31.
Goodw. Moſes. & Aar. lib. 1. cap. 12.

rit condemnatus miſerabili plerumque morte conſumitur, Adeo ut peccatores iſtiuſmodi non ita publico judicio morti darentur, vel in flagranti delicto deprehenſi à privatis interficerentur, quam alio qualicunque modo ſenſim interirent; idque capitalis pœnæ loco ipſis fuerit. Cenſendus etiam ille quadantenus eſt *morte* aliquem *punire*, qui tale quid facit, ex quo mortem ejus conſequi neceſſe eſt; at ſequebatur *hæc* fere ex *peccatoris e congregatione ſuâ ejectione*, ut mox ex *Ioſepho* audivimus. Ne addam, *morte damnari & puniri* illum etiam dici poſſe, in quem à Collegio aliquo ſententia mortis pronunciata eſt, utcunque ſententiam illam exequendi neque poteſtatem neque voluntatem habeat; ut in condemnatione Chriſti per Concilium *Iudeorum* manifeſtum eſt. Παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες ἡμῶν εἰς κρίμα θανάτου, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν. *Tradiderunt eum Summi Sacerdotes Principes noſtri* in damnationem mortis & crucifixerunt *eum*, inquiebant Emauntici. Luc. 24. 20. Dicuntur Sacerdotes & Principes non tantum Ieſum tradidiſſe in *dammationem mortis*, ſed & eum *crucifixiſſe*, quaſi ipſam mortis pœnam actu ipſi irrogaſſent; quum tamen, ut conſtat, *morte* tantum *dignum* eum pronunciaverint, &, ut crucifigeretur, à Pilato efflagitaverint, quod ipſi *punitionis* ejus domini non eſſent. Quinimo, ſenſu ſæpe laxiori, omnes illi *morte damnati* dicuntur, qui a qualicunque proximo, etiam privato, rei ejus æſtimantur, licet à nemine quidem violentæ ipſis injiciantur manus. Nititur denique tota hæc *Seldeni* argumentatio unius *Ioſephi* authoritate, præter quem neminem teſtem hic laudat. At mirari ſubit, cur ſe illius jam Scriptoris teſtimonio tam ſecure committat Vir Magnus, quem alias lubricæ ſatis fidei eſſe αὐτοῖς ῥήμασι pronunciavit. *Flavii Joſephi ſubleſta fides in rebus judaicis*, habet in Indiculo Libris *de Succeſſionibus* ſubjecto. Et plenius in ipſo Tractatu: *Sed vero & advertendum eſt, Flav. Ioſephum in eis, quæ ad leges Gentis ſuæ civiles atque res forenſes attinent, à receptiſſimis Talmudicorum ſententiis aliquot in locis nimium diſcrepare; utcunque ipſe ſe venditet ſub fine libri vigeſimi, ut* κατὰ τὴν ἐπιχώριον παιδείαν διαφέροντα, patrias diſciplinas egregie callentem; *& in vita ſua ſcribat, à Pontificibus & Urbis primoribus ſe conſuli ſolitum, etiam dum quartum decimum ætatis annum tantum ageret* ὑπὲρ τοῦ παρ' ἑαυτοῦ περὶ τῶν νομίμων ἀκριβέστερόν τι γνῶναι, *ut ab eo penitiorem Legum ſenſum ediſcerent.* Quid de fide nominatiſſimi illius Hiſtorici ſit, ego non de-

Selden. de Succeſſ. l. 1. cap. 15.

determino; ſcio in diverſa hic ire Eruditorum ſuffragia. Honorificentiſſime, inter multos, de eo teſtatur Doctiſſimus D. Caſaubonus, *accuratæ diligentiæ Virum*, *cujus amor veri* & *fides conſtantiſſima ſit*, eum indigitans; licet & alibi *erraſſe* ipſum & quidem *graviter*, in Hiſtoriâ Herodis Antipæ, non diſſimulet. Adduco hæc tantum *ad hominem* contra *Seldeni* argumentum, quo *Eſſæos* eoſdem cum *Zelotis* eſſe, evincere conatus eſt, eumque in finem *Joſephum* ad partes vocavit. Sed ad rem.

Caſaub. c. Baron. Exerc. 1. p. 252. & 30. item Exerc. XIII. pag. 282.

XX. Habebant Hebræi pœnas capitales *duplicis* generis, *publicas* aliquas, *privatas* alias. Ad *publicas* referebant *Lapidationem*, *Uſtionem*, *Decollationem*. *Privatæ* variæ erant; *Furis nocturni* occiſio; Homicidæ, extra *azyli* locum inventi, trucidatio per ſanguinis vindicem, id eſt, occiſi hæredem proximum. Num. 35. 19. Fœtus in ipſo utero extinctio ad ob matris ſalutem: quæ tamen calamitatis magis, quam pœnæ rationem habere potuit; tutela ſive neceſſaria defenſio tum ſui ipſius, *moderamen inculpatæ tutelæ* nobis dicta, tum aliorum, de quâ ſic Doctiſſ. Marshamus: *Non ſtabis adverſus ſanguinem proximi tui.* Id eſt, Non ſtabis otioſus, quando mortis periculum congeneri tuo imminet. Vis aggreſſoris occidendi animo, etiam pæderaſtis, adulteri, inceſtuoſi, vitæ jacturâ impedienda eſt, ne peccent: Sceleſta hujuſmodi vis vi privatâ punienda; ſi fieri poſſit, verbere, aut membri mutilatione; ſin verò non, etiam occiſione. Si Iſraelita Iſraelitam, vel ejus bona, in Gentilium poteſtatem tradiderit, fas erit illum occidere, ne tradat alios; aut ipſum in poteſtatem Gentilium tradere. Iſraelitam *Prævaricatorem* (id eſt, Idola colentem, vel in contemptum Numinis peccantem) uti & *Epicureum* (id eſt, Apoſtatam, Legem & Prophetias abnegantem) in publico trucidare gladio fas erat Iſraelitæ cuiquam, etiam dolo: *Proximi* enim nomen ex prævaricatione & apoſtaſiâ deſiit. Gentilem idololatram, in ſui exitium, dolo circumvenire non licuit: neque tamen morte imminenti, cùm non ſit proximus, liberare eum Lex juſſit. Tandem *Juris* hujus *Zelotarum* exercitium juxta quod privatum quenquam, etiam ad ipſam trucidationem uſque, procedere permittebant, cum in ipſo criminis actu quiſpiam deprehenderetur. Deſcribit id ipſum laudatus modo *Seldenus* hunc in modum: *Supplicium* (inquit) *item capitale* בשעת מעשה; *id eſt, in ipſo, dum committebatur facinus, momento, ſeu homini* ἐπαυτοφόρῳ *deprehenſo* à Zelotis, *id eſt, privatis, Zelo ductis, infligi permittebant, quoties ſanctitatem ſive Numi-*

Marsham. Can. Chron. pag. 167.

Numinis ſive Templi ſive Gentis, *Ebræus aut circumciſus alius*, *ſeu in Judaiſmum cooptatus*, *ita violaret*, *ut palam ac in publico eam ſive denegare*, *ſive ſpernere ſpeciebus aliquot factis* atrocioribus *videretur*.

XXI. Probatur vero hoc *jus* nullo Sacræ Scripturæ præcepto. Dicunt enim ipſi Hebræi, non ad legem *Scriptam* ſed *Oralem*, in monte Sinai à *Moſe* acceptam, referendum id eſſe; unde & *Traditio Moſis è Sinai* ipſis nuncupatur. Adeoque qui aſſertum illud volunt, *exemplis* tantum nonnullis exercitum id olim fuiſſe demonſtrant, ac imprimis quidem *Phineaſi*. Num. 25. 8. qui, utcunque privatus, haſtâ tamen, Zelo accenſus, trajecit *Zimri*, Principem tribus Simeonis, & *Cozbi* paganam, filiam *Zur*, Principis Midianitarum, in ſtupro palam deprehenſos; eoque nomine non tantum laudatus fuit à Domino, ſed etiam ſacerdotio & pace coronatus. Cui & alia quædam e N. T. Doctores quidam Chriſtiani ſuperaddunt, ut alapam Chriſto, à Pontificis famulo impactam; Ejuſdem crudelem & ignominioſam à Judæis, *tum* per ſupra *tum* per colaphos exceptionem, ſimulac mortis in ipſum ſententia decreta eſſet; *Stephani* Protomartyris lapidationem; conjurationem quadraginta virorum in necem *Pauli*; & denique hoc ipſum Chriſti, ut dictum eſt, *Nundinatores* & *Numularios* &c. e Templo exturbantur, inſtitutum. *Joh.* 18. 22. *Act.* 7. 78. *Act.* 23. 12. Matt. 27. 66. 67. 69.

XXII. Interim ſi *Jure* hoc quiſquam, juxta *Hebræos*, legitimè uteretur, varia concurrere neceſſe erat. Exerceri enim id debebat. 1. Non niſi *ab homine Hebræo*, adeoque non à *Gentilium* aliquo, qualiſcunque is eſſet; ad quos quippe, ut extra familiam Dei conſtitutos, *jus* hoc non pertinebat. Neque enim *oralis* lex, quam Deus (ut ſomniant Judæi) è monte Sinai pronunciarat, & ex quâ Jus hoc derivare ſolent, Ethnicis data erat, ſed ſolis Iſraelitis. 2. Non niſi *contra* hominem *Hebræum* aut circumciſum alium, ſive in Judaiſmum cooptatum, niſi forſan cum in eodem crimine cum Iudæo vel Judæâ homo Gentilis concurreret; quod in *facto Phineaſi* palam, eſt, (ſi ad *Juris* hujus exercitium referendum) qui perforavit non tantum *Zimri*, Principem Tribus Simeonis, ac per conſequens *Hebræum*, ſed & *Cozbi*, filiam *Gentilem*. 3. Non niſi in hominem *in flagranti delicto deprehenſum*, nam, ſi mora aliqua interveniret, occidendus non erat peccator, niſi forenſi judicio intercedente. Ita *Coccejus*: Zelotæ incurrunt adimunt, quod tamen oportet fieri *ipſo facto*. Quibus verbis hæc ex *Talmudicis* ſubnectit: Zelotarum autem hoc jus eſt: *ſi quis* Ze- *Coccej. Exc. ex Sanhedr. cap. 9. not. 10.*

Digitized by Google

lotes *veniat conſilium expetiturus, nemo ipſi impertit. Atque etiam, ſi Zimri diſceſſiſſet, & tum demum interfeciſſet Phineas, interficiendus ipſe fuiſſet. Aut ſi converſus Phinhaſum occidiſſet, vel occidere occupaſſet, Iudicium capitis ei ſubeundum non fuiſſet. Nam iſte ipſius imminebat cervicibus.* 4. Non niſi *tentatâ* prius *delinquentis in crimine ſuo pertinaciâ*; per admonitionem nempe, verbera & vulnera: quibus mediis cohiberi prius factum debebat, antequam ad trucidandum procederetur; at ſi res doceret, fruſtra illa omnia eſſe, permittebatur perſeverantem in flagitio e medio tollere. 5. Non niſi *decem teſtibus præſentibus*, iiſque quidem *Iſraelitis*: ne ſcilicet hujus Juris prætextu propriam quis in fratres vindictam expleret. Crimen ergo non ipſi *Zelotæ* tantum certo conſtare debebat, ſed etiam ita aliis cognitum eſſe, ut, neceſſitate exigente, coram Judicibus doceri poſſet id reverâ accidiſſe; quin & *Zelotam* eo ordine in delinquentis occiſione proceſſiſſe, qui obſervandus neceſſario erat, id eſt, à monitione ad verbera, inde ad vulnera, & tum demum ad occiſionem. 6. Non niſi ob *enorme* & grande aliquod *crimen*; ob leviculam enim prævaricationem, etiam fer ventiſſimi zeli obtentu, ultricibus armis in quenquam incurrere non ſinebant. Sic enim habet in verbis ſupra allegatis *D. Seldenus*: ut *palam in publico eam* (Sanctitatem ſcilicet Templi, Numinis & Gentis) *ſive denegare ſive ſpernere ſpeciebus aliquot facti* atrocioribus *videretur*. Erat ergo delictum *generale* à Zelotis vindicandum *violatio ſanctitatis* Numinis, Templi, & Gentis. Quo hæc *ſpecialia* tum referebant, non quidem ſinguli ſingula, ſed hi illa, alii vero alia.

Ipſa verba habentur in Gemara Sanhedr. cap 9. §. 6.

Matth. 27. 66. 67. 68.

XXIII. Primo *Blaſphemiam in Deum*. Huc enim quidam factum eorum qui Judicio, in quo Chriſtus *Blaſphemiæ* reus peragebatur, adſtabant, in eumque, mox a pronunciatâ ſententiâ mortis, ſputo, colaphis, verberibus involabant, reduxerunt; prout extra controverſiam etiam eſt, ſi crimine ullo, per excellentiam Templi, Numinis, Gentis ſanctitatem, *blaſphemiâ* violari. Secundo *Maledictionem Numinis per Idolum*. Unde ita *Sanhedrin*: *ſi quis ex ſacra ſupellectile aliquid furetur* & maledicat per Idolum *in eum Zelotæ incurrunt*; hac, ut ad verba illa annotavit laudatus modo *Coccejus*, formulâ: יכה קם אתסקוסכו id eſt, *πλῆξαι τὸ μαντικὸν τοῦτο εἴδωλον ἢ τὸ μάντευμα αὐτῷ ὑπαγορεύοντα. Putat* (addit idem Vir Celebris) *maledicens Deum verum eſſe oraculi authorem, atque eum poſſe à ſimulachro vel dæmone lædi.* ולמקנו יכהו קוכם לו ולקונו id eſt, *percutiat idolum iſtud & Do-*

Coccej. Excerpt. e Sanhedr. c. 9. §. 6.

Digitized by Google

& Dominum ejus, & qui ipſa bona ſua poſſidenda tribuit, qui ſane Deus eſt. Tertio *Apoſtaſiam*, qui enim eò prolabebatur, dicebatur *renunciare fundamento*, id eſt, ipſius *Dei veritatem* & *ſanctitatem* apertè negare, Legemque tum oralem tum ſcriptam plane deſerere. Quarto *Sacrilegium*: Sic *Sanhedrin loc.* cit. *Si quis ex* ſacrâ ſupellectile *aliquid furetur, Zelotæ incurrunt in eum*: ita enim *Templi* ſanctitas profanabatur, quod peccatum quanti Hebræis fuerit, nemini non conſtat. Quinto *Peccatum contra naturam*: Sic *Philo* de pæderaſte & androgyno τὰ φύσεως νόμιμα παραχόπτοντι, id eſt, *ſexus adulterante, Legem jubere dicit, eum impune occidi debere, nec diem aliquam aut horam vivere, permittendum, utpote & ſui & familiæ & Patriæ dedecus, adeoque totius humani generis.* Sexto *Seductionem alterius ad idololatriam*. Ita rurſus *Philo* de tali, qui eò aliquèm pellexerat: *Necandum eum eſſe veluti Hoſtem publicum, ſine reſpectu privatæ neceſſitudinis. Et illecebræ ejus emittendæ ſunt ad omnes pietatis amatores, qui abſque mora in ſceleſtum irruant, rati ſanctitatis officium eſſe talem hominem occidere*: Κρίνοντες εὐαγὲς τὸ κατ' αὐτοῦ φονεύειν. Septimo *Coitum cum muliere paganâ*. Sic *Gemar Sanhedrin*: *Qui miſcetur cum fœmina Gentili, ſive*, ut alibi habetur, *Aramæa*, in *eum incurrunt* Zelotæ. Ita enim *ſanctitatem Gentis* violari exiſtimabant. Per *mulierem paganam* autem non intelligebant qualemcunque Gentilem fœminam, ſed talem tantum, quæ aut proſelyta domicilii ipſa nondum facta, aut proſelyti ejuſmodi filia non eſſet. *Nam* (ut inquit *Seldenus*) *Stuprum Iſraelitæ in hujuſmodi proſelytâ ſive liberâ ſive ancillâ (tametſi manſerit plane Gentilis) verberibus tantum in foro ex Veterum traditione puniebant*, &c. *Octavo* Sacerdotum *immunditiem in* obeundis ſacris: *Siquis enim Sacerdos in impuritate ſuâ ſacra obierit, non fratres ejus eum in judicium adducunt, ſed juvenes ſacerdotes* (id eſt, quorum barba incipit efflorеſcere, ſive, ut alii, qui per ætatem nondum miniſterio pares ſunt, *extra atrium protracti cerebrum fuſtibus elidebant*, ut habet *Sanhedr.* cap. cit. *Nono*; juxta nonnullos *Calumniam* in *Moſem*, ſervum Dei. Ita *Ioſephus* in *Eſſenorum* diſciplina (quos, ut dictum pro iiſdem aliqui cum *Zelotis* habent) σέβας μέγιστον παρ' αὐτοῖς μετὰ τὸν θεὸν τὸ ὄνομα τοῦ Νομοθέτου κἂν βλασφημήσῃ τις εἰς τοῦτον κολάζεσθαι θανάτῳ. Hoc eſt, *ſummâ in veneratione apud eos habetur poſt Deum ipſius Legis-Latoris* (Moſis) *nomen, adeo ut ſiquis in eum calumniam effutiret ſeu blaſphemaret,*

Philo de 6. & 7. Peccat.

Idem libr. περὶ θυτῶν.

Ioſeph. de Bell. Iudaic. lib. 2. cap. 12.

maret, *morte puniretur.* Oſtendi ſupra, perquam dubium eſſe, an *Eſſeni* cum *Zelotis* iidem ſint; dum tamen non deſunt, qui ſic ſentiunt, refero hic tantum, quid ex eorum hypotheſi inter *Iuris* hujus exercendi cauſas habitum etiam fuerit. Ex dictis liquet quam male ad *Iuris* hujus exercitium quoque referantur *tum* colaphus a Pontificis famulo Chriſto impactus, *tum* Stephani Lapidatio, *tum* ejuſdem ſervatoris ignominioſa & doloroſa tractatis, cum jam a Concilio Sanguinario *Blaſphemiæ* reus declaratus eſſat. Ubi enim hic ulla admonitio præcedanea *Stephani & Chriſti* antequam cædes & verbera adhiberentur? quam tamen ex Gentis inſtituto & more neceſſario ha adhibendam fuiſſe, ſupra oſtendimus. Et an *Chriſti* ratione Judicium aliquod *publicum* hic non præceſſit? quod tamen in *Iuris* hujus executione, juxta communem ſententiam locum non habebat. Vide quæ alibi hac de re obſervavimus.

XXV. Atque hâc quidem ratione, *Zelotarum Ius* ſe olim habuit. Adeoque non jam quærendum videtur, an Hebræi, juxta Patrum ſuorum παραδόσεις, eodem uſi nonnunquam fuerint? contra Solem enim loqueretur, qui inficias id iret. Ne enim de multis aliis; quorum meminit *Ioſephus*, quid dicam, refertur huc imprimis *Mattathiæ*, filii *Iohannis*, filii *Simeonis*, Sacerdotis factum, de quo ſic loquitur Scriptor primi libri *Machabæor.* Προσήλθεν ἀνὴρ Ἰουδαῖος ἐν ὀφθαλμοῖς πάντων θυσιάσαι ἐπὶ τοῦ βωμοῦ ἐν Μωδεῒν κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως. Καὶ εἶδε Ματταθίας καὶ ἐζήλωσε, καὶ ἐτρόμησαν οἱ νεφροὶ αὐτοῦ, καὶ ἀνήνεγκε θυμὸν κατὰ τὸ κρίμα καὶ δραμὼν ἔσφαξεν αὐτὸν ἐπὶ τὸν βωμόν. Καὶ τὸν ἄνδρα τοῦ βασιλέως τὸν ἀναγκάζοντα θύειν ἀπέκτεινεν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, καὶ τὸν βωμὸν καθεῖλε. Καὶ ἐζήλωσε τῷ νόμῳ, καθὼς ἐποίησε Φινεὲς τῷ Ζαμβρὶ υἱῷ Σαλώμ. Καὶ ἀνέκραξε Ματταθίας ἐν τῇ πόλει φωνῇ μεγάλῃ λέγων, πᾶς ὁ ζηλῶν τῷ νόμῳ καὶ ἱστῶν διαθήκην, ἐξελθέτω ὀπίσω μου. *Acceſſit* Vir Judæus *in conſpectu omnium: ut ſuper aram* (*quæ Modini erat conſtituta*) *juxta regium edictum ſacrificaret. Quem conſpicatus* Mattathias, *tanta indignatione eſt commotus, ut nervis contremuerit, & quodam animi tremore exarſerit*, judicio *ſtudioque* legis *permotus*, *atque irruens illum ſuper aram interfecit. Eodemque tempore præfectum Regis*, *homines cogentem ad ſacrificandum*, *interemit*, *aram etiam dejecit.* *Et* zelatus eſt legem *ſicut fecit* Phinees *Zamri filio Salomi.* *Et ex-*

Ioſeph. de Bell. Judaic. lib. 5. cap. 8.
Mach. 1. cap. 2. verſ. 23.

Digitized by Google

exclamavit Mattathias *voce magnâ in Civitate, dicens: omnis qui zelum habet* Legis, *ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me.* Verum expendendum eſt potius, an *Jus* hoc revera quidem jus, id eſt, juſtum æquumque fuerit, adeo ut juxta illud ſine Dei offenſâ peccatoque procedere Iſraëlitæ olim potuerint? Ut etiam an omnia ad *jus* illud referri quidem poſſint, quæ ab aliquibus reduci eo ſupra obſervavimus? Cl. *Seldenus* non tantum multa, eaque vere aurea, de hoc *Jure* habet, ſed id ipſum etiam legitime, juſteque, citraque peccatum à piis ſanctiſque uſurpatum olim fuiſſe apertiſſime defendit. Verba ejus ſunt: *Neque novum eſt, nefarios homines, patrii juris obtentu, qualecunque id fuerit, flagitia ſua obtegere, ut cœleſti illi, hujus juris* Zelotarum *obtentu fecêre* (reſpicit immania ſcelera, quæ obtento hoc nomine Hieroſolymis quondam pullularunt) *Quo tamen dum* pii *atque* ſancti *utebantur, privati quidem ipſi, ſed publicâ nixi authoritate, atque moribus è majorum diſciplinâ receptis* (NB) bene conſultum eſt & *Numinis & Templi & Gentis ſanctitati, quam tueri volebant, atque inviolatam ſervare.* Accedere *Seldeno* videtur alius quis Præſtantiſſimus Theologus, qui cum *moderamine inculpatæ tutelæ* & lege de *nocturno fure occidendo* jus hoc comparavit. Ecce verba ejus: *Similis fuit ratio illius, qui vindex extitit ſanguinis, atque eorum, quibus permittitur* furem nocturnum *ædes invaſurum ab ædium Domino vel cuſtode occidi, quemadmodum etiam ex lege* XII. *Tabularum & Platonis talis impune occidebatur. Ubi quis furem non protractum ad judicium occidit, privatus dici non poteſt, quia publicâ authoritate munitus id fecit. Sic Deus præcepit Levit.* XIX. 26. Non ſtabis adverſus ſanguinem proximi tui. *Quo præcepto Hebræi ſanctitum volunt, ut proximus liberetur ex manu aggreſſoris etiam cum periculo mortis ejus. Et* eodem *pertinent jura* Inculpatæ tutelæ & Zelotarum, *quo poſteriore deprehenſi in criminibus quibuſdam atrocioribus à quolibet impune verberabantur vel occidebantur.* Gloſſa etiam in *Sanhedr.* fol. 81, 2. exerte de *Zelotis* pronunciat, quod *viri fuerint* probi, *qui Zelo* in cauſâ Dei *afficiebantur.* Aſt diſſentit ab his Clariſſ. *D. Hoornbekius*, dum dicit: *Verum non bene, meo judicio, Judæi ex factis ſingularibus, quale Phineæſi illud fuit, jus ſibi condiderunt, idque ſtatim ad alios extenderunt, quum illud ſingulare fuerit, non ex aliquo communi jure ortum, vel illud conſtituens, ſed peculiari ductu & incitatione Sp. S. patratum.* Cui quidem *Magni Viri* ſententiæ fateor me calculum meum adjicere.

Selden. Ibid. cap. 4. ſ.

Hodeg. ger. Hiſt. Patriarch. p. 1. pag. 613.

Hoornb. Tract. citat.

Lichtfoot in Joh. 16. 7.

Digitized by Google

XXV. Quod ſi enim *Zelotarum* hoc *jus* æquum legitimumque ſtatuatur, utique vel ad Jus divinum, vel ad naturale, vel ad Gentium erit referendum. Sed referri non poteſt ad jus *Divinum*; revelatum enim eſſe id oportet in S. Scripturâ; at, ne ipſis quidem Hebræis fatentibus, derivari hoc inde poteſt, ſed ex lege *orali* e Monte Sinai exhibitâ, quæ, juxta Chriſtianos ſaltem, merum cerebri figmentum eſt, ut jam dudum contra Iudæos evicit laudatus modo *Hoornbekius*. Ut neque ad *jus Gentium*; ſollicite enim Hebræi ad ſuam tantum Gentem id reſtrinxerunt, neque exerceri permiſerunt, niſi ab Hebræo in Hebræum, ut mox monuimus. Neque ullo modo etiam ad *jus Naturæ*; id enim *natura* omnes homines docuit, adeoque non Genti alicui vel homini peculiare, ſed omnibus hominibus commune eſſe oportet; at quis de *Zelotarum Iure* hoc aſſeruerit? Imo ſi *juris naturalis* fuerit, cur ergo jam peræque inter nos non viget, quam olim viguit (ut Opponentes volunt) in V. Teſtamento? Neque dicendum eſt, ad jus quoddam Provinciale, Reipub. Iſraeliticæ proprium, reduci id poſſe; quum quæſtio non ſit, an talis quædam ſanctio vel conſuetudo inter Judæos olim fuerit, quæ *juris* hujus nomine veniebat, ſed, ut ante monitum, an *æqua* & *juſta* illa fuerit (nam *jus* hic ſumimus pro eo quod *juſtum eſt*) atque hoc eſt quod concedere non poſſumus. Sanctio enim iſtiuſmodi juſta & æqua jus ſaltem aliquod Dei *permiſſivum* præſupponere debuit, juxta quod Poteſtati publicæ authoritas vel tacitè, vel expreſſe delata eſt, conſtitutionem talem ordinandi & introducendi: verum id hic locum habere non liquet. Imovero Deus præcepto ſuo, *de non occidendo*, conſtitutionem talem inviſam ſibi eſſe, manifeſte ſatis declaravit. Quin ipſos Judæos audi, qui ſic apud Joſephum: Παραβὰς τὸν ἡμέτερον νόμον, ὃς κεκώλυκεν ἄνθρωπον ἀναιρεῖν καὶ πονηρὸν ὄντα, εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ Συνεδρίου. *Transgreſſus Leges noſtras, quæ hominem, quantumvis ſceleſtum, non ſinunt tolli, niſi prius morte damnatum a Synedrio.* Recte ergo, meo judicio, in hanc rem Doctiſſ. Cunæus, dum dixit: *In Zelotarum motibus, qui omnem pene Judæam turbaverunt, nihil perinde obfuit atque mos jam exortus, ut ſpecioſa præſcriptione homines quidam turbulenti ſpei ſuæ cupiditatique velificarentur.*

Philo de Vit. Moſ. lib. 1.
Hoornb. c. Judæos l. 2. cap. 1.
Joſeph. Antiqu. lib. 14. c. 17.
Cunæus de Rep. Hebræor. lib. 2. cap. 17. ſ.

XXVI. Neque dici juvat, *publicâ nixos authoritate* pios *jus* hoc exercuiſſe; quomodo enim *privati* tum fuerunt, ut prætenditur? videtur mihi oppoſitum in appoſito id eſſe. Niſi dicatur (quod alibi

Digitized by Google

ſibi innuere videtur *Seldenus*) pios illos publicæ poteſtati, ut miniſtros & inſtrumenta, inſerviiſſe. Sed quiſnam, quæſo, poteſtatem illam publicam iis contulit? Fecitne id *Deus*? unde hoc liquet? Vel an fecit *Magiſtratus* jure permiſſivo? ſed neque hoc probari à quoquam video, neque ab ipſo *D. Seldeno*, neque à *Viro Docto*, qui veſtigia ejus premit, ac eodem hic certat telo; quod demonſtrari tamen præprimis neceſſe eſt, quum omnis Diſputationis cardo in hoc vertatur. Quare & fruſtra *Vir Magnus* eſt, cum *jus* hoc cum *Athenienſium* Legibus componit, quibus cautum voluerunt, ut *quisquis Democratiam ſuam everteret a* quocunque impune *occideretur*. Ut & cum ſimili jure a *Venetis* in *Bannitos* & ab *Anglis* olim in *Utlagatos* conceſſo, *qui ſine crimine* interfici *non tantum potuerunt, ſed quorum cædes ſingularem* etiam *laudem, ut virtutis præmium merebatur*. Publicâ enim ſummæ Poteſtatis autoritate cuncta hæc nitebantur, quam in *Juris hujus* executione interceſſiſſe, hactenus, ut dictum eſt, non liquet. Fruſtra etiam ad *mores è Majorum diſciplina receptos* provocat; nam cui ergo fundamento primum *juris* hujus exercitium innixum fuit, cum recepti illi *mores* nondum exiſterent? Deinde id *ipſum* eſt quod quæritur, an meri hominum mores, abſque ullo Dei præcepto, jus iſtiuſmodi commune fundare potuerint? id enim eſt quod nego; cum non exemplis ſed regulis vivendum eſſe certum ſit.

Tract. cit. lib. 4. cap. 3. p.

Selden. de Syned. lib. 2. cap. 14. §. 3.

XXVII. Adfertur (fateor) *Phineaſi* exemplum, ſed gratis: quum in quæſtione non ſit, an *Phineas* patrarit illud factum, ſed an pratrarit id ex *Zelotarum* hoc *jure*; vel an ex facto ipſius ſingulari *jus* tale, omnibus Iſraelitis commune, promanarit; hoc erat probandum, non præſupponendum. Et certe, ſi ſingularia piorum facta laudabilia *jus* ſtatim faciant, cur ergo *Simſonis* etiam *αὐτοφονίᾳ* ſimile, ſe ipſos occidendi jus omnibus Iſraelitis non contulit? Diximus etiam ante, juxta *Zelotarum jus* occidi neminem debuiſſe, niſi cujus pertinacia in crimine monitionibus & verberibus tentata antea eſſet: at quomodo oſtendet quiſpiam, *Phineaſum* in adducto exemplo regulam illam obſervaſſe? quinimo contrarium manifeſtiſſime liquet. Quid de *Phineaſi* hoc facto ſentiendum ſit, perſpicue & vere exponit Magnus *Calvinus* hiſce verbis: *Siquis objiciat, metas vocationis ſuæ exceſſiſſe Phineaſum, quia gladium, quo divinitus armatus non erat, ad cædem arripuerit; in promtu eſt reſponſio: vocationem non ſemper adſtringi ad munus ordinarium, quia Deus interdum ſervis ſuis novas & inſolitas perſonas imponit. Quatenus*

Calvin. in Num. 25. 7.

Digitized by Google

ſacerdos erat Phinees, ejus non fuit crimen ulciſci, verum inſtinctu Dei ſingulari vocatus eſt, ut homo, alioqui privatus, Spiritum Sanctum haberet ducem.

XXVIII. Dicant etiam mihi, qui in alia hic eunt, an tempore *Jacobi & Johannis*, rogantium Servatorem, *num vellent ignem de cœlo provocare, qui perderet Samaritanos*; vel etiam Petri, *Malchi* auriculam in boni Magiſtri defenſionem præcidentis, *jus* hoc *Zelotarum* in viridi obſervantiâ adhuc fuerit? quod ſi *non*, oſtendant tum, quæſo, quomodo exempla de *Stephani* lapidatione, nec non de *quadraginta Virorum* in Pauli necem conjuratione, quæ multo tempore poſt demum acciderunt, trahi eo poſſint, ut tamen fieri ab aliquibus ſupra oſtendimus? ſin *imo*, dicant, quare igitur Chriſtus dictos ſuos diſcipulos tam ſeriò ob facta illa perſtrinxerit, impetumque eorum correptione ſuâ tam ſollicite cohibere conatus ſit? quum id opus fuiſſe non videatur, eo quod, juxta proprias Opponentium hypotheſes, è *Zelotarum jure* ita procedere integrum ipſis fuerit.

Luc.9.34

Matt.26. 51.

XXIX. Vix etiam capio, qua veri ſimilitudine cum *moderamine Inculpatæ tutelæ* & Lege *de Fure nocturno occidendo* jus hoc conferri poſſit; quum, ipſo Apoſtolo teſtante, *tutelæ* hoc *moderamen* juris æquitatiſque naturalis ſit, adeoque nemini non licitum, imo quibuſvis imperatum (*οὐδεὶς γάρ ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτήν: Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, Eph. 5. 29.) quod de *jure* hoc dici non poteſt, quippe ſolis Iſraelitis proprio & peculiari, ut ante vidimus. Et quæ quoque ejuſdem *Juris* cum Lege de *nocturno fure occidendo* convenientia fingi poteſt, cum notorie Juris Divini *hæc* fuerit? En enim ipſa Legis-latoris verba, Exod. 22. 2. *Si in effoſſione deprehendatur fur de nocte, & percuſſus moriatur, percuſſor reus cædis ne eſto*; vel, ut textus verbotim habet, אין לו דמים *non illi ſanguines.* Nec etiam de naturali æquitate quid dicam, juxta quam Patrifamilias *occiſionis* hæc venia deneganda non videbatur; præſumebatur enim furem noctu perrumpentem non ſolum *furandi* ſed, ſi ei reſiſteretur, etiam *trucidandi* & latrocinandi animo adveniſſe; quare & permiſſionis hujus juſtitiam ipſæ moratiores Gentes clare ſatis perſpexerunt. *Duodecim tabulæ* (inquit *Cicero*) *nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt.* Nec non Plato: *Qui noctu furem,* do-

Cicero pro Milone.

Digitized by Google

domum ſuam ingreſſum, interemerit, mundus ſit. Luculentius diducit hæc *D. Rivetus*: Agit (inquit) *Lex de caſu, qui potuit accidere, cum Paterfamilias excitatus ſtrepitu nocturni furis perrumpentis, ignaruſque, quem finem ſibi proponat, quantum in ſe eſt, cavet vitæ ſuæ & bonis, quo tempore nec teſtes habet præſentes, nec ſubſidium paratum, nec videre poteſt, quid agatur. Creditur enim talis fur non tantum furandi ſtudio hoc facere, ſed etiam vitæ alienæ inſidias ſtruere. Cum igitur tum, quando judicem implorare non licet, conceditur, ut quis vim vi repellat, ita Lex hoc etiam ad tutelam permittit, & aliquid juſto vel dolori vel timori concedit ei, qui noctu impetitur in ædibus ſuis, indulgens affectui, & commotioni, quæ non abſque cauſa juſtâ extitit. Id autem quod à culpâ eximitur in tali caſu percuſſor, principio nititur ex Lege naturæ deſumpto, quod vim vi repellere liceat, quia, ut rectè* Cicero *de Offic.* Principio generi animantum omni eſt à naturâ tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur: *Sic* Rivetus. Quibus conſimilia quoque habent *Talmudici*, dum ajunt, *Qui cum perfoſſorio ingreditur alienam domum judicatur ob id, in quod prolapſurus erat.* In quæ verba aliunde ex Hebræis obſervavit *Coccejus*: Certum eſt, *neminem hominem de bonis ſuis conceſſurum. Iſte igitur ſic cum animo ſuo decernit: ſi vadam, Dominus ædium mihi obſiſtet, neque ſinet me, ſi mihi obſiſtet occidam eum: jam Lex ait, qui te invadit animo cædem faciendi, occupes cædem licet.* At quomodo hæc *Juri Zelatorum* quiſquam applicuerit, cujus ſimilem tamen cum *Lege* hac rationem eſſe, ſtatuere Virum quendam Doctum antea audivimus? Ubi enim extat expreſſum *ejus* peræque ad *hujus* ſummi Legis-latoris *præceptum*? ubi *naturalis* ejus æquitas? ubi denique *ſapientiorum inter ipſas Gentes Legis-latorum*, qui non niſi naturæ luce *ſanctionis hujus* juſtitiam aſſequi potuerunt, expreſſæ de *eo ſanctiones* & conſtitutiones?

Plato de Leg. lib. 9.
Rivet. in Exod. 22. 2.
In Codic. Sanhedr. cap. 8. §. 6.
Coccej. in not. ad id l. Sanhed.

XXX. Ut neque exempla, à *Seldeno*, *Grotio*, aliiſque e Novo Teſtamento allata, pertinere huc videntur. *Facta* enim aliqua quidem narrant, ſed ea ex hoc *jure* proceſſiſſe, quinimo cum omnibus ejus requiſitis, quæ ſupra expoſuimus, exacte conveniſſe, minime probant. Ita ut neque Chriſti præſens hic contra *Numularios* & *Nundinatores* proceſſus ullo colore referendus huc ſit, ut voluit *Seldenus*: utcunque enim is *zelo* Servatoris, quo incenſus erat, à Diſcipulis attribuatur, non tamen exinde ſequitur, eum *Jure* hoc uſum fuiſſe, niſi dicere alicui libeat,

 beat,

beat, omnes illos, qui zelo ſingulari in præſtando hoc vel illo bono opere acti quondam ſunt, ſecundum jus hoc ſemper proceſſiſſe. Ne addam, hæc ipſa verba à *Davide* ſibi ipſi etiam applicari, quum tamen nullibi appareat, eum *jus* hoc unquam exercuiſſe. Pſal.69. 10.

XXXI. Si *dicatur*, niſi Chriſtus juxta jus quoddam commune hic proceſſerit ἀκατάληπτον eſſe, quomodo fieri potuerit, ut nemo Phariſæorum vel Sacerdotum flagellanti & expellenti ei reſtiterit, cum ſemper alias actionibus ejus inſidiarentur, totique in eo eſſent, ut crimen aliquod uſurpatæ authoritatis publicæ ipſi impingerent. *Reſpondeo*, me haud quaquam dubitare, quin hic θεῖόν τι interceſſerit, prout ſupra plenius diximus. Putat *Hieronymus* radiantem Chriſto faciem fuiſſe, quæ hoſtibus ejus tremorem reverentiamque incuſſit. *Igneum* (hæc ipſiſſima ejus verba ſunt) *quippiam ac ſydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majeſtas lucebat in facie.* *Tacite* (ut obſervavit Illuſt. Grotius) *innuit Scriptor, ejectionem factam non tenui flagello, ſed* Majeſtate Divinâ, *flagello ira tantum Divina ſignum ſuſtinente.* Nihil etiam D. Jeſus hic fecit, quod bonum non erat, & forſan multis Iudæorum non uſque adeo ingratum; ut qui nunquam non pro *Templi* ſanctitate zelare impenſe ſolebant. Præterquam, quod temporis illius Doctores *Jus* hoc *Zelotarum* (utut revera quæſitum tantum & injuſtum) pro Lege tamen habuerint, adeoque ex propriis hypotheſibus factum Chriſti indigne ferre vix potuerint; mox enim potuiſſet Dominus iis reponere, quid ringimini, me id ipſum facere, quod ipſi vos, e *Zelotarum jure*, nemini non Iſraelitarum incumbere exiſtimatis, auditoreſque veſtros in dies e Patrum veſtrorum traditionibus docetis & inculcatis?

Hieron. in Matt. 21.v.12.

Grot. in Joh. 2.15.

XXXII. Habes ergo, *Lector*, quæ quoad *Jus* hoc vere *injuſtum*, breviter & quaſi ὡς ἐν τύπῳ, utque Eruditioribus, myſterium hocce enucleatius perſcrutandi fuſiuſque explicandi, occaſio tantum ſubminiſtretur, ediſſerere viſum fuit. Quibus probe conſideratis, non videtur ſane *Zelotarum* hæc ἐπιγραφὴ temere ad Chriſtianos transferenda, minime quidem ad illos, qui ardentiore Divini cultus deſiderio inflammati, antecellere alios pietate ſuâ allaborant. Quid enim *hi* commune cum *illis* habent? Anne enim *Hebræi* ſunt (quales eſſe debebant *Zelotæ*) qui inter Chriſtianos ζηλοῦσι ἐν καλῷ πάντοτε? An ad *hæc illave delicta* tantum reſpiciunt? An non niſi *teſtibus ſat multis*, iiſque quidem

Gal.4.18.

Digitized by Google

dem ſolis *Iſraelitis* præſentibus, res ſuas agunt? An fratribus, in ipſo crimine deprehenſis, non *verbera* tantum, ſed & ipſam *mortem* unquam intentant? Quis dicere hæc auſit? Imo eſto, quod non deſint forte, qui immoderatiore & præpoſtero quodam *Zelo* abripi ſe nonnunquam ſinunt (quod ſane vitio non caret) illisne tamen mox ignominioſiſſimum hoc ſtigma dices inurendum? quod in nullos alios (ut ex *Coccejo* & *Joſepho* ſupra didicimus) olim quadrabat, quam *qui homines* nefarii *dum eſſent ſub illius obtentu, magna Hieroſolymis ſcelera patraverunt.* Et (notante *Joſepho*) ſic ſe *nominarunt, ac ſi optimis rebus ſtuduiſſent, & non peſſima facinora*, uſque ad nequitiæ ſummum, *zelo affectaſſent.* Imo quos nonnulli etiam, ut teſtis eſt Druſius, *Sicarios*, alii (inter quos eſt Doctiſſim. Lichtfootus) *Aſſyſinos* indigitarunt. Qui *Aſſyſini* vel *Aſſaſini* (ab *Aſſaſinis* enim, Phæniciæ Gente, ſic dicti ſunt) iſtiuſmodi homines erant, qui e Perſide profecti, & *Muhammedis* perſuaſione imbuti, nihil antiquius habebant, quam hoſtes religionis ſuæ quoquo modo interimere, idque per fallaciam quidem, ſimulantes ſe quoque ex Chriſtianis eſſe, adeo ut difficulter caveri poſſent. Quibus ſimiles fuêre qui apud Mauros in Regno Granatæ *monſies* dicebantur, homines ad cædes auctorati. Ego equidem vellem deplorari potius modeſteque corrigi infirmitatem imprudentiamque, piorum *Zelo* præter intentionem quandoque adjacentem, quam cum ſceleſtiſſimo hoc mortalium genere (utcunque id κατ' ἀναλογίαν & *quoad genus* tantum fieret) Fratres à Fratribus comparari.

Coccej. Not. in Sanhedr. cap. 9. §. 9.
Joſeph. loc. cit.
Druſ. in Matt. 10. 4.
Lichtf. in Ioh. 16. 2.
Simſon. Chronic. Cathol. p. 7. pag. 48. 49.

XXXIII. Prout in genere etiam in ſequiorem ſenſum rapi nolim, quæ de *Iure* hoc dixi, utcunque odioſa ex parte ſint, quaſi nempe iis prudenti moderatoque piorum *Zelo* præjudicatum quid vellem: μὴ γένοιτο. Nego enim tantum, ut patet, commune iſtiuſmodi *zelandi* Jus Hebræis peculiare, contra ſolos Hebræos, ob ejuſmodi tantum, ut dixi, crimina, idque ad ipſam fratris occiſionem uſque exercendum, æquum bonumque fuiſſe. Cæterà nihil pio homine dignius habeo, quam ardorem illum animi, quo ſanctitatis ſuæ curſum, repulſis fortiter omnibus difficultatibus & impedimentis, cum alacritate tenet & perſequitur, qui Hebræis קִנְאָה, *Græcis* ζῆλος dicitur. *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quam* Zelus *animarum*, inquiebat Ille. Imo ne quidem pigeret, divinæ hujus virtutis naturam, proprietates, neceſſitatemque latiuſcule hic excutere, niſi alii ante me abunde id feciſſent,

Gregor. in Ezech. Homil. 12.

ciſſent, quorum laboribus impræſens nihil videtur addendum.

XXXIV. Non poſſum tamen non, ſuperpondii loco, unum alterumque *Dubium*, huc pertinens, paucis enodare. Horum *Primum* eſt: *An, pro temporis aliarumque circumſtantiarum ratione, aliquando zelum ſuum quadantenus cohibere ſemper peccatum ſit, adeoque illi omnes, qui ſic faciunt, temporum maliuæ cedere nimium ſint dicendi?* Ratio dubitandi eſt, quod genuina *Zeli* natura conſiſtere in hoc videatur, quod vere eo inflammatus, omnia impedimenta contemnat & tranſcendat, ad inſtar Prophetarum, Apoſtolorum, multorumque Confeſſorum & Martyrum, qui piiſſimo ſuo exemplo Chriſtianis omnibus jam dudum præluxerunt. Eſtque Quæſtionis hujus expeditio multo forſan intricatior, & difficilior, ac primo obtutu quamplurimis hactenus viſa fuit. Ut igitur, quid ſtatuendum ſit, breviter explicem, prænotandum ante omnia eſt, loqui me. 1. De Zeli *exercitio externo* non de *interno* ejus *affectu*. 2. De Zeli actionibus *publicis*, inque aliorum oculos incurrentibus, non de *privatis* & *occultis*. 3. De *ordinariâ* verbi Divini regulâ obſervandâ, non de hiſce illiſve particularibus actibus *heroicis*. 4. De Zeli actibus quibuſdam *accidentalibus*, non de *eſſentialibus*, id eſt, talibus, ſine quibus *Zeli* natura conſiſtere non poſſet.

XXXXV. Quibus præſuppoſitis, dico: non ſemper id, *de quo* quæſitum eſt, ut peccatum habendum eſſe; imo vero laudabile aliquando & neceſſarium eſſe, ſi *Zeli* noſtri impetus, pro temporis aliarumque circumſtantiarum ratione, nonnihil cohibeatur. Hiſce nempe caſibus: I. Cum expreſſum ejus cohibendi mandatum nobis apparet, ut apud Ezech. cap. 3. verſ. 26. *Linguam tuam agglutinabo palato tuo, ô fili hominis, ut obmuteſcas, ac non agas reprehenſorem apud illos, quia domus rebellis ſunt.* Et alibi, *Ne ora amplius pro populo hoc. Jer.* 7. 16, II. Cum ex oppoſito ejus, juxta Sapientum judicium, regno Chriſti certum aliquod damnum creandum foret. Ut ſi quis. E. G. inſigni zelo accenſus, inter dominantes *Papiſtas*, apertis janüis & elatâ voce ſacra peragere, interque concionandum ἐκφωνήσει, ſuggeſtique pulſationibus ſpiritum & fervorem ſuum ſingulariter oſtendere aggrederetur. Adeoque quanto non melius (ut ſingulari hoc exemplo rem declarem) Theodoſii Junioris tempore, conſuluiſſet Perſicis Eccleſiis *Abdas* (aliis dictus

Au-

Digitized by Google

Audas) earum Epiſcopus, ſiquidem Perſarum πυρεῖον, id eſt, Templum, in quo Ignis ab iis colebatur, nunquam evertiſſet, quam quod intempeſtivo ſuo zelo in *re* (ut bene obſervavit Nicephorus) *non* uſque adeo *neceſſaria*, quæque *haud opportune*, ut exertim *Socrates* loquitur, commiſſa erat, Regis *Varanis* iram, ſub quo pace alias profundiſſimâ fruebantur Chriſtiani, talem in modum provocaverit, ut univerſalem contra omnes, nomen Jeſu profitentes, ſuſceperit perſecutionem, omnia iis Templa eripuerit, ipſum *Abdam* occidi præceperit, imo plurima hominum millia horrendo noviterque invento tormentorum genere excruciaverit non tantum, ſed & è medio ſuſtulerit. III. Cum omnis ſpes, nos zelo noſtro effecturos quicquam eſſe, decollavit. Quod tum quidem locum habere putandum eſt. 1. Cum notorie auxiliatores deſunt, & res, pro quâ zelamus, ſine aliorum ope confici non poteſt. 2. Cum non uno ſed variis eventibus compertum habemus, nos zeli noſtri actibus intenſioribus non niſi oleum & operam perdidiſſe. Confer. Amos 5. v. 15. Matt. 26. 63. Marc. 15. 3. Luc. 23. 9. *Quanquam aliquantiſper* (inquit Calvinus) *tempori venia danda eſt* (ergo id quandoque licitum) *præſertim in νεοφύτοις, in magnis cauſis, in metu publicæ diſcordiæ, tamen non ſit diſſimulatio perpetua.* Neque abludit *Voetius*, dum dicit: *Executio confeſſionis præſtari debet poſitis ponendis, cum ſcilicet gloria Dei, ſalus proximi,* ſpes aliqua (N. B.) ſucceſſus, *ædificatio & ſalus Eccleſiæ illud requirit aut poſtulat.* Non *eadem res*, teſte Gregorio, *ſemper eſt virtus, quia per momenta* temporum *ſæpe merita mutantur actionum. Unde fit, ut cum quid bene agimus, plerumque melius ab ejus actione ceſſemus; & laudabilius* ad tempus *deſerat, quod in ſuo tempore mens laudabiliter tenebat.*

Niceph. Hiſt. Eccleſ. lib. 14. c. 15.

Socrat. Hiſt. Tripart. lib. 10. c. 30.

Calvin in Opuſc. p. 605.

Voet. Pol. Eccleſ. part. III. pag. 3.

Gregor. in Moralib.

XXXVI. Sed objici multa hic poſſunt, quæ paucis etiam diluenda. *Dicis*. 1. Expreſſum, de *zelando* in cauſâ Dei, præceptum extare, adeoque non ita rei *eventum*, quam *noſtrum officium* reſpiciendum eſſe? Sed repono: *Affirmativa* Dei præcepta, quoad actus extrinſecos, obligare quidem *ſemper*, ſed non *ad ſemper*. Quis enim neget præceptum eſſe, ut *oremus, Cœnâ utamur*, proximum peccantem *increpemus*, &c. ſed quis dixerit tamen, ſemper, noctu, interdiu, cum alia agenda præſentioris neceſſitatis interveniunt, &c. præſtanda illa eſſe? 2. In caſu ſubjecto conſiderandum non ſolum eſſe *præceptum*, ſed etiam *executionem præcepti*, an nempe, ex *prudentiæ* ſpiritualis regulis, in hiſce vel illis

Digitized by Google

circumſtantiis, tempeſtiva illa ſit, vel non ſit. 3. Externam rem à Deo mandatam ſimpliciter præſtare non eſſe præſtare ejus præceptum, ſed *debito modo* eam præſtare. *Adverbia* enim *ſalvant & damnant.* Neque *in facto laus tantum eſt, ſed in eo etiam* quem ad modum *fiat*, inquit *Bernardus.* Ad *debitum* vero *modum* pertinet etiam prudentiæ, circumſtantiarumque, ac imprimis quidem *opportuni temporis* juſta ac diligens obſervatio. Eccleſiaſt. 8. verſ. 5. *Et tempus & judicium cognoſcit cor ſapientis.* Prov. 25. 11. *Sicut mala aurea cum figuris argenteis eſt verbum dictum, quibus modis dici debet.* In quæ verba Mercerus, *Verbum opportune dictum ſuo loco & tempore eſt ut mala aurea in palis argenteis incluſa & obducta, quod ſummopere adſpectum oblectat: Sic nihil jucundius eſſe poteſt ſermone aptè & tempeſtive dicto.* Commendantur hoc etiam nomine *Viri eruditi Iſſachar, quod noverint ſingula* tempora, *ad præcipiendum, quid facere deberet Iſrael.* 1 Chron. 12. 13. Καλὸν τὸ καιρῦ παντὸς εἰδέναι μέτρον:

Bernard. in Cantic.

Mercer. Prov. 25. 11

Res bella eſt, cuncti noſſe temporis modum.

XXXVII. At (*pergis*) fortes animoſoſque nos eſſe oportet adinſtar Prophetarum & Apoſtolorum, qui *præcepto* Divino inhærebant, non ita *prudentiæ* litabant? *Reſpondeo* 1. Injuria Prophetis Apoſtoliſque fit, ſi dicatur, eos *prudentiam* neglexiſſe; Viros nempe ut animoſiſſimos, ita & prudentiſſimos. 2. Non pugnat *fortitudo* Chriſtiana cum *prudentiâ*, ſed amice cum eâ conſpirat, hæcque illam determinat, ornat, juvat, non tollit. 3. Habuêre aliquando Prophetæ Apoſtolique motus extraordinarios, qui regulam non faciunt. 4. Imo ordinario adſtitit iis in Dei negotiis Spiritus Sanctus, qui ipſos non tantum officii ſui monebat, ſed etiam in univerſâ ejus executione omnibuſque applicationibus gratioſe dirigebat. At hoc tempore verbum Dei non niſi in *theſi* tantum officia noſtra proponit, neque omnes amplius circumſtantias, in executione eorum obſervandas, tam deſignate nobis indicat, ac olim fecit Prophetis. Quare & jam præprimis neceſſarium eſt, ut ad *prudentiæ* regulas, per ratiocinationem noſtram, ut inſtrumentum, ex ipſo Dei Verbo, ſanctâque piorum experientiâ elicitas, ſedulo attendamus, ut nempe ductu earum, quod noſtrum eſt, non tantum præſtemus, ſed & *juſto* legitimoque *modo* præſtemus. Dedit enim Deus filiis ſuis *Spiritum* non tantum δυνάμεως καὶ ἀγάπης ſed etiam τῦ σωφρονισμῦ, id eſt, *ſobrie-*

Digitized by Google

brietatis vel (ut melius vertitur à Beza) *ſanitatis* animi; qui nihil aliud eſt, quam ſtudium inſerviendi gloriæ Dei, non intemperie & cœco ac furioſo quodam impetu ruens, ſicut in fanaticis, ſed ex certâ voluntatis Dei cognitione proficiſcens, ac proinde omnia conſideratè & *prudenter* agens, ut in iis, quibus mens ſana & integra eſt; quique adeo *in fortitudinis* Chriſtianæ temperamentum fidelibus conceſſus eſt. 2 Tim. 1. 7. 2 Cor. 5. 13. Act. 26. 25. *Beza in 2 Tim. 1. 7.*

XXXVIII. *Dicis*, 2. Neſciri, quid Deus ad *zelum* noſtrum conſequi velit, adeoque pergendum tantum eſſe, & *per fidem* ambulandum. *Reſp.* 1. Neque nos in genere in bono perſiſtendum eſſe negamus, ſed dicimus tantum, in *iſtis* zeli particularibus actibus perſeverandum non ſemper eſſe, quos fruſtraneos, imo cauſæ piæ noxios eſſe, experti ſubinde ſumus; nam de hiſce eſt, quod quæritur. Continuatio enim iſtorum actuum rationem *medii*, ad res Dei juvandas & promovendas habere debet; quam *medii* rationem cum eventu ſæpe docti ſumus, quo ad actus illos jam planè ceſſare, quæ ſupereſſe cauſa poteſt, ob quam continuandis iis diutius inſiſteremus? 2. Omnino ambulandum eſt *per fidem*, at per fidem non *cæcam* ſed *oculatam*, quæ non conſiderat tantum generalem præcepti *materiam*, ſed etiam *debitum* præſtandi ejus *modum*. Niti debet *fides* promiſſione Divinâ, at ubi extat promiſſio ulla ſuper officium, quoad materiam tantum, non vero debito etiam modo, & (quo hic præcipue reſpicitur) *juſto tempore* præſtitum?

XXXIX. Si *quæras*, unde ſciri poſſit, aliquid non tantum officium noſtrum eſſe, *ſed etiam hic & nunc præſtandum*? Dico: *Extraordinariò* id olim ſciri ſæpe potuiſſe per immediatam revelationem, ut in Prophetis quibuſdam patuit: at jam id *ordinario* ſciri non poſſe, niſi juſtorum prudentiâ (de quâ diximus) mediante. Quæ ergo, ut conſtantiæ & fortitudini, ita etiam *fidei* haud quaquam contrariatur; ſed e contra ſuccurrit & ancillatur illi, ut piorum officiorum fructus & effecta non facilius tantum, ſed & certius impetrentur. *Verbum* Dei officium præſcribit, *fides* ad executionem ejus excitat, directrix vero ejus executionis *ſpiritualis prudentia* hæc eſt, & ſic *tria* hæc operas tradunt mutuas. *Diſcretio* (inquit *Bernardus*) *omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, etiam perpetuitatem.* Et paulo poſt: *Eſt igitur diſcretio non tam virtus, quam* *qua-* *Vedel. de Prudent. Vet Eccleſ. lib. 1. cap. 1.* *Bernard. in Cantic. Serm. 49.*

Digitized by Google

quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum & morum doctrix. Tolle hanc & virtus vitium erit: ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis pervertetur exterminiumque naturæ. Semper quidem Zelus abſque ſcientia minus efficax minuſque utilis invenitur, plerumque autem & pernicioſus valde ſentitur. Neque, ſi ſuadeat forſan *prudentia*, officii cujuſdam executionem in his illiſve circumſtantiis ſuſpendendam ad tempus eſſe, id *fidei* ullo modo præjudicat, quippe quæ ipſa ad officii alicujus executionem non ſolet excitare, niſi ad dictæ *prudentiæ* conſilium modificatam & inſtitutam eam videat.

XL. Dicis 3. Quodſi conſcientia ne ad momentum quidem cedendum, ſed animo imperterrito pergendum eſſe dictet, juxta illud Poëtæ,

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Vedel. de Prud. Vet. Eccleſ. lib. 3. c. 4. p. 283. *Reſpondeo*, Errare tum conſcientiam. At erret (*dicis*) non tamen *contra* dictamen ejus quicquam agendum. *Reſp.* Optime, ſed neque etiam *juxta* ejus dictamen, ſed melius informanda eſt, ut conſtat. Adhæc non *agitur* ſic quicquam contra conſcientiam, verum ceſſatur tantum ab actione, Sed (*rogas*) an tamen *omiſſio* illa peccatum non eſt? *Reſp.* Ex *accidenti* quidem, errantis ſcilicet conſcientiæ, ſed non *in ſe* & per ſe; non magis quam ceſſatio à *furto* peccatum illi eſt, qui in conſcientiâ putat, omnia bona communia eſſe; vel omiſſio *ſtaurolatriæ* Pontificio peccatum eſt, qui crucis imaginem adorandam ſibi in conſcientiâ eſſe judicat. *Sed*, quod ſi tamen conſcientia, poſt multa informandæ ejus media, vellicare & turbare non deſinat. *Reſp.* Tum *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjiciendi ſunt*, ex Apoſtoli monito, 1 Cor. 14. 32, At quid ſi omnia plane corrupta jam ſint, ut tempore *Michæ*, 1 Reg. 22, 14. *Reſp.* Aliqui ſemper ſupererunt fideles, ut ut nonnunquam pauciſſimi; vel ſi nemo reſtet, tum conclamatum eſt, Deoq; cauſa ſua commendanda; quid enim proderit tum laterem porro lavare?

XLI. *Dicis* 4. Paulum exerte præcipere, ut Timotheus *prædicet ſermonem, inſtetq́, tempeſtive & intempeſtive*. 2 Tim. 5. *Reſp.* Commendare ibi quidem Apoſtolum conſtantiam in officio (quam nos peræq; com-

commendamus) ſed non dicere, eò extendi eam debere, ut, ſive id prodeſſet ſive obeſſet, *Timotheus* tamen in ea teneretur perſeverare; quod in quæſtione proprie verſatur. *Iſid. Clarius* & *Eſtius* expreſſe *Pauli* verba hoc modo limitant: *ſi ſpes ſit, tunc etiam aliquid proficiendi* vel *ſi res patitur.* E Noſtris conſentit *Paræus*, dum ait; *Non negat* (Apoſtolus) *abſolute, aliquando prædicationem ſuſpendendam eſſe, ſed id fieri non debere, ad nutum & inclinationem hominum iſtorum carnalium, de quibus verſ. 4. & ſeqq. locutus erat.* Neque diſſentit *Crocius*, dicens: *Nempe* dum ſpes eſt *aliqua ædificationis*; *ſi enim palam conſtet, meros alicubi eſſe canes & porcos, non inſtandum contra regulam Chriſti, Matt. 7. 6.* *Iſid. Clarius in Loc. Eſtius in 2 Tim. 4. 2. Paræus in eund. Loc. Crocius in Loc.*

XLII. *Dicis.* 5. Prodi & deſeri ſic cauſam Dei propter temporum injuriam, ob eorumque mutabilem rationem indies fere, inſtar *Prothei*, in omnes formas mutandum eſſe Chriſtianum? *Reſp.* Falſum id eſſe, quum nulla hic ſubſit perfidia, ignavia, meticuloſitas, ſed purus in Deum amor, ac intentio ſincera; cauſam ejus omnibus iſtiuſmodi mediis, quæ in his illiſive circumſtantiis utilia reputantur, juvandi. Ut neque Chriſtiani hominis vertumnoſa mutabilitas hinc ſequitur; toto enim animo cauſæ Dei intentus & infixus manet, non minus, quam ante; admiſſâ tantum in horum illorumve *mediorum* adhibitione vel non-adhibitione prudenti quadam variatione. Imo vero nihil eſt, quod minus ferat *Ecebolios*, quam ipſa *prudentia*: Quo faciunt inſignia *Senecæ* verba, vel quiſquis Author ſit Lib. de *quatuor Virtutib.* ab aliquibus ipſi adſcripti. *Si prudentiam* (inquit) *amplecteris, ubique idem eris, & prout rerum aut temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes; ſicut manus, quæ eadem eſt, & cum in palmam extenditur, & cum in pugnum conſtringitur.* Quibus, & hoc *Baſilii* addendum: *Vera* prudentia *eorum, quæ agenda & non agenda ſunt, cognitio eſt: quam ſiquis recte ſectatus fuerit,* nunquam ab officio virtuteque abſcedet, *nunquam vitiorum peſtem incurret.* *Perald. Summ. Virt. & Vit. Tom. 2. p. 159.* *Baſil. id Prov. hom. 12.*

XLIII. *Alterum Dubium* eſt, An *zelandum ſemper ſit ad extremum virium*? Ad quod ſic *reſpondeo*: diſtinguendum iterum eſſe inter animi zelantis *diſpoſitionem internam*, & ejuſdem operationes *externas.* De *priore* affirmo; quia *interna* illa diſpoſitio nihil aliud eſt, ac internus & ardens in Deum affectus, qui nunquam intendi ſatis poteſt. De *Poſterioribus* hæc puto obſervanda. 1. Externas *Zeli* operationes ſine corporeorum inſtrumentorum adminiculo produci non poſſe. 2. Opera miſericordiæ tum *Matt. 22. 37.*

Digitized by Google

in proximi tum in proprium corpus demonſtrandæ, præferenda eſſe externis cultus & *zeli* operationibus, juxta verba Chriſti, *miſericordiam volo, non ſacrificium. Matt.* 12. 7. 3. Externos *zeli* actus eo ordinario promptius meliuſque à nobis exerceri, quo corporis noſtri organa melius comparata & diſpoſita ſunt. 4. *Zeli* noſtri externi exercitia communiter corporis noſtri conſtitutioni attemperanda eſſe, conſiderandumque,

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

5. *Zeli* genuini exercitia non conſideranda tantum eſſe quoad *intenſionem*, ſed etiam quoad *extenſionem*. Intenſiſſimæ zeli operationes tenue noſtrum corpuſculum facile poſſunt conſumere, ſic ut illi, qui ſe totos iis tradunt, Deo etiam brevius hiſce in terris ſervire poſſint; cum e contra, qui temperantiores in iis ſunt, dum ordinario animam longius trahunt, fidei pietatiſque cauſam diutius poſſint promovere; atque adeo quod in *intenſione* defuiſſe videtur, in *extenſione* affatim compenſare. Optime *Peraldus* inter *ferveris indiſcreti ſtultitias* recenſet, quod quum ſint, qui *multum Deo velint ſervire, ita tamen velint ei ſervire, quod non poſſint ei* diu ſervire. Et *quid ſtultius* (addit) *quam quod libenter facias curare, ut* diu *facere non poſſis?*

Perald. Summ. Virt. & Virt. p. 2 pag. m. 159.

XLIV. Neque obſtant *Eccleſiaſtis* verba cap. 9. verſ. 10. *Quicquid aſſequitur manus tua, ut facias, pro facultate tuâ fac. Druſius* vertit, *fac pro viribus vel pro virili.* LXX habent, ὡ ἡ δύναμις σȣ. Neque deſunt, qui quod *pro viribus tuis* aliqui ibi interpretantur, per *inſtanter* & *indeſinenter* vertunt: ſic *Hieronymus, Grotius*, aliique. *Aben-Ezra* de *fruendis voluptatibus* ſermonem eſſe putat, quod convenire haud male videtur cum antecedentibus; atque ita quidem nulla ibi de *zelo* mentio foret. Sed demus, verba generalius ſumenda eſſe: non negamus nos, *zelandum* ſemper eſſe *pro* facultate vel viribus noſtris, ſed *ſupra* facultatem & *ſupra* vires noſtras, ſive *ad extremum virium*, eo, quo diximus, ſenſu: id eſt ita, ut, vix ullâ miſericordiæ, corporibus noſtris debitæ ratione habitâ, inevitabile incurramus periculum, ne continuâ exercitiorum externorum vehementiâ, non tantum notabiliter ea infirmemus, ſed & plane tandem conteramus & conſumamus; quippe

Druſius in Loc.

Hieron. in Ecc. 9. 10 Grot. in eund. Loc.

Aben-Ezr. Cit. Merc. in Eccleſ. 9. 10

Vis

Digitized by Google

Vis conſilii expers mole ruit ſuâ. Horat. Carm. lib. 3.

Incauti *quidam* (inquit Thomas à Kempis) *propter devotionis gratiam* ſe ipſos deſtruxerunt, *quia* plus agere voluerunt, quam potuerunt, *non penſantes* ſuæ parvitatis *menſuram*, *ſed magis cordis* affectum *ſequentes*, *quam* rationis *judicium*. Poſſunt analogice huc etiam referri Servatoris verba, Matt. 9. 16. 17. *Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento*, & pejor ſciſſura *fit*. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioqui rumpuntur utres, & vinum effunditur.*

Thom. à Kemp. de Imitat. Chriſt. lib. 3. cap. 7.

XLV. Ut neque fibula commoditati & ignaviæ carnali hoc modo laxatur; quum non dicamus, haud intenſius eſſe zelandum, quam corpori noſtro *lubet*, ſed quam *ferre* & *perferre* id ipſum poteſt: quæ multum differunt. Ob peccatum membra noſtra corporea *vanitati* non tantum ſubjacent, ſed etiam ὅπλα ἀδικίας, *arma injuſtitiæ* facta ſunt. Unde & fit, ut iniquitatis patrationi fere ſerviant promptiſſime, ad pietatem vero non niſi invito & ægerrime pertrahantur, quinimo animam, ad colendum Deum ſeſe accingentem, turpiter ſæpe deſtituant. Sic ut non immerito ille apud Papinium,

Matt. 26 41. Rom. 6. 13. 14. Statius Thebaid. lib. 8.

Odi artus, fragilemque hunc corporis uſum,
Deſertorem animi.

Atque huic quidem corporis languori & *torpori* ne ad momentum quidem cedendum pio homini eſſe, certum eſt; nedum quod illius reſpectu ullis Divini Cultus exercitiis quadantenus foret abſtinendum. At vero quam procul hoc non diſtat à qualiquali tantum quorundam *Zeli* actuum, eorumque quidem *externorum*, remiſſione vel ſuſpenſione, quam, ob infirmitatem corporis vel mere naturalem, vel ex neſcio quâ aëris injuriâ ſanguiniſve intemperie innocenter contractam, inſtitui nonnunquam poſſe, imo debere, mox aſſeruimus? idque non niſi ad tempus tantum, cumque duntaxat in finem, ut eo expeditius poſtmodum idem illud corpus, in officiis Deo præſtandis, religioſæ animæ poſſit inſervire.

EX-

Digitized by Google

EXERCITATIO II.

DE

CERTITUDINE FIDEI DIVINÆ.

BREVIARIUM.

Variæ Certitudinis *ſpecies tum allegatæ tum explicatæ. Quæ* moralis *vulgo dicitur quibus fundamentis nixa?* Fides *vel* objectivè *vel* ſubjectivè *conſideranda.* Illi *certitudo perfectiſſima procul dubio adſcribenda. Quorundam ſententia,* moralem *Fidei certitudinem tantum adſcribentium, explanata & examinata. Locus* 1. *Ioh.* 5. 3. *illuſtratus. Controverſiæ momentum.* Autoris, *pro tutiori viâ ineundâ & ſcandalo maxime cavendo, conſilium. Ne quidem, quoad ipſos* loquendi modos, *temere Adverſariis quicquam concedendum.* Juſtini Imperatoris *laudabile de hoc Edictum.* Neſtorii *hæreſis.* Eutychianorum & Acephalorum *error. Incommoda ex unius* literulæ immutatione *Eccleſiis nonnunquam creata.* Paræus, Auguſtinus, Heinſius *ad partes vocati.* Athanaſii *contra* minimæ ſyllabæ *in negotio Religionis* mutationem *conſtantia.* Spiritus S. *de Revelationum Divinarum veritate* perſuaſio *efficaciſſima.* Witſius *laudatus.* Exceptio *diſcuſſa.* Argumenta *pro Scripturatum Divinarum veritate* aſſita ab inſitis *non divellenda, ſed conjungenda.* Fidei, *Divinæ veritati debitæ,* Spiritus S. *non* argumentum *ſed* cauſa efficiens. *Scripturæ, in hominibus in ſui aſſenſum pertrahendis, potentia admirabilis. Quid* Au-

Auguſtinum *ad Myſteriorum divinorum* fidem *præcipue impulerit?* *Pro* demonſtrationibus mathematicis *Martyres hactenus* nulli, *pro Divinis revelationibus* plurimi. *Fidei certitudo tam* adhæſionis *quam* experientiæ βεβαιώτατος. *Certitudo* Moralis mathematicâ *non ſemper infirmior.* Huetius *ad partes vocatus.*

I.

DE vario *Certitudinis* genere apud Eruditos mentionem fieri in propatulo eſt; eſt enim ea vel *objectiva*, quâ res ipſa in ſe certa eſt, vel *ſubjectiva*, quâ mens noſtra rei iſti certæ aſſenſum præbet, apprehenditque certam eam eſſe: atque ad hanc impræſentiarum reſpicimus, quæ varie diſtingui iterum poteſt. Eſt enim vel *Intelligentia*, quâ citra ullum diſcurſum immediate percipimus veritatem principiorum, & eorum quæ per ſe nota ſunt; ut *Bis duo eſſe quatuor*; *Impoſſibile eſſe idem ſimul eſſe, & non eſſe* &c. Vel *Scientia*, quâ mens, mediante diſcurſu & ratiocinatione, veritatem concluſionum, ex dictis principiis eductarum, percipit & apprehendit: E. G. *Deus eſt, ergo mundus regitur providentiâ* &c. Vel *Experientia*, quâ rerum veritas ſenſuum teſtimonio apprehenditur & acquiritur: ut *Solem lucere, Ignem ardere* &c. Vel *Moralis*, quæ omnium certitudinis ſpecierum minima & infima vulgo habetur. Atque hæc iterum *duplex* eſt: *vel* enim nititur variis indiciis & ſignis, ex quibus rem aliquam ſic vel ſic ſe habere conſequitur quidem, ſed haud tamen ita apodictice conſequitur, quin poſſibile foret, neque contradictionem involveret, ſi aliter ſe haberet. Ita certi ſumus certitudine *morali*, hanc vel illam perſonam Regem noſtrum eſſe, liberos, quos alimus, noſtros non aliorum eſſe. *Vel* conſtanti hominum famæ virorumque fide dignorum conſenſui & teſtimonio ſuperſtructa eſt. Sic certi ſumus, *Julium Cæſarem* in Senatu necatum, *Neronem* Matricidam, *Julianum* apoſtatam fuiſſe.

Baxt. de Quiet. Sanctor. part. 2. pag. 122.

II. Quoniam itaque Apoſtolus fidei ſalutari etiam *certitudinem* aliquam adſcribit, præſertim in Ep. ad Hebræos cap. 11. verſ. 1. Ubi τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασιν, καὶ τῶν πραγμάτων οὐ βλεπομένων ἔλεγχον eam vocat, diſquiſitione indignum haud

 vide-

videtur, de quâ *certitudinis* ſpecie intelligendum id proprie ſit? an de eâ, quæ *intelligentia*, *ſcientia*, *experientia* dicitur, an vero de *morali* tantum, ſenſu quo mox eam deſcripſimus.

III. Hoc ergo ut probè expediamus, notandum iterum eſt, aliam eſſe Fidem quoad *eſſentiam* ſive *objective* ſumptam, aliam quoad *exiſtentiam* ſive *ſubjective* conſideratam, quatenus ſcil. in hoc vel illo homine, V. G. *Petro*, *Paulo* vel *Mariâ* reperitur. Item, (ſiquidem Fidei *objectum* ſpectemus) *aliud* eſſe, ſi quæratur, an teſtis, cujus teſtimonio vel authoritate pro vero aliquid habetur, ſufficiens, fide dignus, ac infallibilis ſit: *aliud*, ſi quæſtio ſit, an res illa, cui per fidem aſſentimur, vel aſſentiri debemus, reverà a teſte illo prodita vel revelata nobis ſit. Adhæc fidei certitudinem eſſe vel *ſpeculationis tantum*, quæ ſolius *intellectus eſt*, vel *etiam adhæſionis*, quæ *voluntatis* quoque affectum ſecum trahit.

IV. His præmiſſis, non videtur dubitandum, quin Fidei, quoad *eſſentiam* & *objective*, id eſt, in ſuâ naturâ ſumptæ, perfectiſſima & ſumma *certitudo* omnino debeatur, ratione nempe rerum Divinarum certiſſimarum, adeoque firmiſſimo aſſenſu digniſſimarum, circa quas verſari ſolet. Licet ſecus res ſe habeat, ſi Fides quoad *exiſtentiam* & *ſubjective* conſideretur; tum enim conſtat, variis dubitationum & hæſitationum fluctibus agitari eam poſſe, ut in Diſcipulis Chriſti ὀλιγοπίςοις non ſemel patuit, manente eâ tamen Fide genuinâ & vere ſalutari.

V. Præterea ſi quæratur, num Author ille, qui fidei Divinæ objecta nobis revelavit, infallibilis, atque adeo ἀξιόπιςος ſit, ſic ut concipi nemo poſſit pleniſſimo aſſenſu dignior, tum rurſus indubium eſt, ſalutiferæ Fidei firmiſſimam & abſolutiſſimam certitudinem adſcribendam eſſe. Naturaliter enim notum eſt, ſi Deus author ille revelans ſit, ut revera eſt, eum etiam extra omnem mentiendi & fallendi aleam poſitum eſſe, quinimo craſſiſſimam contradictionem implicare, ſi is, qui non tantum verax, ſed & ipſa veritas eſt, vel hilum quidem, veritati & veracitati ſuæ adverſum vel ab eâ devium proderet, ejuſque fidem cuiquam creaturarum ſuarum, ſub æternæ damnationis comminatione, injungeret.

VI. Sed profundioris indaginis eſt, ſi quæſtio hunc in modum inſtituatur: *An teſtimonium illud, quo nixi, rei revelatæ aſſenſum præbemus, quodque ipſiſſimi Dei eſſe præſumimus, reverà etiam Dei ſit, ſicut præſumimus?* Et hoc quidem reſpectu certum eſt, Viros quoſdam, cæterà

Doctiſ-

Digitized by Google

doctiſſimos, Fidei Divinæ non aliam, quam *moralem* certitudinem tribuere: id eſt, talem tantum, quæ, ut dixi, illiuſmodi inædificata fundamentis & indiciis eſt, quæ vera quidem & certa ſunt, ſed tamen haud ita certa & vera, quin citra contradictionem poſſent eſſe non certa & non vera, id eſt, quin objecta eorum poſſent aliter ſe habere, quam revera ſe habent. Sumamus *Crucifixionem Chriſti*; factam illam verè eſſe, omnino aſſeverant, quin & pro certiſſimo habent, eam a Deo ipſo revelatam nobis eſſe; ſed diſtinguunt revelationis illius *veritatem* ab *argumentis* & indiciis illis, quibus menti noſtræ, vere a Deo factam eam eſſe, inſinuatur; eaque putant haud alia quam *moralia* tantum eſſe, id eſt, talia, quæ ut ut certa ſint, aliter tamen habere ſe poſſent, ac proinde majorem, quam certitudinem *moralem* fundare non poſſe. Non enim implicat (inquiunt) per æque Viri cujuſdam crucifixionem per hominem aliquem ſeu malum genium, ac per ipſum Deum revelari, & ad poſteros tranſmitti potuiſſe; maxime cum conſtet, quid non infernalis Veterator cœcis creduliſque Gentibus ſpecioſiſſime ſubinde obtruſerit.

VII. Neque provocari ad *Scripturæ* teſtimonium Theologi illi ſinunt, quod illa nempe *Chriſti Crucifixionem* tam exerte doceat, quoniam in quæſtione ſemper manet, an illud ipſum, quod Liber ille, quem *Scripturam* indigitamus, nobis enarrat, ab ipſo quoque Deo proditum narratumque nobis ſit. Utcunque enim naturæ lumine ſat evidenter pateat, Deum in omnibus ſuis revelationibus ſumme veracem eſſe, imo contradictionem importare, ſi talis non eſſet, eodem tamen naturali lumine exploratum nobis non eſt, veracem illum Deum hanc vel illam rem E. G. *Chriſti Crucifixionem*, in Verbo ſuo pateſeciſſe. Putant itaque ob ſequentia, aliaque id genus argumenta, dictam *crucifixionem* Chriſti hiſtoriam Divinam, id eſt, a Deo ipſo productam eſſe, credi tantum oportere: Quod Apoſtoli, qui ſcripto illa reliquerunt, Viri fuerint ſancti, & ſupra omnem exceptionem inculpati & fide digni; quod admirabili conſenſu, abſque ulla cum ſe invicem ſuper illâ collatione, ſinguli ſeorſim eam enarrarint; quod in narratione illa omnibus V. T. de eâ prædictionibus umbriſque quam exactiſſime reſponderint; quod denique crucifixionis illius doctrina tantæ ſemper apud omnis generis homines efficaciæ fuerit, ut & acutiſſimi eorum amplexi eam ſint; quinimo cruentiſſima quævis tormenta quam paratiſſime nonnunquam

Lud. le Blanc. in Theſ. Sedan. part. 2. pag. 10. 37.

Grot. de Ver. Relig. Chriſt. lib. 3. pag. m.

quam

Digitized by Google

quam ſubire non detrectarint, ne veritas illa detrimenti quicquam caperet.

VIII. Nullo etiam loco ipſis eſt, quod ex 1 Joh. 5. verſ. 6. adferri vident: *Spiritum nempe eſſe, qui teſtificatur Spiritum veritatem eſſe*; adeoque, ſi ejus teſtimonio fide noſtrâ incumbamus, non niſi firmiſſime certos nos eſſe poſſe earum rerum, quas *Spiritus* ille in verbo nobis revelavit. Dicunt enim, verba illa minime ſibi obeſſe, imo ne quidem ad rem quicquam facere; cum Spiritus S. teſtimonium conſiderari debere exiſtiment, non ut *medium terminum* ſive *argumentum peculiare*, quo Scripturæ Sacræ veritas & divinitas in mentibus noſtris confirmatur, ſed ut *Cauſam efficientem*, quæ aſſenſum, notis Divinitatis Scripturæ inſitis præbendum, ἐνεργητικῶς in nobis operatur. Cenſent enim, impoſſibile eſſe in materiâ de Sacræ Scripturæ divinitate *circulum*, a Pontificiis tam ſæpe objectum, evitari, ſi aliæ hic partes, quam mox dictæ, id eſt, *cauſæ efficientis*, Spiritui Sancto attribuantur. Ita illi, & ſatis quidem acute.

Rivet. Cath. Orthod. Tr. 1. Quæſt. 12.

IX. Ut neque deſunt, qui utcunque opinionem illam non amplectantur, eam tamen in communis fidei analogiam impingere non putant, eo quod *moralem* illam *certitudinem*, quam Theologi illi ponunt, utcunque inferioris ordinis & gradus *mathematicâ*, pro *verâ* & proprie dictâ *certitudine* tamen habeant, idque non inviti ubivis profiteantur. Quinimo certiſſimum eſſe exiſtiment, res fere quaslibet, utut maximi momenti in toto mundo, non aliâ, quam eâ ipſâ certitudine *morali*, certas nobis eſſe. Eâ enim (dicunt) & non firmiori ſcimus uxorem, quam habemus caſtam, liberos, quos poſſidemus, genuinos & non ſpurios eſſe; eâ ſcimus omnia noſtra ædificia, prædia, facultates, non furto ſed juſto a nobis titulo poſſideri; eâ denique innixa eſt omnis ſubditorum erga hunc vel illum Regem, liberorum erga parentes, ſervorum erga Dominos ſuos obedientia & reverentia. Neque enim implicat, illum, qui ut verus Dominus, vel ut verus parens a nobis honoratur, verum Dominum vel parentem noſtrum non eſſe, ſed perſonatum tantum & fictitium. Et ſic etiam in aliis.

X. At vero, ut quod res eſt dicam, omnia quæ vera ſunt, vel talia ab aliquibus habentur, non æque tutò & utiliter aliis ſemper inculcantur: Adeoque, quum in ſequiorem ſaltem ſenſum trahi facillime poſſit, ſi Fidei divinæ, qualicunque etiam ſenſu ſumptæ,

non

non alia quam *moralis* quædam certitudo attribuatur, ac ſi fidem pene dubitantem & hæſitabundam, incertiſque fundamentis nixam, juſto liberalius *Romanenſibus* largiremur, expendi a Viris illis Eruditis velim, an non præſtet, vulgatam Theologorum opinionem hic retineri, quæ *ſummam* hucuſque & firmiſſimam Divinæ fidei *certitudinem* adſcripſit, id eſt, talem, quæ qualescunque certitudinis ſpecies *Intelligentiæ*, *Scientiæ*, *Experientiæ* multis numeris antecellit, quam iſti ſuæ ſententiæ obſtinate nimis inhærere, quæ licet forte quoad *rem ipſum* plane aliena non eſſet, quoad phraſin tamen tam eximio Dei χαρίσματι, ut eſt *Fides divina*, non modicum videtur detrahere. Equidem

Bellarm. de Juſtif. lib. 3. cap. 11. Et eod. lib. cap. 2.

Illa mea ſemper ſedit ſententia menti,

etiam ne hilum quidem, quod ad ipſos dicendi & loquendi modos veræ fidei Adverſariis temere concedendum eſſe. Sæpe enim Satanas ſolâ phraſium & modorum loquendi everſione & alteratione rem ipſam, id eſt, veritatem evertere poteſt & reipsâ evertit. Prout illuſtre ejus exemplum dedit *Arianorum* & *Eutychianorum* tempore, quando *unius* duntaxat litterulæ immutatione totam pietatis doctrinam inſigniter labefactavit. Etiamſi enim alias de vocibus rigide litigandum non ſit, ubi de *re ipſa* conſenſus eſt, non tamen citra evidentem neceſſitatem immutandæ ſunt, tum quod abſque notabili confuſione id raro contingat, tum quod nunquam non *opinionum* novitas *vocabulorum* novitate commendare & inſinuare ſe ſoleat. Voces vix aliter fere ſe habent, ac *nummi*, quorum valor θέσει καὶ νόμῳ (ut loquitur *Empiricus*) conſtitui ſolet; at qualem non paſſim in Rep. ordinis perturbationem oboriri videas, ſi qualiscunque tantum immutatio circa eos vel invehatur vel admittatur? Optime Paræus: *Tacite* (inquit) Apoſtolus *ad fontem ſchiſmatum digitum intendit, naſci videlicet ea inde, cum alius ſic, alius ſic de religione loquitur. Sæpe quidem ſub diverſis verbis idem tenetur ſenſus; attamen qui* novas *phraſes, terminos, definitiones rerum excogitant, plerumque etiam* nova *dogmata moliuntur. Nolunt enim loqui cum aliis, ut ſupra alios ſapere videantur.* Neque aliter *Auguſtinus*, dum ait: *Ad certam regulam*, loqui *fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Nam cum hujuſmodi phraſiologiarum vel vocum mutatio ſuſcipi tantum incipit, mox invenies, qui eam avide non tantum arripiant, ſed & tanquam pro aris & focis decertaturi pro eâ ſunt; invenies, qui non minori ardore & zelo ſe ei oppoſituri ſunt; in-

Gatak. Adverſ. c. 15. pag. m. 145.

Paræus in 1 Cor. 1. 10

Auguſt. de Civit. Dei lib. 10. cap. 23.

Digitized by Google

venies denique, qui neutri contendentium parti ſe volent aſſociare.
Ex quâ tum animorum & opinionum colliſione quis aliud quic-
quam portendat, quam diſſidia turbaſque in Eccleſiis, ſatis
alias pacificis, certo certius concitandas? Utroque igitur laudan-
dum eſt pollice *Juſtini* II. Imperatoris edictum, quo ſeveriſſime
Evagr. 5. 4. cavit, ne quis vel unicam ſyllabam in doctrinâ Eccleſiæ Ortho-
doxæ de *S S. Trinitate* immutaret, hac additâ ratione, quod in ipſis
etiam Syllabis veritas fidei contineatur. *Hortamur* (inquit,)
Scultet. τοῦ λοιποῦ μηδένα προφασιζόμενον περὶ πρόσωπα ἢ συλλαβὰς
Medull. ζυγομαχεῖν ὅτι πρός μίαν καὶ τὴν ὀρθὴν αὐτὴν πίστιν τε καὶ ἔννο-
Patr. pag. ιαν αἱ συλλαβαὶ φέρουσι. *Ut in poſterum nemo quocunque prætextu*
1095. *perſonas aut* Syllabas *in controverſiam* vocet; *etenim ad unicam & re-
ctam fidem ac verum ſenſum* Syllabæ *pertinent.* *Valeſius* vertit: *Ne-*
Valeſ. in *mo deinceps inanem prætextum arripiens circa perſonas aut* Syllabas *rixe-*
Hiſt. Eccleſ. *tur. Siquidem* ſyllabæ *ad unam eandemque fidem & intelligentiam per-*
Evagrii.
lib. 5. cap. 4. *ducunt.* Addit *Evagrius:* τούτῳ μὲν οὖν ἅπαντες τῷ ἰδίκτῳ συν-
κατέθεντο. Atque *huic Edicto omnes quidem conſenſum ſuum ac-
commodarunt.* Promulgatum vero a *Juſtino* id eſt anno Imperii
ipſius primo, Chriſti 566. Spectavitque per τὰ πρόσωπα hæreſin,
quæ Chriſto *Duas Perſonas* aſſerebat, per τὰς συλλαβὰς *Eutychia-
nos* & *Acephalos*, qui Chriſtum e duabus quidem naturis conſtare
ante unitionem, *poſt* unitionem vero unicam tantum naturam ha-
bere, dicebant. *Syllabæ* igitur illæ erant ἐν & ἐκ: quæ licet di-
verſæ, recte ſi intelligantur, ad eandem fidem ambæ tamen colli-
neant. Summo ergo jure Athanaſius ſenſu hoc, *Sedem mutare ſe mal-
le, quam Syllabam* dixit. Prout e contra nullo non tempore in Ec-
cleſiæ ceſſiſſe detrimentum palam eſt, quod ex priſcis Theologis
quidam haud accurate ſatis huc attenderint, nequaquam præ-
ſagientes ſubſequentium ætatum Hæreticos vel unicâ forſan
voce mutatâ, vel verbulo incautiuſcule picto in veritatis noxam
Heinſ. in abuſuros eſſe. *Ut tum* (inquit illuſt. *Heinſius* de Arianorum tem-
Prolegom. poribus loquens) *iis, qui hæretici effugere ſuſpicionem vellent cautius*
ad Ariſt. *ſcribendum eſſet. Quemadmodum ſuperioribus temporibus minus vel
circumſpecte loquebantur, aut in quibuſdam fluctuabant Orthodoxi.
Qualia non pauca illi (* Nonno Panopolitæ Ægyptio *) exciderunt;
ſive quod ſic ſenſerit, ſive quod haud multum (num hac olim uſpicati ſu-
mus) in Sacris profeci*[illegible]*es; ſive quod partis utriuſque gratiam captaret; ſive
quod verſutiam Hæreticorum, aut quam* caute *propter illos tum loquen-
dum*

Digitized by Google

dum eſſet, nondum intelligeret. Quod non paucis ex præcipuis Eccleſiæ Doctoribus impoſuit. Adeo quidem (N B) *ut hæreticorum cauſâ*, quædam *etiam in ſuis* caſtigarent *&* mutarent, *ſed nec paucis* abſtinerent, *neque enim & quomodo & quando ſingula ſcribantur, parum intereſſe exiſtimabant.*

X I. Ut ergo omnis hic tum rei obſcuritas tum phraſiologiæ ἀκυρολογία & offenſio evitetur, Fidei divinæ *certitudo*, in quantum hic de eâ agitur, ſic videtur concipienda, ut dicamus: Indubium 1. eſſe, Spiritum S. in divinis ſuis revelationibus adeo potenter piorum cordibus inſinuare verè divinas illas eſſe, ut in earum aſſenſu pleniſſime poſſint acquieſcere, imo, dicto Spiritu actu eorum mentem illuſtrante, haud aliter credere, quam *divinas* illas eſſe. 2. Piorum animos de revelationum illarum divinitate plene ſic convictos, conſequenter etiam earum objectis, id eſt, rebus a ſpiritu illo S. revelatis non aliter quam *certitudine* firmiſſimâ aſſentiri poſſe, id eſt, tali certitudine, quæ non tantum *Moralis*, ſed & verè *Mathematica* dici meretur, ſuperſtructa nempe tali Spiritus Sancti teſtimonio, de quo certiſſimum eſt, id ipſum nobis in rerum illarum repræſentatione, non tantum non imponere, ſed & abſolute impoſſibile eſſe, ut ulli homini imponat. At quid aliud eſt certitudo *Mathematica*, quam quæ talibus ſtat fulcris, quorum oppoſitum notoriam contradictionem involveret. Deducit peremtorie hæc *Witſius* e duabus, quibus Apoſtolus Hebr. 11. 1. utitur vocibus, ὑποστάσεως nempe & ἐλέγχου. Ut de *poſteriori* tantum aliquid adjiciam, ſic inquit: Ἔλεγχος *autem* duo *notat. 1. Certam demonſtrationem.* Ariſtoteles *Rhetor. ad Alex. cap.* 14. Ἔλεγχος δὲ ἐστιν ὃ μὴ δυνατὸν ἄλλως ἔχειν, *&c. Elenchus ejuſmodi ratiocinatio eſt, quæ aliter ſe habere non poteſt; ſed ita neceſſario eſt, uti nos dicimus. 2. Convictionem animi per talem demonſtrationem veritatis. Eſt ergo in Fide, ſi* ἔλεγχος *ſit, certa animi convictio, propter claram & infallibilem veritatis demonſtrationem. Demonſtratio vero hæc nititur teſtimonio fallere neſcientis Dei. Ex quo ita argumentatur fides: Quicquid Deus, qui* αὐτὸ ἀλήθεια, *eſt, revelat, id non poteſt eſſe niſi veriſſimum,* καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον ---- Concludit tandem. *Omnia huc tendunt, ut firmitatem aſſenſus, qui in Fide eſt, doceant, ſupra quam nulla* Mathematicæ demonſtrationis certitudo *aſcendere poteſt.* Et quid *Lutherus*! *Spiritus S.* (inquit) *non eſt Scepticus, nec* dubia *aut* opiniones *in cordibus*

Witſ. in Symb. Apoſtol. Exerc. 3. §. 13. 14. 15.

Luther. Tom. 3.

Digitized by Google

dibus noſtris ſcripſit, ſed aſſertiones ipſa vita & omni experientiâ *certiores & firmiores.* Ut quoque *Hieronymus*: *Tantam in nobis Fidei ſtabilitatem Dominus eſſe deſiderat, ut* certius *eſſe quod* credimus, *quam quod* patimur, *judicemus, & verius habeamus* ſperanda, *quam viſibilia.* Imò quidni ipſum *Agrippam* teſtem hic laudem, Scriptorem licet alias impurum? Hic enim utut de multis aliis rebus falſo & pene blaſpheme ſit philoſophatus, veriſſime tamen hoc de negotio pronunciavit. *Intellectus* (inquit) *ut eſt veritatum omnium cupidiſſimus, ita intelligibilium omnium ſuſceptivus eſt, atque idcirco intellectus poſſibilis vocatur; quo etſi non pleno lumine percipimus ea, quæ depromunt Prophetæ, et hi, qui ipſa Divina conſpexerunt, aperitur tamen nobis porta, ut ex conformitate veritatis perceptæ ad intellectum noſtrum, & ex lumine, quod ex ipſis penetralibus apertis nos illuſtrat, multo* certiores *reddimur, quam ex* Philoſophorum *apparentibus* demonſtrationibus *definitionibus, diviſionibus & compoſitionibus; daturque nobis, ut legamus & intelligamus non oculis & auribus exterioribus, ſed percipiamus melioribus ſenſibus, & ablato velamine & revelatâ facie hauriamus veritatem a medullâ* Sacrarum litterarum *emanantem, quam ſub velamine tradiderunt hi, qui vero intuitu conſpexerunt, quæ a Sapientibus hujus mundi & Philoſophicis cognitionibus abſcondita eſt, eamque nos tanto* certitudinis *judicio apprehendimus, ut omnis amoveatur perplexitas.* Scio, veritates revelatas differre ab argumentis, revelationem illam vere a Deo factam eſſe, dictantibus, deque his ſermonem hic eſſe, non de *illis.* Sed *dico*, dato, argumenta illa *moralia* tantum eſſe, ſi *ſeorſim* ſumantur, non ſequitur tamen, ſi conjunctim ea conſideres, cum dicto Sp. S. teſtimonio, vim eorum argumentorum evidentiſſime mentibus noſtris exponente & intimante, eaſque in aſſenſum veritatis credendæ potentiſſime pertrahente, non plus quam *moralem* certitudinem in vere credentibus efficere poſſe. Quæ enim vix perſuadent ſeorſim ſumpta, conjuncta aliis *μεγάλην ἔχουσι ῥοπὴν*, ut cum *Polybio* loquar, id eſt, *vim tamen magnam convincendi habent*; ſive, quod idem eſt,

Hieronym. ad Virgin. in exil. miſſ. Tom. 9.

Agripp. de Vanit. Scient. cap. 98.

Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conſpirat amice.

Neque tamen opus eſt, ut dictum, Sp. S. teſtimonium peculiaris *argumenti* vel *medii termini* naturam ideo induat, poteſt enim illud ut *cauſa efficiens* tantam animabus, quæ veritatibus revelatis aſſenſum de-

debent, lucem infundere ut peræque veras certaſque eas eſſe credant, ac *bis duo quatuor eſſe*, & *impoſſibile eſſe, idem ſimul eſſe & non eſſe*; quæ axiomata *mathematica* certitudinis ſunt. Ut & pleniſſimè eas convincere, dum tam multis rebus fidem adhibent, quarum arcanam tamen rationem plene perſpectam non habent, myſteriis etiam divinis aſſenſum illum negandum non eſſe. Ita ſe pertractum tandem ad *fidem* eſſe *B. Auguſtinus* confitetur, cum inter Philoſophorum & Chriſtianorum dogmata diu multumque fluctuaſſet. *Deinde paulatim* (inquit) *tu, Domine, manu mitiſſimà & miſericordiſſimà pertractans & componens cor meum, conſideranti, quam innumerabilia crederem, quæ non viderem, neque cum gererentur, affuiſſem. Sicut tam multa in Hiſtoriâ gentium, tam multa de locis atque urbibus, quæ non videram: tam multa amicis tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ niſi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Poſtremo quam inconcuſſa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus eſſem, quod ſcire non poſſem, niſi audiendo credidiſſem. Perſuaſiſti mihi, non qui crederent libris tuis, ſed qui non crederent, eſſe culpandos, nec audiendos eſſe, ſi qui forte dicerent, unde ſcis illos libros unius veri & veraciſſimi Dei Spiritu eſſe humano generi miniſtratos?* &c. Imò inter ipſos Pontificios, qui Scripturarum ἀξιοπιστίαν ab Eccleſiæ teſtimonio alia ſuſpendunt, non deſunt, qui hic θεῖόν τι agnoſcunt: *cum multa ſint* (inquit Gregorius de Valentia) *in ipſa Chriſtianâ doctrinâ, quæ ipſa per ſe fidem illi atque authoritatem conciliare poſſint, tamen illud maximum mihi eſſe videtur, quod ſuâ neſcio quâ admirabili vi divina prorſus hominum animos afficit, atque ad virtutem impellit. Eſt ſcripta verbis ſimplicibus, & caret verè artificio orationis & ornamentis, nihilominus ita vehementer lectoris mentem commovet, ut nulla alia doctrina. Quod argumento eſt illius Authoritatem* omnino *Divinam eſſe, non humanam.* Similia habet *Baptiſta Mantuanus Carmelita*, ſed prolixiora, quam quæ hic inſerantur. Res huc redit: prout radii ſolares abunde manifeſtum faciunt, ſeſe claritatem ſuam & originem candelæ vel accenſo titioni non debere, ſive copiam ſive gratiam luminis conſideres; ita prorſus ſapientiæ, quam prophetica & Apoſtolica volumina continent, cum eſſe fulgorem inuſitatum, eam coruſcare nitidiſſimam puritatem, præque hominum repertis quibuslibet auguſtiſſimam Majeſtatem, ut difficile non ſit, caſtiſſimam & incontaminatam Divinæ Sapientiæ traducem dignoſcere, modo *Spiritus* oculos aperiat. Nam quod omnes revelationes Divinas contemplantes,

Auguſt. Confeſſ. lib. 6 c. 5. 9. 1. 2.

Gregor. de Valent. Analyſ. Fid. lib. 1. c. 15.

Mantuan. lib. 3. de Patient. c. 32.

Mantuan. lib. 3. *de Patient. c.* 33

fulgorem cum non videant, non eſt, quod is iis non inſit, ſed quod *cæleſti* hoc *lumine* deſtituantur. Ita Apoſtolus. *Si abſconditum eſt Euangelium, iis abſconditum eſt, qui pereunt, quorum Deus hujus ſeculi* mentes occæcavit, *infidelium* videlicet, *ne qua* ſplendor *ipſis* illuceſceret *Euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* 2 *Cor.* 4. 3. 4. &c. 3. Cumque fidei certitudo conſiderari poſſit vel quoad *ſpeculationem* vel quoad *adhæſionem*, eam *poſterioris* ratione ſummam & firmiſſimam ſaltem eſſe, utcunque talis non eſſet ratione *prioris*. Sive, quod idem eſt, tam altè infixum fidelium animis eſſe Chriſti omniumque credendorum affectum & amorem, ut nihil ſit, quod arctius firmiuſque retineant, quam omne illud, quod ut veritatem Divinam, ab ipſo Deo revelatam, ſemel apprehenderunt & amplexi ſunt. Imo ita quidem, ut vel omnibus potius omnium ſcientiarum & diſciplinarum apodicticis veritatibus poſſent renunciare, quam vel oretenus tantum res fidei, & vere ſemel creditas abnegare. Unde martyris illius effatum, ſane generoſum, *Mori pro fide poſſum, diſputare pro ea non poſſum.* Et dic mihi, quæſo, quis unquam mortalium pro principiis ſuis Mathematicis, Geometricis, Arithmeticis vel leviſſima tormenta ſubire viſus eſt, cum tamen innumeri fideles pro S. Scripturæ dictatis crudeliſſimas mortes oppetere non detrectárint? Agglutinatæ vero tam pertinaciter piorum animæ rebus fidei ſunt, quia non tantum Spiritus S. cæleſti lumine oculos eorum aperuit, ut perſpicere revelationum divinarum *veritatem* poſſint, probeque, quænam divinitatis in illis ſigna deliteſcant, dignoſcere, ſed & *excellentiam momentumq́;* ejus inſigne tam luculenter iis inculcavit, ut videre perſpicue poſſint, omnium aliarum artium axiomata & concluſiones ne comparandas quidem cum minimo ſplendoris illius radiuſculo eſſe, ſi ad ſpiritualem ejus fructum dulcedinemque attendatur. 4. Fidem denique genuinam, quæ vere unquam Verbum Dei, tanquam a Deo revelatum, imbibit, tantas taleſque paſſim in piorum cordibus operationes excitare, terrendo ea quandoque, quandoque erigendo, peccatorum in iis amorem extinguendo, Deo placendi ſtudium inflammando, quinimo ineffabilem ſubinde contentationem & pacem in iis efficiendo, ut & aliam inde *certitudinem* ſuboriri neceſſum ſit; eam nempe, quam *experientiæ* ſive experimentalem ſupra indigitavimus. Quâ ſcil. jam anima non tam amplius ſcit & intelligit tantum veritates divinitus revelatas, quam quidem dulcedinem & delicias earum ſapit & deguſtat. At quis inficias ire auſit, quin hujuſmodi cæleſtis veritatis

guſtus

Digitized by Google

guſtus & *ſapor* non tantum ad *moralem*, ſed ab ſublimiorem maximeque convictivam Fidei divinæ certitudinem ſit referendus?

X. Quin eſto tandem, ſenſu (quo ſupra expoſitum eſt) *moralem* tantum *certitudinem* Divinæ fidei competere, quis probavit unquam, *certitudinem* illam certitudine quâvis *mathematicâ* debiliorem & infirmiorem ſemper eſſe? Non deſunt certe Magni viri, qui plane aliter determinarunt; unum tantum audiſis *Huetium*, qui in *Præfationis* ſuæ ad *Demonſtrationem Evangel.* marginali lemmate ſic fatur: *Probari poteſt Religionis Chriſtiana veritas eo genere demonſtrationis, quod non minus certum ſit, quam demonſtratio ipſa Geometrica.* Et in ipſo contextu: *Quæ apud plures homines habent fidem veriora eſſe neceſſe eſt.* Quod de *S. Scriptura*, fidei divinæ objecto, præſupponens, ſic pergit: *Rem exemplis illuſtrabimus: Conſtantinopolim primariam Turcici Imperii urbem eſſe, ad Boſphorum Thraciæ ſitam, pro certo & comperto habemus, quam neque ego vidi, neque fortaſſe tu. Auguſtum olim Romæ imperium tenuiſſe, in confeſſo eſt apud omnes, quem hominum qui vivunt nullus vidit unquam, ex libris tantum ac fama novimus. Digitum admotum igni aduſtum iri nemo homo eſt tam ſtipes aut bardus, nemo tam opinioſus & pertinax, qui non fateri malit, quam experiri. Quis futurum dubitat, ut ver hyemem excipiat, æſtatem autumnus conſequatur? Quis adeo refractarius & pugnax in diſputando, quæ Gens eſt adeo barbara, quæ Solem occaſurum, quæ ſe aliquando moriturum non agnoſcat? Nemo ſe cogitare, ſe hominem eſſe, ſe ex muliere eſſe, ſe ex hac muliere natum eſſe, ſe corpore præditum eſſe, ſe capite, pedibus, manibuſque inſtructum negare auſit. Atque hæc quidem ita credimus, ut pro eorum veritate fortunas omnes velimus vitamque adeo ipſam paciſci, & ex earum explorata veritate res noſtras componamus.* Geometrica *vero* principia *pro veris habent acuti tantum quidam & ſubtiles viri; reliquorum hominum magna pars ne capit quidem, nonnulli etiam præfracte negant.* Et aliquanto poſt: *Utra ergo certiora dicenda ſunt?* Moralia *certe, ſiquidem æqua eſt eorum diſceptatrix & judex humana ratio, cujus nutus & decreta non ex ingenioſorum aliquorum effatis, ſed ex univerſorum hominum, cum accuratiorum tum tardiorum conſenſu exiſtimantur.* Concludit tandem: *Atqui* Religionis Chriſtianæ *veritatem demonſtrari poſſe ajo ex iis principiis* moralibus, *quibus fidem experientia magiſtra conciliat, quæque nemine adhuc contradicente, & tritiſſimo ac pervulgatiſſimo omnium uſu & conſenſu recepta ſunt.*

Huet. Demonſtrat. ſtrat. Evangel. Tom. 1. pag. 5. 6. Edit. in 8.

EXERCITATIO III.

DE
JEJUNIIS RELIGIOSIS.

BREVIARIUM.

Stupenda Gentium *quarundam jejunia.* Pythagoræ *ab animalium eſu ut & a* fabis abſtinentia *an eo referenda? Qui an* omnium *animatorum uſu ſuis interdixerit an* aliquorum *tantum, dubitatur.* Ariſtoxeni, Ariſtotelis, Gellii *de hoc judicia.* Pythagoræ Ἰχθύων μὴ γεύεσθαι *quid, quibusque rationibus fultum? Cur, quid verè de hiſce ſenſerit* Pythagoras, *explicatu tam arduum? Verſiculi ejus aurei.* Phythagoricorum *genius. Papiſtarum* Quadrageſimale *jejunium exploſum.* Rechabitarum & Naziræorum *abſtinentia cur* jejuniis *non accenſenda?* Ἀγγαρείας *vox an* jejunio *conveniens? Quo ſenſu a* Papicolis *uſurpata?* Ἄγγαρος *quid?* Scaliger *a* Voetio *pulſatus. De voce* תַעֲנִיוֹת Aben-Ezræ *conſideratio.* Judæorum *jejunium maxime ſolenne. Quibus* ritibus *celebrari id ſolitum? Quem in* finem *inſtitutum? Superſtitioſa* ejus *obſervatio notata. Alia Iudæorum annua* jejunia *quando & in quorum memoriam celebrata? Nonnullorum in multiplicandis* Judæorum jejuniis *liberalitas perſtricta. Locus Zachariæ. 7. 3. vindicatus. Verſio LXX. Interpretum quando concinnata? An eodem tempore* jejunium *in ejus deteſtationem ab* Hebræis *inſtitutum? Quænam deteſtationis &* Iejunii *illius cauſa? Iudæorum* Hieroſolymitanorum & Ægyptienſium *in Verſionis illius approbatione & improbatione diſſenſus.* Hebdomadalia *judæorum* jejunia *quem in finem inſtituta? Locus Luc. 18. 11, 12. elucidatus. Iudæorum* Semi-jejunia.

Loco

Digitized by Google

Loco Act. 2. 5. lux affuſa. Ante cibi ſumptionem inebriari non Hebræis tantum, ſed & Gentibus exoſum. Jejunia Chriſtianorum *varia. Etiam* bis *nonnunquam hebdomodatim ab aliquibus jejunatum. Quod in hunc uſque diem in Eccleſiis* Græcis *uſurpatum. Veterum* Stationes *quæ? Nominis illius ratio. Cur* jejuniis *accenſæ? Quomodo ab his tamen diſtinctæ? De* Indulgentiis *earum tempore a* Gregorio *diſtributis Papiſtarum affaniæ. Gentium* Stationes *variæ, ſed alius plane generis.* Moſchovitarum *aliorumque* Orientalium *jejunia. Jejunia quo ſenſu tam in N. quam in V.T. neceſſaria?* Maſſiliani *notati. Varia in* Jejuniorum *celebratione obſervanda. Jejunia ut ſic, non* cultus *ſed cultus* adminicula. *Non ſingulis ex æquo imponenda. Locus Jon. 2. 5. 6 vindicatus Jejunia* ſtata non *temere admittenda.* Salmurienſes *laudati.* Privata *non niſi* prudenter *inſtituenda* Ganfredi Monachi & Abbatis Eliæ *jejunia exploſa. Jejunia juſto diutius non protrahenda. Loci, 1 Sam. 31. 13. Dan. 10. 2. 3. Eſt. 4. 16. vindicati. Jejunium* Scoticum *A. 1583. quo ſenſu per* ſeptiduum *continnatum?* Exceſſus *in* jejunio *an & quomodo poſſibilis? Jejunia* diuturniora *cur valetudini noxia? Veterum a potu & cibo abſtinentia quam diuturna?* Cænæ *apud Paganos* hora *quæ? Jejunium quo tempere finiri judicandum? Jus id ipſum indicendi quorumnam ſit? Jejunii* fines *qui?* Difficultas *expedita.* Finibus *Jejunii obtentis Jejunium finiendum.* Mœror animi *quomodo tum* facie *tum* geſtibus Jejunii tempore *demonſtrandus? Locus Matt. 6. 16. explicatus & vindicatus.*

I.

DE *Gentium Jejuniis* varii habent varia, quæ hic non repetimus. Quænam hodiedum ſingulari devotione obſervent, enarravit nobis *Abrahamus Rogerius* Tractatu ſingulari de *Doctrinâ, vitâ &* & *ritibus* Braminum, ſive *Brachmano-*

no-

norum conſcripto, notiſque eruditiſſimis Viri Ampliſſimi A. W. illuſtrata, paginâ imprimis 84. Fidem excedere videtur quod idem A. W. e *Johannis Twiſtii* Diario refert, aſſerentis, varios ſe vidiſſe Ethnicos, qui totis 24. vel 25. diebus ſe ne ullum quidem cibum potumque deguſtaſſe vel ediſſe, verum non niſi aquâ, cui pauxillulum ligni cujusdam amari, antea contuſi, immixtum erat, vitam ſuam ſuſtentaſſe, declarabant. Imo addit *Carolinus*, ex eodem *Twiſtio*, repertos eſſe e ſectâ *Cheurawachiorum* apud Guzurattenſes, qui jejunia ſua ad diem *trigeſimum* vel *quadrageſimum* nonnunquam protraxerunt.

Lomejer. de Luſtrat. Vet. Gentil. cap. 32. pag. 304. 305.
Carolin. de Gentiliſ. Hodiern. p. 1. pag. 136.

II. *Gentium* Jejuniis accenſetur vulgo *Pythagoræ* inſtitutum, de abſtinentiâ ab *animantium* eſu; Cui adſtruendo his præcipue argumentis pugnabat: quod animas ambulatorias eſſe exiſtimaret, eandemque nunc hominis nunc beſtiæ animam eſſe. Ne itaque, juxta illud Tertulliani, *bubulam quis forte de aliquo proavo ſuo obſonaret*, carnium uſu ſuis interdixit. Ob quam cauſam etiam *Faba* ipſi damnata eſt, quod (referente *Plinio*) mortuorum *animas* ei ineſſe exiſtimaret. Addit *Feſtus*, ex ejuſdem mente, ne *fabam* quidem *tangere* vel *nominare Diali Flamini licitum fuiſſe*, quod ad *mortuos* pertinere putaretur. Ut & quod unum ſtatueret Mundi ſpiritum, quo proinde homo & beſtia colligentur, ac regantur, neque vinculum hoc, quo natura ſive Deus utrumque eorum obſtrinxit, citra injuſtitiam rumpi poſſit; Somnia ex eburneâ porta! quaſi vero ſpiritus iſte (quem *mundi animam* vocant Pythagorici) plantas ac lapides, quibus tamen abſtinendum eſſe non dicunt, minus quam homines & beſtias permearet. Verum utut ſit, dubito, an bene ad *jejunium* hæc trahantur. 1. Quia haud certò conſtat, quænam *Pythagorici* illius inſtituti mens proprie fuerit, extenderitne ſe illud ad *quævis* animantium genera, an ad *aliqua* tantum, *Bovis* ſcil. *arantis*, & *Arietis*, ut ſenſit *Ariſtoxenus* apud *Laertium*; docens exerte, *Pythagoram* omnium animalium uſum eſumque, dictis ſolum duobus exceptis, diſcipulis ſuis conceſſiſſe. Saltem *Porphyrius* quaſdam eum victimarum partes commedere ſolitum fuiſſe, litteris prodidit. Prout neque alia mens *Ariſtoteli* de *Pythagoricis* fuit, ſic enim de eo *Plutarchus*: Ἀριστοτέλης δ' ἀπὸ μήτρας καὶ καρδίας, καὶ ἀκαλύφης, καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαί φησι τοὺς Πυθαγορικούς, χρῆσθαι ἐ τοῖς ἄλλοις: *Ariſtoteles a vulvâ, corde & marinâ urtica atque id genus quibusdam aliis abſtinere Pythagoricos dixit, cæterorum autem uſum habuiſſe.* Neque abludit *Agellius*:

Tertull. Apologet. cap. 48.
Plin. lib. 18. c. 12.
Varr. de Vit. Popul. Rom. lib. 1.
Turneb. Adverſ. lib. 10. c. 22.
Laert. de Vit. Philoſ. lib. 8. cap. 4.
Plutarch. lib. 1. de Homer.
Malch. ſive Porphyr. in Vit. Pythagor.

Digitized by Google

lius : *Opinio* (inquit) *vetus* falſa *occupavit & convaluit*, *Pythagoram Philoſophum non eſitaſſe ex animantibus*, *item abſtinuiſſe fabulo*, *quem* κύαμον *Græci appellant.* Cum *quibus Gellianis* convenire tamen non videtur uſurpatum *Pythagoræ* ſymbolum, Ἰχθύων μὴ γεύεσθαι : *ne guſtes piſces*; niſi hos animalibus accenſendos eſſe, inficiari auſis. Quinimo peculiarem rationem adducit *Plutarchus*, ob quam abſtineri piſcibus Pythagorici voluerint, quoniam nempe *propter ſilentium horum illi contubernales eſſe videbantur.* His enim, quos in diſciplinam olim recepit *Pythagoras*, minimum *biennii* ſilentium indicebat, quo tempore ἀκουστικοὶ, *Auditores*, dicebantur, & ſilentii lex ἐχεμυθία, *Taciturnitas.* At quid taciturnius piſce? Hinc proverbialiter Ἀφωνότερος ἰχθύος, *piſce magis mutus* dicitur, quiſquis *taciturnior* eſt aliis. Cauſas interdicti has reddunt alii: quod res cum injuſtitiâ conjuncta *Pythagoræ* videretur, perſequi, occidere, vorare animal, quod ipſâ naturâ nullo pacto hominem lædit, aut lædere poteſt. Deinde quod non ad neceſſitatem, ſed ad luxum gulæque voluptatem *piſcium* eſus referendus ſit. Neque uſque adeo mirum eſt, genuinam hac de re *Pythagoræ* ſententiam non ita manifeſtam eſſe, quum non deſint, qui eum ipſum nihil omnino ſcripſiſſe arbitrati ſunt; adeoque quicquid tribui ipſi paſſim videmus, quod ſenſerit, non niſi ex poſteris & diſcipulis ejus innoteſcere nobis poſſe; qui facillime a vera præceptoris ſui mente potuerunt deviare. *Pythagoræ* (inquit Claudianus Mamertus) *quia nihil* ipſe *ſcriptitaverit*, a *poſteris quærenda ſententia eſt.* Adſcribuntur quidem ipſi verſiculi aliqui aurei:

Agell. lib. 4. c. 11.

Plutarch. Sympoſ. lib. 7. quæſt. 8. Eraſm. Adag. Chiliad. 1. Centur. 1. Adag. 5.

Cl. Mamert. de Stat. Animæ l. 2.

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται
Τίμα καὶ σέβου ὅρκον ἔπειθ᾽ ἥρωας ἀγαυούς.
Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας ἔννομα ῥέζων. &c.
Principio venerare Deos, ut lege receptum eſt,
Et juſiurandum colito, poſt armipotentes
Heroas, magna Venerandaque Numina terræ. &c.

Eraſm. Adag. Loc. Citat.

Sed an ſcripto illos ſuis reliquerit, an per manus tradiderit, ipſique ex ore ejus eos hauſerint, quis certo dixerit? Verum ſaltem eſt, ipſum, utcunque a propriâ ſcriptione alieniorem, cavere tamen

Digitized by Google

III. Habuerunt etiam *Ieiunia* ſua ac etiamnum habent Judæi, quæ communi nomine *Angarias* ipſis dici *Scaligeri* in Euſebianis ſententia eſt, a verbo origine Perſico ἀγγαρεύειν, quod habet Matthæus cap. 5. verſ. 41. Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἓν ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. Quem locum ſic παραφράζει Excellent. D. *Salmaſius: Hæc eſt* (inquit) ἀγγαρεία, *de qua Arrianus in Epictet.* Diſſert. lib. 3. cap. 18. ἂν δὲ ἀγγαρεία ᾖ, καὶ στρατιώτης ἐπιβάλλῃ τῷ ζώῳ σου, ἄφες, καὶ μὴ ἀντίτεινε μηδὲ γόγγυζε. *Si* Angaria *ſit, & miles apprehendat animal tuum, ne renitaris neque obmurmures.* Angariæ *autem locus erat, præcipue expeditionis tempore, hoc eſt, ut Græci Iure-Conſulti loquuntur,* ἐν καιρῷ στρατοπέδου, *cum exercitus per vias militares tranſibant, tum jus erat militibus capiendi ex municipiis & villis, viæ militaris proximis, animalia* ac *jumenta, ad vehendas ſarcinas ſuas, quod cum facerent,* ἀγγαρεύειν *dicebantur, &* ἀγγαρεύεσθαι *qui id pati cogebantur,* i. e. *angariari.* Hęc *Scaliger* Atque ex rei quidem veritate, teſtimonium Viro Illuſtri perhibentibus Batavorum non paucis, qui noſtro tempore Regiones illas, quæ *Perſarum* Imperio ſubſunt, perluſtrarunt. Hinc etiam *Suidas* ἀγγαρεύεσθαι exponit per εἰς φορτηγίαν καὶ ποιάνδην τινὰ ὑπηρεσίαν ἄγεσθαι, ad *bajulationem*, onerum geſtationem, atque ad aliquod hujusmodi violentum & minus honeratum miniſterium adduci & compelli; Reſpondetque Perſicum hoc ἀγγαρεύειν Hebraicæ voci נֹגֵשׂ, quæ *exactorem publicorum onerum* ſignificat. Exod. 3. verſ. 7. & 5. verſ. 13. Lxx. per ἐργοδιώκτην vertunt. Job. 3. 18. *Angaria* propriè eſt ſervitus coacta, quam Græci ἀναγκαίαν ἀκούσιον vocant, καὶ ἐκ βίας γενομένην ὑπηρετίαν. Unde, ſi quis cogitur plus ſolvere publicanis, quam liceat, *angaria* eſt, inquit laudatus modo *Suidas.* Aliter Ἄγγαροι regii apud *Perſas* nuntii erant, qui & ἀστάνδαι vocabantur. Noſtrates *Poſtas*, quaſi poſitos collocatoſque in certis locis, & ſemper in procinctu excubantes, eodem nomine deſignant. Certis hi itinerum ſpatiis olim mutabantur, litteras invicem perferendas tradebant, & velocius ire credebantur quam eſſet gruum volatus. Ita Xenophon. φασί τινες θᾶττον τῶν γεράνων ταύτην τὴν πορείαν ἀνύτειν. *Quidam hoc iter* gruum *volatu celerius confici referunt.* Forte עגור *agor*, quod Hebræis *gruem* ſignificat, voci *Aggari* (ſic enim quidã legunt pro *Angaro*) originem dedit. *Arabes* ha-

B. Waleus in Matth. 5. 41.

Veget. lib. 1. cap. 3.

Suidas in voc. Ἀγγαρεύειν.

Druſ. Obſerv. Sacr. lib. 12. c. 19.

Eraſm. in loc.

Geſner. in Voce ἀγγαρεύειν.

Xenoph. Cyrop. l. 8.

habent *agara*, quo aliquem *ad lares ſuos poſtliminio reverti* vel *aufugere* ſignificant, quod *gruum* etiam maxime proprium habetur. Quicquid ſit, quoſcunque ſaltem ſuper vocis hujus ſignificatione nativâ conſulere mihi unquam contigit, nusquam invenire quid potui, quod indicio eſſet, Hebræorum *Jejunia* denotari per eam poſſe. Eſt quidem, quod Romani Pontifices ad *Jejunia* ſua *Quadrantalia* eam traduxerint, quibus diem fixerunt *Mercurii* ſive feriam quartam poſt diem *Cinerum*, *Pentecoſten*, *Crucis* & *Luciæ*, juxta verſiculum:

> *Vult Crux, Lucia, Cineres, Chariſmata dia,*
> *Ut ſit in* Angaria *quarta ſequens feria.*

Voet. Politic. Eccleſ. part. 1. pag. 974.

At quid ad *Judeorum* Jejunia hæc faciunt, quibus Papalia hæe ignota ſemper fuerunt, & etiamnum ſunt? Bene Clariſſ. *Voetius*: *Scaliger in Notis Euſebianis* 2. *Edit. pag.* 134. *ſtata hæc Jejunia Judaica vocari dicit ἀγγαρείας ſed loca non indicat, ubi & cur ſic dicantur.*

Aben-Ezr. in Levit 16. 29.

Druſ. loc. cit.

IV. Melius ſtatuitur תַּעֲנִיוֹת id eſt, *afflictionem* vel *afflictiones* Judæorum *Jejunia* vulgo dici. Notat enim *Aben-Ezra* in Levit. 16. 29. *in omni loco, ubi* עִינּוּי, id eſt, *humiliandi* ſive *affligendi verbum conjungitur cum* נֶפֶשׁ id eſt, *anima*, *ut* Eſ. 58. 3. 10. *ibi ſemper* Jejunium *indicari.* Unde & peculiarem librum *Thaanith*, Jejunii, Venetiis excuſum, habuiſſe ſe narrat *Druſius* loco mox citato. Imo eadem vox in Hithpahel etiam ſine נֶפֶשׁ *Jejunare* quandoque ſignificat. Sic Eſr. 8. 21. *Et prædicavi ibi Jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligerent* ſe (לְהִתְעַנּוֹת) *id eſt*, jejunarent *coram Deo noſtro.* Add. Dan. 10. 12. 1 Reg. 2. 26. Græcis *Jejunia* dicuntur νηςεῖαι, a νηςεύειν, *Jejunare*, παρὰ τὸ νὴ ἐσθίειν, ut aliqui volunt, id eſt, a *non comedendo.*

Petit. Var. lect. cap 16.

V. Publicum maximeque ſolenne Judæorum *Jejunium* fuit, quod ipſo *expiationis* die, id eſt, *decimo* menſis *Septembris* celebrabant: mentio ejus fit Levit. 16 29. & 23. 27. Act. 27. 8. Tenebantur eo die omnibus iis rebus abſtinere, quæ corpus poterant delectare. Hinc locum Levit. 16. 29. ſic explicat Jonathan: *Affligetis animas veſtras, abſtinendo a cibo & potu, item a procreatione liberorum & ab abſterſionibus, & a cal-*

Digitized by Google

calceamentis & uſu lecti. Neque obligati ad id tantum erant ſeniores, ſed filioli etiam duodecim & puellæ undecim annorum, imo ipſæ quoque puerperæ, a partus ſui triduo. Addit Clariſſ. *Heinſius*, eo die in maximum luctum Judæos ſe ipſos effudiſſe, ita ut viginti quatuor & amplius horas, albis *indutis veſtibus, nudiſque pedibus aſſidue precarentur ac* jejunarent: *ut nempe memoriam peccati vere horrendi τῆς μοσχοποιΐας deteſtarentur pœnamque tanto flagitio debitam averterent*, Diligentiſſimus *D. Leuſdenus* putat, primum quidem indictum Feſtum hoc fuiſſe in peccatorum expiationem; at Judæos, non contentos iſtoc fine, poſtmodum finxiſſe, inſtitutum id etiam eſſe, in memoriam ejus beneficii, quod Deus remiſit iis peccatum idololatriæ, *Vituli aurei* fabricatione ejusque adoratione in deſerto commiſſi. Obſervatu dignum eſt, quod tanquam teſtis oculatus Magnus *Buxtorfius* refert: vixiſſe nempe ſuo tempore Judæos, qui per ſeptem & viginti horas, dicto *Jejunii* die, eodem ſemper loco conſtiterunt, neque pedem de loco in locum unquam moverunt; ſuperſtitioſe ſane & ridicule.

Heinſ. in N. T. pag 324.

Leuſd. Philolog. Mixt. Diſſert. 40. p. 284.

Buxtorf. Synagog. Jud. cap. 26.

VI. Præter celebre hoc jejunium *quatuor* habuerunt Hebræi minus ſolennia: *Primum* eorum decimo anni menſe, in cœptæ obſidionis, *alterum* quarto, in perrupti muri, *tertium* quinto, in combuſti Templi, *quartum* denique ſeptimo, in interfecti *Godoliæ* memoriam celebrarunt. Hac tamen cum diſtinctione; 1. Quod *jejunium* Levit. 16. 29. memoratum ipſum Deum habuerit Autorem, *hæc* ab ipſo Deo indicta non fuerint, ſed ex privatâ populi devotione ſpontaneoque ejus motu obſervata, ut ſolennia & publica captivitatis & calamitatum ſuarum monumenta eſſent. 2. *Illud* per notabile N. Teſtamenti tempus continuatum ſit, ut Act. 27. 9. videre eſt: *hæc* tempore tantum captivitatis Babylonicæ obtinuerint, eâque ſolutâ ceſſaverint. Utut *Grotius* exiſtimet ea, finito etiam exilio, intra *Cyri* & *Darii Hyſtaſpis* tempora obſervata fuiſſe.

Al. Roſſ. de Mundi Religionib. p. 61. 69. 70

Grot. in Zach. 7.

VII. Alii (quos inter *Hieronimus* a nonnullis numeratur) alia adhuc addunt, alias ob cauſas celebranda, totamque jejuniorum maſſam, quæ obſervata ab Hebræis ſunt, hoc diſtribuunt ordine: Die *decimo* quarti menſis jejunaſſe eos ob confractas a *Moſe* eodem die Legis tabulas; die *ſexto* quinti menſis, ob raptas a *Benjaminitis* Virgines; die *primo* ob mortem Moſis; die *nono* ob ſeditionem ab exploratoribus Terræ *Canaan* excitatam; die

Digitized by Google

decimo octavo ob extinctam lucernam in Templo, tempore *Achazi*; die *tertio* ſeptimi menſis ob occiſum *Godoliam*; die *quinto* ob occiſos Iſraelitas ad *Godoliam* venientes; die *decimo* ob populi ſolennem expiationem quotannis præſtandam; die *quinto* menſis Decimi ob triſte nuncium, quod de incenſa urbe venit ad Ezechiam; denique die *octavo*, quod a LXX. Interpretibus Lex græce verſa eſſet. At fruſtra hæc, ut a Viris eruditis obſervatum jam dudum eſt, ſic multiplicantur, nullis adductis vel argumentis vel Scripturæ locis; ſpeciatim non niſi abſurdiſſime *Zachariam* cap. 7. verſ. 3. ad omnia hæc jejunia quotannis obſervanda reſpexiſſe a quibuſdam obtenditur, quum certiſſimum ſaltem ſit, ipſum ad opus LXX. Interpretum digitum intendere non potuiſſe, quippe quod non ſuo tempore, ſed multis annis poſt confectum demum fuit. Prophetare enim modo cœpit *Zacharias* Anno. M. 3452. cum Verſio hæc celebris Anno demum Mundi 3699. *vel* juxta *Bucholzerum* Anno. 3704. id eſt, ducentis & quod excedit, annis poſt exceſſum ejuſdem *Zachariæ* adornata ſit. Imoverò ne *tunc* quidem cum Interpretes illi viverent, quod minime *Zachariæ* ætate fuit, a Iudæis inſtitutum *jejunium* hoc fuit, vel cum confectum jam eſſet Verſionis opus, ſed notabili tempore poſt; eo nempe, quo floruit *Iuſtinus Martyr*, qui inclareſcere cœpit anno, a reſtaurata ſalute, 141. id eſt, poſt mundum conditum 4111. Cum famoſiſſima hæc *Verſio* abſoluta modo ſit annis præter propter ante ſalutis reparationem *trecentis*. Inſtituta vero eſt, *Ioſepho* teſte, authoritate, publicâ, qui & ipſe, ut ut τῶν Ἑβραϊζόντων Iudæus, eam laudat & commendat; quod neutiquam procul dubio feciſſet, ſi ſuâ modo ætate *Iejunium* hoc ab Hebræis in deteſtationem, ſaltem ſolennem deplorationem Operis illius, ab Alexandrinis ſuſcepti, indictum fuiſſet. Fuit enim, juxta Magiſtros, *gravis ille dies Iſraeli, ſicut dies, quo factus eſt Vitulus*; Tulerunt quippe ægerrime Hebraiſtæ, Legis ſuæ arcana vulgari linguâ profanari; quare & Terram tribus diebus tenebris obductam tunc fuiſſe fabulati ſunt. Volebant quippe arcanos & inacceſſos Legis ſuæ libros *Paganis* ſemper ſervari; de quo ſic ipſe Iuvenalis;

Baill. Chronolog. lib. 1. cap. 10. Quæſt. 19. pag. 192.

Joſeph. in Proœm. Ἀρχαιολογ.

Juvenal. Satyr. 14.

> *Iudaicum ediſcunt & ſervant & metuunt Ius*
> *Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.*

Unde & miranti *Ptolomæo Philadelpho*, cur Legum Moſaicarum nemo Hiſtoricorum vel Poëtarum unquam meminiſſet, reſpondit Demetrius: *pœnas dediſſe quoſdam, qui eas ſollicitaſſent*; Theopompum men-

Google

mente, Theodecten *viſu orbatum fuiſſe.* Etiamſi vero ob rationem *Ioſeph. Antiq. lib. 12. cap. 2.* jam dictam Verſionem hanc *Judæi Hieroſolymitani* inter calamitates à Gente ſuâ lugendas poſuerint, longe tamen aliter animati fuerunt *Judæi Ægyptienſes*, inde Ἑλληνισταὶ dicti; hi enim gratiſſimam illam habuerunt, imo in Synagogis ſuis prælegerunt. Teſtatur id *Philo* hiſce verbis: Μέχρι νῦν ἀνὰ πᾶν ἔτος ἑορτὴ καὶ πανήγυρις κατὰ τὴν Φάρον νῆσον, εἰς ἣν οὐκ Ἰουδαῖοι μόνον, ἀλλὰ παμπληθεῖς ἕτεροι διαπλέουσι, τὸ χωρίον σεμνυνοῦντες, ἐν ᾧ πρῶτον τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐξέλαμψε. *Philo de Vit Moſis. lib. 3.* *Uſque hodie in* Pharo *Inſulâ celebratur quotannis feſtum & panegyris, eoque trajiciunt non ſolum Judæi, ſed etiam alii plurimi, locum venerantes, in quo primum effulſit* Tranſlatio *illa.*

VIII. Præter annua *jejunia*, quæ *ordinaria* Iudæis erant, varia etiam habuerunt *extraordinaria*, quæ occaſione vel neceſſitate hac vel illâ exigente tantum inſtituebant; de quibus videri poſſunt alii. Addendum tantum aliquid de *Jejuniis* eorum *hebdomodalibus*, quorum *Lucas* Evangel. cap 18. vſ. 11. 12. mentionem facit. *Bis* Iejunabant ordinario ſingulis ſeptimanis, qui religioſiores haberi volebant, *Druſ. in Luc. 18. 22. 11. 22.* quos inter non minimos ſe eſſe Phariſæi jactitabant, diebus nempe *Lunæ* & *Jovis*; hoc, quia Moſes eo die montem *Sinai* adſcenderat, ad petendas Legis tabulas, ſecundas ſcilicet; *illo*, quia tum de monte iterum deſcenderat, cum veniâ fuſi Vituli Aurei à Deo impetratâ. Imo *Roſſ. de Religionib. Mundi. Sect. 1. pag. m. 43* & *quater* nonnunquam hebdomodatim jejunabant, die *ſecundo*, *tertio*, *quarto* & *quinto*. *Secundo* propter nautas, qui mare trajiciebant, *Tertio* propter illos, qui per loca deſerta iter faciebant; *Quarto* propter eos, qui anginâ laborabant; *Quinto* propter gravidas & lactantes: *Carol. Sigonius de Rep. Hebr. lib. 4. cap. 18.* etiamſi veroſimile ſit, omnium eos conſtantiſſimè jejunium *ſecundi* & *quinti* diei obſervaſſe, in ejuſque celebratione accuratâ non minimam devotionis ſuæ partem collocaſſe, ut Phariſæi apud *Lucam* gloriatio manifeſte innuit.

IX. Habuerunt denique & *Semi-Jejunia*, juxta quæ *feſto* quoque die (quo & Sabbatum referebant) neque edebant neque bibebant ante *horam ſextam*, id eſt, noſtram *duodecimam*; imo quandoque etiam non ante *nonam*, quæ eſt noſtra *tertia pomeridiana*, ſi qui aliis videri vellent cultui addictiores. Vacabant autem ad eas uſque horas orationibus aliiſque pietatis exercitiis, quorum alacri ſtudio cibi potuſve ſumptionem obeſſe exiſtimabant. Hinc *Ioſephus* populum, qui diebus Sabbati ad Synagogam ſive Proſeucham convenerat, ut Sacrorum librorum lectioni atque orationibus interveniret, *Ioſeph. in Vit.*

 non

Digitized by Google

non dimitti ſolitum dixit ad prandium, niſi *hora ſexta*, nempe poſt fuſas *preces* השחר והמוספין. Et Maimonides: *Hic mos fuit religioſorum Antiquiorum, ut oraret quis Sabbato preces matutinas cum additiis in Synagoga, & tum iret domum, & ſumeret refectionem ſecundam.* Primam enim jam veſpere antecedente in ingreſſu Sabbati ſumpſerat. Sic ſe habebant Judæi *feſtis* diebus. 3. *Profeſtis* vero ipſa *hora tertia*, id eſt, noſtra *nona* matutinâ victu ſuo ordinario frui integrum ipſis erat. Unde lux affundi poteſt loco Act. 2. 15. ubi hoc argumento probat *Petrus*, Apoſtolos, τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ deprædicantes, non fuiſſe *ebrios*, quod exprobratum ipſis a riſoribus erat, quia *tertia demum diei hora erat*, q. d. quomodo vel ullam poteſt habere veri ſpeciem, viros hoſce *vino plenos* hora modo diei *tertia* eſſe, quum ob Feſti, ut jam eſt, religionem (erat enim *Pentecoſte*) ex Gentis ſuæ moribus & inſtituto, ne quidem ante horam *ſextam* quicquam cibi vel potus deguſtari permiſſum ipſis ſit. Proinde vel neceſſum eſt, ut pro hominibus plane profanis eos habeatis, omnique devotione deſtitutis, (quod vos ne ſomniare quidem credo) vel odioſiſſimo ebrietatis crimine eos abſolvatis. Stringebat vero eo magis hoc argumentum, quod ſubſannatoribus hiſce intereſſent etiam *Ethnici* & *Romani*, qui ipſi pro fœdiſſimo quoque crimine habebant, ante diem medium *in vino* deprehendi. Sic Seneca: *Iſti non videntur tibi contra naturam vivere, qui* jejuni *bibunt*, qui *vinum recipiunt* inanibus venis, *& ad cibum ebrii tranſeunt? Atqui frequens hoc adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt. Poſt prandium aut cœnam bibere vulgare eſt. Hoc Patres familia ruſtici faciunt, & vera voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos.* Nec minus diſerte *Plutarchus*: οὐδὲ γὰρ ὕδωρ οἱ παλαιοὶ ἐντραγεῖν ἔπινον, οἱ δὲ νῦν ἄσιτοι προμεθυσθέντες ἄπτονται τῆς τροφῆς διαβρόχῳ τῷ σώματι καὶ ζέοντι, λεπτὰ καὶ τμητὰ καὶ ὀξέα προσφέροντες, ὑπέκκαυμα τῆς ὀρέξεως, εἶτα οὕτως ἐμφερόμενοι τῶν ἄλλων. Id eſt, *Ne quidem aquam Veteres bibebant, antequam cibum ſumpſiſſent. Nunc vero ante cibum ſumptum inebriati, accipiunt illum madido corpore & fervente, tenuiaque & acria atque acuta ſuccendiculum appetitus ingerentes, ſic demum feruntur* ad *alia*.

Maimon. Schabb. cap. 30. at Lichtfoot. p. m. 20

Deut. 16. 11. Levit. 23. 17. 18. Deut. 18. 26.

Petit. in Act. 2. verſ. 15.

Lichtf. Hor. Hebraic. in Acta pag. 26. 20.

Senec. Ep. 123.

Plutarch. Sympoſ. 8. 9

Hoornb. Vet. & Nov. p. 87. 103. 606.

Valeſ. Ann. in Euſeb. Hiſt. Eccleſ. pag. 106. a.

X. *Iudæorum* jejuniis ſuccedunt quæ *Chriſtianorum* ſunt, ſuntque varii iterum generis. Mitto enim *Muhammedanorum* jejunium, ad quod celebrandum totum menſem *decimum* ſolennem

Digitized by Google

nem habent, quo toto interdiu jejunant, noctu vero egregie helluantur, haud tamen *jejunium* ſolventes, niſi *ſtellâ* in Cœlo conſpectâ. *Muhammedani* enim ad quoſnam referendi ſint, an ad *Judæos*, an ad *Gentiles*, an ad *Chriſtianos* vix certo quis dixerit, cum doctrinam habeant e ſingulorum fere Theologiâ conflatam. *Catechumenus* quiſque in primitivâ Eccleſiâ, ſacro baptiſmate tingendus, precibus & *jejuniis* ad id ſe præparabat. Proditum etiam litteris eſt de *Johanne* Apoſtolo, ipſum ad Euangelii ſui ſcriptionem ſe non accinxiſſe, niſi ſuſcepto prius ab omnibus, quorum intererat, ſolenni *jejunio*. Qui de *Sacrâ Menſâ* communicabant, ante & poſt vini paniſque ſumptionem, *jejuniis* etiam & abſtinentiis ſe exercebant; ut & ſæviente peſte ſingularia ſæpe *jejunia* indicebantur. Ne de aliis *jejuniorum* cauſis occaſionibuſque dicam. Prout autem Judæi *bis* de hebdomade, die nempe *ſecundo* & *quinto*, jejunabant, ita & Chriſtiani nonnunquam, ne pietatis exercitiis a Judæis ſuperari ſe ſinerent, *bina* hebdomodatim jejunia obſervabant, utcunque haud iiſdem diebus ac Judæi, ſed *Mercurii* & *Veneris*; quod an male, an bene fecerint, jam non excutio. Imo quid antiquioribus Chriſtianis, uſurpatum fuiſſe aſſero, quod in hunc ipſum diem apud Græcos in viridi obſervantia adhuc eſt? Teſtatur id *Thomas Smithæus* hiſce verbis: *Mos antiquiſſimus* ἐν τετράδι & παρασκευῇ *ſeu* προσαββάτῳ *feria quartâ & ſexta jejunandi adhuc ſtrictim retinetur* (in Græcis nempe Eccleſiis) *Hic enim per univerſam Eccleſiam Chriſtianam olim* obtinuit, *partim ut religioſioribus Judæis, qui bis hebdomodatim* (S. Luc. cap. 18. 12.) *ſibi ex præſcripto & traditione Seniorum jejunandum eſſe cenſuere, pares ſint, partim quod hos dies* Stationarios *originem jejunio quaſi ſacrandi verius pandit, ut Chriſti proditi & crucifixi memoriam hac hebdomodariâ celebritate commonefacti, pio quodam dolore conſequantur.* Spectant hæc ad Veterum *Stationes*, id eſt, preces eorum hebdomodales, iiſdem *Mercurii & Veneris* diebus fundendas; quas *ſtationum* nomine ideo inſigniebant, quod non genuflectentes, multo minus ſedentes, ſed *ſtantes* pronunciare eas ſolerent; prout perfamiliaris ipſis mos erat, hoc geſtu preces ſuas fundere. Auguſtinus: *In Eccleſia* ſtantes *aut orate aut pſallite.* Baſilius: *In die reſurrectionis data nobis gratia* ſtando *precantes, noſmet ipſos commonefacimus.* Hebræorum Magiſtri omnis generis orationes *Stationes* dicunt: unde & paroemia: *Non ſubſiſteret mundus ſine Stationibus*, id eſt, ſine *orationibus*: Et אין עמידה אלא תפלה. *Nihil eſt* ſtatio niſi *oratio. Stantes* vero orabant Antiqui, neque genuflectere licitum

B. Waltæus in Joh. 1. 1.

Magdenburg. cent. 5. cap. 6. pag. m. 382.

Thom. Smith. de Hodiern. Stat. Eccleſ. Græc. p. 27.

Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. cap. 22. p. 612.

Auguſtin. in Hom. PP. pag. 24.

Baſil. ad Amphiloch. cap. 27.

licitum iis erat, tempore imprimis Paſcha & Pentecoſten intercedente; quod quidam juxta Traditionem Apoſtolicam factum eſſe contendunt, ſed male: cum ex Apoſtolorum Actis cap. 21. 5. manifeſtum ſit, Paulum ante feſtum Pentecoſtes, *flexis* in littore *genibus* propè Tyrum, cum fidelium multitudine adoraſſe; quod medio inter *Paſcha* & *Pentecoſten* tempore accidiſſe, e Capitis præcedentis verſu decimo ſexto, & ſequentis narrationis ſerie evidenter conſtat. Accenſebat vetus Eccleſia *Stationes* has *jejuniis* ſuis, quod combinatæ iiscum eſſent, pariter, ac ipſa, ad horam uſque *nonam* ordinario perdurantes, in iiſque Chriſti veluti milites in excubiis *ſtarent*. Sic Lactantius: *Dum ſpiritus hos regit artus, infatigabilem militiam Deo militemus*, ſtationes, *vigiliaſque celebremus*. Neque tamen in omnibus cum *jejuniis* conveniebant: juxta *Pamelium* enim jejunia ex *arbitrio*, ſtationes ex *Eccleſiæ præſcripto* fiebant. Juxta alios *ſtationibus* connexa multa erant, E. G. matutinus ſingulis diebus *Mercurii* & *Veneris* ad Eccleſiam acceſſus, inibique ad horam uſque *nonam* commoratio, preces, rerum Divinarum contemplatio, lachrymæ, pœnæ, labores corpus exercentes &c. quæ in *vulgaribus Jejuniis* locum non habebant. Quod vero de *indulgentiis* per Gregorium M. ſuo tempore ad certas in Eccleſiis Romanis *ſtationes* diſtributis Papicolæ habent, lepidum ipſorum ſomnium tantum eſt; cum nihil ejus, neque in ipſius *Gregorii* Scriptis, neque in ullis probatis ætatis illius Autoribus reperire ſit. Meminit forte alicubi *ſtationum* Gregorius, at quid hoc ad *Indulgentias*? Meminit *ſtationum* etiam *Tertullianus*, ergone & ille *Indulgentias* invexit? quis tam excors, ut hoc credat? cum antiquiſſima *Indulgentiarum* exempla ſupra annum Chriſti 1200. vix aſcendant, & *Tertullianus* ſeculo modo 3° floruerit. Cave interim, ne *ſtationes* has *religioſas*, cum *politicis* & *militaribus* confundas, quæ apud *Romanos* varii fuerunt generis, *Navium*, *Militum*, *Jumentorum*, quædam etiam *Fiſcales* dictæ.

Convictus, *thermæ*, ſtationes, *omne theatrum*.

In his enim non *ſtabant* tantũ Veteres, ſed & *ſedebant* nonnunquam, Ita Plinius: *Plerique in ſtationibus ſedent temporibuſque audiendis fabulis conterunt.* Quinimo præter *Stationes* haſce tam frequentia veteribus Chriſtianis *Jejunia* fuerunt, ut Gentium Magiſtratus inter accuſationis puncta, quibus eos ſæpe gravabant, recenſere ea non detre-

L. Capell. Theſ. de jejun. part. 4. § 22.
Tertullian. de Corona Milit.
Lactant. de Vero Cult. lib. 7. ſ.
Pamel. in Tertull. de Orat. c. 14.
Chemnit. exam. Concil. Trident. p. 730.
Gregor. de Valent. de Indulgent. cap. 3.
Thomas in Supplem Quæſt. 25. art. 2.
Bellarm. Controverſ. Tom. 2. pag. 340.
Polydor. Virgil. pag. m. 552.
Juvenal. Satyr. 11.
Plin. Ep. lib. 1.
Petit. Var. Lect. cap. 16.
Bellarm. de Bonis Oper. in Partic. cap. 22.
Scalig. de Emend. Tempor. lib. 7. pag. m. 698.

Digitized by Google

trectarint. Taceo de *Jejuniorum* apud modernos Græcos *δυσβαστάκτῳ* onere. Hi enim, Moſchovitæ, omneſque pene Eccleſiæ Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectæ, præter ea, de quibus paulo ante, *quatuor* inſuper *Jejunia* ſolennia habent, quorum obſervationi ſat rigide cives ſuos adſtringunt. *Primum* eſt a *Quadrageſima* ad Dominicam *Reſurrectionis*, quæ ſunt hebdomades ſeptem, hocque ipſis dicitur *Jejunium* MAGNUM. *Secundum* eſt ab octavâ *Pentecoſtes* ad Petrum & Paulum, hinc *Jejunium Petri* dictum, vel *νηστεία τῶν ἁγίων Ἀποστόλων Jejunium Sanctorum Apoſtolorum*. A Pentecoſte Cœnæ mutantur in Prandia, quo & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfiat, & venter cibo non oneretur duplicato. Hoc jejunio in Paſchate remotiſſimo (obſervante *Scaligero*) quando cyclus Paſchalis eſt VIII. lit. Dominic. C. eſt tantum dierum octo, in Paſchate autem citimo, quando cyclus Paſchalis eſt XVI. littera Dominicalis D. eſt dierum XLII. *Tertium* eſt a Kalendis Auguſti ad Aſſumtionem Mariæ. *Quartum* ſeptem ſeptimanis ante Natalem Domini; vocaturque id *Jejunium Philippi*, quia incipit poſt feſtum illius Apoſtoli, quod, ſecundum Orientales, celebratur Menſe Novembri. Verum de his alii ex profeſſo.

Scalig. de Emend. Tempor. lib. 7. pag. m. 698.

XI. Eluceſcit hinc ſaltem, *Jejuniorum* celebrationem non tantum ad V. T. Oeconomiam, ſed etiam ad N. Teſtamenti tempora referendam eſſe: clamat id enim univerſæ Antiquitatis conſtans praxis, ut mox diximus; ſuffragante inſuper *tum* Dei Verbo Matt. 9. 15. 2 Cor. 11. 27. Act. 13. 1. & 14. 23. 1 Cor. 7. 5. *tum* ipſâ *ratione*: Quodſi enim *Jejunium* rationem *typi* non habeat, ut non habet, ſed medium ſit a Deo ordinatum, ad ſuum ſibi cultum promtius alacriuſque exhibendum, hæcque cultus promptitudo & alacritas non minus neceſſaria ſit in Novo ac in V. Teſtamento, quænam ſubeſſe ratio poteſt, ob quam *medii* ejuſdem neceſſitas minus in hoc, quam in illo Teſtamento, perdurâret?

Tilen. Syntagm. part. 2. Disp. 38.

XII. Interim non pauca ſunt, ad quæ, quoad *Jejuniorum* ſub N. T. rationem, ſedulo eſt attendendum; eo quod vel neglecta vel male intellecta homines parum peritos in errorem ſæpe induxerint Etiamſi igitur (1) ſub N. T. *Jejuniorum* celebratio nequaquam ceſſet, non tamen cenſendum eſt, nos ad omnes eoſdemque plane ritus, quos Iſraelitæ olim obſervarunt, jam obligatos eſſe. Non tenemur nos jam *veſtes ſcindere*, in *ſacco & ſilicio ſedere*, *humi cubare*, *faciem ſordidare*, *capillos barbamque evellere*, *aquam effundere &c.* Cuncta enim hæc olim, non ex ſpeciali Dei præcepto, ſed ex hominum inſtituto Gentiumque, impri-

Digitized by Google

nis Orientalium moribus in uſu fuerunt. vid Ioel. 2. 12. Pſ. 37. 13. Nehem. 9. 1. Eſ. 58. 2. Ier. 6. 26. & 25. 34. Dan. 9. 3. Jon. 3 6. Ezr. 9. 2. 1 Sam. 7. 6. (2) Jejunium quoque ut ſic (ſitum nempe in abſtinentiâ a cibo & potu) nullo modo eſt *cultus*, ſive actus religionis proprie dictus; poteſt enim abſtinentia hæc in ipſa bruta cadere, quæ divini *cultus* ſubjecta eſſe non poſſunt. Sed proprie eſt cultus divini *adminiculum*, adeoque præceptum non propter *ſe* ſed propter *aliud*, ad melius nempe retundendam carnis petulantiam, preces ardentius concipiendas, ſubjectionemque & ſubmiſſionem cordis noſtri ſub Deo melius ſenſibiliuſque teſtificandam. Proinde

Rom. 14. 17. verum quidem eſt (quod quandoque objicitur) *Regnum Dei non conſiſtere in cibo & potu* Rom. 14. 17. formaliter enim gratia verè ſanctificans in *Jejunio* externo non conſiſtit, ut jam dictum eſt; at non ſequitur tamen inde, cibi potuſque ſumptionem, vel ab iis abſtinentiam gratiæ illius excitandæ & promovendæ *adminiculum* & medium eſſe non poſſe: Quodſi enim verbis iis Apoſtoli *Jejuniorum* neceſſitatem ſub N. T. convellere libeat, eodem telo *ipſius* S. Cœnæ neceſſitatem poteris oppugnare, ut quæ, quoad externum opus, haud aliter quam cibo potuque celebrari ſolet. Imò quidni eadem ſequelà univerſam Verbi Divini prædicationem explodas, quum idem Apoſtolus *Regnum Dei non in verbis ſed in virtute ſitum* eſ-

1 Cor. 4. 20. ſe expreſſiſſime dicat? (3) Hinc etiam ſtatuendum, neminem ad celebrandum *Jejunium* proprie obligari, quam cui ut cultus Sacri *adminiculum* inſervire id ipſum poteſt; ratio enim & neceſſitas *medii* ceſſat, ubi finis ceſſat. Immunes proinde a jejunando eſſe oporret infantes, ægrotantes infirmos, ſenes decrepitos, amentes, inſanos &c. Vix enim infantes, amentes, & inſani carnis adverſus ſpiritum rebellionem, cui domandæ ordinatum proprie *jejunium* eſt, perſentiſcunt vel intelligunt; ægri vero & decrepiti corporis illam afflictionem ſine valetudinis ſuæ diſpendio, imo vitæ fortaſſis periculo, ſæpe non ferunt; ſic ut magis procul dubio in iis animi ea alacritas, quæ quærenda *Jejunio* eſt, uſu ejus intempeſtivo obtunderetur & impediretur, quam excitaretur & promoveretur: Neque opponi debet *Ninivitarum* jejunium, in quo ipſi quoque infantes & lactantes per tres dies omni cibo potuque abſtinuerunt. Plane enim id extraordinarium fuit; ut quoque quod ipſa jumenta illi fuerint involuta, quod nemo, cui cor recte ſalit, in Chriſtianorum *Jejuniis* imitandum eſſe concedet. (4) Ut Neque *ſtata Jejunia* hiſce temporibus

te-

temere admittenda ſunt. Hæc enim ad cultum pædagogicum pertinuerunt, uti etiam ex præſcripto Dei unicum tantum iſtiuſmodi ſub V. T. in uſu fuit, de quo in præcedentibus; de aliis nullis legimus, niſi indictivis & occaſionatis tantum. Bene Salmurienſes: *Factum eſt illud* (quod nempe *ſtata Jejunia* invecta ſint) *poſt Apoſtolorum tempus ex Judæorum κακοζηλίᾳ, & Montaniſtarum pravâ imitatione; ne in his, quæ ſpeciem aliquam pietatis & devotionis habere videntur, Chriſtiani hominibus illis inferiores haberentur.* Quoad *ſubſtantiam* ergo ad celebranda *Jejunia* etiamnum tenemur, at non ſecundum omnes *circumſtantias*, niſi forſan quoad genus tantum, cum nempe vel ſingularis calamitas vel alia qualiſcunque intenſioris humiliationis occaſio maniteſte ſe prodit. Quam ob cauſam omnia Antiquorum Chriſtianorum jejunia nequaquam etiam laudanda ac imitanda ſunt, cum ex *indictivis* tantum & occaſionatis *ſtata* ſępe & fixa fabricarint; quod dubio procul jejunio Papiſtarum *Quadrageſimali*, ſtulto ſane ac ſuperſtitioſo, anſam quoq; præbuit. (5). Imprudenter etiam qualiſcunque privatus Dei filius, ut ut liberâ temporis electione & determinatione, ſe ipſum huic vel illi diei, jejunio ſemper tranſigendæ, ſtricte nimis mancipaverit. Jejunium enim *medicamenti* rationem habere debet, non *alimenti*; at quis e re corporis ſui eſſe exiſtimet, ſe ipſum ſecundo vel tertio ſeptimanæ diei ſumendæ potioni medicæ præciſe & ſemper affigere, reliquis vero hebdomodis diebus eam nullo modo admittere? Non culpo *Jejunia* a privatis pro re natâ ſuſcipienda, e contra laudo & commendo ea toto animo; at cavendum tamen eſt, ne quis in iis ſibi indicendis vel præſcribendis, a genuino eorum ſcopo & fine temere recedat; qui eſſe non debet, ex fixâ quadam temporis circumſtantia, cui ſuperſtitioſe ſe quiſquam adſtrinxit, ſubſidii quicquam quærere, ſed in genere, tantum animam ſuam deprimere, Deoque humilius conſecrare, ſervatâ ſemper libertate, circumſtantias illas ita diſponendi, eaſque mutandi vel non mutandi, prout ſcopo iſti inſerviturum maxime eſſe exiſtimat. Quodſi ergo copſe die, quem lege quaſi immotâ *Jejunio* deſtinaſti, depreſſa ſatis anima tua ſit, quorſum, quæſo, externo *Jejunio* porro eam deprimes? habes enim jam modo ante *jejunium*, quod quærere per id ipſum tibi propoſueras. Iterum Salmurienſes: *Qui gravi peccatorum ſuorum ſenſu angitur, vel morſu conſcientiæ, de gravi aliquo peccato, a ſe admiſſo, intus ſauciatur, vel de ſenſu gratiæ Dei ſubſtracto ſeu de Spirituali deſertione vehementiſſime dolet, vel qui propter gravem, quâ premitur,*

Salmur. par. 3. pag. 702.

Salmur. Ibid. pag. 676.

Digitized by Google

tur, calamitatem, ærumnam & afflictionem, aut imminens ſibi divinum judicium luget atque plangit, is vix aut nihil *omnino opus habet, indicere ſibi* judicium jejunium, *ut doleat, jam enim dolet, atque ipſe dolor & triſtitiâ, quâ afficitur,* jejunium *ab eo vel incogitante exprimit: eſtque hoc* jejunium *illud, de quo Chriſtus dixit:* Venient dies, in quibus ſponſus ab eis auferetur, atque tum jejenabunt. *Matt.* 9. 15. Quapropter & vana fere ſunt Romanenſium illa encomia, quibus ſuorum quosdam ad aſtra quaſi extollere ſolent, quod tantis totieſque recurrentibus *jejuniis* ſupra alios excelluerint. Errarunt enim ſæpe in iis miſellulæ iſtæ animæ, utcunque moleſtiſſimo hoc pſeudo-mortificationis genere, tanquam inſigni merito, Deum ſibi propitium reddere alloborarint. Quis enim non deſpiciat potius, quam probet, ſupererogatoriam illam *Gaufredi*, (prius Meldenſis Eccleſiæ Epiſcopi, poſt Anno 1213. abdicato munere, S. Victoris Monachi) abſtinentiam, quâ, referente Vincentio Belluacenſi, in Quadrageſimâ & Adventu Domini *quotannis tertium in ſeptimana cibum tantum capiebat, potum vero nunquam ſumebat, imo univerſo, quod reliquum erat, anni tempore, amaris prorſuſque inſipidis utebatur, quæ aliis vix guſtata fuere.* Necnon ſtupendum Abbatis *Eliæ*, in ſolitudine Antinoi, quæ eſt Thebaidis metropolis, demorantis exemplum, de quo, ex Nicephoro, *Camartus.* Quod *centenario major in extrema ſenectute tres tantum panis uncias & alias tres idque ſub ſolis occaſum in cibum ceper; it in florenti vero ætate ſemel tantum* in hebdomade *ederit.* Et quæ ejuſdem furfuris plura adduci forte poſſent. (6.) Improbanda denique ſunt *Jejunia*, quoad temporis durationem, nimis protracta. Quis dubitare enim auſit, quin cultus noſtri alacritas animique ſub Deo ſubmiſſio magis iis impediri nonnunquam ſoleat, quam juvari & promoveri? Non neſcio, de *jejuniis* per dies aliquot continuatis, mentionem in S. Scriptura fieri, ut 1 Sam. 31. verſ. ult. Dan. 10. 2. 3. Eſth. 4. 16. Sed *facti* illa ſunt, non *juris*; adeoque communem Chriſtianis legem figere non poſſunt. Eſt etiam, quod Anno 1583. Synodus Edenburgenſis *ſeptem* dierum *jejunium* indixerit, ſed non puto id de continuo ſeptiduo, ſed de cujuſque diei ſingulari aliqua parte intelligendum eſſe.

Vinc. Bellovac. Spec. Hiſtor. lib. 32. cap. 8.

Niceph. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 34.

Camart. de vita Eliæ Presbyt. cap. 4. §. 3. pag. 584.

Bonart. in [illegible] cap. 4.

Hofm. Lexic. Univerſ. part. 1. pag. 1048.

Corpus Tribunal. D[illegible] p. 3. pag. 279.

XIII. *Dicis*: poteſtne ergo exceſſus eſſe in *jejunio*? Reſp. in cultu *interno* mereque ſpirituali nullus poteſt eſſe exceſſus, debet enim is exerceri *toto animo*, & *omnibus viribus.* In cultu vero *externo* omnibuſque ejus *adminiculis externis* omnino poteſt eſſe exceſſus.

ceſſus. Per cultum autem *externum* intelligo omnes illos cultus actus, qui non niſi membrorum corporeorum ope executioni mandari poſſunt. Ad quos ergo cum referri *jejunium* etiam debeat, ultro ſequitur, exceſſum in eo committi etiam poſſe. Committitur vero is, 1. Cum ſpiritus vivacitatem magis eo obtundi quam excitari perſentiſcimus. 2. Cum corporis noſtri vires eo infirmantur. 3. Cum in ordinarium pietatis exercitium abire id ſinimus. Neque enim *cibus* animæ jejunium eſt, ſed *medicamentum*, mediumque *Divini* cultus *extraordinarium*, non *ordinarium*, ut jam dictum eſt.

XIV. At quando (*ais*) finitur igitur *Jejunium*, an cum cultu publico, an alio tempore? *Reſp.* Non pauca ſunt, quæ *jejunia* nimis protracta diſſuadent, *tum* quod diutius juſto *jejunantibus* appetentia fere evaneſcat, calore vel flaccido, vel tantum non extincto; *tum* quod collapſis occluſiſque meatibus, per quos deferri alimentum debet, in mediis ſpatiis hæreat, ſeriuſque in venas rapiatur; *tum* denique quod propter diutinam inediam ſtomachus noxiis humoribus quos ex vicinis partibus allicit oppletus, cibum reſpuat, citoque ſatietur. Sic Medicorum filii. Veteres, qui prandio fere carebant, cibo potuque ad horam diei *nonam* paſſim abſtinuerunt, id eſt, uſque ad veſperam. De *Paganis* teſtatur id Cicero, dum ait: *Accubueram horâ* nonâ, *cum id litterarum exemplum in Codicillis exaravi.* Exagitatque *Marium* Juvenalis, ut intempeſtivum convivam, quod horâ *octavâ* cœnatum modo veniſſet:

Lem.n.de Occult. Nat Mirac. lib. 2. cap. 21.

Fulv. Urſin. in Ciaccon. de Triclin. p. 170.

Cicer. ad Pætum.

Juvenal. Satyr. 1.

Exul ab octava *Marius bibit, & fruitur Dis*
Iratis.

Quod de ſolâ tamen *æſtate* intelligendum eſt; *hyeme* enim horâ demum *decimâ* cœnabant. De *Chriſtianis* Salvianus: *Nunquid parcam illam tunc agreſtemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cum viles & ruſticos cibos, ante ipſos, quibus coxerant, focos ſumerent, eoſque ipſos capere, niſi* ad veſperam, *non liceret?* & *Prudentius* in hymno Fructuoſi & Augurii:

Salvian. de Provid. lib. 1.

Prudent. in Hymno Fructuoſi.

Iejunamus, ait: recuſo potum
Nondum nona *diem reſignat hora:*

Sed *Iejunia privata* vel *œconomica* hæc tantum ſpectant. Nos de

de *publicis* loquimur, & *religioſis*, quæſtionem propoſitam ſic determinamus: Poſito 1. puod *Jejunium* ipſe cultus non ſit, ſed ejus tantum *adminiculum*, adeoque non propter *ſe* ſed propter *aliud* indicatur. 2. Quod menſura, id ipſum celebrandi determinationis Divinæ non ſit, ſed humanæ, Magiſtratus nempe *Politici* & Conſiſtorii *Eccleſiaſtici*, non ſeorſim ſed conjunctim; ſic ut reciprocâ utriuſque voluntate & conſilio diſponatur, quod e re eſſe putatur. 3. Quod principales fines ejus ſint *tum* humiliatio extraordinaria, *tum* abſolutiſſimum qualiacunque peccata in genere, ac in ſpecie illa, quæ judicii, propter quod indictum eſt *Jejunium*, cauſa forte extiterunt, mortificandi & ſubigendi animi propoſitum: his poſitis dico: Jejunium tum proprie finiri, cum fines illi ſupradicti impetrati a jejunante ſunt; fine enim obtento, ceſſare omnino convenit, quod tanquam *medium* ad finem illum ordinatum erat. Proinde ſi fines illi per cultum *Jejunii* publicum obtenti modo ſint, quis dubitet, quin cum cultu illo publico ipſum quoque *Jejunium* finiendum ſit? ſiquis vero per cultum illum publicum fines illos necdum impetraverit, per ſe palam eſt, cultus illius poſt-meditationi privatæ tam diu inſiſtendum ei eſſe, donec bonorum illorum, propter quæ inſtitutus *jejunii* dies erat; vere compos factus fuerit. Sed quod ſi (*inquis*) *Jejunii* illi fines toto *Jejunii* die non obtineantur, quid tum? *Resp.* ceſſare tum extraordinarium illud eorum impetrandorum medium, quia determinatio Superiorum, (penes quos ſtat cultus iſtiuſmodi publici & extraordinarii circumſtantias definire) ſe ulterius non extendit; utcunque ad eos tamen obtinendos vel ordinariâ exercitiorum pietatis viâ, vel *jejunio privato*, vel alio quocunque modo enitendum ſedulo ſit.

Danæus Iſagog. tom. 2. part. 4. lib. 3. cap. 32

XV. Quando vero exiſtimandum ſit, animum noſtrum impenſe humiliatum, ſimulque ad mortificanda & oppugnanda omnia noſtra peccata tam abſolute deditum eſſe, ut certi eſſe poſſimus *Jejunii*, quod celebravimus, fines verè obtentos a nobis eſſe, vix particulariter determinari poteſt, quum perſonæ & peccata mortificanda varii diſcriminis ſint. In genere ſtatuendum tantum, eſt tum locum id habere: 1. Cum nos ipſos ad ſingularem omnium noſtrorum peccatorum deteſtationem ita adactos, ob eaque tam anxios ſollicitoſque experimur, ut quieſcere nequaquam poſſimus, quam diu nos cum Deo in Chriſto reconciliatos eſſe non perſentiſcimus. 2. Cum, ad omnia ſuperandorum peccatorum noſtrorum media capeſſenda, conſtantiſſi-

me

me & vehementiſſime impelli nos animadvertimus. Non dico: cum omnia illa media perfecte & ſemper adhibemus, in hoc enim ipſi puſſimi deficiunt, ſed cum eo *impellimur*; id eſt, media illa in pretio habemus, ſinceroque animo in perpetuum eorum uſum tendimus & inclinamus: idque non ſuperficiario & ignavo duntaxat motu, ſed, ut dixi, *conſtantiſſime & vehementiſſime*; ipſos enim alias hypocritas, imo profane impios, etiam levi nonnunquam frigidoque conatu in hæc vel illa reſipiſcentiæ media ferri, quin pro tempore amplecti ea poſſe, ipſâ luce lucidius eſt.

XVI. *Dubium* reſtat, de externo mœrore, tum vultu tum veſtibus a *jejunantibus* demonſtrando vel non demonſtrando; de quo hæc breviter tenenda: 1. In genere omnibus iis, quoad *amictum noſtrum* ejuſque appendices, *faciei ornatum* &c. abſtinendum nobis eſſe, quæ in iſtoc hominum ordine, in quo locati ſumus, haud aliud quicquam, pro more populi, in quo degimus, quam ſplendorem, luxum, vel animi qualemcunque lætitiam non vulgarem indicare ſolent. Peccant proinde procul dubio quotquot, *jejuniorum* tempore, non niſi auro margaritiſque gravati, publico ſe exponere non detrectant, quod

Non ſit conveniens luctibus ille color.

Ut ut forſan non peccarent, ſi tempore ſolennioris feſtivitatis, Euchariſtiæ publicæ, *nuptiarum* &c. ratione ſublimioris ſtatus, quo beati a Deo ſunt, *ſpectandos* ſe ita exhiberent. 2. Quoad apparatum noſtrum *ordinarium* etiam in iis ipſis, quæ conditioni noſtræ ſat bene alias convenirent, eo uſque parciores nos eſſe oportere (E. G. in *purpurâ* & *byſſo*, quibus indui jure Regibus & Principibus licet) ut apprehendi facile a quiquſvis poſſit, nos nullam omnino pompam veſtitu illo, ſupra vulgarem alias licet eminente, tempore *jejunii* oſtentare velle ſit Exemplo Rex Ninivitarum Jon. 3.6. *qui ex ipſo ſolio ſuo ſurgebat* (loco alioqui Regiâ ipſius perſonâ digno) *ſplendidamque veſtem a ſe ipſo abjiciebat.* 3. Vultum denique geſtuſque noſtros, inter *jejunandum*, ita componendos eſſe, ut tum coram Deo tum coram hominibus, nihil præter modeſtiam animiq; ſubmiſſionem profundam repræſentare videantur: Ratio eſt, quia in cultu Dei, qui *jejunii* tempore ſingulariter ei exhibendus eſt, inter ea, quæ exteriora & interiora nobis ſunt amicabilem conſenſum eſſe oportet, externoque exprimi corpore, quod in ipſis cordis

Digitized by Google

dis viſceribus delitеſcit. Quum ergo in confeſſo ſit, animam *Jejunii* tempore modo non vulgari depreſſam eſſe debere, quis non videt, ipſo corporis apparatu demonſtrari id etiam oportere?

XVII. Sed improbatne Chriſtus omnem mœroris externam *ἀνάδειξιν* Matt. 6. 16. dum dicit: *Quando* autem *jejunatis, ne ſitis, ut hypocritæ, tetrici; obſcurant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunare*? Reſp. minime. Sed culpat. I. Phariſæorum tantum mores, ſummo jure improbandos, quia (a) juſto operoſiores in externæ illius humiliationis demonſtratione erant. Defor-
Eraſm. in mabant enim ſe, ſive *vultum præbebant inamœnum & ſeverum*, ut
Matt. 6. 16. habet *Eraſmus* in h. Loc. (b) quia doloſè & fraudulenter in demonſtratione illâ procedebant; externè enim præ ſe ferebant quod interne non habebant: hinc *μὴ γένεσθε ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ, σκυθρωποί*. De iis eorumque ſimilibus Origenes: *Tales* (inquit)
Origen. *erant* Judæi, *tales & nunc ſunt innumerabiles hæretici, qui ſuper alia in-*
Homil. 4. *fidelitatis & irreligioſitatis oſtendunt & addunt etiam hoc, ut* exterminent facies ſuas, *ut, dum* jejunant, *colorem* pallore vultus *& oculos ſuos deformant ut viſi admirationi ſint, quaſi veraces & ut perſpecti deligantur, velut pro* jejunio *laborantes*. II. De *jejunio* etiam loquitur Servator non publico, ſed *privato*, in quo parum refert, quomodocunque vultus, geſtus, veſtituſque *jejunantium* ſe habeant; prout etiam eſt in precibus privatis, eleemoſynis &c. III. Corruperant jam dudum Judæi totum *jejuniorum* negotium, tum *additione*, adjecerant enim alia, quæ Deus non imperaverat. Zach. 7. 5. tum *æſtimatione*, præferebant enim illa omnibus aliis operibus charitatis Eſ. 58. 6. 7. 5. tum denique *deſtinatione*; non enim tam ea celebrabant, ut adminicula mortificationis eſſent, quam ut nefandam ſuam hypocriſin iis oſtentarent. Atque hunc quidem poſtremum *jejuniorum* abuſum præcipue taxat D. Jeſus.

XVIII. At mandare contrarium videtur Servator, quam externi iſtiuſmodi mœroris oſtenſionem, dum verſ. ejuſdem cap. 17. inſit: *Tu vero, cum jejunas, unge caput tuum & lava faciem tuam*? Reſp. Negatur hoc: dici enim poteſt, Chriſtum comparative ibi tantum loqui; q. d. Malo mihi hilarem jejunantes vultum exhibeatis, quam *ſimulatè* tetricum & ſeverum. Similiter ac Matt. 5. 39. dicit. *Ne reſiſtatis malo, ſed quisquis te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram,*

ram, hoc eſt, potius, quam vindictam privatam in adverſarium exerceatis, altero tanto plus ab ipſo patimini. 2. Verba Servatoris ſumenda ſunt juxta generalem, quem iis intendit, ſcopum, qui non fuit lotionem unctionemque aliquam ſuis præſcribere, id enim ſi eſſet, omnes Chriſtiani ad illas tenerentur; & quis hoc dixerit? *Quia mos iſte* (inquit Chryſoſtomus) *apud Veteres fuit, ut lætitiæ ſuæ tempore ſæpius* ungerentur, *præcepit ungi, non* ut hoc omnino faciamus, *ſed ut ſemper, omni cum diligentia, bonum hunc theſaurum ſtudeamus occultare: nam nec ipſe* [Chriſtus] *cum per* 40. *dies* jejunavit *latenter, nec faciem lavaſſe, nec caput* texiſſe *legitur.* Sed intendit tantum diſcipulos ſuos ab hypocriticis Phariſæorum oſtentationibus, quibus omnia pene pietatis exercitia, preces, eleemoſynas, jejunia &c. fœdabant, avertere, & deterrere. *Unge ergo caput, & lava faciem tuam, nihil aliud eſt* (ut optime explicat Grotius) *quam præfer vultum* & *habitum quotidianum, nam & lavari & ungi ſolebant Iudæi eorumque vicini extra luctus tempora.* Quaſi innueret: ſiquidem pro te ipſo & privatim jejunes, ita te externo habitu conſpiciendum præbe, ut ex vultu adſpectuque tuo parere non poſſit, te jejunare; ne videaris oſtentatorem *jejunii* tui agere, atque adeo Phariſaicorum horum hypocritarum veſtigia premere. Sufficit enim, me ſolum ſcire quod *jejunes*, qui remunerator ejus ero. Pariter ac verſ. 3. de erogandis Eleemoſynis dixerat: *Ne noverit ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua*; item de fundendis precibus verſ. 6. *Tu vero, cum precaris, introito in conclave tuum, & clauſo oſtio tuo, precare Patrem tuum, qui eſt in occulto.*

Chryſoſt. in Matth. Homil. 21.

Grot. in Matt. 6. 17.

EXERCITATIO IV.
DE
MENDICANTIBUS
IN
ISRAELE.

BREVIARIUM.

Loci Deuteron. 15. *verſ.* 4. *Verſio varia.* Hieronymus a Druſio *notatus Diſcrepantes ſuper ejus ſenſu opiniones. Eorum, qui de* mandato egentibus dato *eum capiunt, rejecta. Ut & eorum, qui ad* ſolos Magiſtratus *vel* qualescunque divites *reſpicere eum volunt Sic egenis a* ditioribus *proſpiciendum, ut* mendicato *vivere opus non habeant.* Mendici validi *a* Magiſtratibus *Republica exturbandi, & quare?* Athenienſium, Phocylidis, Platonis *de hoc placita. Dii* vicatim mendicantes *a quibusdam circumducti. Moſis verba* Magiſtratuum *huic* officio *non applicanda;* Moſaicis *indicari utpote non* præceptive *ſed* promiſſive *accipienda. Modi, quibus Deus pauperibus proſpectum olim voluit, varii. Verba hæc cum verſ.* 11. *ejuſdem Capitis conciliata. Inter* pauperem *&* egenum *qualisqualis differentia. Quæ tamen huic* loco *non accommodanda. Dei hæc* promiſſio *non* abſoluta *ſed* conditionata. *Ad ἀναπολογησίαν tamen populi neceſſario promulganda.* Joſephus Scaliger *caſtigatus* Mendicare *Iſraelitis etiam ab* ipſis Gentilibus *quando permiſſum?* Promiſſionis *hujus verba quo ſenſu nobis ſub* N. T. etiam *applicabilia? Locus Pſ.* 37.25. *explanatus. A* deſertione *Dei totali & finali immunitas*

nitas non tantum V. T. ſed & N. Teſtamenti fidelibus promiſſa. **Mendicantes *Monachi notati.* Bellarminus *caſtigatus.***

I.

LOcus, qui de *Mendicantibus* in Iſraele agit, habetur Deut. 15.4. אֶפֶס כִּי לֹא יִהְיֶה־בְּךָ אֶבְיוֹן, *Tantum quia per te non debet eſſe egenus.* Munſterus vertit, *Veruntamen in te non erit inops.* Alii *ſolummodo non ſit egenus.* Iſid. Clarius, *non erit mendicus inter vos.* Conjungit *egenum* & *mendicum* Hieronymus, ſed vapulat eapropter *Druſio*, *egenum* etiam eſſe poſſe judicanti, qui tamen oſtiatim non *mendicet*. *Munſt. & Iſid. Clarius in Loc.*

II. Sed his non inhærendum. Scire præcipue refert, quis ſenſus horum verborum ſit nam variant apprime circa eum opiniones: Quidam *præceptive* ea ſumunt, qui in diverſa iterum eunt: Sunt, qui pro mandato *indigentibus* dato habent, quo omni mendicitate iis interdictum ſit; adeo ut inculcare Iſraelitis voluerit Deus, nemini eorum *mendicum* agere licere, victumque oſtiatim per ſtipem quærere; quæ vivendi ratio, ut mendicis propria, ſic viris quibuſvis ingenuis ſumme odioſa ſemper fuit. At ſententiæ illi aſſentiri non poſſum, *tum* quod nullus hoc Capite ad *egentes* ſermo fiat, ſed ad alios paſſim, quibus præſcribitur, quomodo erga indigentes habere ſe debeant; *tum* quod, utcunque mendicatio voluntaria hominum validis adhuc lacertis inſtructorum, & ſolo ignaviæ ac ſocordiæ malo laborantium, peccatum omnimode ſit, dici tamen non poſſit, illos in Dei legem impingere, qui vel ob ætatem, vel propter morbos, manuum labores tractare non amplius poſſunt, omnibuſque adeo aliis ſubſidiis orbati, aliorum opem auxiliumque per *ſtipem* implorare coacti ſunt; niſi dicere velis, præſtare inedia tales perire, quam ratione iſtiuſmodi vitam ſuam conſervare: cujus contrarium tamen inculcat Eph. 5.29. *Nemo unquam propriam carnem odio habuit, ſed fovet illam, ut Chriſtus ſuam Eccleſiam.* At hæc ſi per ſtipem victitare peccatum ſemper ſit, quid de *Bartimæo*, *Lazaro*, aliiſque, Chriſti tempore *mendicantibus*, tum judicandum? dicemuſne & illos expreſſam hanc Dei Legem (ſi *Lex* fuerit) vitæ ſuæ ratione turpiter violaſſe? *Marc. 10. 46. Luc. 9. verſ. 1. Act. 3. 2.*

III. Sunt ergo, qui pro *mandato* verba hæc quidem habent, at non indigentibus, ſed aliis divinitus præſcripto. Iique *duplicis* iterum

rum

Digitized by Google

Grot. in Matt. 26. 11.

rum generis ſunt: Quidam ad *ſolos magiſtratus* ea reſtringunt; putantque iis ſpeciatim præceptum eſſe, ut ab Iſraelitarum cœtu quoſcunque mendicato viventes removerent. Alii *ſingulis* etiam *ditioribus* in Iſraele applicata ea volunt, ipſiſque omnibus præſcriptum eſſe, ut tam liberaliter erga quoſvis tenuioris ſortis homines ſe gererent, iiſque indigentibus tam largiter ſubvenirent, ne ulli unquam eorum *mendicandi* & oſtiatim ſtipem quærendi neceſſitas imponeretur. Ita Tertullianus: *Sed non ſit* (inquit) *indigens in te*, id eſt, *cura ultro*, *ne ſit*, *quo magis petenti præjudicet dandum etiam in ſequentibus*: *ſi fuerit indigens in fratribus tuis*, *non avertes cor tuum*, *nec conſtringes manum tuam a fratre indigente*. Atque huc particulas *per te* (quas verſio Tremelliana habet) tum trahunt: *Tantum quia* per te *non debet eſſe egenus*: *per te*, id eſt, tuâ culpâ; ſic ut in manu tuâ eſſet, ipſum juvare, & ei tamen opem non ferres. Sed rejiciunt alii eam verſionem, eo quod addatur poſtea a Moſe, verſu nempe 7. *Quum erit egenus inter te*, quod per egenum eſſe *per te*, id eſt, *tuâ culpâ*, exponi non poteſt. *Hinc* per te (inquit Piſcator) *verto* in te, *id eſt*, *medio tui*, *ſive inter vos*.

Tertull. 4. adv. Marc.

Druſ. in H. loc.

Piſcat. in Deut. 15. 4.

IV. Attamen negari non poteſt, quin tum *Magiſtratus tum* quivis *ditiores* in Iſraele eo, quo dictum eſt, modo erga mendicantes habere ſe debuerint; fluit enim id evidenter ex iis, quæ in præcedentibus narrata a Moſe ſunt ne nominatiſſimos adducam Scriptores, *Zepperos*, *Balduinos*, *Ameſios* &c. qui idem hoc officium gravibus poſtmodum rationibus urſerunt & inculcarunt. Prout hinc procul dubio etiam eſt, quod neque ipſo hoc tempore *Judæi*, aſſectantibus ipſos *Chinenſibus*, quenquam egenorum ſuorum mendicatum ire ſtatutis ſuis permittant, licet, praxin illorum ſi ſpectes, *ſtatutorum* eorum parum ſæpe memores eſſe videantur. Plurimi quoque *Chriſtiani* principes tam ſollicitè in curam hanc incubuerunt, ut legibus ſuis pœniſque validos quoſque mendicos ditionibus & territoriis ſuis exturbârint. Mendicitati quippe improbæ ſe dedentes, quique per inertiam vitam ſuam tranſigunt, & ſtipibus corrogandis ſibi probro, populo oneri ſunt, apud peculiarem Quæſtorem accuſantur, ex *nov.* 80. *cap.* 5. tradendique erant, ex edicto Imperatoris, operum publicorum artificibus, quibus ſervire ſi nollent, urbe *Conſtantinopoli* expellebantur. Neque mirum hoc eſt, quia mendicitas hæc ſolam inertiam (quæ ſola Athenis crimen erat) tum matrem tum nutricem habet. *Apud Athenienſes inertia e latebris ſuis languore marcens in forum perinde ac de le-*

Zepper. de leg. Moſaic. lib. 4. cap. 26.

Ameſ. de Conſcientiâ. lib. 5. cap. 52. qu. 7.

Johan. Ger. Oper. Theol. Tom. 6. pag. 334. 335.

Ctum

ctum aliquod, protrahitur, fitque ut facinoroſæ ita erubeſcendæ rea culpa Ut loquitur *Valerius.* Deſides ſcilicet & inertes, hoc eſt, boni nihil tempore pacis agentes, puniebantur & condemnabantur olim, ut facinoroſi, Neque immerito; quis enim comes inertiæ præter egeſtatem? & quis egeſtatis præter furacitatem? Rite *Phocylides:*

Valer. M. lib. 2. cap. 6. §. 3.
Alexand. ab Alexandr. lib. 3. cap. 13.
Phocyl. in Sentent.

Ἐργάζευ, μόχθων ὡς ἐξ ἰδίων βιοτεύσῃς,
Πᾶς γὰρ ἀεργὸς ἀνὴρ ζώει κλοπίμων ἀπὸ χειρῶν.
Operare, ut *ex propriis laboribus vivere poſſis.*
Omnis enim vir piger de furtificis vivit manibus.

Et *Nullus* (inquit, Plato) *in civitate noſtra mendicus ſit. Quicunque vero id tentaverit, victumque inexplebilibus precibus colligere cœperit, a rerum venalium curatoribus e foro pellatur, ab ædilibus urbe, ab agri magiſtratu ex tota regione extermineτur.* Et quid ita? *Quoniam* (inquit alibi) *in eâ civitate, in quâ videas* mendicos, *ibidem &* fures *habes, latebras quæritantes, ſectores, ſacrilegos, & hujuſmodi ſcelerum artifices.* Adeo ut non niſi ſtupenda religionis ratio eſſe potuerit, quam Matris Idææ cultores olim obſervarunt, dum *mendicantes vicatim* (verba ſunt Minucii Felicis) *Deos ducerent*; Unde & μηλεαγύρται dicti: Deam aſino imponebant, & ſic *mendicantes* circumvehebant. Ita Apuleji Aſinus: *Die ſequenti rurſum divinis exuviis onuſtus, cum crotalis & cymbalis,* circumforaneum mendicabulum *producor ad viam.* Et Dionyſius Halicarnaſſæus: *Huic* (Matri ſcil. Idææ) *Imperatores quotannis Romano ritu victimas cædunt, & ludos faciunt: Sacerdotio vero ejus funguntur Phrygii generis vir & mulier, eamque per urbem* circumferunt, *circulatorio ritus* ſtipem *Matri* colligentes *& pectora plangentes.* Nempe præluſerunt hi forte numeroſiſſimo Monachorum *mendicantium* gregi in Papatu, Eccleſiâ hoc reſpectu plùs juſto Romanâ. Verum aliter, ut jam dictum eſt, de *Mendicis* & *mendicitate* alii tam ſenſerunt quam ordinarunt; & bene quidem ac in Reip. bonum. Etiamſi hoc ipſum, & non aliud quicquam verbis hiſce *Moſaicis* directè & præciſe Spiritum S. intendiſſe, haud ſit quod credam. Loquitur namque Moſes, ut conſtat, de remiſſione debitorum tempore anni *Sabbatici* ab Iſraelitis præſtandâ, quam omni conatu iis commendat; ne autem ea a *ditioribus* vel omitteretur vel neglectius haberetur, per anticipationem gravem eorum antevertit ſcrupulum, cogitantium vel objicientium forſan: quodſi nos

Plat. de legib. lib. 11.
Idem. lib. 8.
Minuc. Fel. Octav. pag. 224.
Apul. Aſin. Aur. lib. 9.
Clem. Alex. in Protrept.
Dionyſ. Halicarn. Antiq. Roman. lib. 2.

illud, quod tu, Moſes, in pauperum egenorumque favorem præcipis, tam exactè obſervemus, ipſi procul dubio in paupertatem & mendicitatem prolapſuri ſumus. Cui ergo (inquam) difficultati ut occurrat Vir Dei, ipſiſſima hæc verba, *Tantummodo non erit egenus in te*, utpote oppoſitum plane ejus, quod metuebant ſibi *Iſraelitæ*, continentia, ob oculos iis ponit.

V. Proinde non *præceptive* ſed *prædictive* vel potius *promiſſive* locum hunc ſumendum eſſe putem; quaſi hoc ſimilive modo Iſraelitas ſuos affatus eſſet Deus: metuendum nequaquam eſt, *Legem* hanc meam (de *debitorum remiſſione* anno Sabbatico) unquam fraudi futuram alicui eſſe, quoniam, ſi modo boni præceptorum meorum, ac ſpeciatim etiam hujus, fueritis æmulatores, tam large benedicturus vobis ſum, eaque, quibus opus habetis, adeo multiplicaturus, *ut nullus inter vos futurus ſit egenus*, cui mutuo erogare quicquam opus erit. Et ſi inventus forſan quis ſit, qui opus habuerit *veſtro* ſubſidio, quiſquamque ei in nominis mei honorem debitum ſuum remiſerit, is certe debitum illud minime perditurus, e contra cumulatiorem benedictionem apud me inventurus erit. *Burmann. in Deut. 15. 4.* Emollire itaque & edulcare tantum nititur hic Deus mandatum ſuum de remiſſione debitorum, ſingulis annis Sabbaticis inſtituendâ, quod hoc ipſo Capite Iſraeli præſcripſerat, ſimulque fidem ejus in præſtando eo excitare, utut primâ fronte duriuſculum propriiſque rebus ſuis noxium eſſe id judicaſſet. Multis certe modis *Pauperibus* ſuis proſpectum voluit Deus, ſpeciatim etiam in V. T. Leges quippe in eorum favorem inſtituit Eccleſiaſticas, Oeconomicas, Politicas, quas nuncupatim enarrat Doctiſſ. *Zepper. de Leg. forenſ. Moſaic. lib. 4. cap. 26.* *D. Zepperus.* Conf. Exod. 23. 15. Deut. 12. 12. 18. & 15. 19. 20. & 16. 11. 14 & 26. 10. 1 Sam. 9. 13. 1 Chron. 29. 22. Levit. 25. 3. 4. 5. 6. 2 Reg. 12. 9. Nehem. 13. 5. Luc. 21. 12. Joh. 8. 20. Exod. 21. 2. 10. Deut. 24. 19. 20. 21. Levitic. 25. 36. Eſth. 2. 7 20. Ipſarum *Decimarum* portionem iis ordinavit, *tertii* nempe cujuſque poſt Sabbatarium anni. Deut. 14. 28. 29. quæ ſolis Levitis propriæ non erant, ſed communes cum ſacerdotibus, pauperibus, peregrinis & viduis. Sabbatarium etiam annum iis conſtituit, quo terram coli & ſeri aut vineas putari noluit. Sponte autem ſuâ creſcentia omnia ex proxime miſſis granis inter demetendum in terram delapſis, eque herbis in agris enatis, pauperibus eorumque pecoribus deſtinavit. Prout vero Deus, ne victus & alimoniæ ſollicitudo Iſraelitas anno illo Sabbatico angeret, tantam ſexti anni fœcunditatem

Digitized by Google

tatem promiſit, quæ ad octavi uſque finem exuberaret. Exod. 23. 10. 11. Levitic. 25. 3. 4. 5. Ita & præſenti effato (ut dixi) contra egeſtatis ſubeundæ metum, ſi prompto debita ſua remitterent animo, monere & confirmare eos voluit. Conf. verſ. 5. 6. 7. 10.

VI. At *dicis*, ſi verba hæc promiſſionem contineant, quis ea cum verſu hujus Cap. *undecimo* tum conciliet, ubi exerte habetur, *Non deſinet egenus e medio hujus terræ*? Promittitne Deus hoc verſu, qui præ manibus eſt, *nullum egenum fore inter* Iſraelitas, & dicitne dicto commate, nullum *egenum defuturum eſſe* inter illos? quomodo hæc cohærent? *Reſponderunt* aliqui, aliud eſſe *pauperem* aliud *egenum* eſſe. *Hunc* eſſe, qui propriis facultatibus quidem caret, ſed alienis tamen ſuſtentatur, *illum*, qui ſubſidiis non tantum propriis deſtitutus eſt, ſed etiam alienis, adeoque ad ignominioſam *mendicandi* neceſſitatem aliorum duritie & ἀςοργίᾳ adigitur; quemque, adeo juxta Juvenalem,

Hoornb. Theol. Pract. p. 1. pag. 665

tegula ſola tuetur
A pluviis, molles ubi mittunt ova columbæ.

Juvenal. Satyr. 3.

Sed fruſtra hæc dicuntur, imo etiam falſo; cum Præſtantiſſimi Scriptores pejore loco fere habeant *egenum*, quam *pauperem*. Ab *egendo* enim eſt *egeſtas*, at pejor hæc videtur paupertate. Nam *dives* plus habet, quam opus, ut juvare poſſit alium, *pauperi* eſt, quantum ſatis eſt naturæ, ſed juvare poteſt neminem; *egenus* vero opus eſt ope alienâ, quod parum abeſt a *mendicitate*. *Pauper* eſt, qui aliquid adhuc habet, *egenus*, qui nihil. In Neſtorem Martialis:

Al. Morus in Not. ad N. T. p. 35.
Selden. de Jur. Hebr. Natur. Gent. lib. 6. cap. 6.

Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

Martial. Epigram. lib. 2. Epig. 5

quaſi diceret, Neſtorem plusquam *pauperem*, id eſt, *egenum* fuiſſe. Diſtinguere etiam ſic videtur *Seneca*, dum ait: *Non eſt quod* paupertas *nos a Philoſophiâ revocet, nec* egeſtas *quidem*; ut & Plinius: *Inopia (* inquit *) ac potius, ut Lucretius loquitur, hæc* egeſtas *eſt ſermonis*, id eſt, altior in paupertate gradus. Unde & *paupertas* per *parvi* poſſeſſionem, non per *rei nullius* poſſeſſionem, deſcribi ſolet. Horatius,

Eſa. 26. 6
Senec. Ep. 17.
Plin. Ep. lib. 4.

Res urget me nulla meo ſim pauper *in ære.*

Horat. Lib. 2. Ep. 2.

Et alibi:

Læta

Læta paupertas *&* *avitus apto*
Cum lare fundus.

Imo ipſi *egeno*, juxta Hebræos, tribuit Seldenus, quod habere poſſit *villulam ædem, quæ inſtructas rebus etiam aureis argenteiſque*, licet
Selden. de Iure Natur. & Gent. &c. lib. 6. c. 6. p. 730. gaudere eleemoſyna non poſſit, niſi utenſilibus ſuis pretioſioribus, & eſui potuique non neceſſariis divenditis. Sed per *egenum* eum pauperem intelligere tum puto, non *egenum* ſtricte dictum, qui quoad rerum neceſſariarum penuriam a *mendico* non differt; quis enim in talem, qui, ut loquitur Arnobius, *ſtipes emendicat ſupremas*, cadere poſſe dicet, quod Seldenus de *egeno* ſuo affirmat, cujus quippe ſtatus non ex parte ſed omnimode calamitoſus & miſerrime afflictus eſt? *Vitam ſuam miſerâ* mendicatione *ſuſtentare*, *Neceſſaria vitæ ſubſidia* miſerabiliter *poſtulare*, *Ægritudinum ſuarum miſerabilia* alimenta *quæritare* id vocat Julius Firmicus. *Virgilio* eſt

Iul. Firm. Aſtron. l. 1. cap. 3. & 5. c. 3. 8. 10.

------ *Maleſuada fames*, *&* *turpis egeſtas*.

At vero eſto inter *pauperem* & *egenum* qualisqualis differentia, huic tamen loco non bene ea convenit; cum tum verſu *undecimo*, tum hoc *præſenti*, tum etiam *ſeptimo* idem vocabulum אֶבְיוֹן occurrat, ſive ἐνδὴς ex verſione LXX. Interpretum; neque ex ullis circumſtantiis evinci poſſit, aliter *hoc* quam *illo* loco ſumendum id eſſe. Dicendum hinc potius, ideo hic pugnam nullam eſſe, quod promiſſio, verſu hoc 4. comprehenſa, *conditionem* quandam ſupponat, quâ ab Iſraelitis fideliter præſtitâ, nullum demum in ipſis *egenum* fore prædicitur. At vero cum præſagiret ſatis Deus, conditionem illam a populo ſuo, ut volebat, implendam non eſſe, verſu 11. ſermonem ſuum velut immutat, minaturque, defuturum inter ipſos *egenum* non eſſe, in duritiei & perverſitatis ipſorum maniſeſtiſſimam convictionem. Quaſi diceret: promiſi quidem, ſi libenter remittatis egentibus debita ſua, iiſque abunde benefaciatis, nullum inter vos *mendicum* fore, ſed quum σκληροκαρδίαν veſtram noverim, ſat certo prævideo, vos prompto ſinceroque animo id præſtituros non eſſe; proinde e contra jam vobis denuncio, egenos & *mendicos* inter vos deſituros non eſſe. Sic *Fagius*: Non deerit *egenus*] *Hebræi ita exponunt, q. d. Scio quod non perfecto corde parebitis mihi; ideo minuetur a vobis benedictio mea, eruntque igitur* pauperes

Iob. 24. 4. Amos. 4. 8.

Fag. in Deut. 15. verſ. 11.

peres *vobiſcum.* Videturque denunciationi huic divinæ Servatoris noſtri effatum, Matt. 26. 11. non inconcinne reſpondiſſe. Πάντοτε τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ᾽ ἑαυτῶν. *Pauperes habetis ſemper inter vos.*

VII. Sed quorſum tum *promiſſio* hæc (inquis) ſi conditionem cui inædificata erat, nunquam futuram eſſe Deus præſciverit? *Dico:* Opus eâ fuit ob Iſraelitarum ἀναπολογησίαν, ut doceret eos Deus, non ſibi promittenti, ſed populo, ejuſque pervicaciæ adſcribendum fore, ſi multi poſthac inter ipſos egeſtate premerentur, quidam nonnunquam opprimerentur. Neque enim omnimodo verum eſt, quod de *Iudæis* obſervavit *Scaliger*, dicens: *Veros Iudæos non mendicaſſe, neque mendicare hodie, propter* τὸ φιλάλληλον *eorum, quod divites non patiuntur tenuiores mendicare aut eſurire, & multa præcepta de Eleemoſynis etiam antiquiſſima habent.* Scalig. Trihæreſ. c. 23. Quoniam neque ſtringit illa ratio, *præcepta* habebant ditiores Judæi ad juvandum tenuiores, ergo revera eos ſemper juvabant; neque eventu ſemper comprobatum eſt, quod aſſerit Vir Magnus; imo vero & olim & jam contrarium ejus ſæpe liquet. Martialis ad *Sparſum* inter urbis incommoda *Iudæorum mendicantium* frequentiam etiam recenſet: Martial. Lib. 12. Epigram. 57

Nec turba ceſſat entheata Bellonæ
Nec faſciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus.

Adde quod ex *emendicata* oſtiatim *ſtipe* Judæorum filii parentes ſuos alere obligati fuerint, ſi aliæ ipſis facultates deeſſent; quod præſtare utique non potuerunt, ſi *mendicare* iis licitum nunquam fuerit. Ita Samuel Petitus ex Druſio, qui id habet ex *Hiſcuni* Hebræo: *Legimus* (inquit) *honora Deum de opibus tuis, & honora Patrem & Matrem.* Deus *honorandus, ſi habeas parentes*; Parentes *ſive habeas, ſive non: Nam ſi nihil habes, debes* mendicare oſtiatim *pro eis.* Non *mendicabant* quidem temere Iudæi a *Gentilibus*, neque enim fas ipſis erat in aperto eleemoſynam ab iis accipere, ſed *mendicabant* a contribulibus. Imo & conceſſum iis erat ipſos *Ethnicos* nonnunquam rogare, ſi vel contribulium eleemoſynæ non ſufficerent, vel Rex aut Princeps quidam e Gentilibus pecuniam aliquam in eleemoſynam ipſis mitteret, propter Regiæ dignitatis obſervantiam. Selden. Loc. Cit.

VIII. *Promiſſio* autem hæc utcunque quoad *ſpeciem* ſolos ſpectaverit Iſraelitas, eo quod mandatum de *debitorum dimiſſione*, anno quoq; Sabbatico obſervandâ, cui inculcando ſingulariter inſerviebat, ipſos tantummodo reſpiceret, *analogice* tamen & quoad *genus* ad omnes illos hiſce etiã temporibus extendenda eſt, qui piâ liberaliq; manu ſub

Digitized by Google

levare *indigentes* ſolent. Quod enim omnes bonorum temporalium promiſſiones uni Terræ Canaan populoque Iſraelitico ita affixæ olim fuerint, ut nullæ jam amplius ſub N. T. fidelibus proponendæ reſtarent, aſſertum ab aliquibus quidem vidi, probatum non vidi; imovero contrarium paſſim *tum* Chriſtus *tum* Apoſtoli expreſſis verbis declararunt. Vid. Matt. 6. 33. & 1 Tim. 4. 8.

IX. Quapropter neque locus ille famoſus Pſalm. 37. verſ. 25. *Puer fui, etiam conſenui, & non vidi juſtum derelictum nec ſemen ejus quærens panem*, ſolis regenitis V. T. accommodandus, ſed ad quoſvis etiam omnium temporum fideles extendendus eſt. Loquuntur enim verba illa non de qualiquali tantum egeſtate vel mendicitate, ſed de tali, quæ omnimodam Dei, ſuos ſemper conſervantis & ſuſtentantis, derelictionem connexam habet. Non enim textus ſimpliciter dicit: *Non vidi ſemen juſti quærens panem*; ſed etiam *non vidi juſtum derelictum*, id eſt, non vidi juſti ſemen *ita quærens panem*, ut *ſimul deſertum plane a Deo eſſet.* Id vero cum ſit, quæ excogitari ratio poteſt, ob quam magis ab ejuſmodi egeſtate, quæ cum Dei *derelictione* conjuncta eſt, immunes eſſe oportuerit pios Veteris, quam N. Teſtamenti, præſertim cum beneficium illud pluribus Scripturæ locis peræque *his* quam *illis* promiſſum eſſe, in propatulo ſit? imovero ipſe Apoſtolus Dei hanc *de ſuis nunquam derelinquendis* promiſſionem in V. T. factam, ad ipſa quoque N. T. tempora apertiſſime traduxerit? Solide & pie locum hunc explicat Cl. D. Coccejus: *Simpliciter* (inquit) *deſertionem Juſti negat.* Puer fui & conſenui, & non vidi juſtum derelictum, & ſemen ejus quærens panem. verſ. 25. *ſemper aliquâ ope pii ſuſtentantur. Neque Eccleſia ita relicta eſt ut nuſpiam ſubſiſtere poſſet; utque non propagaretur; neque ullus pius ita deſeri viſus, ut pudefieret, ut ante tempus ſuum interiret, ut hæreditatem ſuam perderet, utque imprimis hoſti ſupplex fieret, abjectâ Dei fiduciâ vel abnegato nomine ejus, ut vivere & bonis terrenis abundare poſſet.* Nugatur e contra *Bellarminus*, dum verbis his Pſaltis *Monachos* ſuos *mendicantes feriri* minime putat, *eo quod ſponte* γαςέρες illæ ἀργαί *mendicent, amore paupertatis, non neceſſitate inopiæ.* Quaſi vero acceptiores in Dei oculis eſſent, qui, ſub inſignis meriti prætextu, benedictionem ejus, quâ frui alias poſſent, pedibus quaſi proculcant & abjiciunt, quam qui vel neceſſitate, vel aliorum immiſericordia ad

Luc. 16. 21. 22. 2 Cor. 11. 27. Philipp. 4. 11. Heb. 11. 37.

Cocc. in Pſ. 37. 25.

Digitized by Google

ad egeſtatem redacti, patienter eam ferunt, ac in *Deum* curam ſuam devolvunt, Quinimo injurius, ne dicam crudelis in plurimos ſuos mendicantes eſt *Cardinalis*, dum ait: *Cæteri mendicantes ut plurimum non ſunt filii eorum, qui conſueverint miſereri aliorum & donare. Sæpe etiam neque juſti ſunt ipſi, neque filii juſtorum.* Unde enim id novit Vir Celebris? & cur beneficorum parentum liberi, juxta liberrimam Dei diſpenſationem, minus ad egeſtatem redigi poſſunt, quam qui ex injuſtis duriſque in alios parentibus nati ſunt? Certe obſtare huic pronunciato videtur inſignis Pauli locus 1 Cor. 1.26.27.28. *Videte vocationem veſtram*, Fratres, *quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Et ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret.* *Bellarm. in Loc.*

EXERCITATIO V.
DE PARABOLIS EVANGELICIS.

BREVIARIUM.

Parabolæ *Veteris & N.T. Vocis* parabolæ *origo & ambiguitas.* Paraboli *ſive* Parabolani *an ab eâ denominati?* Alciatus *pulſatus.* Parabolani & Circuitores *idem. Cur* Medicis *nominis hoc impoſitum? Qui qualeſve proprie fuerint* Parabolani? *A* Confectoribus *quomodo diſtincti?* Grotius *contra* Oſiandrum *defenſus.* Hieronymi ἀκυϱολογία *notata. Inter* Parabolam & Allegoriam *qualis differentia? Cur Chriſtus* parabolis *tam frequenter uſus ſit?* Witſius, Seneca, Coccejus, Auguſtinus *laudati. Quænam in Parabolis præcipue attendenda?* Chryſoſtomi, Iſidori, Maimonidis, Bellarmi-

 ni,

ni, Auguſtini, Spanhemii *amicabilis* hic *conſenſus*. Parabolæ *in* Prophetias *non convertendæ*. *Audax nonnullorum circa hanc rem inſtitutum*. *Theologia* Symbolica *quo ſenſu non argumentativa*? Salmero & Azorius *ad partes vocati*. *Quænam genuina inter* Parabolam & Hiſtoriam Evangelicam *differentia ſit*, *quæſtio perplexa*. *Variorum circa eam placita excuſſa*. Glaſſius, Illyricus, Chryſoſtomus, Ambroſius Tertullianus *notati*. *Nomina* propria, *rerum utut præſtantiſſimarum*, Parabolæ *haud indicativa*. *Narratio de* Divite & Lazaro *parabolica*, *non hiſtorica*. Beza *leviter tactus*. Lazari *vox* proprie *non* appellative *ſumenda*. Irenæus, Tertullianus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Euthymius, Calvinus, Piſcator *caſtigati*. *Iureconſultis & Medicis in* parobolis nomina *etiam* propria *uſurpata*. Autoris *ſententia & votum*. Parabolarum *Vet.* & *N. T.* *diſpar ratio*.

I.

LOquitur Chriſtus ſæpiſſimè in Evangeliis ἐν ταῖς παραβολαῖς; Hinc quid *Parabolæ* proprie ſint, paucis indagandum, maxime quidem illæ, quæ in N. T. obviæ. Licet enim *Libri* V. Teſtamenti haud planè iis deſtituti ſint, frequentiores tamen occurrunt in Novo Teſtamento: quare & de his tantum pauca, pro inſtituti ratione.

II. Vox *Parabola* origine Græca eſt, derivata a verbo παραβάλλω, quod *appellere* ſive *adjicere* propriè ſignificat. Act. 20. 15. τῇ δὲ ἑτέρᾳ παρεβάλομεν εἰς Σάμον, *Die vero poſtero appulimus Samum*. Impropriè traducta eſt ad ſignificationem *collationis* ſive comparationis *rei* cum *re*. Neque incongrue, cum juſta vix rerum *collatio* inſtitui poſſit, niſi res conferendæ ſibi invicem apponantur & *adjiciantur*. Unde & *Cicero* παραβολὴν per *collationem* interpretatus eſt.

[r] *Glaſſ. Philolog. Sacr. lib. 2. part. 1. Tract. 2. §. 2*
Hieronym. Ep. ad. Algaſiam. Oper. Tom. 3. pag. 151.

III. Incidit hic quæſtio de *Parabolanis*, Veteribus quam nobis notioribus, an illi etiam a *Parabolâ* & voce παραβάλλειν dicti ſint, vel unde id nominis iis adhæſerit? Prius volunt nonnulli, idque hoc quidem magis, quod Græci παραβόλους eos dicant. At obmittuntur alii, qui *Parabolanos* per *glebæ adſcriptitios*, id eſt, per tales,

Digitized by Google

les, quibus in omni vitâ ab agriculturâ recedere non licebat, interpretantes (quos inter fuit *Alciatus*) a παρὰ & βῶλος vocem deduxerunt, q. d. *juxta glebam*; βῶλος enim *glebam* ſignificat. *Turnebus* dictos eos putat a *Parabola* Chriſti, quâ docuit, hominem quendam, a latronibus vulneratum, a Levitâ neglectum, a viatore Samaritano refocillatum & curatum fuiſſe. Luc. 10. 30. Unde & ſunt, qui *Medicos* ex iis fecerunt, curandis ægrorum morbis vulneribuſque deſtinatos; *Parabolanos* dictos, quod plura paſſim promittant quam faciant, & ſæpe *Parabolis* uti ſoleant. Aliis *Circuitores* dicebantur, nonnullis etiam *Copiatæ*. Sed omnia hæc incerta ſunt. Clareſcet forte melius, quid ſtatuendum hic ſit, ſi rem ipſam enucleatius conſideremus. Dicebantur apud Antiquos *Parabolani* triplicis generis homines. 1. Chriſtiani quidam plebeji, ægrotantium famulitio publico in Civitate *Alexandrina* dicati, qui ipsâ etiam peſte graſſante, ut non raro ibi fiebat, iſti tamen ſervitio minime ſeſe ſubducebant. 2. Quivis in genere homines, qui licet publice non auctorati, ægrorum tamen curæ & auxilio ſe mancipaverant, eique quaſi glebæ adhærescebant, 3. Qualeſcunque homines *non vulgaris* audaciæ, qui, *miſeri ſpe prælucente lucelli*, contra beſtias pugnare, & petauro per ignem tranſilire non detrectabant; παρακεκινδυνευμένοι vel per excellentiam *audaces* aliter dicti. *Claudianus*

> Audaces *legat ipſa viros, qui colla ferarum*
> *Arte ligent, certoque premant venabula niſu.*

Et quidni hoc ſenſu vocem παραβόλων *Parabolanorum* a παραβάλλειν quoque deducamus? prout nempe non *conferre* tantum ſed & *objicere* ſignificat, & παραβάλλεσθαι *objici*, ſpeciatim quidem beſtiis, ut apud Athenæum, παραβληθεὶς ζώοις, *objectus beſtiis* dicitur, & παράβολα Græcis quoque ſunt quæ *periculis objiciuntur*. Sic Plutarchus de Cæſare dicebat τῶν τολμημάτων τὰ παράβολα ϰ̀ μεγάλα πράττειν ἐφηδεῖν, *rebus dubiis, magnis & projectis accelerandum eſſe*. Interpretantur etiam aliqui vocem παραβολεύεσθαι per *periculis ſe objicere*, ut cum Paulus Phil. 2. 30. de *Epaphrodito* habet, quod fuerit παραβουλευσάμενος, melius παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ. id eſt, *vitam* ſuam *periculis expoſuerit*, idque animo forti & audaci. Ut παράβολον πρᾶγμα eſt *factum audax* & plenũ periculi. Quare & in genere Chriſtiani *Parabolani* dicti, quod ſibi non parcerent, ſed pro Chriſto animam libenter ponerent. Diſtinguendi tamen παράβολοι

Suicer. Theſ. Eccleſ. pag. 565. 566.
Alciat. in lib. 1. Cod. tit. 3. l. 18.
Turneb. Adr. lib. lib 13. cap. 23.
Epiphan. Hæreſ. lib. 3.
Juſtin. C. de Epiſc. & Cler.
Euſeb. Hiſt. E. lib. 4. cap. 13.
Plutarch. in Cæſar.
Lud. Capell. in Phil. 2. 30.
Grot. in Loc.

 ſive

Digitized by

Valeſ. in not. ad Socrat. ſive *Parabolani* hi ſunt a *Confectoribus*, quippe qui, ut *Parabolani*, ſe ipſos beſtiis non objiciebant, ſed eminus eas conficiebant: ita *Valeſius*, licet recedens in eo a communi ſententiâ.

Suicer. Theſaur. Eccleſ. p. 2. pag. 566. IV. Notat quandoque etiam *Parabola* rem *Parabolâ* ſignificatam. Sic Matt. 13. 18. *Vos autem audite* τὴν παραβολὴν τοῦ σπείροντος, *Parabolam ejus, qui ſeminat*, id eſt, rem ſimilitudine illa indicatam, ut ex ſequentibus liquet. Deſignat quoque qualecunque rei *ſignum*, *typum*, *exemplar*. Ita Heb. 9. 9. *Tabernaculum vocatur* exemplar *temporis inſtantis*, παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα. Perſæpe etiam *parœmiam*, γνώμην, ſententiam aliquam: ſic paſſim apud LXX, & frequentiſſime apud Orientales. Hinc Regi Salomoni tria *Parabolarum* millia, id eſt, tot ſententiarum & parœmiarum millia tributa ſunt. 1 Reg. 4. 32. Grotius *Parabolæ* vocem per *Fabulam* effert; ob quam cauſam exagitat ipſum *Oſiander*, dicens *impie ab ipſo id fieri*. Sed iniquius certe in tam illuſtrem Virum, ac Scriptorem modeſtum decet; non enim nodus in ſcyrpo quærendus eſt. Grotius per *Fabulam* nihil aliud intelligit, quam quod nos *Parabolam* dicimus, quid ergo vocabulo Adverſarii offenditur, cujus ſenſum novit eſſe ingenuum? Neque enim *Fabulæ* vox ſemper ſonat in malum, ut ſupponit *Oſiander*, ſed πολύσημος eſt, & rem quoque *veram* nonnunquam ſignificat. Dicit alicubi Apulejus, *quendam* veram fabulam *conſummaſſe*. Plautus.

Grot. de Jure B. & P. lib. 2. cap. 20. Oſiand. in Grot. pag. m. 1179.

Plaut. Perſ. Act. 5. Scen. 2.

Sed quid ego adſpicio?
Hoc vide, quæ hæc fabula *eſt.*

Ouzel. in Minuc. Felic pag. 23. Et e *Petronio* Ouzelius: *Quænam eſt hæc audacia? aut ubi* Fabulas *& anteceſſura latrocinia didiciſtis?* Quæ omnia (inquit) de *re geſtâ* capienda ſunt. Ipſa etiam vox μῦθος in genere *ſermonem* nonnunquam ſignificat, non ſemper ſermonem *mendacem* vel *fictum*. Μῦθον τελεῖν habet Homerus, id eſt, *efficere quæ* dicta *fuerunt*. Quin ne ipſe quidem Deus ſolœciſmis offenditur, modo mens ſit ſincera. Proprie ſi vocem ſumamus *Parabola* nihil aliud eſt, quam oratio, quæ rei alicujus ſimilitudinem, diverſis membris conſtantem, complectitur. Sive, ut concinne *Hieronymus*: *Sermo utilis ſub idoneâ figurâ expreſſus, & in receſſu continens ſpiritualem aliquam admonitionem.* Atque ita fere occurrit in Evangeliis

Homer. Odyſſ.

Hieronym. in Marc. c. 4.

Καὶ

Digitized by Google

Καὶ τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει (Chriſtus) αὐτοῖς τὸν λόγον. Marc. 4. 33. Eſtque multo convenientior hæc deſcriptio, quam quæ *Iuſtino* vel potius Scriptori *Reſp. ad Orthodox.* tribuitur, cui *Parabola* eſt, λόγος ὁμοιότητα περιέχων τοῦ γεγονότος πράγματος περὶ τὸ ἐσόμενον. Id eſt, *Oratio rei præteritæ cum eâ, quæ futura eſt, ſimilitudinem continens.* Sapit enim ejuſmodi oratio *Allegoriam* potius vel ſimile quid, quam *Parabolam*; quæ cum ſe invicem confundi non debent, cum non uno modo inter ſe differant. *Allegoria* enim verſatur in applicatione geſtorum V.T. *Parabola* in applicatione rei veriſimilis, non geſtæ, ſed fictæ, probabilis tamen ad deſignationem rei alicujus ſpiritualis. *Allegoria* obſcura paſſim eſt: *Parabola* e contra clara & aperta hominibus non plane rudibus, ſed bene attentis; petita quippe a rebus communibus & nemini non familiaribus. Licet enim quandoque fiat, ut quidam eam non intelligant, non tamen tam *vitio Parabolæ* id fit, quam audientium, non tam *medii* ſeu *objecti* culpâ, quam *ſubjecti*.

IV. Uſus creberrime *Parabolis* eſt Chriſtus, *tum* propter *improbos*, quos juſto judicio celare voluit, quæ neſcire ipſi malebant, quam ſcire, & revelata tam in verbi contemptum quam in ſui perniciem converſuri fuiſſent. Quo reſpectu Clar. *Witſius* ad obſcuriorem Veteris Oeconomiæ inſtitutionem *Parabolas* etiam retulit. *Memorabile* eſt (inquit) *ipſum D. Jeſum in diebus carnis ſuæ doctrinam ſuam iſti obſcuriori oeconomiæ accommodaſſe, ac promiſcuæ turbæ vix aliter, quam ſub parabolarum involucris myſteria Regni cœlorum conjectanda potius, quam perſpicienda, propoſuiſſe. Cujus rei ipſe hanc rationem dat.* Matt. 13. 10. 11. *Quum diſcipuli eum interrogarent, quare per parabolas loqueris eis? reſpondit; quia vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cœlorum: illis autem non eſt datum. Et verſ.* 13. *Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident & audientes non audiunt, nec intelligunt. Quo autem tempus conſummationis ipſius propius aderat, eo clarius, & nihil ultra circuitione uſus, ſalutares veritates prædicavit.* Joh. 16. 25. *Quod Diſcipuli ipſi obſervabant.* verſ. 19. &c. *Tum* præcipue propter *ſuos*, quibus deſumptis a familiaribus rebus ſimilitudinibus luculentius Regni ſui arcana pandere viſum fuit. Optime *Seneca* apud Pricæum: *Apud antiquos nondum captabatur planſibilis oratio, illi qui ſimpliciter & demonſtrandæ rei cauſa loquebantur,* parabolis *referti erant, quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa, qua Poëtis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & diſſerentem & audientem in rem præſentem adducant.*

Witſ. Oeconom. lib. 4. *cap.* 13. *pag.* 619

Pricæus in Matth.

Digitized by Google

ducant. Per *Parabolas* enim myſteria operta redduntur aperta, cum cœleſtia adumbrentur per terrena, ſpiritualia per corporalia; imo reddantur aliquo modo αἰσθητὰ, quæ vix νοητὰ in ſe deprehenduntur, ob diſproportionem ſubjecti apprehendentis, & objecti apprehendendi. Ut multa paucis comprehendam, voluit Chriſtus per *parabolas* in inſtitutionibus ſuis ut plurimum procedere, *Vel* quod inflammari iis voluerit res ſacras conſiderandi & enucleandi ſtudium & ardorem; non enim licet nobis quæ Deus dicit negligere, quia metaphoris, *parabolis*, & ænigmatibus condita ſunt. Quodſi enim liber quis clauſus ſit, cujus argumentum ſcire e re noſtrâ eſt, quis ideo dicet, non aperiam eum, ut legam, imo quis eo magis non excitabitur ad eum aperiendum, ut lucem inde reportet? *Vel* quod doctrinæ hoc genus familiare fuerit prophetis; *Vel* quod ad docendum & flectendos animos accommodatiſſimum eſſet, collatione nempe factâ a rebus, omnium quoque idiotarum ſenſibus notiſſimis, quæ ſtatim permoveat auditorem; *Vel* quod hâc illecebrâ jucundius irrepuerint in animos hominum quæ dicebantur, inhærerentque iis tenacius; *Habent* quippe *id Parabolæ* (obſervante Coccejo) *ut non ſtatim repudientur, ſed etiam cum* voluptate *quadam audiantur. Cognitio veritatis eo jucundior fit & confirmatior: quando idem planis verbis & per* parabolas *ac figuras ſignificari deprehendimus. Vel* quod admonitionis hæc ratio neminem traducens, ſed tacitè per imaginem taxans, cujuſque conſcientiam offendere minus ſoleret; *Vel* denique quod officii ſui ratio id poſtularet, quâ, omnibus ſeſe accommodando, lucrifacere omnes laboravit. Referri huc poſſunt aurea *Auguſtini* verba: *Si qua* (inquit) *figuræ non tantum de cœlo & de ſideribus, ſed etiam de inferiore creaturâ dicuntur ad diſpenſationem ſacramentorum; hæc eloquentia quædam eſt doctrinæ ſalutaris, movendo affectui diſcentium accommodata, a viſibilibus ad inviſibilia, a corporalibus ad ſpiritualia, a temporalibus ad æterna. Plus movent & accendunt amorem, quam ſi nuda & ſine ullis ſacramentorum ſimilitudinibus ponerentur, cujus rei cauſam difficile eſt dicere. Sed tamen ita ſe habet, ut aliquid per allegoricam ſignificationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam ſi verbis propriis diceretur apertiſſime. Credo* (inquit poſtea) *quod ipſe animi motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur, ſi vero feratur ad ſimilitudines corporales, & inde referatur ad ſpiritualia, quæ illis ſimilitudinibus figurantur, ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in faculâ ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad quietem.* Ita *Auguſtinus.*

Aret. in Problem. loc. 96.

Coccej. in Jer. 13. §. 7. Et in 2 ad Timoth. 2. §. 8.

Iun. Parallel. lib. 1. Oper. p. 1392.

Freidlib. Theol. Exegetic. tom. 2. pag. 113.

Auguſtin. ad Ianuar. Epiſt. 119.

V. Ut

V. Ut vero dextre intelligantur παραβολαὶ, ante omnia obſervandum eſt, haud cuncta præciſè verba circumſtantiaſque, quæ in iis ſe produnt concluſionem Theologicam face poſſe, ſed attendendum præcipue eſſe. 1. Ad generalem & formalem earum ſcopum & intentionem; juxta *Chryſoſtomi* regulam: *Non oportet omnia, quæ in* Parabolis *ſunt, ſecundum dictionem curioſè agitare, ſed ſcopum, propter quem compoſita eſt, edoctos hunc excerpere, nec ulterius aliena tractare.* Vel, ut *Iſidorus* ἑκάστην παραβολὴν πρὸς τὸ προκείμενον μάλιστα ἀναζωγραφητέον. *Parabola ſive ſimilitudo omnis ex præſenti inſtituto eſt explicanda.* Prudenter Lectori ſuo Maimonides: *Hoc diligenter* (inquit) *obſerva: Eſt enim fundamentum magnum ad ea, quæ tibi explicare volo. Proinde cum videbis me in aliquo capite explicare* Parabolam *aliquam, & in genere ſummam &* ſcopum *illius tibi indicare, noli poſtulare rationem & applicationem* omnium verborum & rerum *in* Parabolâ *contentarum, ad rem ſignificatam; nam ſi id feceris, in alterutrum duorum horum incides:* Vel *declinabis a ſcopo & intentione* Parabolæ, *vel defatigabis te in quærendâ explicatione eorum, quæ explicari nequeunt, & ex hoc ſtudio incides in veſaniam & vanitatem, inter multos noſtro hoc tempore adeo familiarem; qui conantur quædam invenire & eruere e verbis Auctorum, de quibus Auctores ne unquam quidem ſomniarunt.* Imo *ipſe Bellarminus* Canonem hunc Chryſoſtomi adoptat, dum ait: *Ut* Chryſoſtomus *in cap.* 20. *Matth. monet, non oportet* Parabolas *ex omni parte quadrare, ſed ſolus conſiderandus eſt* ſcopus: *multa enim dicuntur non ad ſignificandum aliquid, ſed ſolum, ut narratio integra videatur; quemadmodum & culter ad ſcindendum factus eſt, nec tamen ex omni parte ſcindit.* 2. Ad illas earum circumſtantias, quæ ad indicandum ſcopum illum eſſentialiter neceſſariæ ſunt, nullamque abſurditatem, contra rationem rectam, Fideive analogiam impingentem, involvunt. 3. Ad illas etiam res in iis occurrentes, quas Chriſtus ἐν ἀποδόσει earum, tanquam ad ſcopum ſuum pertinentes, exponit & declarat. Nam utut forſan ſine iis *parabolæ* intentio explicari & percipi ſatis poſſet, adeoque ad eſſentiam ſcopi *parabolici* præciſe non faciant, cum tamen Chriſtus, iis mediantibus, docere ſuos voluerit, ad doctrinæ morumque confirmationem & directionem applicari etiam poſſunt. 4. Ad ea denique omnia, de quibus, per evidentem conſequentiam, patere poteſt, quod ad rem *Parabolâ* intentam certo pertineant. Conf. Luc. 15. 7. Audiendus hic iterum eſt laudatus modo *Auguſtinus*,

Chryſoſt. hom. 64.

Iſidor. Epp. lib. 2. Ep. 107.

Maimon. Mor. Nevoch. in Præfat.

Bellarm. de Sanct. Beatitud. lib. 1. cap. 4.

Digitized by Google

dum (reſpiciens Hiſtorias Propheticas) ſic loquitur *Non omnia, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificant, ſed præter illa, quæ aliquid ſignificant, etiam ea, quæ nihil ſignificant, attexuntur. Solo enim vomere terra proſcinditur, ſed ut hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria.* Atque id ipſum eſt (inquit ὁ πάνυ *Spanhemius*) quod *optime applicari etiam poteſt ad* parabolas, *in quibus, ut in picturis multa, quæ vel ad commendationem tantum aliorum faciunt, vel ideo duntaxat appinguntur quia conſueta ſunt inter homines. Hæc vexare & anxie* ἐξονυχίζειν, *eſt non tantum vomere velle terram proſcindere, ſed & temone & ſtivâ; non tantum in citharâ nervos pulſare, ſed & compagem inſtrumenti muſici; non acie gladii vel cultro duntaxat ſecare velle, ſed & manubrio & parte obtuſa.* Sunt enim in *Parabolis* varia, quæ non niſi ad ornatum ſæpe faciunt, vel ut nexus verborum conſtrui probe & conſtare tantum poſſit; his certe præfracte inhærere, ex iiſque Fidei capita deducere velle, labor non tantum irritus eſt, ſed ſæpe etiam noxius, qui multos in periculoſiſſimos errores præcipitavit. Vulgatiſſimus Theologorum *Canon* eſt, *Theologiam* parabolicam ſive *ſymbolicam non eſſe argumentativam*: cui quidem mordicus eſt inſiſtendum; ſi nempe de talibus *parabolicis* expoſitionibus & accommodationibus ſermo ſit, non quæ *innatæ*, ſed *illatæ* ſeu potius *extortæ* ſunt, quibuſque ſuperſtitioſe & anxie in ſingulis verbis ac partibus applicandis deſudatur. Diſtinxit hæc bene *Salmero*, dum dixit: *Valent rationes a ſenſu* myſtico & *probato, non autem a myſtico & voluntario*, pro cujuſque cerebro: *at ſenſus myſticos ab Apoſtolis aſſignatos nemo poteſt reſpuere: quia illorum veritatem ſigna, quibus corruſcabant, & ſapientia doctrinæ & vitæ ſanctitas teſtabantur & commendabant.* Et Azorius: *Tum valet ad confirmandam fidem, cum ex aliquo S. Scripturæ loco plane conſtat, quales ſunt myſtici ſenſus, quos Paulus & alii Apoſtoli explicarunt.*

Gomar. in Matth. 22. verſ. 1.
Auguſtin. de Civitat. Dei lib. 16. cap. 11.
Spanhem. Dub. Evangel. part. 2. Dub. 64. 65.
Salmer. in Hebr. 1. Diſp. 7.
Azor. Inſtit. Mor. cap. 2.

VI. At quo abiit jam ſimplicior illa ætas, quæ in iis, quæ de ſenſu *Parabolarum* rite dignoſcendo & eviſcerando hactenus diximus, ſecure acquieſcit? Feraciſſimum eorum hominum jam vivimus ſeculum, qui uti videri volunt, aliis oculatiores, neſ non inclareſcant, quaſvis pene Euangelii *Parabolas* in *Hiſtorias*, imo magnam earum partem in meras convertere geſtiunt *Prophetias*, neſcio quid non *futuri* ex ſingulis earum periodis, connexionibus, imo *vocabulorum* apicibus extorquentes & extundentes. Ita ſcilicet demonſtrari opus eſt, quam myſteriis abundet S. Scriptura, & faſcinanda

ſtrari

petulantiora & incautiora ingenia ſunt, ne intra ſolidæ, & tanto hactenus cum fructu inculcatæ, totque Martyrum & Confeſſorum ſanguine & cruciatibus obſignatæ doctrinæ Chriſtianæ terminos conſiſtant, ſed altius ſapere diſcant, auſuque Dædalæo talia tentent, quò aſſurgere, neque ſanioribus Patribus, neque *Lutheris*, *Zwingliis*, *Oecolampadiis*, *Muſculis*, *Buceris*, *Melanchtonibus*, *Calvinis*, *Martyribus*, *Bezis*, *Zanchiis*, *Pareis*, *Witakeris*, aliiſque defædatæ Religionis repurgatoribus & reſtauratoribus, datum unquam fuit. Debetur hoc intenſo, qui jam dominatur, *allegorizandi* & *vaticinandi* pruritui, cujus vix alius effectus eſſe poteſt, quam ut cuncta, quæ occurrunt, ipſe etiam *Decalogus* & *Oratio Dominica* in prophetandi tandem materiam rapiantur. Per peculiares quaſdam *Parabolas* oſtendere id tam in proclivi forte eſſet, quam imber cum pluit: ſed is jam ager noſter non eſt, neque unquam fiet; quia magis fere neglectu eſt *ſilentio*, quam operoſo *ſtrepitu* vileſcere ſupererogatoriæ hujuſmodi ſubtiliates ſolent, ipſo tandem eventu ſatis ſuperque convellendæ & confundendæ. Sub *Parabolis* etiam contineri quandoque poſſe argumenta quædam *Prophetica*, nemo eſt qui negat, at Chriſti in earum propoſitione in Libris Euangelicis ſcopum fuiſſe per cuncta earum verba & circumſtantias *futuri* quicquam prædicere, vix quiſquam hactenus credidit; nemo ſaltem legitimis rationibus nunquam demonſtravit.

VII. Maxime implexum eſt, quomodo *Hiſtoria Evangelica* a proprie dictis P*arabolis* diſtingui debeant? E. G. Unde conſtare poſſit, narrationem Joh. 4. 46. de Filio Regio *Hiſtoriam* eſſe, ut reverà eſt, & non P*arabolam*? Item narrationem de Diſpenſatore iniquo Luc. 16. 1. *Parabolam* eſſe, ut reverà eſt, & non *Hiſtoriam*? Ego certe fateor, valde arduum eſſe, notam quandam exacte diacriticam hic aſſignare. Doctiſſimus Glaſſius *objecto* diſtingui dicit *Parabolam* ab *Hiſtoriâ*, quod *hæc* ſit *narratio rei* vere geſtæ, *illa* rei fictæ; quod veriſſimum quidem eſt, ſed rem, de quâ quæritur, non explanat; manet enim eadem difficultas, unde narratio rei veræ geſtæ a tali, quæ rei fictæ tantum eſt, dignoſci poſſit, egoque pronunciare poſſim, quod *hic* occurrit in *Evangelio* hiſtoricum, quod *illic* parabolicum eſſe? Sunt qui omne illud pro *parabolico* haberi volunt, cui inſcriptum eſt, quod *parabolicum* ſit. Sed hoc univerſaliter verum non eſt; *tum* quod omnibus *Parabolis* id in-

ſcriptum non ſit, ut ex Luc. 16. 1. ſequet, *tum* quod P*arabolæ* ἐπιγραφὴν talibus quoque narrationibus tribui manifeſtum ſit, quæ tamen *parabolæ* non ſunt. Confer Matt. 15. 15. & *Interpretes Belgas* in illum locum. Alii pro P*arabolæ* κριτηρίῳ habent, ſi narratio, quæ eâ continetur, cum re quapiam aliâ conferatur, eique accommodetur. At neque hoc firmum eſt, nam narratio de *Reginâ Sabeâ* & *Jonâ* aliis etiam rebus applicatur, cum iiſque comparatur, quæ tamen *parabolis* minime eſt accenſenda. Prout neque rem aſſecutus eſt *Illyricus*, qui *parabolarum* proprium eſſe cenſet, quod Chriſtus eas omnes ſolis ſuis Apoſtolis ſeorſim diſſeruerit, *Hiſtorias* vero aliis quoque hominibus communicârit: verba ejus quæ innuere id videntur, ſunt: *Omnes* P*arabolas Chriſtus ſeorſim diſſerebat Apoſtolis ſuis* adducto textu Marc. 4 10. Sed fruſtra etiam eſt, inquam. Neque enim omnibus *parabolis* id iterum convenit, nedum ſolis; nam alia quoque, quæ *parabolica* non fuerunt, ediſſeruit Chriſtus Apoſtolis, a reliquo grege ſegregatis, & *parabolas* aliquas coram univerſâ turbâ iis propoſuit; ut multis demonſtrari poſſet locis, ſi inſtituti ratio id ferret. Sufficiat hic unicus: Matth. 13. 34. diſerte: dicit Euangeliſta. Ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς: *Omnia hæc locutus eſt Jeſus in* Parabolis *(NB) ad* Turbas, *& ſine parabolis non loquebatur iis*. Conf. Marc. 2. 11. 33. & 12. 1. Luc. 8. 10. Quodſi per *diſſerere*, explicare, genuinum, ſpiritualem, & ſalutarem ſenſum *Parabolarum* inſinuare intelligat *Flaccus*, indubium eſt, ſolorum Diſcipulorum privilegium id fuiſſe. Sic enim *Marcus*. cap. 4. verſ. 10. 11. *Cum autem eſſet* [Jeſus] ſolus, *interrogarunt eum* (*qui cum eo erant*) *Duodecim de* Parabolâ. *Et dixit eis*: *Nobis datum eſt noſſe Myſterium regni Dei, iis autem, qui foris ſunt, in* parabolis *omnia fiunt*. At id (quo hic reſpicitur) nullum tum inter *Parabolas & Hiſtorias Evangelicas* diſcrimen conſtituet, quia *harum* non minus, quam *parabolarum*, ſalutaris & ſpiritualis explicatio ſolis Apoſtolis peculiaris fuit. Non deſunt, qui in *Hiſtoriis Evangelicis* nomina *propria* occurrere aſſerunt, in *parabolis* autem ea locum non habere. Ita Chryſoſtomus: *Non ſunt in* Parabolâ *dicenda nomina*. Nec non *Ambroſius* in Luc. 16. *Narratio magis, quam* parabola *videtur, quando etiam* nomen *exprimitur*. Neque abludit *Tertullianus*, dum inquit: *Quid illic* Lazari nomen, *ſi non in veritate*

Glaſſ. Philol. Sacr. lib. 2. p. 1. Tr. 2. ... pag. 484

Fl. Illyr. in ... ad Coloſſ.

Chryſoſt. in Luc. 16. 19.

Ambroſ. in eund. Loc.

Digitized by Google

veritate res eſt. Quemadmodum & hoc præprimis argumento Viri quidam non incelebres Librum *Jobi* non *parabolam*, ſed genuinam *Hiſtoriam* eſſe evincere conati ſunt; propria enim nomina *Bildadi*, *Eliphazi*, *Elihu* &c. paſſim obvia in eo ſunt. Verum non minus dilutum & incertum hoc eſt, quam reliqua alia; quoniam haud impari facilitate *nomen proprium* fingi poteſt ac, ipſa narratio. Ego conjugium Prophetæ *Hoſeæ* cum ſcorto, de quo Libri ejus cap. 1. verſ. 1. nil niſi *parabolam* eſſe exiſtimo, utut tamen nomen proprium *ſcorti* exerte ibi occurrat; vocatur enim *Gomera* Filia *Diblaim*. Ita quod de *homine ſaucio* & *Samaritano* Luc. 10. verſ. 33. narratur, pura puta *parabola* eſt, etiamſi *Jerichuntis* & *Hieroſolymæ* nomina diſerte ibi exprimantur. Nec quicquam attinet, ſive *nomina* illa *propria* rerum ſint futilium & abjectarum, ſive præſtantium & celebrium, vel (ut loquitur Vir quidam Eruditiſſimus, qui hoc urget) *non ingenioſe fictarum, ſed ex Sacris Litteris atque etiam Exoticis Scriptis notarum*; quoniam & hæc nomina propria talium rerum ſunt, *Jerechuntis & Hieroſolymæ*, urbium toto orbe celeberrimarum, & in ſcriptis tum Sacris tum profanis notiſſimarum: neque tamen ullus, quod ſciam, locum illum *Hiſtoricum* ideo dixit. Obſtat etiam huic ſententiæ illud Chriſti Luc. 16. verſ. 19. Ubi nomina propria tum *Abrahami* tum *Lazari* ſemel iterumque interſeruntur, tametſi quod ibi narratur, ex *Theophylacti*, *Juſtini Martyris*, *Theophili Antiocheni*, *Eucherii* aliorumque Doctiſſimorum Virorum opinione, *Hiſtoria* non ſit, ſed mera *Parabola*. Quinimo Clariſſ. *D. Beza* loco mox citato refert, ſe narrationem illam in veteri ſuo exemplari expreſſiſſimâ *Parabolæ* inſcriptione inſignitam inveniſſe, hunc in modum: Εἶπε δὲ καὶ ἑτέραν Παραβολὴν: Ἄνθρωπος τὶς ἦν &c. *Dixit aliam* Parabolam: *Erat homo quidam &c.* putatque, *præfationem* illam narrationi dictæ ex adeo eſſe neceſſariam, ut vix concinne Sermones Chriſti cohærere exiſtimet, ſi illa abſit. Quod tamen an juſto confidentius non aſſerat Vir ſummus, viderint alii.

Tertull. de Anima lib. 7.
Munſter. in Job. 1.
Mercer. in Præf. ad Libr. Iobi.
Molin. Vates cap. 10. p. 23.
Beza in Luc. 16.

VII. Neque pondus habet quod excipi ſolet: *Quatuor* dictæ narrationis verſus *hiſtoricos* quidem eſſe, reliquos vero *parabolicos*. Dicitur enim id tantum, non probatur.

Digitized by Google

Maldon. in Luc. 16.

& cur ſi verum ſit, in *Parabolis* nomina propria non inveniri (quod ab iis, qui hoc obtendunt, ſupponitur) reliqui etiam verſus *Hiſtoriam* non comprehendent, ſed *Parabolam*, quum & in iis nomina propria *Abrahami* & *Lazari* ſe prodant? Ut neque, quod ab aliis additur, juvat: nomen *Lazari* in hac narratione non *proprium* ſed *appellativum* eſſe; neque tam viri alicujus *perſonam* indicare, quam *ſtatum*, idemque eſſe cum *Eleazaro*, Hebr. אלעזר, quæ vox (ut volunt) in genere hominem tantum ſignificat, qui *pauper* eſt, & cui non homines ſubſidio ſunt, ſed ipſe Deus: *Adjutum* vocat *Gregorius*. Nam id ſi verum eſſet, Chriſtus turpem certe ταυτολογίαν hic commiſiſſet; dixiſſet enim, erat *mendicus* nomine *mendicus*, ſive pauper. Expreſſe etiam nominis meminit Salvator, idque a conditione Lazari diſtinguit; dicit enim: *Erat quidam, mendicus* (πτωχὸς non ſtatu, ſed ὀνόματι) id eſt, *nomine Lazarus*. Quin nomen ſaltem *Abrahami* appellative ſumi non poteſt, quod fieri tamen oporteret, ſi nullum narratio hæc *nomen proprium* complecteretur. De Origine nominis *Lazari* videndus eſt *Fullerus* in Doctiſſimis ſuis *Miſcellaneis*. Non neſcio, multos eſſe, qui pro *Hiſtoriâ* narrationem hanc *Lucæ* habent, quos inter eminent *Irenæus*, *Tertullianus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Gregorius*, *Euthymius*. *Calvinus*, *Piſcator*. &c. ut & alios, qui *partim* hiſtoriam *partim* parabolam ex eâ conflarunt, quaſi dicas parabol-hiſtoriam; ut *Tragico-Comœdiam* dixit *Plautus*, quicquid ex tragædiâ & comœdiâ conſtabat. Senſit ita *Scriptor Quæſt. Ad Orthodox.* dicens, οὔτε παραβολὴν εἶναι, οὔτε ἱστορίαν, *nec Parabolam eſſe, nec Hiſtoriam*. At vero quomodo cum veritate *hiſtoriæ* componi poſſit, quod *Dives*, jam in *Inferno* conſtitutus, dicatur oculos levaſſe, & locutus cum Abrahamo, nec non ab eo poſtulaſſe, ut aquæ guttulâ lingua ſua refrigeraretur (quæ revera accidiſſe neminem credere exiſtimo) imperceptibile mihi videtur. Et quem in finem junxiſſet hic Chriſtus Parabolam Hiſtoriæ & Hiſtoriam Parabolæ, cum ſcopo ſuo, quem intendebat, alterutrâ plus ſatis potuerit ſatisfacere? Qui erat, ut diſparem tantam piorum & impiorum ex hac vitâ egreſſum, diſſimillimamque eorum poſt mortem conditionem fore, ſuis inſinuaret.

Hieronym in Interp. Nom. Hebraic.

Gregor. Moral. lib. 25 cap. 18.

Fuller. Miscell. Theolog. lib. 1. cap. 10.

IX. Adhæc quis legem ſcribentibus & dicentibus fixit, ut nunquam nomina *propria* Parabolis ſuis miſcerent? Imo vero aliter paſſim feciſſe Poëtas, Scholaſticos, Jureconſultos, nemini non notum eſt.

Hæc

Digitized by Google

Hæc mihi quæ canerem Titio *Deus edidit ore* *Tibull.*

In quem *Tibulli* locum *Scaliger* : Titium *eſſe conſtat Jureconſultorum perſonam* ὑποθετικὴν, ut *Philoſophorum* Θέωνα. Jureconſulti non unum tantum ſed multa paſſim congerunt *nomina propria* in exemplis ſuis, quæ *parabolarum* inſtar ipſis ſunt : Sunt iis. *Titii* non tantum ſed & *Mævii, Seji, Stichi, Sempronii* &c. Ne de Medicorum filiis addam, qui in Hiſtoriis ægrorum, quas fingunt, *propriis* quoque *nominibus* non abſtinent. *Pandect. lib. 9. tit. 2. §. 34.*

X. Reliquum ergo eſt, ut hoc *unum* tantum diſcriminis loco inter *Parabolam* & *Hiſtoriam Evangelicam* amplectamur: quod nunquam in *Parabolis* Scriptores Euangelicos, vel alias quaſdam perſonas, loquentes introduci videamus, ſed ſolum ſemper Dominum Jeſum. Loquitur & Hic quandoque quidem in *Hiſtoriis*, quod commune cum Euangeliſtis aliiſque habet, at nunquam Euangeliſtas vel perſonas, quæ in Euangeliis occurrunt, loqui animadvertes in *parabolis*, id enim ſoli Chriſto videtur reſervatum. Adeoque ut ut certò colligere non poſſis, narrationem aliquam, in Euangeliis obviam *Hiſtoriam* eſſe, eo quod Chriſtus in eâ loquatur, certus tamen eſſe potes, juxta Scripturæ ordinem, eam *Parabolam* non eſſe, ſi Euangeliſtæ aliive, & non Chriſtus, loqui in eâ deprehendantur. Atque hoc quidem eſt, quod ut probabiliſſimum hanc in rem offendere, hactenus mihi datum fuit. Quamobrem, ſi quid majoris lucis Viri multis numeris me ſagaciores hic habeant, obnixe rogatos eos velim, ne Quæſtioni huic per-obſcuræ affundere id dedignentur. Eo magis, quod non plane de nihilo indagatio hæc ſit; ludere enim aliquando in materiâ hac poſſunt *Papicolæ*, imò revera eludunt, *Parabolas* pro *Hiſtoriis* hominibus parum peritis ſæpe obtrudentes, iiſque ſuperſtitioſas ſuas affanias & nugas mirum in modum incruſtantes & commendantes.

XI. Notandum tamen eſt, non omnibus *Parabolis* in genere, minime quidem iis, quæ in V. T. occurunt, quod de diſcrimine hoc diximus, applicandum eſſe: in his enim non ſolum Deum ipſum, nedum ſolum Chriſtum, ſed perſonas etiam alias induci in propatulo eſt. Sic *Iotham* loquitur in *Parabolâ* de arboribus Regem electuris. Jud. 9.8. *Nathan* in *Parabolâ* de oviculæ raptu. 2. Sam. 12.5.6. *Ioas* in *Parabolâ* de ſpinâ, quæ in *Libano* erat, & ad *Cedrum* in *Libano* miſerat. 2 Reg. 14.9. Aliique in aliis.

EX-

Digitized by Google

EXERCITATIO VI.

DE

PUBLICANIS

BREVIARIUM.

Vox τελώνης *unde?* Redituum *apud Romanos* duplex *genus.* Τέλος & φόρος, *Tributum & Vectigal quomodo differant.* Leichii *notatus.* Lipſii & Martyris circa *voces* has conſideratio. *Publicani cur* Octavari *ſive Octavarii* dicti? *Locus Rom.* 13. 7. nes. *elucidatus.* Publicani *aliter* portitores *Latinis*, Tollenaars, Pachters &c. *Belgis.* Waſeri ἀνακρίβεια *notata. Regium in V. T.* Mercatores *an* publicani? *Loco* 1 *Reg.* 10. 15. 28. *lux addita.* Publicani *apud Hebraeos vel* ſpontanei *vel* a Rege *conſtituti.* Papiniani *locus excuſſus. Publicani* ſuperiores & inferiores. *Priores aliter* δημοσιῶναι, *poſteriores* ἐλλιμενίσται *dicti. Hi* contemtiores, *illi* honoratiores *apud Romanos. Publicani de* Pontibus *qui?* Lipſius, Herodianus, Grotius *laudati.* Mancipes *apud Romanos varii generis. Principes* Publicanorum *cur ſic dicti?* Praedes & Socii qui, *& quomodo a ſe invicem diſtincti?* Publicani *Iudaeis exoſi. Ad teſtimonia publica perhibenda & matrimonium cum Iſraelitide ineundum, non admiſſi.* Baronius *a* Caſaubono *notatus.* Odii *Iudaeorum in* Publicanos *cauſae variae. Publicani paſſim* injuſti rapaces, ſeditioſi. *Imperatorum contra eos decreta.* Publicum agere & publicarum eſſe *non ſemper idem.* Al-Mori παρερμηνεία *notata.* Tertullianus *refutatus. Locus Luc.* 18. 10. *illuſtratus. Templi Hieroſolymitani ſepta quot? Ad eorum* primum Gentibus etiam *aditus conceſſus.* Camero *laudatus.* Fons *erroris*

Digitized by Google

ris Tertullianæi a Caſaubono *detectus.* Ἁμαρτωλοὶ & Θηρία πονηρὰ *quid? Loco Tit. 1. 12. lux affuſa. Cautio de* Publicanis hodiernis *obſervanda.* Publicanorum *apud Hebræos inter* meliores & pejores *diſtinctio.* Hi *pro* latrionibus *paſſim habiti,* illi *benivolenter nonnunquam ab iis excepti. Quod patris R.* Zeiræ *exemplo confirmatur. Publicani* duriores ab ipſis *etiam Romanis inclementer tractati.* Publicani, *de quibus apud* Scriptores *nonnullos Eccleſiaſticos, qui? Idem fuere cum* Popelicanis. *Unde nominis id ſortiti?* Antonii Auguſtini & Uſſerii Armachani *de hoc conjecturæ. Cruentiſſimis perſecutionibus olim expoſiti.* Pauperes Lugdunenſes, Leoniſtæ, Inzabbatati, Catari, Patarceni *unde dicti?*

I.

P*ublicanorum* frequentiſſima in Euangeliis mentio eſt: Græce dicuntur Τελῶναι, a τέλος *vectigal* & ὠνέομαι *emere*, quaſi dixeris *vectigalium* vel *redituum emtores.* Redituum vero apud Romanos *duplex* erat genus, *unum* ex terræ proventibus, quod φόρον, *tributum*, *ſtipendium* nuncupabant; *alterum* ex rebus importatis, quod τέλος dicebant; proprie *portorium*, quod in itinere *extra portas* præſtari ſoleret. *Eduardus Leichius* vocem τέλος *ad perſonas* tantum reſtringit, dicitque tributum ea indicari quo *perſonæ* gravantur, ut Matt. 17.25. φόρος vero quod *bonis* tū mobilibus tum immobilibus imponitur. prout etiam Belgę inter tributa *perſonalia* & *realia* diſtinguere ſolent. De *vocabulis* hiſce ſic *Lipſius*, Antiquariorum Coryphæus, *Portorium primo quia id ſcil. ex* vecturâ: *unde* vectigal. *Græcis etiam hic diſcrimen aliquod, quibus* vectigal *proprie eſt* τέλος, *Tributum* φόρος. *Sed & in re ipſâ differunt, quod* illud *res & fundos magis ſpectet & liget,* hoc *capita ac mobiles opes.* Martyr *Vectigalis* nomen re tenit, idque deſcribit, *quod ſolvatur pro illis rebus, quæ importantur in Remp. ab exteris nationibus.* Pendebatur (addit) *hujus nomine octava pars cujuſque rei, unde* Publicani *dicebantur*, octavarii, aliis *Octavari*, tempore *Gratiani*, & *Theodoſii* Imperatorum. Digitum ad diſcrimen *redituum*, de quo mox, intendit Apoſtolus Rom. 13. 7. *Reddite igitur omnibus, quæ debetis, cui tributum debetur, tributum*

Herodot. lib. 3.

Waſer. de Hebræor. Numis. lib. 1 cap. 18.

Leich. Crit. Sacr. part. 2. pag. 325.

Lipſ. de Magnit. Roman. lib. 2. cap. 2.

Martyr. Locc. Com. Claſſ. 2. cap. 11. pag. m. 220.

Duaren. in Comm. ad tit. ff. de Public.

τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον, *cui vectigal*, *vectigal* τῷ τὸ τέλος, Quo & *Tacitus* reſpexit: *Quippe ſublatis portoriis, ſequens ut Tributorum abolitio expoſtularetur.* Atque a poſteriori hoc (τέλος nempe) noſtri τελῶναι denominantur, aliter etiam *portitores* & *Publicani* dicti, quia *publico* gaudebant: qui enim a fiſco aliquid conducebant, *publicani* ſæpe dicebantur. Dico *ſæpe*, quia dubium eſt, an *ſemper* id factum ſit, ut mox clarius pateſcet. Nos dicimus *Tollenaars*, Pachters &c. licet poſteriori notione illi etiam veniant, quibus villæ & rura noſtra uſui ſunt. Semper autem *vectigalia* (obſervante *Petito*) *Publicani* conducebant, nunquam *tributa*; quæ confundi tamen video a Doctiſſimo *D. Waſero.* Pro que rerum quarum conducebant vectigalia diſcrimine, aliis atque aliis nominibus etiam inſigniebantur: qui *decumas* redimebant *decumani*; qui *paſcua pecuarii*; qui *portus portitores* dicebantur; ut vectigalia ipſa decumarum, ſcripturæ, ac portorii nomen etiam gerebant.

Tacit. Ann. l. 13.

II. Volunt aliqui per *Publicanos* deſignari Regios illos mercatores, de quibus 1. Reg. 10. 15. 28. legere eſt; quod an verum ſit, non uſque adeo conſtat. Certum ſaltem eſt, *Judæ* & *Iſraelis* Reges aliquos habuiſſe, qui cenſus & vectigalia publica exigebant & colligebant. Pertinetque huc forte Hebræorum quorundam diſcrimen, qui diſtinxerunt Publicanos in Spontaneos, id eſt, qui ſponte ad telonium ſedebant; & *a Rege conſtitutos*, quibus neceſſario dandum erat vectigal, neque licebat id remittere, vel viatoribus id effugere.

Buxtorf. Lexic. Talmud. pag. 1065.

III. Erant apud Romanos ex inferiori quidem ordine *Publicani* juxta nonnullos, ſed neutiquam tamen contepmti, nedum infames; quo *Papiniani* locum, mox citandum, tum referunt, licet dubitem, an ſatis appoſitè: cum de exigendis tributius loquatur *Papinianus*, quod *Publicanorum* non fuit, ut dictum eſt, ſed exactio *vectigalium.* Verba ejus ſonant: *Munus exigendi* tributi *inter ſordida munera non haberi, & ideo Decurionibus etiam mandari.* Niſi dicere malis, Papinianum cum *Waſero* vectigal & tributum cum ſe invicem confudiſſe. Cicero non tantum viles & abjectos eos fuiſſe non pertendit, ſed contra *Equeſtri* ordini illos accenſet, *Viroſque Ampliſſimos, Equiteſque ſplendidiſſimos* indigitat. Imo exerte, pro *Plancio* declarat, *Florem Equitum Romanorum, Ornamentum Civitatis, Firmamentum Reip. Publicanorum ordine contineri*; quod cum conditione ſordidâ & abjectâ nemo dixerit convenire; imo ne cum hoc quidem, quod

In Codic. Theodoſ. leg. 17. Digeſt.

Cicer. in Ep. ad Famil lib. 13. Ep. 65.

Digitized by Google

quod ſupra alios opinari dictum eſt, eos, licet minime contemptos, inferioris tamen ordinis fuiſſe; neque enim *Viros Ampliſſimos* vel *Equites* ad *inferiorem* ordinem Romani referebant. *Idem. pro Plancio.*

IV. Quæ ergo ut concilientur, non incongrue ſtatuerimus: Publicanos olim *duplicis* generis fuiſſe, vel *ſuperiores* vel *inferiores*. *Illos*, qui *per ſe* publicum non exercebant, ſed *aliis*, cum parte quæſtus id elocabant (quos δημοσιῶνας vocant Græci, alii *Daciarios*) inter honoratiores habitos; *hos* vero, qui ſuperiorum illorum famuli tantum erant, & ἐλλιμενιςαὶ dicebantur, contemtiores, & inter vulgi fæcem recenſitos fuiſſe. Vocabantur hi *publicani etiam de Pontibus*, quia in portibus & pontibus a prætereuntibus vectigalia exigebant: Ita *Gloſſa* in lib. *Scabb. Aliquando eſt publicanus major, cui grave nimis eſt, ſtare in ponte toto die, ſubſtituit ergo ſibi publicanum inferiorem.* Neque *indignabitur*, ut eſt apud Senecam, *ſapiens aliquid impendere, ut limen tranſeat, cogitans & in pontibus quibuſdam pro tranſitu dari*: Oſtendit etiam *Herodianus*, fuiſſe *Publicanos*, qui exactiones faciebant ἐπὶ τοῖς ὄχθαις ποταμῶν, καὶ λιμέσι πόλεων, ἐν τε ὁδῶν πορείαις: *In ripis fluminum, portibus oppidorum & viarum tranſgreſſibus.* Et hi magis propriè *portitores*, vel juxta, *Pollucem*, omnem eorum genus recenſentem, εἰκοςήλογοι, δεκατήλογοι, πεντηκοςήλογοι, &c. dicebantur, quam *Publicani*; tantumque inter hos & illos intererat, quantum inter *magnarios* mercatores & *viles* ſubcociones vel ὑποκαπήλυς; vel noſtris moribus, inter Quæſtores (*d'ontfangers*) ab Ordinibus conſtitutos, & de *Pachters* nummorumve collectores, Quæſtoribus dictis ſubſtitutos, vel ab ipſis Quæſtoribus adſcitos. De his non honorifice, ut de *Publicanis*, ſed contemptim loquitur *Cicero*, in *Officiorum* libris: *Primum* (inquit) *quæſtus ii improbantur, qui in odia hominum incurrunt, ut* Portitorum, *ut fæneratorum.* Saltem Euangelium *Principis Publicanorum* diſerte meminit, *Zachæi* ſcilicet, qui procul dubio alios ſub ſe habuit; relatorum enim uno poſito, etiam alterum poni neceſſe eſt. Et *exiſtimo*, inquit *Grotius*, etiam in *Judæâ*, *ut in aliis provinciis Romanis Mancipes fuiſſe Equites Romanos. Sed quia illi per ſe exercere publicum non poterant, Judæis elocaſſe, aut certe eos admiſiſſe in partem quæſtus.* Quo loco cum *Grotius* Publicanos *Mancipes* vocet, obſervandum eſt, diſtingui ab aliquibus *Publicanos* in *Mancipes*, *Prædes* & *Socios*, per *Mancipes* intelligentibus quotquot aliquid a Populo

Lichtſ. Hor. Hebr. Pag. 871.

Lipſ. de Magnit. Rom. p. 59.

Caſſiodor Variar. lib. 1. Reg. 46. pag. m. 46.

Suicer. Theſaur. Eccleſ. p. 1267

Grot. in Matt. 5. 46.

pulo emebant conducebantque dictos *mancipes*, quod ſublatâ *manu* ſignificarent ſe emtionis auctores eſſe. Erant vero (quod notandum) varii generis, qui nomine hoc olim veniebant: *Mancipes Piſtrinorum*, de quibus *Socrates*: Ἦσαν ἐξ ἀρχαίου κατὰ τὴν μεγίστην Ῥώμην οἶκοι παμμεγέθεις· ἐν οἷς ὁ τῇ πόλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίνετο· οἱ τε προϊστάμενοι τούτων, οἱ μάγκιπες τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται, προϊόντος τοῦ χρόνου λῃστήρια τοὺς οἴκους πεποιήκασι). *Erant in urbe Roma ædes ampliſſimæ, a priſcis temporibus ædificatæ, in quibus panis fiebat, qui civibus dividebatur. Harum ædium præpoſiti, quos Romani patrio ſermone* Mancipes *vocant, ædes illas progreſſu temporis furum receptacula effecerunt.* Mancipes *Thermarum*, qui exhibitionem earum Romæ curabant. Mancipes *ſalinarum*, aliter ſalinarum *conductores*. Mancipes *Viarum*, de quibus *Tacitus*, id eſt, Viarum redemtores. Mancipes *curſus publici*, Caſſiodoro, ut reor, *Mancipes mutationum* dicti, qui *equorum*, ad celeritatem commutari ſolitorum, curam gerebant. Commentarienſis, de quo Actor. 16. *Prudentio* eſt manceps *carceris*, ut Ambroſio *optio carceris*. Mancipis *Suirmarum* etiam meminit *Plinius*. Adeo ut in genere *Mancipes* fuerint quivis operum præfecti, cuſtodes, curatores; atque ita *Principes* etiam *Publicanorum* hi erant, qui *Mancipes* ſalutabantur, quia vectigalium collectionem primariò curabant & dirigebant. Erant etiam, qui *Prædes* dicebantur, quia populo ſe obligabant, promittentes, ſi quid incommodi accideret, plane ſe ſatisfacturos eſſe: a *præſtando* dicti, quia tam debebant *præſtare* quod promiſerant, quam is, pro quo prædes facti erant. Licet *Præs* & *Manceps* eodem quoque ſenſu nonnunquam veniant: ſic *Curculio* apud Plautum

Ego Mancipem *te nihil moror, nec lenonem alium quempiam.*

Id eſt, *prædem*, *fidejuſſorem*. *Socios* denique nuncupabant, qui pro *Publicanis* partim conducebant, partim in ſocietatem cum his coibant, partim pro his bona fortunaſque ſuas Reip. obligabant. *Cicero* in *Verrem*: Socios *ex Verris exportationibus perdidiſſe ſexaginta H.S. idque ex viceſimâ portus tantum Syracuſani, & in pauculis menſibus* Societatem hanc Tacitus *ſocietatem Vectigalium*, ut Jureconſulti *Societatem* Vectigalium *cauſa coitam* vocitabant. Erant alias *ſocii* proprie leniore verbo Romanis, qui in poteſtatem, ac ditionem P.R. venditi erant. Sic rurſus Cicero: *Deſitum videri quicquam in* Sociis *iniquum, cum extitiſſet in Cives tanta crudelitas* E *Sociis* vero,

Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 18.
[illegible] in Not. ad Socrat. lib. 5. cap. 18. p. [illegible] 65. 66.
Turneb. Adverſ. pag. 49.
Tacit. l. 3.
Caſſiod. Variar. lib. 4. Epiſt. ad Godiſcal.
Varr. de Ling. Latin. lib. 4.
Plaut. Circ. Act. 4. Scen. 2. verſ. 29.
Cicer. in Verr.
Tacit. Annal. l. 13.
Leg. 65. §. per ff. pro
Cic. Offic. lib. 2.

qui

Digitized by Google

qui publicum agebant, unus erat *Magiſter Societatis* dictus, qui Romæ *Societatis* ita præerat, ut *Socios* quaſi in ſenatum cogendi, & ad eos de Societatis negotiis referendi poteſtatem haberet, curamque omnem gereret tabularum & rationum, quæ undique ab iis, qui *Publicanorum* ſocietati operas dabant, Romam mitterentur. Atque de hujuſmodi *Publicano* forſan capiendus eſt *Cicero*, cum, ut ſupra obſervavimus, *Ampliſſimum virum*, ſive Publicanos *Ampliſſimos viros* vocitavit. *Manceps* (inquit Paulus J. C.) eſt, *qui fidejuſſor exiſtit apud Mancipem pro colono publicorum prædiorum*, hoc eſt, *apud publicanum*. *Præs* eſt ſponſor, qui ſe pro alio obligat Principi vel Populo. Diſtinguit hunc a *Vade* Auſonius hoc verſiculo:

Sigon. de Iur. Civ. Romanor. lib. 2. c. 4.

L. qui fidejuſſor. ff. Locati.

> *Quis ſubit in pœnam capitali ſupplicio?* Vas:
> *Quis, cum lis fuerit nummaria, quis dabitur?* Præs.

Auſonig. in Monoſyll.

Innuens *Vadem* proprie locum habere in re *capitali* (unde *vas ſiſtendi* & *vas mortis* Ciceroni dictus, ut ἐγγυητὴς θανάτου Græcis) *prædem* vero in re *nummariâ* vel pecuniariâ. Licet alii ſint, qui diſcrimen id non admittunt.

V. Quam vero exoſi paſſim Judæis fuerint *Publicani*, hinc palam eſt: Quod 1. ex communi loquendi formulâ, cum Gentibus nequiſſimiſque hominibus eos comparârint. Ideo Chriſtus per λόγον (ut vocant) διασυρτικὸν, Hebræi dicunt על דבר גנאי, & vulgi loquendi modo ſe accommodans, de homine incorrigibili dixit: *Sit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Matt. 18. 17. (2) Quod conſortium corũ quam ſollicitiſſimè paſſim vitârint, imo vehementer fere offenderentur, ſi quiſquam e Gente ſuâ verſari iis cum deprehenderetur. Luc. 7. 7. (3) Quod ne quidem ad teſtimonia publica in tribunalibus ſuis perhibenda eos admiſerint. Sic in Pandecte Talmudico perſcriptum hiſce verbis: *Publicani ſunt inepti ad teſtandum & judicandum.* Et juxta *Babyl. Sanhed.* inter eos, qui nec ad *judiciam* idonei fuerunt, nec ad *teſtimonium* in *Judicio* perhibendum, numerantur הגבאין והמוכסין *Exactores* & *Publicani.* Genus *hominum* eſt (ait Maimonides) *de quibus præſumitur, eos fures eſſe, præſumiturque, omnes eorum opes per rapinam congeſtas, opuſque totum ſuum eſſe opus rapacium veluti publicanorum & latronum, quibus opibus uti non licet, nec eſt eorum nummus cum tuo commiſcendus, eo quod præſumitur ex rapinâ acquiſitus.* Facit huc etiam ſolenne Hebræorum monitum אין לך משפחה שיש בה מוכס שהן כולם מוכסין *Ne contingat* tibi uxor *e familiâ, in quâ ſit aliquis* publicanus, *quia omnes ſunt* publicani ſcelerati, peccatores.

Iuſtin. Apol. 2.

Maim. in גזלה *c. 5. cit. Lightf. H.H. pag. 286. Idem de Teſtib. c. 10.*

ut nominantur Matt. 9. 10. *Baronius* in hebræo textu Matthæi legiſſe ſe ait *Pariſim*, quo vocabulo *Publicani* denotabantur. At agnoſcit quidem *Caſaubonus* dictionem פריצים, ſed *publicanum* eam ſignificare negat, aſſerite contra hominem violentum, *τοιχωρύχον*, & parietum effractorem eâ deſignari.

Caſaubon. Exerc. XIII in Baron. 37. pag. m. 304. 305.

VI. Neq; adeo mirandũ odium hoc fuit; quum enim impatientiſſimi fere eſſent Judæi extorſionum Imperatoris, vix poterant aliter, quam miniſtros ejus, qui ipſi odioſo hoc in opere ſubſerviebant, ut faciebant *Publicani*, indignius habere. *Haud* (inquit Beza) *in ſynedria recipiebantur religionis quidem obtentu, quod cum incircumciſis communem vitæ conſuetudinem haberent, ſed revera Romanorum jugum exoſi, quibus iſti* (ſpectat ibi Publicanos) *operam locabant.* Maxime cum hominum genus ut plurimum eſſet in omnem nequitiam profuſiſſimum; Scil. I. in *injuſtitiam*, cum plus exigerent, quam debebatur, quod *πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον πράττειν* dicitur, *Luc.* 3. 13. *Suidas* iis tribuit *πεπαῤῥησιασμένην βίαν* & *ἀνεπιτίματον ἁρπαγὴν.* Unde & in diverbium videtur abiiſſe,

Bez. in Matt. 9. verſ. 10.

> *Πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.*
> *Quot* Publicani *ſunt*, *tot* raptores, *puta.*

Licet quidam non *publicanos*, quales nos præ manibus hic habemus; indicari eo ſenario velint, ſed *Oropi* incolas, quod ex adjecto altero ſenario colligendum cenſent:

Xenon. ap. Scultet. Exercit. Euang. c. 18. Gathak. Adv. cap. 10. p. 89.

> *Πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἁρπάγες,*
> *Κακὸν τέλος γένοιτο τοῖς Ὠρωπίοις.*
> *Sunt* Publicani *ſunt* raptores *quilibet*;
> *Morte univerſi pereant peſſimâ* Oropi.

Saltem leges Civiles contra hominũ horum *rapacitatem* ſerio etiam cautum voluerunt. Sic L. 1. in Princ. D. de *Publican.* & *Vectigal. Prætor ait*: *Quod* Publicanus *ejus* Publicani *nomine vi ademerit, quodve familia* Publicanorum: *ſi id reſtitutum non erit, in duplum, aut ſi poſt annum agetur, in ſimplum judicium dabo.* Et §. 2. *Dixerit aliquis, quid utique hoc edictum propoſitum eſt? quaſi non alibi* Prætor *providerit* furtis, damnis, vi raptis? *Sed e re putavit & ſpecialiter adverſus* Publicanos *Edictum proponere.* Scilicet, juxta Gloſſam, *ut comprimeret eorum pravitatem.* Haud ſecus ac in L. 3. §. 1. D. de *Naut. Caup. Stabul.* dicitur, ideo etiam Prætorem adverſus eos *ſpeciale edictum* propoſuiſſe, *ut innoteſceret, Prætorem curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominum*: cum quibus comparantur *Publicani*

a *D. Co-*

Digitized by Google

[a] *D. Coren*, Conſil. 16. in Not. & *Rebuffo* ad Conſtitut. Reg. Tractat. de *Merc. minut. vendend.* Gloſſ. 9. nec non *Chriſtmæo* Vol. III. Deciſ. 105. in fin. Hinc etiam accidit, quod *Sabino Romano*, qui *publicum quadrageſima in Aſia agebat*, eo quod conſuetâ hac *rapacitate* abſtineret, nec iniquis exactionibus paria cum reliquis *publicanis* faceret, imagines a Civitatibus poſitæ ſint, hoc ſub titulo: Καλῶς τελωνήσαντι, id eſt, *Publicano fideli*, vel *publicum fideliter agenti*: quod addo, ne ignorare videar (ut mox dixi) dubium eſſe apud Eruditos, an *publicum agere* & *publicanum* eſſe idem ſemper ſignificat, & an non aliquando per ingenere *vectigal colligere* prius; denotetur ſaltem *Horatius*: ſic *Sueton. in Veſp. cap. 1.* *Horat. Ep. 1.*

Pars hominum geſtit conducere publica.

Interrogatus Theocritus, apud *Alex. Morum*, quæ maxime fera belluarum eſſet, reſpondit: ἐν μὲν ὄρεσιν ἄρκτοι καὶ λέοντες, ἐν δὲ πόλεσι, τελῶναι καὶ συκοφάνται. Imo idem *Morus* locum Matt. 11. 12. βιασταὶ ἁρπάζουσι τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *violenti rapiunt regnum cœlorum*, huc etiam trahit; per βιαστὰς intelligens *Publicanos*, quorum quippe propriũ eſt ἁρπάζειν, collatis verbis Chriſti ad Phariſæos & Legiſtas: οἱ τελῶναι, καὶ αἱ πόρναι προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Matt. 21. 31. II. in *audaciam* & *factiones*, ut notavit *Grotius* ex Ulpiano, dicente; *Quanta audacia, quanta temeritatis ſint* Publicanorum factiones, *nemo eſt, qui neſciat.* Quod *Poſthumi* Publicani, de quo apud *Livium*, exemplo ibidem etiam confirmat. *Morus in Not. ad N. T. p. 46. 48.* *Grot. Loc. Cit.* *Ulpian. l. 12. D. eod.* *Liv. l. 25.*

VII. Accedebat, quod aliquando e propriâ ſuâ Natione ad inviſum illud opus adhiberi quoſdam animadverterent; quod non poterant non indignari, idque ob *duplicem* cauſam. 1. Quia indignum Judæo homine eſſe credebant, miniſtrum externæ ejus ſervitutis fieri, quam omnes, qui ex eadem Gente erant, tam illubenter ferebant. Unde & factum nonnunquam eſt, ut multi ſolâ pietatis ſpecie ipſa tributa & vectigalia abnuerint. 2. Quia ſic Judæos illos cum Gentilibus, in Terrâ Iſraeliticâ degentibus, ut *Præſidibus*, *Quæſtoribus*, *Legatiſque* Romanis obſtrictis conductionis ejuſmodi contractum, conſortium, ac conſuetudinem, contra morem & inſtituta majorum, idque palam velut Gentiles inire videbant. Neque enim audiendus hic eſt *Tertullianus*, qui nullos Publicanos *Judæos*, ſed omnes *Ethnicos* fuiſſe exiſtimavit; ſola enim *Matthæi* & *Zachæi* nomina & Patris *Rizeira* exemplum, de quo mox plura, tam perſpicue contrarium evincere poſſunt, ut hallucinari *Selden. de Jur. Natur. &c. lib. 2. cap. 5.* *Goodw. Moſ. & Aar. lib. 1. cap. 2.*

Digitized by Google

lucinari in hoc *Tertullianum* aliis argumentis adſtruere opus non ſit. Sunt, qui hinc etiam elicere id volunt, quod *Publicanus*, de quo Luc. 18. 10. ipſum *Templum* dicatur *ingreſſus*, cum *Gentibus* ad Templum (ut putant) aditus non pateret. *Thren.* 1. 10. *Ezech.* 43. 10. *Act.* 21. 28. &c. Sed haud ſolidum id eſt. Quum expreſſe eodem loco dicatur *μακρόθεν*, id eſt, *eminus* ſeu *procul* eum ſtetiſſe, quod indicio eſt, in *extimâ* Templi eum permanſiſſe, ad quam *Gentibus* accedere etiam licuiſſe, nemo credo, inficias ibit; hinc enim nomen ſuum gerebat, & חצר הבירה *Atrium Gentium* dicibatur, aliter *Atrium commune*: quin ne ipſi quidem excommunicati, lugentes, imo legaliter immundi eo aubantur. Magiſtri de eo, qui hircum Emiſſearium anteferebat: *Pollutus* eſt *ille*, *qui Hircum ablatus eſt Ingreditur in* Atrium *etiam* immundus, *atque eum aufert. Erant* enim *omnino* (ut ex Ioſepho refert Doctiſſ. Camero) *in Templo* quatuor *ſepta*: *Ad* primum *patebat aditus quibuſvis etiam* Gentibus *ſive Ethnicis*; *ad* ſecundum *viris & fœminis promiſcuè*; *ad* tertium *viris tantum*; ad adyta *vero ſoli Principi Sacerdoti. Itaque fortaſſis ſteterit in hoc* primo *ſepto* Publicanus. Melius forte ſtringeret hoc argumentum, ſi urgeretur non tantum, quod *Publicanus* dicatur Templum ingreſſus, licebat enim id etiam Gentibus, ut dictum, ſed quod ingreſſus dicatur *ad orandum*; quem in finem nequaquam credibile eſt, Ethnicos unquam vel templum vel ullum ejus Atrium adiiſſe. Detexit inter alios Tertullianæi hujus erroris fontem Celeberr. *Caſaubonus* hunc in modum: *Proferebat* (inquit) Tertullianus *e Scripturis*, *ut quidem putabat*, *auctoritatem conceptis verbis expreſſam hanc in Deuteronomio*: Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael. *Sed falſus eſt* Tertullianus, *fuitque fraudi acutiſſimo* Pœno *hebraicarum litterarum ignoratio*, *nam ſi originem conſuluiſſet deprehendiſſet*, *non eſſe Scripturæ verba*, *quibus ipſe nitebatur*, *ſed Interpretis imperiti hallucinationem*, *quæ multis impoſuit.* Deuter. XXXIII. *poſt hæc verba* nec erit ſcortator de filiis Iſrael, additur in nonnullis Græcorum codicibus: οὐκ ἔςαι τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ οὐκ ἔςαι τελισκόμενος πρὸς πᾶσαν εὐχὴν ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. *Non erit vectigal pendens de filiabus Iſrael*; *neque erit*, *qui initietur*, *quicquid illud ſit*, *quod voverint. Quid ſit hoc loco* τελισκόμενος, *fateor mihi non ſatis conſtare. Heſychius*, *qui*, *ut notum eſt eruditis*, *ſolet petitas è ſcripturâ voces in ſuas Gloſſas referre*, *explicat* πληρούμενος, τελειούμενος. *An huic loco altera*

Camer. Myrothec. pag. m. 132.

Caſaubon. Baron. Exercit. 13. pag. 303.

Scultet. Exercit. Evangel. cap. 18.

rà harum interpretationum conveniat, *neſcio. Sed tanti* non *eſt: nam*, *ut dixi*, *totus hic verſus* τῦ πονηρῦ κόμματος *de Sacro Codice delendus.*

VIII. Quod dixi de *Publicanorum* nequiſſimâ improbitate, inde etiam confirmatur, quod in Euangeliorum libris peſſimis paſſim aſſocientur hominibus: ut *meretricibus* Matt. 21. 31. *Ethnicis*, loco antea citato; *Peccatoribus* per excellentiam ſic dictis Luc. 15. 2. ἁμαρτωλοῖς, id eſt, perditiſſimæ & profligatiſſimæ vitæ hominibus & nebulonibus. Neque enim ἁμαρτωλοὶ, ex phraſi Scripturæ, illi ſunt, qui ſimpliciter tantum peccant vel peccarunt, ſed qui eminenter peccant, ἄνομοι, παράνομοι, ἄτακτοι, ἀλλόφυλοι, qui neque legis neque diſciplinæ ullam rationem habent, ſed gentiliter vivunt. Imo non tam *Publicani*, juxta nonnullos, dicti ſunt, quia per *publica ſeculi negotia* lucra ſectabantur, ſeu τὰ τέλη τὰ δημόσια *vectigalia publica* exigebant, quam quod *publici* quaſi חטאים, eſſent hoc eſt, *peccatores* κατ᾽ ἐξοχὴν, præ aliis veluti *publicandi*, id eſt, *publico* ſupplicio afficiendi, aliis in exemplum. Ἀλλοφύλους, *Gentiliter viventes* (inquit Grotius) *Judæi proprie vocabant* ἁμαρτωλοὺς *Gal.* 2. 15. Hoſque inter ſpeciatim habent Talmudici *Aleatores*, *Fœneratores*, *Pradones*, *Paſtores pecorum minutiorum*, Publicanos, *Vendentes fructum anni ſeptimi*, *pugnis avium lucrum facientes*, Theophylactus θηρία πονηρὰ eos dixit, ut Paulus *Cretenſes* κακὰ θηρία, *malas beſtias.* Tit. 1. 12. id eſt, homines, impios, feros, truculentos. *Catullus* in *Rufum*, de *Capro*,

Canin. in loc. Aliquot. N.T. cap. 8.

Waſer. de Hebreor. Num. lib. 1. *cap.* 18.

Grot. in Matt. 29. 45.

Theophyl. in 1 *Cor.* 15. 32.

Catull. in Rufum.

> *Hunc metuunt omnes*, *neque mirum*, *nam* mala *valde eſt*
> Beſtia.

Vox enim θηρίον per heteroſin in genere *beſtiam* vel *belluam* ſignificat. *Suidas* θηρία quoque vocavit δάκετα, ἀπὸ τῦ δάκνειν, h.e. animalia morſu aut ictu homini nocentia, qualia ſunt ἔχιες, φαλάγγια, *viperæ*, *phalangia*, quæ araneorum genus ſunt. Dicuntur etiam homines *ventri & voluptatibus* dediti. Clemens vocat θηρία ἀνδρείκελα κατ᾽ εἰκόνα πατρὸς αὐτῶν τῦ λίχνου θηρίου. Unde & θηριομαχεῖν quibuſdam nihil aliud eſt, quam cum hominibus *impiiſſimis* confli-

Clem. Alex. 2. *pædag.*

ctari. Ita idem *Theophylactus* : Θηριομαχίαν καλεῖ τὴν πρὸς
Theophyl. in 1 Cor. 15 32. Ἰουδαίους καὶ Δημήτριον τὸν ἀργυροκόπον μάχην. Τί γὰρ οὗτοι θηρίων διέφερον ? Pugnam *cum* beſtiis *appellat contentionem adverſus Judaos & Demetrium argentarium. Quid enim iſti a* belluis *diſtabant?*

IX. Verum enim vero, utcunque ſe res cum Publicanis *Veteribus* ſic habuerit, ut injuſti, rapaces, ac improbi fere fuerint, non tamen in præjudicium *modernorum* Publicanorum rapi id debet; quaſi & hi omnes pro hominibus nequam, ac in vocatione impiâ & illegitimâ verſantibus, habendi eſſent; abſit. Munus enim illud neque olim in ſe malum fuit, neque etiamnum eſt, licet tum, propter rationes quaſdam peculiares, quæ jam ceſſant, contemptius Judæis haberetur. Adeoque, ſi qui accuratè in vectigalibus ſuis exigendis, juxta Superiorum mandatum, bonæque conſcientiæ dictamen procedant, næ illis citra injuriam, criminis vel impietatis dica ſcribi non poteſt. E contra vero, ſi vel vi vel dolo plus extorqueant, quam lege præſcriptum ſciunt, vocatio eorum ad ἐπονειδίστους βίους *probroſas* ac *turpes profeſſiones* jure etiam referenda eſt: quadrantque tunc in ipſos *Suidæ*. Hæc verba: Τελώνης, ἀλλοτρίων πραγμάτων μεριστής, πεπαῤῥησιασμένη βία, ἀνεπίληπτος ἁρπαγὴ, ἀναίσχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον οὐκ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορία. *Publicanus* eſt *alienarum rerum diviſor; aperta violentia, impunita rapina, impudens plus habendi cupiditas, negotiatio ratione deſtituta, inverecunda mercatura.* Et
Chryſoſt. Oper. Tom. 5. pag. 189. hæc Chryſtomi: *Quid eſt* portorium? *Rapina legitima, aperta violentia, iniquitas legis patrocinio fulta: Latronibus ſævior eſt* portitor. *Quid eſt* portorium? *violentia, quæ patrocinium legis obtendit, quæ carnificem pro medico habet. Quid eſt* portorium? *impudens peccatum, rapina prætextu deſtituta, latrocinio pejor.* Atque adeo quivis tali, ut dictum eſt, modo procedentes, eo quod populo graves ſint, in ordinem non tantum redigendi, ſed atrocibus etiam pœnis coercendi ſunt. Imo quidſi, pro extorſionum & rapacitatis, quibus expilarunt cives, gravitate, ipſi capitali ſupplicio nonnunquam addicerentur, res forte exemplo non careret. Faciunt huc
Chriſtin. Deciſ. Cur. Belg. 105. vol. 3. pag. m. 410. *Chriſtinæi*, inſignis Juriſconſulti, verba: *Nam* (dicit) *ut inquit Chryſoſtomus, nihil aliud eſt* publicanus, *quam libere & licenter loquens violentia, legitima offenſio, honeſti vultus avaritia, habendique plus quam liceat libido: & ob id ante annos viginti in Francia quendam* Publicanum

luiſſe

Digitized by Google

luiſſe laqueo, *ex Curiæ ſupremo ſubſidiorum Judicio, refert Mornacius, quia illicitum tributum apud Caruliacum, licentiâ audaciâque nimiâ exegiſſet.*

X. Ipſi etiam Judæi, *Publicanorum ordini* alias, ut jam vidimus, infenſiſſimi, de omnibus iis & ſingulis æquè odioſe ſentire vel loqui non ſolent, verum bonos a malis, pejores a melioribus ſollicitè paſſim diſcriminant. Alius enim ipſis eſt Publicanus, *qui ſe ipſum telonio intruſit*, quem pro latrone habent. Alius *quem Rex ipſe conſtuuit*, ſive is Rex ſit Iſraelita, ſive Rex Ethnicus, quique non niſi determinatum in ſtatuto Regio accipit. Audiatur *Maimonides*, qui ad quæſtionem, quomodo intelligenda verba ſint, *ut Publicanus pro latrone habeatur*, ſic reſpondet: *Eo tempore, quo* Publicanus *eſt* Ethnicus, *aut quo* ſe ipſum telonio intruſit, *aut quod conſtuutus quidem eſt a Rege, non tamen habet determinatum quid, quod exigat*, ſed accipit, quantum ipſe voluerit, *raptor eſt. Verum ſi* Maimon. *Rex vectigal impoſuerit, dixeritque exigendam eſſe tertiam vel quartam,* Cit. Carp. *aut aliam ſummam determinatam, & conſtituerit Publicanum* Iſraelitam, zov. in Not. *ad exigendam hanc partem Regi, ac conſtat, hominem alias* fidelem eſſe, ad Schick. *neque quicquam addere ei, quod Rex decrevit, de eo non eſt præſumtio,* p. 278. *quod* raptor *ſit, eo quod jus ipſius Regis ſit jus illud.* Tametſi & verum ſit, quod corvus pene albus Judæis ſit, ſi quem *in publicanatu* ſuo juſte ac pie ſe habentem inveniant. Quamobrem tantis quoque laudibus *Patrem* (uti vocant) *R. Zeira* deprædicare ſolent, eò quod leniter & honeſtè munere illo defunctus fuerit. De eo Sanhedr. *Publicanatum egit* 13. *ann. cum ad oppidum adventaret Princeps civitatis, videretque Publicanus Rabbinos, dicere iisdem ſolitus eſt,* לך עמי בא בחדריך, *Vade Populus meus, intra in cubicula tua Eſ.* XXVI. Gloſſ. *Ne videat vos Princeps civitatis, & obſervans, quod multi eſtis, cenſum augeat annuatim.* Prout Romani, quibus æſtimati alias *publicani* erant, inclementius etiam illos habebant, qui exactionibus ſuis populo oneri non tantum ſed & exitio pene erant: duri in hominum id genus, quatenus crudele eſſet, ut *Judæi* benivoli in id ipſum, ſi ex juſto & æquo Imperii ſubditos tractaret. A victo *Pompejo* (teſte Dione) cum Aſiam obiter luſtraret *Julius*, τοὺς τελώνας πικρότατα σφίσι Dio Claſſ. χρωμένους ἀπαλλάξας, ἐς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ lib. 42. τῶν τελῶν κατεστήσατο: id eſt, *Publicanos, qui acerbiſſimi in Aſiaticos fuerant, removit: & in Tributi collationem id, quod ex vectigalibus redibat, mutavit.*

XI. Atque hæc quidem de *Publicanis* propriè dictis tam *Judæorum*, quam *Romanorum*. Verbum addendum reſtat de quibuſdum aliis, quorum mentio aliquando in *Annalibus* Eccleſiaſticis. Veriſſime olim Hegeſippus apud Euſebium: *Quamdiu vixerunt Apoſtoli, ſi qui erant, qui ſinceram ſalutaris prædicationis regulam depravare ſtudebant, in obſcuris tenebrarum latebris delituerunt. Poſt quam autem ſacer Apoſtolorum chorus diverſo mortis genere vitam finiit, præteriitque illorum ætas, quibus a Chriſto donatum erat, ut auribus divinam ipſius ſapientiam coram acciperent: tum primum falſa & veteratoria impii erroris conſpiratio per fraudem eorum, qui doctrinam a veritate prorſus alienam diſſeminare laborarunt, initium cœpit. Qui deinde, nullo jam ex Apoſtolis reliquo, nudato (ut aiunt) capite ſinceræ veritatis ſermoni falſam & commentitiam doctrinam ex adverſo opponere auſi ſunt.* Adeo quidem, ut non multo poſt puriora illa enaſcentis Chriſtianiſmi tempora, Satanâ myſterium iniquitatis magis magiſque operante, omnes pene, *Occidentis* præcipue, incolæ ſub dominantis Antichriſtianiſmi tum hæreſi, tum idololatriâ, tum tyrannide colla ſua ſubdere viſi ſint; ita ut, teſte Auguſtino, tunc *apparuerit vix Eccleſia, impiis perſecutoribus contra modum ſævientibus*: Donec tandem Deus puſilli ſui gregis miſertus (neque enim, ut loquitur Hilarius, *ſub Antichriſti ſacerdotibus populus Chriſti* plane *occiderat*) quoſdam excitârit, qui non tantum *clam* (id enim univerſo ſoluti Satanæ tempore etiam acciderat) ſed *palam* peſtilentiſſimis Romanæ Eccleſiæ erroribus & moribus animoſe ſeſe oppoſuerunt. Ut vero olim Pagani Chriſtiani nominis profeſſores nullis non opprobriis & contumelioſis inſcriptionibus dehoneſtabant, appellantes eos *ſtultos, imperitos, deſperatos, cruci-colas, Galilæos, Atheos, Aſinarios* (quod caput *Aſini* adorarent) *Sarmenticios* & *Semiſſios* (quod ad ſtipitem dimidii aſſis revinctiſar mentorum ambitu exurerentur, ut loquitur Tertullianus) *Imponentes* ſive *impoſitores* (ab injectione pallii, veſtis Græcorum propriæ, quam tanquam ſimpliciorem Chriſtiani geſtabant, tunico ſuper imponentes) &c. Improperantes iis, quod *mundo exitium minarentur, infantes vorarent, Sacerdotis genitalia venerarentur, inceſta convivia inſtituerent*, & plura id genus alia. Ita Antichriſti etiam ſatellites, *tum* ad majorem oppugnatoribus ſuis invidiam conflandam, *tum* ad cruentas, quibus graves iis erant, perſecutiones palliandas, variis, iiſque ignominioſiſſimis & odioſiſſimis paſſim, nominibus inſigniverunt. Vocabantur ipſis *Pauperes Lugdunenſes*

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 32.

Auguſt. Ep. 80. ad Heſych.

Hilar. c. Auxent.

Minuc. Fel. in Oct.

Cel. ap. Origen. l. 3.

Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 10.

Tertull. Apologetic. cap. 16.

Id Ibid. cap. ult.

Digitized by Google

nenſes ſive *Leoniſtæ* vel *Lioniſtæ*, non a *Leone* Imperatore iconomacho, ut quidam finxerunt, ſed a loco, in quo primum orti, *Lugduno*, Galliæ oppido; *inzabbatati*, a *Zabata*, quod eſt pedis indumentum ex corio confectum, Hiſpanis *Zapato* appellatum; *Cathari* vel *Catari*, a *Cato*, quia, [illegible] obtendebant, poſteriora *Catti* oſculabantur, in cujus ſpecie Lucifer iis apparebat; *Patereni*, quod *Patrem* tantum colerent; denique *Publicani*, teſtibus *Antonio Auguſtino*, Epiſcopo Ilerdenſi, *Guiljelmo Novoburgenſi*, *Guiljelmo Armoricano*, aliiſque. Refert de his *Thomas Waldenſis*, quod e Provinciis Galliæ in Angliam venientes, juſſu Regis Henrici II. *clave candente* in frontibus ſignati fuerint, licet perplurimi in Regno ejus eſſent. Multos etiam eorum Philippus Flandriæ Comes, *juſta* ut loquitur *Radulphus*, *crudelitate immiſericorditer punivit*; prout non pauci in *Franciæ* regionibus incendio traditi etiam ſunt, facultatibus eorum Sacerdotibus & Principi reſignatis. Unde vero *Publicanorum* nomenclatura iis adhæſerit, non uſque adeo planum eſt; neutiquam ſaltem dicti ita fuerunt a *Vectigalium* conductione & redemtione, ut illi, de quibus hactenus egimus. Forte non tam *Publicani* dicti ſunt, quam *Popelicani*, quod nomen receptum etiam eſt apud Autores. Sic Guiljelmus Amoricanus;

Omnes, qui fidei ſaperent contraria noſtra,
Quos Popelicanos *vulgari nomine dicunt,*
De tenebris latebriſque ſuis prodire coacti
Producebantur, ſervatoque ordine juris
Convincebantur, & mittebantur in ignem.

Vel, ſi id minus placeat, inſcriptionis rationem habe ex Antonio Auguſtino: *Credo* (inquit ille) Publicanos *forte dictos, quod Evangelicum* Publicanum *imitari ſe dicerent:* vel ex Uſſerio Armachano, cujus hæc verba ſunt: *Ecbertus Schonaugienſis monachus, qui anno* 1163. *cum* Catharis *diſputavit in Flandriâ* Piphles (*unde forte* Popelicanorum *vel* Publicanorum *nomen derivatum*) *in Galliâ* texerant, *ab uſu* texendi *appellatos ait, qui in Germaniâ nominabantur* Cathari.

Maſſon. Præf. in Alan. c. Valdenſ.

Fr. Pegna Director. Inquiſ. part. 2.

Alan. lib. 1. c. Hæret.

Anton. Auguſt. Not. in 1. Antiq. Decret. collect. 1. lib. 1.

Guilj. Novoburg. Rer. Angl. lib. 2. c. 13.

Thom. Waldenſ. vol. 3. de Sacrament. tit. 12.

Guilj. Armoric. Philipp. l. 1.

Anton. Auguſtin. Loc. Citat.

Uſſer. de Eccleſ. Succeſſ. in Occident. cap. 8. pag. m. 273.

Digitized by Google

EXERCITATIO VII.

DE
RATIONIS HUMANÆ
ET
SPIRITUS SANCTI
Operationibus in rebus Spiritualibus.

BREVIARIUM.

Rationis humanæ *in* ſpiritualibus *partes tum* negative *tum* poſitive *explicatæ. Res ſpirituales quomodo* contra *eam*, *quomodo* ſupra illam *eſſe dicendæ*? *Quo ſenſu*, *& quibus ſub cautelis ut* norma *nonnumquam conſideranda*? Quæſtio *principalis expedita.* Spiritus S. *inhabitatio in fidelibus qualis*? Montaniſtarum *furor perſtrictus.* Lombardus *notatus. De Spiritus S. in cordibus piorum* operationibus *Concluſiones variæ.* Ut 1. *Quod* veritates *ad ſalutem neceſſarias iis proponat & offerat. Scripturarum Veritas alia* rerum verborum *alia Poſterior quadantenus etiam a* ratione, *prior a ſolo Sp. S. manifeſtatur.* 2. *Quod de veritatibus illis tam potenter* eos convincat, *tantâque ipſis efficaciâ eas inculcet*, *ut non poſſint iis non aſſentiri. Cujus* convictionis *modus & ratio exponitur.* 3. *Quod aſſenſus*, *veritatibus illis adhibendi*, impedimenta eorum *mentibus revelat.* 4. *Quod veritates illas certo eos ſcire* non *tantum faciat*, *ſed vim &* dulcedinem *earum intimè & particulariter iis etiam inſinuet & applicet.* 5. *Quod in* veritatibus *illis ad veram* praxin *deducendis gratioſe eos juvet. Cujus* Auxilii *quin-*

tuplex

Digitized by Google

tuplex modus indicatur. Duo e Concluſionibus *illis πο-ρίσματα educta. Luminis* ſpiritus S. *ſupra illud*, quod *naturalis* rationis *eſt*, *præeminentia. Quorundam in elevandâ nimis quoad ſpiritualia* Ratione *audacia notata.* Arminius *a* Twiſſo *taxatus.* Auguſtinus *laudatus. Scriptoris Libri de Philoſophiâ* S. Scripturæ interprete *ſententia abſurda & impia.* Cl. Heidanus *ei oppoſitus. De* Eſſentiâ Animæ *digreſſiuncula.* Auguſtini, Lactantii, Ciceronis, Lucretii *cæcitatis, ſuæ, ad eam tum* percipiendam *tum* explicandam, *confeſſio ingenua.* Cogitatio ſubſtantialis *exploſa. Cogitandi* actus & potentia *ab ipſa* Animâ *quomodo diſtincta? Termini Scholaſtici etiam* Carteſio *uſurpati. De* Eſſentiâ *animæ, in* ſolâ cogitatione *conſiſtente, Theologorum & Philoſophorum quorundam effata. Multa etiam* naturalia, *quoad τὸ ὅτι quidem manifeſta, quoad τὸ διότι tamen inexplicabilia.* Capelli *modeſtia laudata.*

I.

MUlta exercuit ingenia quæſtio celebris *de Rationis Humanæ in rebus* Spiritualibus *uſu & abuſu*: Nos, quid de eâ tenendum ſit, paucis pro modulo etiam expediemus, idque tum *negative* tum *poſitive*. Καθ' ἄρσιν notandum eſt, iſtiuſmodi *Humanæ Rationi* in rebus ſpiritualibus, iiſque quidem ſupernaturalibus, partes adſcribendas nunquam eſſe, ut pro tali illarum regulâ principioque habenda ſit, in quod veritas æquitaſque earum reſolvi ultimo debeant; ſola enim hæc ac ſingularis *Sacræ Scripturæ* proprietas & prærogativa eſt. Eſ. 8. 20. Eph. 2. 20. Gal. 6. 16. Suntque Spiritualia ut ſic ſemper vel contra *rationem* humanam, ſi ut *corrupta* conſideretur, vel *ſupra* illam, ſi ut *incorrupta.* Prout exinde etiam eſt, quod non *naturalium* ſed *ſupernaturalium* notione paſſim veniant: tamque alte eorum evehitur revelatio, ut aſſurgere eo ratiocinatio noſtra minime valeat, ſaltem haudquaquam *ſalutariter*; præcipue ſi eorum τοῦ ὅτι non tantum, ſed & τοῦ διότι ratio habeatur.

II. Κατὰ θέσιν nihilominus ſi res conſideretur, multiplex, etiam

Digitized by Google

etiam in ipſis *Spiritualibus*, ei uſus adſcribendus eſt. Eſt enim (1.) *Diſpoſitio ſubjecti* abſolute neceſſaria, ad ſpiritualia recipienda. Nam *ratione* qui caret, incapax planè eſt rei ullius Spiritualis & Theologicæ. 1 Pet. 2. 2. Rom. 12. 2. (2.) Eſt *principium dijudicativum* & demonſtrativum talium rerum ſpiritualium, quas ſolâ etiam ratiocinationis noſtræ ope aſſequi & cognoſcere quadantenus poſſumus, ut E. G. eſſe Deum *immortalem*, *juſtum*, *unicum*, &c. (3.) Eſt *manuductio* & προπαιδεία ad ſpiritualium rerum faciliorem & uberiorem cognitionem. Non enim in myſteriis fidei dedignatur Deus, ſe ad ingenioli noſtri tenuitatem demittere, ſic illa explicando, ut optimè a nobis pro modulo noſtro percipi poſſint, atque revelationes ſuas in rationis noſtræ ſyllepſes & notiones veluti inoculando, eaſque ad intellectum noſtrum proinde accommodando, ut figura clavis figuræ ſeræ, cui deſtinatur, ſolet adaptari. (4.) Eſt *inſtrumentum*, ad ſpiritualia & ſupernaturalia, etiam ex ſolis principiis *naturalibus*, ab hæreticorum & carnalium hominum impetitionibus vindicanda. Item ad conſequentias ex principio S. Scripturæ nectendas, quod ſine *Rationis* noſtræ ope fieri non poteſt. Etiam ad textus Verbi Divini inter ſe conferendos, ut genuinus eorum ſenſus dextrè eruatur & percipiatur: quo reſpectu & ipſa noſtra *Ratio* rerum Spiritualium principium *quod* ſive elicitivum dici poteſt. Necnon da judicandum & diſcernendum de vocabulorum & phraſiologiarum, in Scripturâ occurrentium, naturâ, emphaſi, ſynonymiis &c. Denique etiam, ad Spiritualia qualiacunque comparationibus, ſimilitudinibus aliiſque ſcientiarum excerptis concinnè amplificanda & illuſtranda. Notanter Voſſius: *Sed tamen cum & majus Scripturæ* (Sp. in S. Scripturâ loquentis) *& minus rectæ* rationis *lumen pugnare inter ſe non poſſunt:* ratio *quidem præcedere* fidem *non debet*, *ſed utiliter tamen ſubſervit. Quemadmodum nimirum vinitores prius terram effodiunt, quam vitem plantent; poſtmodo vero in locum ſuum terram recondunt: ita* ratio *explodi debet, uſque dum* fides *cordibus inſeratur; ſed ea ubi plantata erit*, ratio *rectè admovetur, ut* fidem *illuſtret ac confirmet.* Cuncta huc redeunt, quod *Rationi humanæ* judicium *diſcretionis* in rebus *fidei* procul dubio competat; tum *ſubjective*, quia intellectus ſolius eſt cognoſcere & diſcernere res ſupernaturales, tum etiam *normaliter*, reſpectu veritatis *connexionum* in omnibus omnino enunciationibus, ſive eæ naturâ notæ ſint, ſive ex revelatione. Sed, reſpectu veritatis *ſententiarum*, in iis tantum, quæ naturaliter notæ

Voſſ. Hiſt. Pelagian. in Præfat.

Digitized by Google

ta ſunt. At vero (quod non omittendum) cum triplici hac cautione: 1. Ne ita neceſſarium habeatur *Rationis* illud judicium, quaſi Theologia abſque eo conſiſtere non poſſet. 2. Ut *Verbum Dei*, in quo veritates illæ revelatæ ſunt, pro *primariâ* ſemper normâ habeatur, *Ratio* tantum pro *ſecundariâ*. 3. Ut, cum Scriptura aliquid addit rei naturâ notæ, quod natura ipſa ignorat, tum de eâ non ex naturâ & ratione, ſed ex Scripturâ judicetur; non quaſi Scriptur & ratio inter ſe pugnent, ſed quod ratio a Scripturâ perficiatur. At in rebus non niſi ex revelatione notis (ſume *Trinitatis*, *Incarnationis* &c. myſteria) ſola Norma *Verbum Dei* eſſe poteſt, ultra aut præter quam non eſt ſapiendum.

III. Sed quorſum tum (*inquis*) Spiritus Sancti illuminatio, de quâ tam frequenter in Scripturis, ſi tot & tanta *Ratio* humana in *ſpiritualibus* valeat? Reſp. Quicquid ratio ſive *ingenium* humanum hic valet *ſalutare* non eſt, niſi Sp. S. operatio interna accedat. 1 Cor. 12. 3. Act. 16. 14. Rom. 8. 7. 1 Cor. 2. 14. Matt. 16. 17. Adhæc ſublimior & excellentior multò in mentibus noſtris irradiatio Sp. Sancti eſt, quam qualiſcunque *ingenii* noſtri ratiocinatio. Illa radiantis Solis lumen eſt, *hæc* non niſi fumigantis tantum candelæ. Quod multo parebit clarius, ſi quaſnam *illi* in piorum animabus partes aſſignari proprie oporteat, diſtinctiuſcule ediſſeramus.

IV. Statuendum itaque, eſt, Sacro-Sanctum Dei Spiritum omnium fidelium cordibus *vere* inhabitare. NB Non dico, *operari* eum tantum in iis, ſed & *vere* ac *gratioſe* præſto in iis eſſe, commorari in illis, *vivere* in illis. Pariter ac ſub V. T. Deus in *Templo* & *Tabernaculo* habitare dicebatur. Ita Auguſtinus: *Nondum* inhabitans *adjuvat*, *ut ſint fideles*, inhabitans *adjuvat fideles*. Quod ſic tamen intelligi nolim, ac ſi Spiritus S. eodem, ut in Chriſto eſt, modo etiam animabus noſtris ineſſet, id eſt *corporaliter*. Coloſſ. 2. 9. ſine *menſurâ*. Joh. 3. 34. *originaliter*. 2 Cor. 3. 17. abſit; Eſt enim in Chriſto, ut Lux in *Sole*, in nobis ut lumen in *Aëre*. Ut neque quod quoad eſſentiam ſuam nobis præſens tantum eſſet; ſic enim, eo quod immenſus ſit, nemini non ineſt. Nec quod commiſtus cum animæ noſtræ eſſentiâ eſſet, prout aquæ miſcetur vinum, & vino aqua: nec denique quod adinſtar *Formæ Informantis* piorum inhabitaret cordibus, prout anima eſt in *corpore* humano, &c.

Auguſtin. Ep. 105 ad Sixum.

Yyyy Eſſet

Joh. 7. 38. 39. &c. *Joh.* 16. 13. 14. *Rom.* 5. 5. & 8. 11. *Gal.* 4. 6. 7.

Eſſet enim illud aſſerere nihil aliud, quam ipſiſſimum *Enthuſiaſmum* reducere. Sed quod in illis ſit ad modum *formæ aſſiſtentis*, ut *nauclerus in navi* eſt, qui debitè eam inſtruit & gubernat. Vel per modum *unionis* potius, ſive *arctiſſimæ applicationis*, quâ ſemet ipſum intimè quidem piorum cordibus inſinuat, ſeque iis aſſociat, ſed ita tamen, ut nulla ſociatorum commiſtio inde reſultet, multo minus Sp. S. natura in eam, quæ animæ eſt, vel ea, quæ animæ eſt, in naturam Spiritus S. ſic tranſeat, ut dici poſſit, animam Sp. Sanctum, vel Sp. S. ipſam animam eſſe; qui *Montaniſtarum* inſulſus furor olim fuit. Neque enim in ipſis rebus *corporalibus* ſubſtantiarum diverſarum cum ſe invicem *unio* miſtionem hujuſmodi ſemper infert. Intime certe pulmo, lien, hepar corpori humano inſunt, neque tamen ulla hic miſtio, neque ullo jure pulmonem, lienem, hepatem corpus, vel corpus lienem, hepatem, pulmonemve ideo dixeris. Ut & ſtupidus *Lombardi* error fuit, dum ſenſit, *Charitatem, quâ Deum & proximum noſtrum diligimus, ipſiſſimam* Spiritus Sancti *perſonam eſſe*; confudit enim, ſic ſtatuens, cauſam cum effectu, donum cum donante, fructum cum arbore,

Lombard. Sent. lib. 1. *Diſtinct.* 4.

malus ut miſcet popa jura culinæ.

V. Interim negandum non eſt, *μυςηριῶδές τι inhabitationi* huic ſubeſſe. Quis enim explicet mihi pro merito incomprehenſibilem hanc *Infiniti Spiritus* in corpore & corde humano finitus præſentiam & commorationem? Cum tamen diſerte de eâ mentionem faciat Scriptura, quinimò *αὐτοῖς ῥήμασι* non ſemel illam inculcet, aperta certe veritas diſſimulanda non eſt, licet ſingularis ejus proceſſus moduſque in cordibus noſtris ita explorati & explanabiles non ſint. Ecce expreſſiſſima Apoſtoli verba, Eph. 2. 22. *ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον* (*habitaculum*) *τοῦ θεοῦ ἐν πνεύματι.* Vox *κατοικητήριον* Heb. שבת ſignificat etiam *Tabernaculum* Exod. 15. 17. & 33 14. & poſtea *Templum*, quod in *Tabernaculi* locum ſucceſſit. 1 Cor. 6. 22. *An neſcitis, quod corpus veſtrum Templum eſt Sp. S. qui in vobis eſt, quem habetis a Deo.* & 2 Cor. 3. 16. *An neſcitis, quod* Templum *Dei eſtis, & Spiritus Dei* habitet *in vobis*? Et quid aliud ipſum Fœderis gratiæ argumentum eſt, quam Dei hæc promiſſio: *Dabo* Spiritum *meum* in medio veſtrum, *& faciam ut ambuletis in viis meis. Ezech.* 36. 27.

Haveman. Lum. Magn. Chriſt. pag. 448. 449. 450. — 2 *Pet.* 1. 4. 5. *Ioh.* 15. 5. 6.

VI. At vero otioſus minime eſt Sp. S. imperceptibili modo nobis

bis inhabitans, ſed variis fere operationibus occupatus, quibus mediantibus ſuam in nobis præſentiam manifeſtam facit; quæ ſingulatim jam enumerandæ. *Prima* earum eſt, quod omnes *veritates* neceſſarias ad ſalutem, neceſſitate ſcil. *medii*, prout in verbo Dei revelatæ ſunt, perſpicue nobis pandat & inſinuet. *Veritates* dico ſacræ Scripturæ ſive in verbo Dei revelatas, non mera ejus *verba*; quæ quippe ipſæ veritates non ſunt, ſed earum tantum indicia & notæ; quaſque adeo ipſiſſimi quoque infideles, ſine ullâ Sp. S luce cog- *Ioh.* 16.
noſcere & explicare quadantenus poſſunt. *Veritates* autem ſunt 13.
res verbis & notionibus illis ſignificatæ, ſive ſenſus genuinus per *Ioh.* 8.
Sp. S. tum iis intentus, vel ὁ νοῦς τοῦ Χριστοῦ, ut Apoſtolus loqui- 47.
tur: 1 Cor. 2. 16. quique adeo explicari a nemine poteſt, quam 1 *Ioh.* 4.
ab ipſo Spiritû Dei, verborum ſuorum Authore, Inſtinctore, & 1. 2. 3.
Interprete unico. Quanta autem inter meram *verborum* & veram 1 *Cor.*
rerum cognitionem differentia ſit, in hoc ſimilive exemplo conſpi- 2. 15.
cias velim: ſumatur *Liber* aliquis vernaculus de *Re Nautica* con- 1 *Ioh.* 2.
ſcriptus, legatur is relegaturque a peritiſſimo *medico* vel *Jurecon-* 27.
ſulto; rei nauticæ plane ignaro; legatur is etiam relegaturque a *Funger. Nov. Farr. Prov. p.* 31.
παρ᾽ ἀνδρὶ ναυτικωτέρῳ, id eſt a perito Navarcho vel Nauclero quodam; uterque eorum intelliget quidem *verba* voceſque *Libro* eo comprehenſas, ſed *res* verbis illis vocibuſque ſignificatas, ambo non intelligent, ſed is tantum, qui artis nauticæ non ignarus, ſed peritus antea fuit. Vel (ut intra Scripturæ cancellos me contineam) prodeat quis, qui in ſcriptis V. T. plane hoſpes eſt, legatisque verba Pauli. 1 Cor. 10. 4. *Petra autem erat Chriſtus*: percipiet procul dubio quidem Apoſtoli verba, intelligetque quid vox *Chriſtus* & *Petra* ſignificet, ſed quis tamen loci illius genuinus ſenſus & ſancta *veritas* ſit, nequaquam percipiet.

VII. *Secunda* operatio eſt, quod de dictis veritatibus Divinis mentes noſtras *pleniſſimè convincat* (Joh. 16. 8. Spiritus veniens ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας) adeo ut eas non tantum ſciamus & intelligamus, ſed tam clarè & diſtinctè ſciamus, ut negare amplius neque auſimus, neque poſſimus, quin certò certius ita ſe habeant, ut in Scripturis revelatæ nobis ſunt. Monſtrat nempe nobis Sp. S., quoad *credenda*, Dei in revelando veritatem & veracitatem irrefragabilem, quoad *agenda* & *omittenda* ſummam ejus & abſolutiſſimam imperandi poteſtatem & authoritatem. Non quod (NB) *alia* nobis dictet interne Sp. S. quam quæ verbo Dei contenta ſunt, vel *nova* quædam veritatum Divinarum argumen-

Digitized by Google

quando executioni mandanda ſint, neſcientes. Auxiliatur hic ipſis Spiritus, qui, ut fortitudinem & conſtantiam Chriſtianam iis inculcat, ita & *prudentiam juſtorum* eas docet. 30. 21. (4) Languorem & torporem noſtrum naturalem, quo a præſtandis officiis plus juſto ſæpe retrahimur, corrigendo & removendo. Eſ. 63. 16. Pſ. 119. 88. (5) Habitualem denique noſtram gratiam excitando & efficaciter in actum deducendo. Phil. 2. 12. 15. *Ipſe*, (dicit Auguſtinus) *ut* velimus *operatur incipiens*, *qui volentibus* cooperatur *perficiens*.

c Auguſtin de Grat. & Liber. Arb. cap. 16.

IX. Atque hæc quidem Methodus eſt, quâ Sp. S. in piorum cordibus illuminandis, dirigendis & excitandis, procedere ordinariò ſolet. *Duo* jam ex dictis patent: *Prius* eſt, quid non valeat, in hac ſuâ *operatione*, ſanctiſſimus Dei Spiritus, ſupra omne id, quod a rationis noſtræ viribus naturalibus expectare licet. *Rationis* noſtræ lumen mutilum & imperfectum plane eſt, & vix quicquam præter ipſam caliginem: non enim pertingit ad myſteria Regni cœleſtis, facile evaneſcit, neque ullo modo animum ejus, qui ipſo ſolo illuſtratus eſt, immutat aut emendat. At quæ & quanta (ut hic liquet) non præſtat Sp. S. *interna irradiatio*? multo hæc præcedente non tantum perfectior eſt, ſed fixiſſima etiam, & quoad eſſentiam ſuam plane immutabilis, *pergensque lucere in diem uſque plenum*. Prov. 4. 18. quinimò univerſum hominem in ſui obſequium non tantum pertrahens, ſed in indefeſſum etiam virtutum omnium amatorem & ſectatorem invertens & transformans. Quæ cum ita ſint, infandus ſane eorum pateſcit tumor, quibus potiores in rerum *Spiritualium* explanatione partes, non S. Scripturæ, multo minus Spiritui Sancto, ſed humanis ratiociniis tribuere, adeoque ipſum Cœlum Deumque morbido noſtro ingeniolo ſubjugare, volupe eſt. Quid de hac materiâ publico nuper expoſuerit Theologus quidam, alias non indoctus, nemo eſt, qui neſciat. Ex ungue leonem. Peculiari profeſſus eſt ſcripto: *Poſſe ſcripturarum ſenſum quoque aſſequi qui Sp. Dei non regitur. Non illuminare Sp. Dei mentes noſtras, ita ut novum iis infundat lumen; Infallibilem eſſe* Rationem *a Philoſophiâ & Sp. S. expurgatam, & tam infallibilem ac ipſum Deum; Pietatis eſſe, Scripturam omnino ſecundum* Rationem *explicare; Debere* Rationem *omnia, cujuſcunque generis ſint, revocare ad examen & videre, an quicquam eorum, quæ putamus ineſſe Scripturis, ſit rectæ rationi noſtræ contrarium, cujuſmodi ſi quid deprehendatur, aſſirmare licitum eſſe pronunciare, Scriptura-*

Huet. Demonſtrat. Evangel. tom. 1. in Præf. pag. 7.

rum

rum eam mentem non eſſe. At hæc crudiora ſunt, & a multis aliis profligata. Subtilius, quin hoc forte periculoſius, *Rationis* caliginoſæ cauſam agunt, qui veritatem inculcaturi Theologiam, non Scripturam, ſed *Rationem* agmen ducere, etiam coram minus peritis, faciunt; ex *hac* primo loco divinarum veritatum probationem depromentes, ex *illa* demum ſecundo loco. Quâ inverſâ methodo quid ſibi velint, fateor me non capere, niſi quod protervis Philoſophantum ingeniis imprimi ſic ſenſim velint, quanti mentis noſtræ *ratiocinia* in rebus Theologicis facienda ſint, ſupra *Scripturas*, Spiritumque loquentem in *Scripturis*. Scilicet evenire iſtiuſmodi Hominibus mihi videtur, quod olim *Arminio*, de quo ſic alicubi Twiſſus: *Vulgare nimis ei eſt & in medio poſitum, Scripturas juxta Scripturas exponere. Maluit tanquam Pontifex aliquis ἀνυπεύθυνος, non Romanus ſed Batavus, juxta ingenium ſuum & reconditam ejus ſubtilitatem verbi Divini interpretationem expedire.* Quanto rectius *Auguſtinus*, dum dixit: *Nihil in Eccleſiâ Catholicâ ſalubrius fieri poteſt, quam ut* Rationem *præcedat Auctoritas.* Et alibi: *Quia caligantes hominum mentes conſuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perſpicuitati ſanctitatique Rationis adſpectum idoneum intendere nequeunt, ſaluberrime comparatum eſt, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat Auctoritas. Poſterius* eſt, quam abſurdi ſint, qui *tranſcendens* hoc ſupra naturalem rationem *lumen* in dubium non tantum vocant, ſed & impudenter nonnunquam exſufflant & irrident. Quos inter recenſendus magno ſuo merito præcipue eſt Author Libri vere blaſphemi, *De Philoſophiâ S. Sriptura Interprete.* Hic enim *paginâ* dicti Tractatus 91. Spiritus hanc internam illuminationem, quam Theologi *Orthodoxi* conſtantiſſime hactenus docuerunt, cum *Montani* Paracleto, *Enthuſiaſtarum Prophetiis, Tremulorum exſtaſibus & Phantaſmatis* componere non erubuit; hoc quidem, ut præ ſe fert, motus imprimis argumento, quod *naturam* & eſſentiam ejus a nemine eorum, qui eam urgent, explanatam hactenus viderit. At quam pueriliter ſane, ne dicam impie! Sic ut non plane immerito in ipſum pridem Cl. Vogelſangius: *Ego certe talem porcum tamque abſurda grunnientem non tantum de* Carteſii *ſcholâ nunquam expectaſſem, ſed neque de harâ* Epicuri. *Quaſi vero* (ut pie alicubi Heidanus) *quod hic vel ille cum* ratione, *quæ ſæpe diſtorta eſt, &c. conciliare non poteſt, continuo cum ſana ratione pugnare dicendum ſit, aut* Ratio *prius conſulenda, quam fides* Verbo *adhibenda.* Ergone

enim

Twiſſ. Animadv. in Coll. Armon. c. Jun. pag. 130.

Auguſt. de Morib. Eccleſ. Cathol. cap. 2.

Philoſ. Scrip. Interp. pag. 91

Vogelſ. Indign. Juſt. pag. 7.

Heidan. de Origin. Err lib. 7. cap. 3.

Calvin. in Rom. 11.

EXERCITATIO VII.
DE
RATIONIS HUMANÆ
ET
SPIRITUS SANCTI
Operationibus in rebus Spiritualibus.

BREVIARIUM.

Rationis humanæ *in* ſpiritualibus *partes tum* negative *tum* poſitive *explicatæ. Res ſpirituales quomodo* contra *eam*, *quomodo* ſupra illam *eſſe dicendæ? Quo ſenſu, & quibus ſub cautelis ut* norma *nonnumquam conſideranda?* Quæſtio *principalis expedita.* Spiritus S. *inhabitatio in fidelibus qualis?* Montaniſtarum *furor perſtrictus.* Lombardus *notatus. De Spiritus S. in cordibus piorum* operationibus *Concluſiones variæ.* Ut 1. *Quod* veritates *ad ſalutem neceſſarias iis proponat & offerat. Scripturarum Veritas alia* rerum verborum *alia Poſterior quadantenus etiam a* ratione, *prior a ſolo Sp. S. manifeſtatur.* 2. *Quod de veritatibus illis tam potenter* eos convincat, *tantâque ipſis efficaciâ eas inculcet, ut non poſſint iis non aſſentiri. Cujus* convictionis *modus & ratio exponitur.* 3. *Quod aſſenſus, veritatibus illis adhibendi*, impedimenta eorum *mentibus revelat.* 4. *Quod veritates illas certo eos ſcire* non *tantum faciat, ſed vim &* dulcedinem *earum intimè & particulariter iis etiam inſinuet & applicet.* 5. *Quod in* veritatibus *illis ad veram* praxin *deducendis gratioſe eos juvet. Cujus* Auxilii *quintuplex*

tuplex modus indicatur. Duo *e* Concluſionibus *illis πο-ρισματα educta. Luminis* ſpiritus S. *ſupra illud*, quod *naturalis* rationis *eſt*, *præeminentia. Quorundam in elevandâ nimis quoad ſpiritualia* Ratione *audacia notata.* Arminius *a* Twiſſo *taxatus.* Auguſtinus *laudatus. Scriptoris Libri de Philoſophiâ* S. Scripturæ interprete *ſententia abſurda & impia.* Cl. Heidanus *ei oppoſitus. De* Eſſentiâ Animæ *digreſſiuncula.* Auguſtini, Lactantii, Ciceronis, Lucretii *cæcitatis, ſuæ, ad eam tum* percipiendam *tum* explicandam, *confeſſio ingenua.* Cogitatio ſubſtantialis *exploſa. Cogitandi* actus & potentia *ab ipſa* Animâ *quomodo diſtincta? Termini Scholaſtici etiam* Carteſio *uſurpati. De* Eſſentiâ *animæ, in* ſolâ cogitatione *conſiſtente, Theologorum & Philoſophorum quorundam effata. Multa etiam* naturalia, *quoad τὸ ὅτι quidem manifeſta, quoad τὸ διότι tamen inexplicabilia.* Capelli *modeſtia laudata.*

I.

MUlta exercuit ingenia quæſtio celebris *de Rationis Humanæ in rebus* Spiritualibus *uſu & abuſu*: Nos, quid de eâ tenendum ſit, paucis pro modulo etiam expediemus, idque tum *negative* tum *poſitive.* Καθ' ἄρσιν notandum eſt, iſtiuſmodi *Humanæ Rationi* in rebus ſpiritualibus, iiſque quidem ſupernaturalibus, partes adſcribendas nunquam eſſe, ut pro tali illarum regulâ principioque habenda ſit, in quod veritas æquitaſque earum reſolvi ultimo debeant; ſola enim hæc ac ſingularis *Sacræ Scripturæ* proprietas & prærogativa eſt. Eſ. 8. 20. Eph. 2. 20. Gal. 6. 16. Suntque Spiritualia ut ſic ſemper vel contra *rationem* humanam, ſi ut *corrupta* conſideretur, vel *ſupra* illam, ſi ut *incorrupta.* Prout exinde etiam eſt, quod non *naturalium* ſed *ſupernaturalium* notione paſſim veniant: tamque alte eorum evehitur revelatio, ut aſſurgere eo ratiocinatio noſtra minime valeat, ſaltem haudquaquam *ſalutariter*; præcipue ſi eorum τοῦ ὅτι non tantum, ſed & ȣ διότι ratio habeatur.

II. Κατὰ θέσιν nihilominus ſi res conſideretur, multiplex, etiam

etiam in ipſis *Spiritualibus*, ei uſus adſcribendus eſt. Eſt enim (1.) *Diſpoſitio ſubjecti* abſolute neceſſaria, ad ſpiritualia recipienda. Nam *ratione* qui caret, incapax planè eſt rei ullius Spiritualis & Theologicæ. 1 Pet. 2. 2. Rom. 12. 2. (2.) Eſt *principium dijudicativum* & demonſtrativum talium rerum ſpiritualium, quas ſolâ etiam ratiocinationis noſtræ ope aſſequi & cognoſcere quadantenus poſſumus, ut E. G. eſſe Deum *immortalem*, *juſtum*, *unicum*, &c. (3.) Eſt *manuductio* & *προπαιδεία* ad ſpiritualium rerum faciliorem & uberiorem cognitionem. Non enim in myſteriis fidei dedignatur Deus, ſe ad ingenioli noſtri tenuitatem demittere, ſic illa explicando, ut optimè a nobis pro modulo noſtro percipi poſſint, atque revelationes ſuas in rationis noſtræ ſyllepſes & notiones veluti inoculando, eaſque ad intellectum noſtrum proinde accommodando, ut figura clavis figuræ ſeræ, cui deſtinatur, ſolet adaptari. (4.) Eſt *inſtrumentum*, ad ſpiritualia & ſupernaturalia, etiam ex ſolis principiis *naturalibus*, ab hæreticorum & carnalium hominum impetitionibus vindicanda. Item ad conſequentias ex principio S. Scripturæ nectendas, quod ſine *Rationis* noſtræ ope fieri non poteſt. Etiam ad textus Verbi Divini inter ſe conferendos, ut genuinus eorum ſenſus dextrè eruatur & percipiatur: quo reſpectu & ipſa noſtra *Ratio* rerum Spiritualium principium *quod* ſive elicitivum dici poteſt. Necnon da judicandum & diſcernendum de vocabulorum & phraſiologiarum, in Scripturâ occurrentium, naturâ, emphaſi, ſynonymiis &c. Denique etiam, ad Spiritualia qualiacunque comparationibus, ſimilitudinibus aliiſque ſcientiarum excerptis concinnè amplificanda & illuſtranda. Notanter Voſſius: *Sed tamen cum & majus Scriptura* (Sp. in S. Scripturâ loquentis) *& minus rectæ* rationis *lumen pugnare inter ſe non poſſunt*: ratio *quidem precedere* fidem *non debet*, *ſed utiliter tamen ſubſervit. Quemadmodum nimirum vinitores prius terram effodiunt, quam vitem plantent; poſtmodo vero in locum ſuum terram recondunt: ita* ratio *explodi debet*, *uſque dum* fides *cordibus inſeratur*; *ſed ea ubi plantata erit*, ratio *recte admovetur*, *ut* fidem *illuſtret ac confirmet.* Cuncta huc redeunt, quod *Rationi humanæ* judicium *diſcretionis* in rebus *fidei* procul dubio competat; tum *ſubjective*, quia intellectus ſolius eſt cognoſcere & diſcernere res ſupernaturales, tum etiam *normaliter*, reſpectu veritatis *connexionum* in omnibus omnino enunciationibus, ſive eæ naturâ notæ ſint, ſive ex revelatione. Sed, reſpectu veritatis *ſententiarum*, in iis tantum, quæ naturaliter notæ

Voſſ. Hiſt. Pelagian. in Præfat.

tæ

Digitized by Google

ta ſunt. At vero (quod non omittendum) cum triplici hac cautione: 1. Ne ita neceſſarium habeatur *Rationis* illud judicium, quaſi Theologia abſque eo conſiſtere non poſſet. 2. Ut *Verbum Dei*, in quo veritates illæ revelatæ ſunt, pro *primariâ* ſemper normâ habeatur, *Ratio* tantum pro *ſecundariâ*. 3. Ut, cum Scriptura aliquid addit rei naturâ notæ, quod natura ipſa ignorat, tum de eâ non ex naturâ & ratione, ſed ex Scripturâ judicetur; non quaſi Scriptur & ratio inter ſe pugnent, ſed quod ratio a Scripturâ perficiatur. At in rebus non niſi ex revelatione notis (ſume *Trinitatis*, *Incarnationis* &c. myſteria) ſola Norma *Verbum Dei* eſſe poteſt, ultra aut præter quam non eſt ſapiendum.

III. Sed quorſum tum (*inquis*) Spiritus Sancti illuminatio, de quâ tam frequenter in Scripturis, ſi tot & tanta *Ratio* humana in *ſpiritualibus* valeat? Reſp. Quicquid ratio ſive *ingenium* humanum hic valet *ſalutare* non eſt, niſi Sp. S. operatio interna accedat. 1 Cor. 12. 3. Act. 16. 14. Rom. 8. 7. 1 Cor. 2. 14. Matt. 16. 17. Adhæc ſublimior & excellentior multò in mentibus noſtris irradiatio Sp. Sancti eſt, quam qualiſcunque *ingenii* noſtri ratiocinatio. Illa radiantis Solis lumen eſt, *hæc* non niſi fumigantis tantum candelæ. Quod multo parebit clarius, ſi quaſnam *illi* in piorum animabus partes aſſignari proprie oporteat, diſtinctiuſcule edifferamus.

IV. Statuendum itaque, eſt, Sacro-Sanctum Dei Spiritum omnium fidelium cordibus *vere* inhabitare. NB Non dico, *operari* eum tantum in iis, ſed & *vere* ac *gratioſe* præſto in iis eſſe, commorari in illis, *vivere* in illis. Pariter ac ſub V. T. Deus in *Templo* & *Tabernaculo* habitare dicebatur. Ita Auguſtinus: *Nondum* inhabitans *adjuvat, ut ſint fideles*, inhabitans *adjuvat fideles*. Quod ſic tamen intelligi nolim, ac ſi Spiritus S. eodem, ut in Chriſto eſt, modo etiam animabus noſtris ineſſet, id eſt *corporaliter*. Coloſſ. 2. 9. ſine *menſurâ*. Joh. 3. 34. *originaliter*. 2 Cor. 3. 17. abſit; Eſt enim in Chriſto, ut Lux in *Sole*, in nobis ut lumen in *Aëre*. Ut neque quod quoad eſſentiam ſuam nobis præſens tantum eſſet; ſic enim, eo quod immenſus ſit, nemini non ineſt. Nec quod commiſtus cum animæ noſtræ eſſentiâ eſſet, prout aquæ miſcetur vinum, & vino aqua: nec denique quod adinſtar *Formæ Informantis* piorum inhabitaret cordibus, prout anima eſt in *corpore* humano, &c.

Auguſtin. Ep. 105 ad Sixum.

 Eſſet

Joh. 7. 38. 39. &c. *Joh.* 16. 13. 14. *Rom.* 5. 5. & 8. 11. *Gal.* 4. 6. 7.

Eſſet enim illud aſſerere nihil aliud, quam ipſiſſimum *Enthuſiaſmum* reducere. Sed quod in illis ſit ad modum *formæ aſſiſtentis*, ut *nauclerus in navi* eſt, qui debitè eam inſtruit & gubernat. Vel per modum *unionis* potius, ſive *arctiſſimæ applicationis*, quâ ſemet ipſum intimè quidem piorum cordibus inſinuat, ſeque iis aſſociat, ſed ita tamen, ut nulla ſociatorum commiſtio inde reſultet, multo minus Sp. S. natura in eam, quæ animæ eſt, vel ea, quæ animæ eſt, in naturam Spiritus S. ſic tranſeat, ut dici poſſit, animam Sp. Sanctum, vel Sp. S. ipſam animam eſſe; qui *Montaniſtarum* inſulſus furor olim fuit. Neque enim in ipſis rebus *corporalibus* ſubſtantiarum diverſarum cum ſe invicem *unio* miſtionem hujuſmodi ſemper infert. Intime certe pulmo, lien, hepar corpori humano inſunt, neque tamen ulla hic miſtio, neque ullo jure pulmonem, lienem, hepatem corpus, vel corpus lienem, hepatem, pulmonemve ideo dixeris. Ut & ſtupidus *Lombardi* error fuit, dum ſenſit, *Charitatem, quâ Deum & proximum noſtrum diligimus, ipſiſſimam* Spiritus Sancti *perſonam eſſe*; confudit enim, ſic ſtatuens, cauſam cum effectu, donum cum donante, fructum cum arbore,

Lombard. Sent. lib. 1. *Diſtinct.* 4.

malus ut miſcet popa jura culinæ.

V. Interim negandum non eſt, *μυστηριῶδές τι inhabitationi* huic ſubeſſe. Quis enim explicet mihi pro merito incomprehenſibilem hanc *Infiniti Spiritus* in corpore & corde humano finitis præſentiam & commorationem? Cum tamen diſerte de eâ mentionem faciat Scriptura, quinimò *αὐτοῖς ῥήμασι* non ſemel illam inculcet, aperta certe veritas diſſimulanda non eſt, licet ſingularis ejus proceſſus modusque in cordibus noſtris ita explorati & explanabiles non ſint. Ecce expreſſiſſima Apoſtoli verba, Eph. 2. 22. *ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον* (*habitaculum*) *τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι.* Vox *κατοικητήριον* Heb. שבנת ſignificat etiam *Tabernaculum* Exod. 15. 17. & 33 14. & poſtea *Templum*, quod in *Tabernaculi* locum ſucceſſit. 1 Cor. 6. 22. *An neſcitis, quod corpus veſtrum Templum eſt Sp. S. qui in vobis eſt, quem habetis a Deo.* & 2 Cor. 3. 16. *An neſcitis, quod* Templum *Dei eſtis, & Spiritus Dei* habitet *in vobis*? Et quid aliud ipſum Fœderis gratiæ argumentum eſt, quam Dei hæc promiſſio: *Dabo* Spiritum *meum* in medio veſtrum, *& faciam ut ambuletis in viis meis. Ezech.* 36. 27.

Haveman. Lum. Magn. Chriſt. pag. 448. 449. 450.

2 *Pet.* 1. 4. 5. *Iob.* 15. 5. 6.

VI. At vero otioſus minime eſt Sp. S. imperceptibili modo nobis

bis inhabitans, ſed variis fere operationibus occupatus, quibus mediantibus ſuam in nobis præſentiam manifeſtam facit; quæ ſingulatim jam enumerandæ. *Prima* earum eſt, quod omnes *veritates* neceſſarias ad ſalutem, neceſſitate ſcil. *medii*, prout in verbo Dei revelatæ ſunt, perſpicue nobis pandat & inſinuet. *Veritates* dico ſacræ Scripturæ ſive in verbo Dei revelatas, non mera ejus *verba*; quæ quippe ipſæ veritates non ſunt, ſed earum tantum indicia & notæ; quaſque adeo ipſiſſimi quoque infideles, ſine ullâ Sp. S luce cog- *Ioh.* 16.
noſcere & explicare quadantenus poſſunt. *Veritates* autem ſunt 13.
res verbis & notionibus illis ſignificatæ, ſive ſenſus genuinus per *Ioh.* 8.
Sp. S. tum iis intentus, vel ὁ νοῦς τοῦ Χριστοῦ, ut Apoſtolus loqui- 47.
tur: 1 Cor. 2. 16. quique adeo explicari a nemine poteſt, quam 1 *Ioh.* 4.
ab ipſo Spiritû Dei, verborum ſuorum Authore, Inſtinctore, & 1. 2. 3.
Interprete unico. Quanta autem inter meram *verborum* & veram 1 *Cor.*
rerum cognitionem differentia ſit, in hoc ſimilive exemplo conſpi- 2. 15.
cias velim: ſumatur *Liber* aliquis vernaculus de *Re Nautica* con- 1 *Ioh.* 2.
ſcriptus, legatur is relegaturque a peritiſſimo *medico* vel *Jurecon-* 27.
ſulto; rei nauticæ plane ignaro; legatur is etiam relegaturque a *Funger. Nov. Farr. Prov. p.* 31.
ϖαρώνῳ ναυτικωτέρῳ, id eſt a perito Navarcho vel Nauclero quodam; uterque eorum intelliget quidem *verba* voceſque *Libro* eo comprehenſas, ſed *res* verbis illis vocibuſque ſignificatas, ambo non intelligent, ſed is tantum, qui artis nauticæ non ignarus, ſed peritus antea fuit. Vel (ut intra Scripturæ cancellos me contineam) prodeat quis, qui in ſcriptis V. T. plane hoſpes eſt, legatiſque verba Pauli. 1 Cor. 10. 4. *Petra autem erat Chriſtus*: percipiet procul dubio quidem Apoſtoli verba, intelligetque quid vox *Chriſtus* & *Petra* ſignificet, ſed quis tamen loci illius genuinus ſenſus & ſancta *veritas* ſit, nequaquam percipiet.

VII. *Secunda* operatio eſt, quod de dictis veritatibus Divinis mentes noſtras *pleniſſimè convincat* (Joh. 16. 8. Spiritus veniens ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας) adeo ut eas non tantum ſciamus & intelligamus, ſed tam clarè & diſtinctè ſciamus, ut negare amplius neque auſimus, neque poſſimus, quin certò certius ita ſe habeant, ut in Scripturis revelatæ nobis ſunt. Monſtrat nempe nobis Sp. S., quoad *credenda*, Dei in revelando veritatem & veracitatem irrefragabilem, quoad *agenda* & *omittenda* ſummam ejus & abſolutiſſimam imperandi poteſtatem & authoritatem. Non quod (NB) *alia* nobis dictet interne Sp. S. quam quæ verbo Dei contenta ſunt, vel *nova* quædam veritatum Divinarum ar-

Digitized by Google

gumenta vel indicia, nobis ſubminiſtret; ſed quod. 1. Eadem illa puncta, quæ Deus in Verbo ſuo exhibet, & ratio humana ſuo quoque modo videre in eo poteſt, multo explanatiora & perceptibilora nobis reddat, dilucidiuſque luce ſuâ declaret & illuſtret; ſic ut illa, quæ mens noſtra antea eminus, ſemi-plenè, & quaſi in crepuſculo videre tantum poterat, videre jam incipiat cominus, pleniſſime, & in aperto quaſi die. Pariter ac aliquis, in camerâ ſubobſcurâ conſiſtens, omnem ſupellectilem, ſcamna, ſedes, tabellas &c. quibus ornata illa eſt, quadantenus quidem conſpicit, ſed tamen, admota candelâ, multo clarius & diſtinctius illa conſpicit; neque tamen *novi* quid videt, ſed idem tantum, quod viderat ante, licet, inſigniore quippe luce jam coruſcum, clarius & cum majore certitudine & diſtinctione. 2. Quod potentiſſimè etiam, ratione rerum ſupernaturalium, hoc nobis axioma inculcet: *Utcunque nulla ſe credibilitatis rerum revelatarum indicia mentibus & intellectui noſtro ingererent, aſſentiendum tamen abſolute nobis us eſſe, propter meram Dei, mentiri neſcii, anthoritatem & teſtimonium.* Tametſi enim dubium minimè ſit, quin dictum illud axioma ex ipſiſſimo naturæ lumine, *objective* conſiderato, conſtare ſatis poſſit, haud tamen credendum eſt, id ipſum ab intellectu noſtro unquam in praxin rite deduci poſſe, niſi Divino Sp. S. lumine relevato & efficaciſſimè convicto.

VIII. *Tertia* operatio eſt, quod omnes illas e mentibus noſtris removeat difficultates, quæ veritatibus Divinis earumque aſſenſui obicem ponere poſſunt. Obſtant quippe non raro multa, quæ rerum ſpiritualium tum perceptionem tum fidem intervertunt. Ut 1. Opiniones quædam præconceptæ, radicataque nimis præjudicia, quæ mentem ſæpe offuſcant. 2 Affectus *ira*, *odium*, *mæror*, *vindicta* &c. quæ judicii acumen non tantum obtundunt, ſed ipſam etiam rationem tranſverſam ſæpe agunt. 3. Concupiſcentiæ pravæ, φιλαυτία, ἀνθρωπαρέσκεια &c. Cuncta hæc emendat Spiritus S., noxiaſque eorum nebulas gratioſe diſpellit; eo ſaltem uſque reluctantem & recalcitrantem τοῖς παραλογισμοῖς ſuis deprimit carnem, ut mens noſtra Deo verboque ejus devota, cogitationes ſuas, extollentes ſeſe adverſus ſcientiam Dei, magis magiſque in captivitatem redigere, obſequioque Domini noſtri Jeſu Chriſti ſubjicere tandem incipiat 2 Cor. 10. 5. *Hic quippe eſt* (verba ſunt Tertulliani) *qui*

qui inexplebiles cupiditates coërcet, flagrantes impetus vincit, immoderatas libidines frangit, illicitos ardores extinguit, Charitates nectit, affectiones conſtringit, ſectas repellit. *Tertull. de Trinit. vel quiſquis Libri illius Autor. ſit.*

IX. *Quarta* operatio eſt, quod veritates Dei cordibus noſtris *particulariter* etiam applicet, inſinuet, intimet. Sic non facit Verbum Dei externum, quippe quod *indiſinite* eas tantum, abſque ulla perſonarum individuarum deſignatione, proponit & offert. Dicit id in communi quidem, *qui crediderit, ſalvabitur*; at nemini electe & in particulari ſuggerit: *tu credis, tu ſalvaberis*; hoc ſolius Sp. S. genuina fidei γνωρίσματα in animo noſtro deliteſcentia indicantis, opus eſt. Ut neque ratio humana niſi perquam illibenter veritates Dei, quoad peccata eorumque promeritas pœnas, ſibi ipſi applicat: abblandiri enim ſibi in more habet, ac in generalibus hærere, ne ſe ipſam turbet vel inquietet. Sed vero cum Spiritus S^ti. accedit lumen, tum non cognoſcit tantum peccator, quid peccatum *in genere* ſit, ſed quomodo & *ipſe* ejus reus ſit. Neque ſcit & cognoſcit duntaxat, ſiquidem Divinæ compos fiat miſericordiæ, quid bona ſpiritualia ſint, ſed & ipſe ea ſapit & deguſtat. Qui ſane e viri fide digni relatu percepit, in aulâ quadem regiâ menſam eſſe delicatiſſimis cibis & liquoribus inſtructam, procul dubio, teſtimonio iſtiuſmodi nixus, rem illam ſcit & cognoſcit; at vero cui idem ille cibus Regis ipſius manu porrigitur, & in os quaſi ingeritur, quis dubitet, quin idem ille eandem rem αἰσθητικωτέρως multo ſciat & cognoſcat? Eſ. 30.21. Apoc. 3.20. Pſ. 35.2. Eſ. 41.11.

X. *Quinta* denique operatio eſt, quod nobis in Veritatibus illis, jam animo conceptis, ad pietatis praxin applicandis, gratioſe etiam ſubveniat; hac quintuplici id abſolvens via (1) Per *reminiſcentiæ* gratiam præſtanda officia nobis rememorando. Joh. 14 26. (2) Potenter nos ad praxin eorum movendo & propellendo. Haud enim Sp. S. lumen eſt ut lumen *adamantis*, qui, dum lucet ipſe, non tamen alium inflammat ſed ut *Solis* vel *ignis*, qui uterque cum lumine emiſſo objecta, quæ illuſtrant, vehementer etiam commovent & inardeſcere faciunt. Manifeſtat nobis Spiritus genuinam *motivorum* ad pietatem, in Scriptura contentorum, vim, iiſque nos ad officium noſtrum non tantum movet, ſed & permovet. (3) In juſtis præſtandorum officiorum *circumſtantiis* obſervandis nos dirigendo. Hærent enim hic ſæpe pientiſſimæ animæ, ſcientes quidem Dei præcepta, ſed *ubi* & *quando*

Pſ. 23.3.

Leideck. Exercit. de Duct. Sp. S. §. 10.

Digitized by Google

quando executioni mandanda ſint, neſcientes. Auxiliatur hic ipſis Spiritus, qui, ut fortitudinem & conſtantiam Chriſtianam iis inculcat, ita & *prudentiam juſtorum* eas docet. 30. 21. (4) Languorem & torporem noſtrum naturalem, quo a præſtandis officiis plus juſto ſæpe retrahimur, corrigendo & removendo. Eſ. 63. 16. Pſ. 119. 88. (5) Habitualem denique noſtram gratiam excitando & efficaciter in actum deducendo. Phil. 2. 12. 15. *Ipſe*, (dicit Auguſtinus) *ut velimus operatur incipiens, qui volentibus* cooperatur *perficiens.*

Auguſtin de Grat. & Liber. Arb. cap. 16.

IX. Atque hæc quidem Methodus eſt, quâ Sp. S. in piorum cordibus illuminandis, dirigendis & excitandis, procedere ordinariò ſolet. *Duo* jam ex dictis patent: *Prius* eſt, quid non valeat, in hac ſuâ *operatione*, ſanctiſſimus Dei Spiritus, ſupra omne id, quod a rationis noſtræ viribus naturalibus expectare licet. *Rationis* noſtræ lumen mutilum & imperfectum plane eſt, & vix quicquam præter ipſam caliginem: non enim pertingit ad myſteria Regni cœleſtis, facile evaneſcit, neque ullo modo animum ejus, qui ipſo ſolo illuſtratus eſt, immutat aut emendat. At quæ & quanta (ut hic liquet) non præſtat Sp. S. *interna irradiatio*? multo hæc præcedente non tantum perfectior eſt, ſed fixiſſima etiam, & quoad eſſentiam ſuam plane immutabilis, *pergenſque lucere in diem uſque plenum.* Prov. 4. 18. quinimò univerſum hominem in ſui obſequium non tantum pertrahens, ſed in indefeſſum etiam virtutum omnium amatorem & ſectatorem invertens & transformans. Quæ cum ita ſint, infandus ſane eorum pateſcit tumor, quibus potiores in rerum *Spiritualium* explanatione partes, non S. Scripturæ, multo minus Spiritui Sancto, ſed humanis ratiociniis tribuere, adeoque ipſum Cœlum Deumque morbido noſtro ingeniolo ſubjugare, volupe eſt. Quid de hac materiâ publico nuper expoſuerit Theologus quidam, alias non indoctus, nemo eſt, qui neſciat. Ex ungue leonem. Peculiari profeſſus eſt ſcripto: *Poſſe ſcripturarum ſenſum quoque aſſequi qui Sp. Dei non regitur. Non illuminare Sp. Dei mentes noſtras, ita ut novum iis infundat lumen; Infallibilem eſſe* Rationem *a Philoſophiâ & Sp. S. expurgatam, & tam infallibilem ac ipſum Deum; Pietatis eſſe, Scripturam omnino ſecundum* Rationem *explicare; Debere* Rationem *omnia, cujuſcunque generis ſint, revocare ad examen & videre, an quicquam eorum, quæ putamus ineſſe Scripturis, ſit rectæ rationi noſtræ contrarium, cujuſmodi ſi quid deprehendatur, affirmare licitum eſſe pronunciare, Scripturarum*

Huet. Demonſtrat. Euangel tom. 1. in Præf. pag. 7.

Digitized by Google

rum eam mentem non eſſe. At hæc crudiora ſunt, & a multis aliis profligata. Subtilius, quin hoc forte periculoſius, *Rationis* caliginoſæ cauſam agunt, qui veritatem inculcaturi Theologiam, non Scripturam, ſed *Rationem* agmen ducere, etiam coram minus peritis, faciunt; ex *hac* primo loco divinarum veritatum probationem depromentes, ex *illa* demum ſecundo loco. Quâ inverſâ methodo quid ſibi velint, fateor me non capere, niſi quod protervis Philoſophantum ingeniis imprimi ſic ſenſim velint, quanti mentis noſtræ *ratiocinia* in rebus Theologicis facienda ſint, ſupra *Scripturas*, Spiritumque loquentem in *Scripturis*. Scilicet evenire iſtiuſmodi Hominibus mihi videtur, quod olim *Arminio*, de quo ſic alicubi Twiſſus: *Vulgare nimis ei eſt & in medio poſitum, Scripturas juxta Scripturas exponere. Maluit tanquam Pontifex aliquis ἀνυπεύθυνος, non Romanus ſed Batavus, juxta ingenium ſuum & reconditam ejus ſubtilitatem verbi Divini interpretationem expedire.* Quanto rectius *Auguſtinus*, dum dixit: *Nihil in Eccleſia Catholicâ ſalubrius fieri poteſt, quam ut* Rationem *præcedat Auctoritas.* Et alibi: *Quia caligantes hominum mentes conſuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perſpicuitati ſanctitatique Rationis adſpectum idoneum intendere nequeunt, ſaluberrime comparatum eſt, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat Auctoritas. Poſterius* eſt, quam abſurdi ſint, qui *tranſcendens* hoc ſupra naturalem rationem *lumen* in dubium non tantum vocant, ſed & impudenter nonnunquam exſufflant & irrident. Quos inter recenſendus magno ſuo merito præcipue eſt Author Libri vere blaſphemi, *De Philoſophia S. Sriptura Interprete.* Hic enim *paginâ* dicti Tractatus 91. Spiritus hanc internam illuminationem, quam Theologi *Orthodoxi* conſtantiſſime hactenus docuerunt, cum *Montani* Paracleto, *Enthuſiaſtarum Prophetiis, Tremulorum exſtaſibus & Phantaſmatis* componere non erubuit; hoc quidem, ut præ ſe fert, motus imprimis argumento, quod *naturam* & eſſentiam ejus a nemine eorum, qui eam urgent, explanatam hactenus viderit. At quam pueriliter ſane, ne dicam impie! Sic ut non plane immerito in ipſum pridem Cl. Vogelſangius: *Ego certe talem porcum tamque abſurda grunnientem non tantum de* Carteſii *ſcholâ nunquam expectaſſem, ſed neque de harâ* Epicuri. *Quaſi vero* (ut pie alicubi Heidanus) *quod hic vel ille cum* ratione, *quæ ipſe diſtorta eſt, &c. conciliare non poteſt, continuo cum ſana ratione pugnare dicendum ſit, aut* Ratio *prius conſulenda, quam fides* Verbo *adhibenda.* Ergone

Twiſſ. Animadv. in Coll. Armon. c. Jun. pag. 130.

Auguſt. de Morib. Eccleſ. Cathol. cap. 2.

Philoſ. Scrip. Interp. pag. 91

Vogelſ. Indign. Indi. pag. 7.

Heidan. de Origin. Err. lib. 7. cap. 3.

Calvin. in Rom. 11

enim

enim *Paradoxus Nugator* omnia illa etiam ipſa *naturalia*, in dubium mox vocabit, ridebit, exſibilabit, quorum naturam intrinſecam *[Montagne Eſſais l. 2. c. 12. §. 23.]* vel ipſe non plane percepit, vel aliis explicare meritò non poteſt? Et ſi ſic, quid de propriâ ſuâ *Animâ* tum dicet? exponat mihi ſemel dilucide totam & intrinſecam ejus eſſentiam, ſi vir ſit. Sal- *[Senec. Natur. Quæſt. lib. 7. cap. 24.]* tem maximi viri faſſi ſæpe ſunt, ſe operi huic impares fuiſſe. *Auguſtinus*, Patrum cæteroquin oculatiſſimus, ignorantiam ſuam ſic hic deplorat: *[Auguſt. Confeſſ. lib. 10. cap. 32.]* *Sunt iſta plangenda tenebræ, in quibus me latet facultas mea, quæ in me eſt, ut animus meus, de viribus ſuis ſe interrogans, non facile ſibi credendum exiſtimet, quia & quod ineſt plerumque occultum eſt.* Et alibi: *Vires itaque* intelligentiæ *meæ non ſunt mihi utique* cognitæ, *& credo, quia nec tibi. Sed me contemnes forſitan confitentem, & propter hoc quoque* pecoribus *comparabis.* *[Idem de Origin. Anim. l. 4. c. 7.]* *Ego autem monere, vel, ſi non dignaris, certe admonere non deſinam, ut agnoſcas potius communem infirmitatem.* Prout etiam Cicero, Oratorum Coryphæus, *[Cicero.]* *neſcire ſe quid anima ſua eſſet*, nequaquam diſſimulavit. Neque etiam *Lactantius*, dum dixit: *[Lactant. de Opific. Dei cap. 16.]* *mentis rationem* incomprehenſibilem *eſſe, quis neſciat, niſi qui omnino illam non habet?*

Ignoratur enim, quæ ſit natura Animai.

inquit *Lucretius*. Neque horum tamen ullus veram *Animæ* exiſtentiam in dubium unquam vocavit. Tantis certe Antiqui Philoſophi materiam hanc involverunt tenebris, ut vix ipſi intellexerint, quid de eâ dixerint vel ſcripſerint. *[Plutarch. de Philoſoph Placit. l. 4.]* *Igneus* & *fervens Spiritus* Mens fuit Hipparcho & Leucippo; *Spiritus mobilis ignium atomis inſertus* Democrito; *Aër* Anaximeni, Anaxagoræ, Diogeni, Critiæ; *Mixtus ex aëre & igne* Boëtio & Epicuro; *Ex terrâ & aëre* Parmenidi; *Sanguis* Empedocli & Circiæ; *[Laërt. de de Vit. Philoſoph.]* *Spiritus tenuis per corpus diffuſus* Hippocrati; *Quatuor elementorum complexio* Dicæarcho; *Lux* Chryſippo & Archelao; *Senſuum excitatio* Ariſtoxeno & Aſclepiadi; *Quinta eſſentia* Critolao; Ἐντελέχεια Ariſtoteli, &c. Ita illi. At quid jam *Suffenus* noſter ex eâ tandem faciet, ne in anguſtias illas redigi ſe deprehendat, ut, convenienter ſuæ hypotheſi, exiſtentiam ejus inficiari neceſſe habeat, eo quod naturam ejus explicare non poſſit? Quoad me, ego Magni *Bullingeri* effato ſecurus indormio, quod ita habet: *[Bulling. Decad. 4. Sermon. 10.]* *Idcirco nihil prorſus aberrarunt a vero, quibus viſum eſt*, Animam *nulla finitione abſoluta concludi poſſe, quâ videlicet ejus* natura exactiſſime *exprimatur. Interim poſſe ejus ingenium utcunque adumbrari, idque ex operibus ſeu actis ejus, attributiſque Scripturæ.* Neque enim puto, plus de *Animâ* noſtrâ jam cognoſci

poſſe,

Digitized by Google

poſſe, quam juxta verbum Dei Doctores olim Veteres de eâ & conceperunt & docuerunt. Unum audiſis Damaſcenum, & dicat mihi aliquis, an quicquam abſolutius & manifeſtius adferri de eâ poſſit: *Mens* (inquit) *humana eſt ſubſtantia vivens, ſimplex, incorporea, & corporis oculis ſecundum naturam ſuam inviſibilis, immortalis, rationalis, intelligens, figurâ carens, organico utens corpore, illi vitam, augmentationem, ſenſum & generationem impertiens.* *Damaſc. de Orthod. Fid. lib. 2. cap. 12.*

XII. Dicet (*ſcio*) Novator, *Animæ* eſſentiam in *cogitatione* conſiſtere. Nempe ita philoſophatus eſt *Carteſius*, ex cujus νεοσοφίᾳ totum ſe conſutum & conflatum eſſe, non infitetur. At ego (ut ὡς ἐν παρόδῳ, de Quæſtione hac paucula infarciam) putâram hactenus, *Animam Humanam* non merum *accidens*, ſed propriè dictam *ſubſtantiam* eſſe; quod etiamnum puto, neque contrarium capere poſſum, niſi in Logicâ novâ *ſubſtantia* & *accidens* idem forte ſint. Vel, ſi Anima *cogitatio* ſit (hoc unum tantum objicere libet) quidnam, obſecro, eſt, quod *Cogitationem* illam cogitat? eſtne id ipſa *Anima*, an *aliud* quippiam? Si *aliud* quippiam, doceri utique velim, quidnam illud ſit, quod omnino explicandum videtur, ſiquidem *Animæ* eſſentia per *Cogitationem* innoteſcet; neque enim bene ſcitur, cujus vera & genuina cauſa. At nemo hactenus id præſtitit, neque quiſquam, ſi hypotheſi ſuæ inhærere velit, unquam id præſtabit. Ergo *ipſa Anima* id erit; at quomodo hoc, cum hanc *ipſam cogitationem* eſſe dicatur, imo, juxta nonnullos *nihil aliud, quam cogitationem*? Vel an *cogitatio* ſe ipſam *cogitare* dicenda erit? & ſi ſic, quænam *cogitationis* illius *cogitantis* cauſa tum rurſus erit? an ſuæ ipſius erit cauſa? vel an aliam ſe priorem *cogitationem*, ut cauſam adhuc agnoſcet? & illane tum iterum *Mens* ſive *Anima humana* erit? ac quotnam tum tandem *Anima humana*, id eſt, *cogitationes cogitantes* & *cogitata* reſultaturæ inde ſunt? Quis equidem non videt, Delio natatore opus ſibi eſſe, ut fluctibus hiſce emergat? Neque ſufficit, ſi *Opponens* dicat, *meram cogitationem* ſeu *accidens* Animam non ſtatui, ſed *Cogitationem ſubſtantialem*, ſive *ſubſtantiam cogitantem*. Nam exhauritne id iterum univerſam *Animæ* eſſentiam? vel an omnis *ſubſtantia cogitans* Anima eſt? quis ſani ſincipitis id aſſerat? Eſtne enim &

Digitized by Google

Deus ſubſtantia *cogitans*? eſtne ipſe Diabolus ſubſtantia *cogitans*? ſuntne ergo & hi *Anima humana?* Et cogitatne ſemper & continuo Anima? quod fieri ſaltem oporteret, ſi eſſentia ejus in *cogitatione* conſiſteret? Probet id Eroſtratus noſter, & ſpeciem veri opinio ejus habebit: licet haud plus tamen, quam *ſpeciem*, quoniam nihil obſtat, quo minus ſubjecto alicui continua quædam actio tribui poſſit, quæ tamen ſubjecti illius eſſentiam non conſtituat. Me judice, *Cogitatio ſubſtantialis* oppoſitum in appoſito dicit, ſubſtantiam nimirum accidentalem & ſubſtantiale accidens:

Candida de nigris & de candentibus atra.

Adhæc quidnam *ſubſtantia* illa *cogitans* eſt, quæ obtenditur? hujuſne explicatio facilior eſt, quam ipſius *Animæ*? non videtur. Adeoque quid tali *Animæ Humanæ* deſcriptione, eâque, ut videri vult, noviter quidem inventâ opus eſt, quæ rem definiendam nihilo melius, nihilo dilucidius explanat, ac ulla alia, quæ a ſanioribus Theologis & Philoſophis hactenus data eſt? Et æquipollentne tandem *ſubſtantia* hæc *cogitans* & *cogitatio*? ſi *non*, quid quod antehac ſimpliciter *cogitationem* multi dixêre, per *cogitantem ſubſtantiam* jam exprimunt? Si *imò*, ergo *Exercitator*, qui per impium ſuum hunc fœtum *ſubſtantia cogitans* eſt, vel potius *blaſphemans*, erit & ipſa blaſphemia:

Non equidem invideo, miror magis.

Procul dubio *Anima* humana ſubſtantia eſt, & quidem ſubſtantia ad *cogitandum* diſpoſita; at, dum hoc dicimus, *ſubſtantiam*, illam non tantum ab actuali *cogitatione*, ſed & ab ipſâ cogitandi *potentiâ* diſcernimus, non quidem ut ſubjectum *Phyſicum* ab accidente ſuo, quod ei inhæret, ſed prout ſubjectum *Logicum* diſtingui oportet ab accidente, quod ei attribuitur. Qui vero cum *Exercitatore* noſtro faciunt, hæc non diſcriminant, ſed cum ſe invicem confundunt; haud enim aliud ſubjectum cogitationis in *Animâ* concipiunt vel admittunt, quam ipſam *cogitationem*, atque adeo *cogitationem* ſui ipſius ſubjectum prædicationis faciunt. Neque eſt quod termini, qui hic adhibentur, Scholaſtici, *Subjecti Logici*, *Subjecti prædicationis*, &c. Paradoxologum noſtrum offendant; niſi injurius eſſe velit in ipſum ſuum *Carteſium*, qui, licet vocabulis iſtiuſmodi alias infenſior, minime tamen iis abſtinuit, cum conceptibus ſuis rite explicandis inſervire eos videret. Suntne enim *termini* etiam Scholaſtici, *Cogitativum, objective, idea ingenita, idea realis, repræſentative, formaliter, finitum, infinitum, indefinitum, poſitive, nega-*

Cartes Princip. part. 1.

negative, *univocè*, *inſenſile*: diſtinctio *rationis*, *realis*, *modalis* &c. qui identidem in *Principiis* ejus recurrunt?

XIII. Fateor, negare jam Καρτησιοφίλους, ſe unquam eſſentiam in *cogitatione ſola* collocaſſe, prout nuperum non eſt, errantes, dum in ſicco ſe eſſe deprehendunt, quæſtionis ſtatum mutare, hypotheſin invertere, ante dicta, ut non dicta, clamare, ne videantur convicti. Teſtatur id de ſuis modo temporibus *Alexandrinus Clemens*: Ἐνίοτε δὲ (inquit) καὶ τὰ ἑαυτῶν, διελεγχόμενοι, ἀρνοῦνται δόγματα, ἄντικρυς ὁμολογεῖν αἰδούμενοι ἃ κατ' ἰδίαν αὐχοῦσι διδάσκοντες οὕτως. (*Clemens Alexand. Stromat. l. 7.*) *Nonnunquam autem, ſiquando convincuntur, ſua etiam dogmata negant, aperte confiteri erubeſcentes, quæ, ſe ſeorſim ſic dicere, gloriantur.* At neſcio, quo colore id fiat, niſi obliti forſan eorum ſint, quæ ſcriptis antea prodiderunt, ſive e re ſuâ eſſe exiſtiment, cautiuſcule deinceps philoſophari, quo nomine ex animo ipſis gratulor. Collige interim, quid de rei veritate ſit, ex ſequentibus nonnullorum Excerptis: Eſt, qui expreſſe dicit, *Animæ eſſentia, conſtituitur in actuali cogitatione.* Et alibi: *Tota ejus* (Animæ) *natura, & eſſentia in* Cogitatione *conſiſtit, ſicut eſſentia* corporis *in Extenſione.* Alius: Impoſſibile *vel imperceptibile eſt, quod anima in re quapiam aliâ, quam in* cogitatione, *id eſt, in* τῷ *velle & intelligere conſiſtere poſſit.* Vernacule: *Het is onbegrypelijk, dat de ziele in iets anders, als in* cogitatione, *dat is, in willen en verſtaan beſtaan kan.* Adhuc alius: *Alle die gene, die om een ſelfſtandicheyt in de zielte vinden, behalven* de gedagten, *nog een ſubſtantie en ſubject ſoeken, 't welk geen* cogitandi actus *ſijnde, deſelve ſoude voortbrengen, kunnen ook ligtelijk tot ſoo een doolinge vervallen.* N B. Eum reſpicit errorem, quo animæ *immortalitas* abnegatur, de quo antea locutus erat. Accedat tandem Cl. *D. Burmannus*, cujus hæc verba ſunt: *Non enim Anima flatus quidam eſt, vel halitus, multo minus accidens, vel craſis, harmonia, aut motus corporis, cum ſit ſubſtantia a corpore diſtinctiſſima, Spiritus videlicet immaterialis, cujus* tota *natura in* Cogitatione *conſiſtit.* (*Burman. Synopſ. lib. 1. cap. 42. §. 92.*) Ne plura id genus adferam ex ejuſdem Viri Docti *Diſſertatione* ſatis prolixâ quam Acutiſſimo D. *Gerardo Vrieſio*, Academiæ Ultrajectinæ parti non ignobili, nuper oppoſuit: ubi ex profeſſo ſententiam hanc de *eſſentiâ* Mentis humanæ in *merâ cogitatione* conſiſtente, adſtruere ſaltem conatus eſt, an rite adſtruxerit, alii judicent.

Digitized by Google

XIV. Sed ad lineas: Sufficit enim obiter hic tantum indicaſſe, illos, qui rerum *ſupernaturalium* tam accuratam ſemper deſcriptionem & explicationem urgere in more habent, ne ipſarum quidem *naturalium* dare eam ſemper poſſe; vel ſi dare eam præſumant, magis ſe ſæpe implicare, quam explicare. Neque eſt, quod mirari adeo ſubeat, interna, eaque ſpiritualia quidem, tam dilucide explanari ſæpe non poſſe, cum Deus plerumque per ſecretos quosdam ductus & meatus, in ſuorum cordibus operari ea conſueverit. Ego nullus dubito, ſi vel minimum eumque genuinum tantum radiuſculum hujuſce Luminis in ſe ipſo unquam ſenſiſſet *Nugator* hic noſter, quin percepiſſet mox ſatis, quid & qualenam illud eſſet, licet tam perſpicue explicare id aliis non potuiſſet. Illuminatio hæc in ſe revera eſt

1 Cor. 2. 14 Rom. 8. 7. μυςήριον μέγα, at ſat evidenter tamen ſe prodens per omnes illas earumque ſimiles operationes, de quibus infra locuti ſumus. Et ſi, ut ſupponere hic homo videtur, nihil credendum ſit, quam quod manifeſte exponere aliis poſſumus, explodat

1 Cor. 12. 3. tum ſimul univerſam Euangelii doctrinam, quippe quæ aliud nihil eſt, quam ἡ σοφία τοῦ θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, *Sapientia Dei conſiſtens in myſterio*, 1 Cor. 2. 7. Explodat *Incarnationem* Chriſti, *Mortuorum reſurrectionem*, *Trinitatem*, *Satisfationem* pro peccatis, imo ipſiſſimam æterni & omnipotentis Dei eſſentiam, τοῦ, nempe ἔχοντος ἀθανασίαν, ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται. 1. Tim. 6. 16. Quin effurcillet tandem cuncta illa Chriſti Apoſtolorumque effata, quibus de *Spiritu*, *quem mundus nec accipit*, *nec novit*; *de Novo Nomine*, *quod nemo novit*, *quam qui accepit illud*; *de judiciis* Dei *imperſcrutabilibus*, ejuſque *viis imperveſtigabilibus* &c. mentionem faciunt. Joh. 14. 17. Apoc. 2. 17. Rom. 11. 33. Aſt ſanius forte, magiſque Chriſtiane philoſophatus Noſter hic eſſet, ſi, priuſquam materiâ dignam meliore papyrum ſpurcitiis hiſce commaculaſſet, animo rite compoſito, & novaturiendi prurigine vacuo, aurea hæc *Lud. Capelli* verba ſemel iterumque expendiſſet; ſic infit Vir ille apprime doctus: *Neque vero rei hujuſce* (locutus erat *de neceſſitate lapſus* Angelorum) *vel obſcuritas & difficultas*, *vel ignoratio*, *eamque percipiendi forte impoſſibilitas quemquam movere*, *vel anxium tenere debet*, *cum in rebus etiam phyſicis & maxime obviis*, *effectus quidem ſenſibus a quolibet facile percipiantur*, *effectuum autem*

Capell. apud Salmur. part. 11. p. 123.

can-

cauſa & rationes plerumque nos lateant, & a paucis vel etiam nullo certo & diſtincte comprehendantur. Τὸ ὅτι *quidem notum & obvium cuique eſt,* τὸ διότι & τὸ ὅπως *a nullo forte capitur, aut capi poſſe videtur. Ut E.G. cujuſlibet continui diviſibilitas in infinitum, motus cujuſlibet mobilis primum momentum & ratio, & gravium ad centrum & non ulterius & non in infinitum motus atque progreſſio, aliaque ejuſmodi quamplurima & pene infinita.* Modeſtè ſane & piè.

EXERCITATIO VIII.

DE REGENITORUM RELAPSIBUS.

BREVIARIUM.

Introductio ad Exercitationem. Afflictio *animæ, e commiſſis* Relapſibus *reſultans, deſcripta.* Deſcriptionis *illius analyſis.* Recidivæ & Relapſus *voces unde, & quiſnam earum uſus?* Morbi ἀναχειρισθῶς recidivi *dicti.* Relapſorum *varia apud* Canoniſtas *genera.* Relapſi, Celatores, Fautores *quomodo diſtincti? Solennis* Canoniſtarum *in* Relapſos *pœna.* Relapſus *proprie dicti, de quo hic ſermo, deſcriptio. Quæſtio* principalis *propoſita, expoſita, confirmata.* Relapſuum *in ipſis etiam regenitis poſſibilitas* Scripturis, exemplis, rationibus *adſtructa. Modus, quo pii iis obnoxii eſſe poſſunt, explicatus.* Relapſuum *malitia qualis? Quinam eorum peſſimi?* Salvianus & Chryſoſto-

ſoſtomus *laudati*. *Qualiumcunque* Relapſuum *periculum & atrocitas*. Hildershamus *notatus*. Tertulliani, Auguſtini, Clichtovæi, Joh. Huſſi, Chryſoſtomi *obſervationes piæ*. *Eorum, qui* Relapſus *ſuos ſerio deplorant, conſolatio*. Objectiones, Exceptiones & Inſtantiæ *quædam diſcuſſæ*. *Loco Hebr.* 6. 4. *lux affuſa*. Calvinus & Abrenetius *laudati*. Fructus *ex ipſis nonnunquam* Relapſibus *pullulantes*. Auguſtinus, Eucherius, Perkinſus *vocati ad partes Loca Pſ.* 85. 9. *Eſr.* 9. 14. 2 *Pet.* 2. 22. *Proverb.* 28. 13. *Galat.* 5. 16. 1 *Ioh.* 5. 18. *Pſ.* 18. 24. *illuſtrata & vindicata*. Contritio *ob peccata alia* Legalis, *alia* Euangelica. *Quæ* poſterior *quouſque* Relapſus *præpediat & non præpediat, explicatur*. *Pii* magis *contritiin* Relapſus *nonnumquam proniores, quam* minns *contriti*. *Cujus cauſa indicatur*, Promiſſionis *Deo factæ* non-executio *quibus caſibus* ἀναμάρτητος? *Quibus caſibus* peccaminoſa *quidem, ſed* perfidiæ *tamen expers*? *Vnde promiſſionum Deo factarum* ſinceritas *æſtimanda*? Dematius, Rivetus, Hobbes *laudati*. Dubium *expeditum*. *Quando promiſſionis Deo factæ non-executio pro* vera perfidiâ *habenda*? *Ne* perfidis *quidem in Deum, reſipiſcere volentibus, de impetrandâ veniâ deſperandum*. *Peccati in homine* Dominium *quibus actibus ſe exerat*? *Dominium illud vel* totale *vel* partiale. Poſteriori *etiam regeniti obnoxii, non* priori. Zanchius *notatus*. Objectio *ſoluta*. *Vnde in fidelibus* caro *nonnunquam ſuperior, quam* Spiritus? *Relapſus ſine peccati Dominio* totali *conſiſtere in regenitis poſſunt, ſine* partiali *non poſſunt*. Superationis *peccati gradus ſummus, minor minimus*. Inſtantia *eliſa*. *Relapſuum* frequentia *cum vera gratia quomodo conſiſtat*? Chryſoſtomi & Tertulliani *monitum*. *Peccati non* totaliter *ſed* partialiter *tantum Dominantis* κριτήρια. *Non omnes pii in evitandis* Relapſibus *æque felices*. *Cur* infirmiores *magis ſæpe iis abſtineant, quam* fortiores? *Sæpius, quam ab aliis*

fit,

ſit, in peccata relabi, non ſemper tenuioris gratiæ indicium. Unde ſit, quod ſæpe ipſi irrigeniti ab his illiſve peccatis magis ſibi caveant, quam regeniti? Regulæ ad Relapſus evitandos obſervandæ. 1. *Carnis* præſumptio *mortificanda. Quæ in quibus conſiſtat, explicatur.* Balduinus *laudatus.* 2. Deſperatio *fugienda.* 3. Apprehenſio *Chriſti in* ſanctificatorem *continuanda.* 4. Spirituale *gaudium excitandum.* 5. Fratrum admonitio *expetenda.* 6. vota *contra* Relapſuum *inſultus nuncupanda.* Exceptiones *contra hanc regulam dilutæ. Duplex* votorum *genus. Unde poſt nuncupatum votum tentatio ad* Relapſus *vehementior ſæpe, quam ante.* Vota *cur olim* ſcriptis *ſubſignatiſque* tabulis *confirmata? Ex* voto *per ſe nulla peccati aggravatio.* Petrus Martyr *laudatus.* 7. Vigilantiæ *ſpirituali ſedulo incumbendum. Quæ quibus* actibus *abſolvatur, exponitur: Sui ipſius* exploratio *commendata ad peccatorum* cognitionem *quam neceſſaria?* Drexelii *pie dictum.* 8. Spiritualis *in nos ipſos* vindicta *exercenda.* Theodoretus & Auguſtinus *ad partes vocati.* 9. Angorum, *ob peccata ante commiſſa perpeſſorum, memoria recolenda.* 10. Affectus *cohibendi & moderandi.* Thomas a Kempis *laudatus.*

I.

CUm ante annos aliquot de Animarum *Afflictionibus* ſpiritualibus, tum quoad *juſtificationem*, tum quoad *ſanctificationem* publice & ex profeſſo agerem, incidi quoque in materiam, in univerſâ pietatis praxi nobiliſſimam fere, quin & perplexiſſimam, de *Recidivis* & *Relapſibus* piorum in peccata ante commiſſa & deplorata. Hanc poſtquam tum temporis, pro *Concionis* ratione, breviter explicuiſſem & applicuiſſem, poſtea ob argumenti dignitatem, enucleare penitius fuſiuſque amplificare inſtitui; ſic ut exſurrexerit inde juſtus tandem Tractatulus, ſub titulo CHRISTIANI LABENTIS & RESURGENTIS, quem ſermone vernaculo publicum tum feci. Accidit autem (Deo conatibus meis ultrà exſpectationem

tionem benedicente) ut Libellus ille tum hic tum alibi adeo benevolè ſit exceptus, ut inventi abhinc aliquot annos, modo ſint, qui eum, juxta cum aliâ Exercitatione Theologicâ, de Ἀναισθησίᾳ *Spirituali*, me inſcio, in idioma Germanicum transfuderunt; ut ſic qualiſcunque ejus fructus ad alios etiam, præter *Belgas* noſtros, dimanaret. Quod conſilium cum illaudabile ac inutile, ut eventus docuit, minime fuerit, effecit, ut nihil præter rem facturum me eſſe judicaverim, ſi, in eorum gratiam, qui neque Belgica neque Germanica forte aſſequuntur, materiæ ejuſdem præſtantiſſimæ conciſam delineationem *Diſſertationibus* hiſce etiam inſererem. *Conciſam* (inquam) *tantum delineationem* & σκελετὸν quaſi; ne quis luculentam ejus pertractationem hic iterum exſpectet: illam enim Scripto meo vernaculo exhibui, quod ſermonis illius gnaris conſulendum, ſi vel deeſſe quicquam, vel, ob brevitatem, minus polite & explanate dictum hic eſſe, exiſtiment. Ut neque fructu ſuo forte careret, ſiquis *Exercitationem* alteram de *Spirituali* Ἀναισθησίᾳ, (cujus Inſcriptio eſt AFFLICTISSIMUS CHRISTIANI HOMINIS STATUS, Romanâ quoque veſte indueret: quod mihi jam, ut ipſe præſtem, per occupationes creberrimas & dubiam ſæpe valetudinem, non datur. Saltem in votis id πρὸ πολλοῦ fuit conſummatiſſimo Theologo *Giſberto Voetio*, qui ſic de eâ in Aſceticis: *Hic filii Prophetarum conferre poterunt* inter alios *Gulj. Saldeni Tract. vernaculum de* Inſenſibilitate Cordis circa res ſpirituales, *Anno* 1651. *editum, quem oporteret in linguam Latinam, omnibus litteratis notam, ab Autore aut alio aliquo transferri.*

Voet. Aſcetic. cap. 24. pag. 708.

II. Prænotandum interim eſt. 1. Litem nobis hac ſuper re intercedere cum *Socinianis*; quippe qui inclementiſſime de *Relapſis regenitis* pronunciare ſolent; ſed quorum tamen rationibus excutiendis & hypotheſibus convellendis impræſens non inhærebimus, quia plane ab inſtituti noſtri ratione id recedit; quod non eſt contra fidei adverſarios in arenam hic deſcendere, ſed non niſi ad praxin & fidei filiorum Dei fulcimentum *Diatriben* hanc dirigere. Siquis tamen tractatam imo pertractatam *Controverſiam* illam videre velit, adeat is Cl. *D. Hoornbekium*, qui in *Socinianiſmo* ſuo *Confutato* pluribus de eâ agit. 2. Non tam de ſolis *Relapſibus*, ut ſic, nos dicturos hic eſſe, quam præcipue quidem de ſpeciali eorum *effectu*, quem in Regenitorum cordibus plerumque habent,

Digitized by Google

bent, quique vehementiſſime eos fere turbat & excruciat. Nam in hoc proprie ſpiritualis fidelium *Afflictio* hæc conſiſtit, contra quam piorum animas munire & ſolari *Diſquiſitione* hac animus eſt.

III. Definiri *Afflictio* hæc poteſt, quod ſit *Turbatio ſpiritualis in vere regenito, animum ejus ad dubitandum de converſionis ſuæ ſinceritate, e* relapſuum ſuorum *in idem ſpecie peccatum intuitu, vehementer impellens.* Dicitur 1. *Turbatio ſpiritualis*, &c. *Turbatio*, quia hominem eâ conſcientiæ ſuæ tranquillitate & ſerenitate privat, quâ gaviſus antea fuit. *Spiritualis*, quia ſpiritum, id eſt, non corpus, ſed mentem ejus afficit; idque ob *ſpiritualem* cauſam, peccati nempe iterationem; ſubque *ſpirituali* ratione, quatenus ſcil. iteratio illa moraliter mala, Chriſtoque ignominioſa eſt, non tantum quà noxia eſt, vel animum qualitercunque tantum inquietans. Ponitur 2. In *vere converſo*, non tantum *in genere*, quoad univerſum animæ vitæque ſtatum, ſed *in ſpecie* etiam quoad id ipſum peccatum, ex cujus repetitione jam angitur. 3. *Forma* ſtatuitur in ſollicitatione ſive *impulſu animæ, ad dubitandum de converſionis ſuæ ſinceritate*, hoc ſimilive argumento: Qui vere *converſus* eſt, non *relabitur* in idem ſpecie peccatum, Ego *relabor* in idem ſpecie peccatum, Ergo ego vere converſus non ſum. 4. Cauſa (προηγουμένη ſcil.) dicitur eſſe conſideratio ſive *intuitus Relapſuum*; non *Lapſuum* tantum, ſed *Relapſuum* in idem ſpecie peccatum, quod antea commiſſum & deploratum modo fuit.

Anſelm. Medit.

Gerſon. de Remed. Contr. Recidiv.

Goodw. in Pſ. 85. 8.

IV. Ut vero *Relapſus* vox *relabendi* verbo, ita *Recidivæ* notio adjectivo *recidivus* originem ſuam debet. Sic ille apud *Virgilium*:

Et recidiva *manu poſuiſſem Pergama dextra.*

Ac iterum,

Funeſtaque iterum recidiva *in Pergama reda.*

Virgil. Æneid. IV. & VII.

Pergama *recidiva* dicuntur, obſervante *Servio*, quaſi poſt caſum reſtituta, reſpiciente, ut conjectura eſt, ad oppidulum illud, quod *Æneas*, cum primum navibus egreſſus eſſet, non procul a *Laurento* condidit, quodque nomine relictæ Patriæ *Trojam* appellitavit. Sed ſunt, qui recedunt hic a *Servio*, ſtatuuntque, & melius quidem, Pergama *recidiva* dici apud *Virgilium*, quod *bis* ceciderint vel everſa fuerint, *ſemel* ab *Hercule*, tempore Laomedontis Regis, & *poſtea* a *Praimo* reſtaurata, multoque, quam antea fuerant, ſplendidiora reddita ab *Agamemnone*. Pro *recidivo* etiam id omne habetur, quod ex lapſo reſurgit, aut ex cadente & denuo ſato naſcitur, παλιμφυὲς, παλιμβλαςὲς, ἀναφυόμενον,

Serv. in 7. Æneid.

Liv. lib. 1.

Digitized by Google

per metonymiam materiæ vel antecedentis. Sic Poëta Chriſtianus:

Prudent. c. Symm. lib. 2.

Aëris & cæli communia corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidivaque *ſemina ſervat.*
Non facit ergo pares in religione tenendâ.

Tertull. ap. Turneb. Adverſ. lib. 29. cap. 24.

Annum *recidivum* etiam habet Tertullianus: *Reciprocarum frugum* (inquit) *& vividorum elementorum*, & recidivi anni *fidem argumentantur.* Vox Medicorum filiis maxime familiaris eſt, qui de *febribus recidivis* loquuntur, quales vocant, in quas altera vice incidimus. Autor Carminis de *Sodomâ* apud *Cyprianum* eam ad *peccata* etiam traduxit:

Cyprian. p. m. 451.

Sed recidiva *hominum pariter cum gente ſecunda*
Impietas, iterumque mali nova pullulat ætas.

Licet redeuntes alias morbos *redivivos* potius dixeris, quam *recidivos*: quare & melius, meo judicio, applicatur *perſonis* in eundem morbum *relabentibus*, quam ipſis morbis. Græci *recidivam* vocant ἀνάπτωσιν ab ἀναπίπτω, *iterum cado*, unde ἀναπτώσιμος ipſis eſt, qui *erectus antea iterum proſternitur* vel *prolabitur*. *Relapſus* vocabulum ne apud ipſos quidem Theologos idem ſemper ſonat; quandoque enim applicatur *perſonis*, quandoque *rebus*. Veteres per illud non intellexerunt ſimplicem ejuſdem peccati repetitionem, ſed totalem fere a fide & pietate apoſtaſiam. Unde ſunt, qui peccatum in Sp. S. ad *Relapſus* etiam retulére, nominatim inter Noſtros *D. Zanchius*. Vox *Perſonis* applicata, juxta *Canoniſtas*, reſpectum ſemper habet ad falſam doctrinam vel hæreſin, diciturque ſic aliquis *relapſus* haud *uno* modo: 1. Qui, poſtquam in judicium vocatus & ob hæreſin accuſatus eſt, convictuſque eam abjuravit, poſtea in eam iterum incidit. 2. Qui coram judice damnatus ut vehementer de hæreſi ſuſpectus, eam abjuravit, & in eam iterum labitur. 3. Qui certâ aliquâ hæreſi infectus, abjuravit coram judice ſimpliciter ac generatim omnem hæreſin, & poſtea in aliam longe diverſam proruit. 4. Qui denique coram Judice damnatus ob hæreſin, abjuravit eam, at deinde tamen hæreticos alloquitur, reveretur, inviſit, ſe iis adjungit, commercia ſive conſuetudinem cum iis habet, laudat, commendat, prædicat eos, &c. *Fautor* aliter dictus. Unde & aliud *Relapſorum* diſcrimen ortum, in *Hæreſin* ſcil. & in *Fautoriam*: *Relapſi* in *hæreſin* ſunt, qui, poſt renunciatam doctrinam hæreticam, hæretici iterum fiunt. *Relapſi* in *Fautoriam*, qui utcunque hæretici rurſus non fiant, poſt abjuratam tamen

Zanch. in 1 Ioh. 1. cap.

Iui Canonic. cap. accuſat. de Hæretic. in Sexto.

Simanc. Lib. de Catholic. Inſti. Titt. 57.

Digitized by Google

tamen fautoriam, hæreticos vel celant (quare & *Celatores* dicti)
vel qualicunque proſequuntur favore & benevolentiâ. Eſtque
mirus apud Pontificios rigor contra omnes eos, qui *Relapſi* ipſis *Hotting.*
habentur; etiam contra ipſos illos, qui ad abjuratam hæreſin non *Hiſtor.*
redeunt, ſed hæreticorum *fautores* tantum ſunt, præcipue ſi ipſam il- *Ecc. part.*
lam *fautoriam* antea etiam abjurârint. Ἀξιομνημόνευτος *eſt Concilii* *3. p. 571.*
Terraconenſis in eos ſententia, quæ ſic ſonat: *Pateat omnibus, quod*
per ea, quæ in Inquiſitione inventa, probata & acta ſunt, liquido nobis con-
ſtat, quod talis eſt deprehenſus in fautoria, & denunciamus ipſum ex-
communicatum & ſuſpectum de hereſi, & per annum contempſerit ſatisface-
re, ſubjaceat pœnis Concilii Generalis, &, ſi defecerit in purgatione & in Ex-
communicatione per annum ſteterit, ut hæreticus condemnetur. Et ali-
bi: *Pœnitentia illorum, qui ſunt* fautores *& Suſpecti, erit ſolennis eodem*
modo, in feſto omnium ſanctorum: S. Maria Februarii, Ramis palma-
rum & aliam pœnitentiam feria quarta Quadrag. & ſtando extra Eccle-
ſiam per totam Quadrageſimam. &c. Quin ecce ferinam *Azorii* in *relapſos*, *Azor.*
ut loquitur, *per excellentiam dictos* crudelitatem, dum ad quæ- *Inſtit. Mor.*
ſtionem, *Quænam ſit hæretici* relapſi *pœna*, reſpondet, eum *Curiæ* *lib. 8. cap.*
ſeculari tradendum eſſe, ſine ullâ ſpe veniæ & *miſerationis, quam-* *14. qu. 6.*
vis ſui peccati pœnitentiam egerit; *non tamen deneganda ei ſacra-*
menta pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Nempe hauſit hoc Jeſuita e *Decret.*
Jure ſuo *Canonico*, ubi eadem fere verba invenias. Addit- *lib. 5. Tit. 2.*
que *Gloſſa*, quod tradi Curiæ non tantum *relapſus* is debeat, *ſed* *cap. 3.*
& ignibus ſubjiciendus ſit. Simile quid de *Shammatizatis e totâ*
congregatione habent Magiſtri, dum dicunt, referente Doctiſſim. *Lichtf.*
Lichtfooto, ex *Avodah Zarah.* כולן שחזרו בהן אין מקבלין אותן *in Ioh. cap.*
עולמית, *neminem horum* recidivantem *recipiunt iterum in æternum.* *16. 2.*
At nos in tali rigore, quo *Zanchius*, ſive pro *perſonis* relabentibus, *Re-*
lapſus vocem hic non ſumimus; ſed per eam, *rebus* applicatam, nihil
aliud intelligimus, quam peccati ejuſdem, quod ante commiſimus,
imo ſerio deflevimus, repetitionem. Atque ita *Relabentes* in Scri-
pturâ aliter dicuntur *ad ſtultitiam reverti* Pſ. 85. 9. *Rurſus malum face-*
re. Neh. 9. 28. *Irrita iterum facere præcepta Dei* Ezr. 9. 14. *Redire ad*
vomitum ſuum, Stultitiam iterare? Prov. 26. 11. 2 Pet. 2. 22. &c.

V. Quæſtio principalis jam eſt, *An cadere in vere Regeni-*
tos hujuſmodi recidive & Relapſus *etiam poſſint?* Ad quam ut dextre
reſpondeatur, obſervandum, ſermonem hic proprie non eſſe de
Relapſibus in peccata quædam *interna*, vel in *quotidianas*, leves, vix-
que ulli homini evitabiles *incurſationes*, vel in peccata *omiſſionis*;

ut neque tali eorundem peccatorum repetitione, quæ *uno* & quaſi *continuo curſu*, ſine interſtitio, committitur, qualis E. Gr. *Petri* trina abnegatio fuit, ut ſic conſiderata; ſed de talibus *recidivis* & *relapſibus*, qui fiunt in peccata *externa*, *notabiliora*, *commiſſionis* & *ad tempus intermiſſa*; imo vel per *generalem* vel per *particularem* reſipiſcentiam antea a nobis condemnata & deplorata. Iterationes enim aliorum illorum peccatorum non puto apud quenquam Theologorum *Relapſuum* nomine unquam venire.

VI. His præmiſſis dico, *Relapſus* iſtiuſmodi etiam in vere piis locum habere poſſe, imo nonnunquam habere. Quod probo, I. variis *Piorum exemplis*, qui experti eos fuêre, ut, *Abrahami*, *Joſephi*, *Simſonis*, *Joſaphati*, *Petri*, *Diſcipulorum* Chriſti, Luc. 22. 24. In quem locum ſic judicioſiſſimus Cartwrigt: *Hic primum occurrit, quod in idem peccatum ambitionis recidunt* (diſcipuli) *cujus antea convicti, & correpti, pænitudine procul dubio ducebantur*, Ex Hiſtoriâ profanâ unus ſufficiat *Staupicius*, quem *B.* Lutherus *ſuum* paſſim *Staupicium* vocitavit; ita ille, jam morti vicinus: *Ego plus millies Deo recepi, fore me probiorem, ſed nunquam præſtiti quod vovi* (iteratis nempe identidem peccatis, quæ abjuraverat) *poſthac non vovebo, quia experientiâ didici, me præſtare non poſſe.* Et quot non piiſſimorum hominum quotidiana pene querela eſt, quam pius *Anſelmus* olim fudit: *Si juſtitia aboletur juſti ruentis, quanto magis peccatoris in id ipſum ruentis? Quoties ut canis redii ad vomitum, & ut ſus ad volutabrum?* II. variis *rationibus*. (1) Quia reſipiſcentia vera nullius peccati poſſibilitatem abſolute excludit (*Blaſphemiam* in Sp. S. ſemper excipio) ſed inclinationem ad peccatum tantum infirmat & ex parte tollit, ſubſtitutis ejuſdem loco ſedulâ ejus fuga & internecino odio. Pſ. 97. 10. (2) Quia varia illa peccata, quibus converſi (nemine refragante) adhuc obnoxii eſſe poſſunt & revera ſunt (loquor de *notabilioribus*) vel erunt *ejuſdem* ſpeciei vel *diverſæ* ſpeciei peccata; ſi *ejuſdem*, ergo *relabi* poſſunt, & habeo quod intendo: ſi *diverſæ*, ergo ſtatuendum, vere regenitos non tantum pronos quadantenus eſſe, ſed indies etiam labi in multas *novas* peccatorum ſpecies; quod equidem non minus indignum converſione eorum eſt, quam ipſiſſimus in eadem ſpecie peccata *relapſus*. Prout cum genuinâ corporis humani εὐεξία conſiſtere non magis poteſt, novis quotidie morbis & doloribus excruciari, quam earundem infirmitatum, quas paſſum antea fuit, paroxyſmis obnoxium ſubinde eſſe. (3) Quia prolabi poſſunt regeniti in *alterius* ſpeciei peccata multo graviora, quid-

2 Chron. 18. 1.
Gen. 42. 25.
Judic. 16. 1. 4.
Matt. 16 21. coll. c. Gal. 2. 12.
Joh. 18. 22.
Cartw. Harmon. Evang. p. 904. b.
Melch. Ad. in Vit. Staupicii p. 20.
Anſelm. Meditat. cap 3. pag. m. 276.

Digitized by Google

ni ergo etiam in peccatum aliquod levius *ejuſdem* ſpeciei? (4) Quia, ſi *relabi* non poſſint regeniti in eadem ſpecie peccata, oriri id oportet, *vel* ex totali radicis peccati, antea commiſſi, e cordibus eorum exſtirpatione, *vel* ex promiſſione aliquâ ſingulari, quod (manente licet ejuſdem peccati radice) ab illâ peccati ſpecie præſervandi ſemper ſint: At neutrum dici poteſt: Ergo. Peccati enim ejuſdem *radicem* ſemper in iis ſupereſſe, ex hiſce palam eſt locis, Gal. 5. 16. Rom. 7. 23. Pſ. 38. 18. Et ubi, quæſo, vel promiſſi cujuſdam ſpecies inveniri poteſt, eos ab iterando ejuſdem ſpeciei peccato, præſervandos ſemper eſſe?

VII. Sed obſervandum eſt, non omni tamen modo *Relapſus* in regenitos cadere poſſe, ſed hac tantum vel ſimili ratione: Ut (1). Nunquam eos experiri dicendi ſint, niſi cum ſpiritualiter bene ſui compotes haud ſatis ſunt, ſed cum hac vel illâ tentatione conflictantur; quamdiu enim ſtatus ipſorum ſedatus & compoſitus eſt, a Sp. Sancto duci ſolent, ac proinde exorbitationi huic non vulgari non ſunt obnoxii. Gal. 5. 17. (2) Ut deliberato conſilio, quod ſcil. omni contra peccatum reniſu vel *antecedente* vel *præſente* vel *conſequente* deſtitutum eſt, nunquam in eos ruant. Pſ. 19. 14. (3) Ut eos, jam commiſſos, probeque cognitos, non tantum nunquam approbent, extenuent, vilipendant, ſed animitus e contra condemnent, deteſtentur, & doleant. Pſ. 38. 4. 5. Thren. 3. 16. Pſ. 51. 4. &c.

VIII. Prout diverſi etiam malitiæ in *Relapſibus* gradus conſiderandi ſunt, unus enim ab alio atrocitate longiſſime diſtat. Nam gravior certe iſtiuſmodi regeniti in oculis Dei *recidiva* æſtimanda eſt, quem jam Spiritus in gratiâ ſingulariter modo ſtabilivit & confirmavit, quam ejus, qui infirmus plane & novitius in ea adhuc eſt. Turpius etiam in tale peccatum quis *relabitur*, cujus ipſum jam ante *particulariter* modo poenituit, quam in tale, cujus nullâ antehac, vel ſaltem non niſi *generali* reſipiſcentiâ ductus fuit. Fœdiſſimus denique *Relapſus* eſt, in quem poſt *denunciatam* pacem prolabi nos contingit; id eſt, quo iſtiuſmodi repetimus peccatum, de cujus veniâ & remiſſione, a Deo impetratâ, convicti & perſuaſi antea fuimus, idque non levi tantum quadam conjecturâ, ſed ipſiſſimâ Spiritus Sancti conteſtantis ſpiritui *Pſ. 85. 9.*

 noſtro,

Salvian. de Gubern. lib. 4. noſtro, luce & operatione. *Ubi enim* (ut optimè Salvianus) *major eſt prærogativa, ibi major etiam eſt culpa; grave eſt, hominem inſtructum delinquere, gravius abſolutum peccare; ſervo pejor eſt, qui patronum, poſt datam libertatem, offendit.* *Chryſoſt. ap. Ioh. Gerard. in 2. Petr. 2. pag. 22.* Facit huc inſignis Davidis locus Pſ. 85. 9. *Audiam* (inquit) *quid loquatur Deus ille fortis Jehova, nam eloquitur pacem erga populum ſuum, & erga eos, quos benignitate ſua proſequitur; ſed ne* revertantur *ad ſtultitiam.*

IX. In genere tamen nulli non *Relapſus* graves in Deum prævaricationes ſunt; (quod ab iis attendi velim, qui, eo quod vix bene id apprehendant, petulantius in eos ruunt) ne *Conſolationem*, mox offerendam, quæ iis tantum, qui vere contriti ob repetita peccata ſua ſunt, deſtinata eſt, in carnis ſuæ licentiam rapiant. Nam, utcunque ex dictis manifeſtum ſit, etiam in vere regenitos cadere hujuſmodi *recidivas* poſſe, neque quiſquam certò & poſitive facile definiverit, quando, & quoties iis obnoxii eſſe poſſint; non minus tamen certum eſt, eas, ſi in peccata *graviora*, E. G. *Ebrietatem*, *ſcortationem*, *pugnas* &c. fiant, verè converſis valde familiares eſſe non poſſe. Quod confidentius dicere auſim, quam cum *Hildershamo*, in hominem cum Deo reconciliatum *planè* eàs cadere non poſſe. *Hildersh. in Pſal. 51. lect. 111.* Imo haud ſane improbabile videtur, eos, qui *Relapſus* in peccata iſtiuſmodi graviora & atrociora ſæpius patiuntur, *canibus* illis & *porcis*, de quibus Petrus loquitur, quam genuinis Dei filiis, ſimiliores eſſe. 2 Pet. 2. 22. Prov. 26. 11. Notanter Tertullianus: *Tertull. de Pœnit. cap. 5* *Non leviter* (inquit) *Deum peccat, qui cum æmulo ejus Diabolo pœnitentiâ renunciaſſet & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit, ut denuo, malus, recuperatâ prædâ ſuâ adverſus Dominum gaudeat.* Præterquam quod *Relapſus* non bene obſervati neglectique, peccandi fere conſuetudinem inducant, quin efficiant perſæpe ut univerſa tandem mens noſtra occalleſcere quaſi in impietate, videatur; habitus enim crebris actionibus acquiruntur, ut boni, ſic etiam mali. *Auguſt. Confeſſ. lib. 8. cap. 5.* Ex *perverſa voluntate fit libido, dum ſervitur libidini, fit conſuetudo, dum conſuetudini non reſiſtitur, neceſſitas facta eſt*, ut loquitur Auguſtinus. Cui geminum eſt hoc *Judoci Clichtovei*, Homiliſtæ inter Pontificios non incelebris: *Ut uxor Loth egreſſa ex Sodomis reſpexit poſt tergum, & verſa eſt in ſtatuam Salis, ita peccator obduratur ex frequenti relapſu.* *Clichtov. Homil. pag. m. 72.* Ne addam, ordinario etiam unâ filiorum ſuorum *recidivâ* voluntariâ plus turbari quaſi & offendi Deum, quam mille aliis noviſque eorum exorbitationibus. *Relabendo* enim non tantum in le-

Digitized by Google

legem, ſed in ipſum Dei amorem benignitatemque impingunt, Servatoremque ſuum, quem recepiſſe dici volunt, quaſi de novo iterum crucifigunt. *Recidivans, quantum in ſe eſt,* (verba ſunt piiſſimi martyris Joh. Huſſi) *Chriſti iterat paſſionem. Quia quantum eſt ex parte peccati* (addit Gerſon) *ipſum obligant Chriſtum denuo mortem pati & paſſionem, ad peccatum illud abolendum, niſi paſſio ipſa, ſemel tolerata, ſufficiens fuiſſet ad deletionem omnium peccatorum præſentium & futurorum.* Unde etiam (quod ex priori conſequitur) multo nonnunquam ſeverius in fideles ſuos animadvertit Deus ob paucos eorum *relapſus*, quam ob innumera alia eorum peccata. Teſtatur id Eſra cap. 9. 14.: *Dediſti nobis* (inquit) *reſiduum hujuſmodi; an jam rurſus irrita faceremus præcepta tua, & quidem affinitatem jungentes cum populis abominandis iſtis? an non percellereris irâ contrâ nos, donec conſumeres; ut non eſſet ſuperſtes aut reſiduum.* Pia proinde Beati *Hieronymi* vox eſt (alii *Chryſoſtomo* eam adſcribunt) ac digniſſima, quæ intimis cordis noſtri medullis imprimatur, æternumque ibi hæreat: *Bruta* (inquit) *animalia & vagæ aves in eaſdem pedicas retiaque non incidunt; homo ratione præditus in eosdem Satanæ laqueos, quos ſemel effugit, iterum incidit? Noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam. Cogita, o homo, graviorem eſſe culpam poſt veniam, renovatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam, quare indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat, ſanitate indignus eſt, qui ſemet ipſum, poſtquam curatus eſt, vulnerat, nec mundari meretur, qui ſemet ipſum poſt gratiam ſordidavit.*

Huſſ. in 2 Pet. 2. 22.

Gerſon. de Paſſ. Chr.

Hieron. in Epl.

Hieronym. in Epp.

X. Neque omni tamen ſolatio defraudandi ſunt quotquot *Relapſus* ſuos verè & humiliter dolent; nemo enim, credo Dei, miſericordiam abſolute abjudicatam ipſis eſſe dicet, niſi qui

Neſcit Scripturæ vel breve jota Sacræ.

Imo vero inſignes quandoque fructus, utut *per accidens*, propullare inde poſſe, infra oſtendemus. *Recidivam* paſſis Divinæ miſericordiæ januam obſeratam non eſſe, modo verè contriti eapropter ſint, e ſequentibus liquet. (1.) E generali quorumvis πεφορτισμένων (ergo *horum* etiam) ad Dei gratiam vocatione. Matt. 11.28. Eſ. 55. 1. Act. 10. 43. Rom. 3. 22. (2.) E talium, qui *relapſi* jam modo erant, ad eandem gratiam ſpeciali & inſignitâ invitatione. Jer. 3. 1. 2. (3) E promiſſionibus *Relapſis* paſſim factis, eorumque invitationi adjectis. ibid. ut & Hoſeæ 14. 3. (4.) E Sacrificio quotidiano in V. T. uſurpato. 2 Chron. 8. 13. (5.) Ex Oratione Dominicâ.

nicâ. Matt. 6. 12. (6.) E mandato Chriſti, quo ei, qui injuriâ nos affecit, non *ſemel tantum*, nec tantum *ſepties*, ſed uſque *ſeptuageſies ſepties* condonandum eſſe imperitavit. Matt. 18. 22. *Quo in loco* (inquit Perkinſus) *mandat Deus, ut homines remittant, uſque ſeptuageſies ſepties, adeoque & ipſe longe ampliorem, quam aliis præcepit, facturus eſt miſericordiam.*

Perkinſ. Op. Theol. tom. 1. pag. 1036.

XI. *Dicis*: At ſolos *reſipiſcentes* id ſpectat, quos inter ego cenſendus non ſum, quia *relapſi* non poſſunt reſipiſcere, juxta Apoſtoli verba Heb. 6. 4. *Nam fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuſtrati, guſtaverintque donum cæleſte, & participes facti fuerint Spiritus S. guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur*, denuo renoventur per reſipiſcentiam; παραπισόντας πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν· *Reſp.* 1. Contrarium e piorum nominatorum exemplis conſtat; quis enim dixerit de *Abrahamo*, *Simſone* &c. *recidivam* paſſis, quod pœnitentiam nunquam egerint? 2. Nullum eſt peccatum, cui Deus omnem reſipiſcentiam abſolute denegavit, præter blaſphemiam in Sp. S. de quâ etiam loquitur Apoſtolus loco allegato. 3. Ipſis tuis, ſuper reſipiſcentiæ defectu, querelis te vere reſipuiſſe teſtatum facis. Matt. 5. 3. 5. 2 Cor. 8. 12.

XII. *Pergis:* Eorum id tantum *relapſus* concernere, qui qualitercunque forſan hæc vel illa peccata quidem repetierunt, ſed in talia nunquam *relapſi* ſunt, quorum remiſſionem, ſicut ego, Spiritu S. conteſtante, in cordibus ſuis experti antea fuerunt? *Reſp.* 1. Scriptura indefinite loquitur, nec quenquam excipit, ergo neque tibi excipiendum. 2. Concedo libens, eo, quod obtenditur, aggravari notabiliter *relapſum*, ſed nego tamen, remiſſionem ejus ideo abſolute impoſſibilem fieri. 3. Vel vere facta eſt remiſſio antecedentium tuorum peccatorum, in quæ relapſum te vides, vel non vere facta eſt; ſi *vere facta*, ergo concludendum inde, non quod iteratum tuum peccatum nunquam remittendum ſit, ſed e contra, quod id ipſum, non minus, ac omnia peccata tua alia jam remiſſum modo ſit. Remiſſio enim omnium peccatorum, præteritorum, præſentium & futurorum, ſimul & ſemel a Deo facta eſt; ita ut cui unum eorum condonatum eſt, ei cuncta ſimul condonata ſint, *active* ſcil. in foro Dei & *poli*, licet non ſemper *paſſive* ſive in foro *ſoli* & *conſcientiæ tuæ*. 1 Joh. 1. 8. Heb. 9. 12. Si dicas, *non vere factam* remiſſionem illam eſſe, quî conteſtari ergo tibi Spiritum dicis, vere factam illam eſſe? poteſtne ipſa veritas quod falſum eſt tibi conteſtari?

XIII. *In-*

XIII. *Inſtas:* Dum identidem in eadem *relabor* peccata, quid colligere inde aliud poſſum, quam hactenus ea remiſſa non fuiſſe? *Reſp.* 1. Ergo neque dicere potes, te peccata, quæ jam doles, contra prægustatam antecedentium peccatorum tuorum remiſſionem commiſiſſe; quod præſupponis tamen, & primarium eſt, quod urere te dicis. 2. Ut neque conſequentia illa valet, ego *relabor*, ergo peccata, in quæ relabor, hactenns remiſſa non ſunt. Sic enim principium petis, ſumiſque quod probandum erat. Appoſite in hanc rem Serranus: *Quod ſi* (inquit) *de eo, qui poſt aliorum pœnitentiam lapſus ſit, inſtituatur ſermo, plane docet hic Sp. Sanctus, peccata dimiſſa per recidivam non reviviſcere, ut de novo imputentur.* *Serran. in Ezech. 33 p. 189.*

XIV. Adhuc *inſtas*: Eſto, peccata mea antecedentia *verè* remiſſa hactenus non fuiſſe, conſcientia tamen mea *verè* factum id eſſe mihi inſinuat, licet erroneè; contra quod conſcientiæ teſtimonium cum peccata mea tamen iteraverim, quænam ſpes veniæ ſupereſſe mihi poteſt? *Reſp.* Concedi omninò debet, atrocem eſſe prævaricationem, contra teſtimonium de *prioris* peccati impetratâ, veniâ, utcunque imaginarium, in id ipſum iterum ruere. At negandum tamen non eſt, id fieri quandoque poſſe, atque ita quidem, ut omnis veniæ ſpes nequaquam tamen abjicienda ſit; niſi evincere quis poſſit, hoc ſimilive modo in peccatum *relabi* a peccato in Sp. S. nequicquam *differre*, quod nunquam faciet. Imò vero contingere ſubinde poteſt, ut pii contra *imaginariam* non tantum, ſed & *veriſſimam* acceptæ veniæ conteſſerationem, omnibus ſuis *relapſibus* ſemper *abſtineant*. Non ita quidem, ut ſe eò petulantius in idem ſpecie peccatum præcipitarent, quo Deum in condonandis antecommiſſis gratioſiorem experti ſint; id enim manifeſtam miſericordiæ divinæ involveret contumeliam. Neque etiam, quod elatâ manu & præfractâ malitiâ (actu jam conſcientiâ de remiſſione acceptâ conteſtante, *relapſumque* diſſuadente) in illud iterum ruerent; nam neque hoc ab inſigni benignitatis divinæ contemtu procul abeſſet; ſed hoc modo: 1. Ut in illud nonnunquam recidant peccatum, de cujus remiſſione aliquo quidem tempore conteſtatus ipſis eſt S S. ſed tamen tum actu non conteſtatur, cum peccatū id rurſus committitur. 2. Ut conteſtante licet ipſis Sp. S. de gratioſâ Dei præcedentium peccatorum condonatione etiam eopſe tempore, quo *relapſum* jam committunt, in eum tamen, non niſi inviti vehementique tentatione abrepti, trahantur quaſi & proſternantur.

XV. Sed an ullum (rogas) vere regeniti exemplum dari quidem

Digitized by Google

dem poteſt, qui hunc in modum *relapſus*, ad miſericordiam Dei admiſſus ſit? *Reſp.* 1. Non opus eſt, dari ſpeciale tale exemplum; remiſſionis enim, vel *accepta* vel *accipienda*, certitudo exemplis non nititur, ſed promiſſionibus, iiſque Divinis quidem, quæ abunde hic ſuppetunt. Adde locis ſupra allegatis Ezech. 18.21. 1 Joh. 1. 9. (2) Egregie Calvinus: *Nullum quidem* (inquit) ſingulare *in Scripturâ reperiri* exemplum, *& exempla valere ad doctrinæ confirmationem; tamen ſi ea deſint, non minus tutò in illâ acquieſcendum. Jam autem Scripturam omnibus pœnitentiam agentibus ſpem veniæ impetrandæ offerre, ut Vet. & Novi Teſtamenti docent monumenta. Itaque nemini de Dei gratiâ deſperandum eſſe, modo ne quiſquam ſibi indulgeat, aut veniæ ſpe petulanter peccet.* Neque aliter *Johannes Abrenetus*, acerrimi Judicii Theologus, cujus hæc verba ſunt: *Nullum eſt* ſpeciale exemplum *reſtitutionis, poſtquam in* idem *quis relapſus eſt* peccatum, *in Scripturâ, attamen, ratione generalis & indefinitæ gratiæ divinæ promiſſionis & miſericordis Dei naturæ, reſtitui iterum poteſt.* 3. Quis credat, omnes illos pios, qui ardentibus ſæpe precibus teſtimonium gratioſæ remiſſionis peccatorum ſuorum a Deo contenderunt, vel nunquam id ipſum ab eo impetraſſe, vel, ſi id impetrârint, ſemper ſe ab eodem ſpecie peccato, quo teſtimonium illud ſpectabat, immaculatos conſervaſſe? 4. Exemplum tamen ſi requiras omni exceptione majus, eccesis id in *Petro* Apoſtolo: lapſus is erat in peccatum *carnalis metus*, non tantum intus animum ejus dejicientis, ſed in turpem etiam abnegationem erumpentis. Teſtatus ipſi erat, adſpectu ſuo benevolo, ipſe Chriſtus, peccatum illud remiſſum eſſe: at quid fit? labitur tamen in eandem, quam antea, culpam, inſigni cum ſcandalo conjunctam, ut in locis Luc. 22. 31. Marc. 16. 7. Gal. 2. 12. cum ſe invicem collatis, videre eſt. Adde exemplum *Jonæ* Libr. ejus cap. 2. col. c. cap. 4. 1. 2.

Melch. Ad. in Vit. Blaureri.

Abreneth. Medicin. Anim. c. 10

Dan. Dijke de Converſ. cap. XI.

XVI. Dixi etiam, *fructus* quoſdam ex ipſis *relapſibus* redundare nonnunquam poſſe, utut non *per ſe*, ſed *per accidens*. Nam I. E *Relapſuum* ſuorum remiſſione, quam in dubium vocare pii ſæpe non audent, perſpicere luculenter poſſunt, quam infinite benignus & miſericors Deus in ſuos ſit, dum toties repetita eorum peccata tam gratioſe condonat, neque per ingratiſſimum ac iteratum amoris ſui abuſum, qui præcipue in *relapſibus* pellucet, plane ſe avelli ab iis ſinit. 2. Cognoſcere ex iiſdem poſſunt, quam neceſſarium ſit, ut ipſi quoque piiſſimi, in omibus conatibus ſuis, ab efficaci Dei in mentes ſuas influxu toti ſemper dependeant. Docentur quippe

Eſ. 55. 7. Pſ. 103. 4. & 130. 4.

Digitized by Google

pe *recidivis* ſuis, etiam firmiſſima ſua propoſita, ſollicitaſque contra peccata ſua curas, ne quicquam valere, niſi ipſâ Dei manu a committendis iis retineantur & cohibeantur. 3. Poſſunt ſæpe uno ſingulari relapſu a plurimorum aliorum peccatorum (in quæ proclives alias ſe ſentiunt) patratione feliciter præſervari, graviore caſu prudentiores & circumſpectiores ipſos reddente. Nam *ideo audeo dicere* (verba ſunt Auguſtini) *ſuperbis eſſe utile, cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui ſibi placendo, ceciderant.* Ut enim ignis a frigore circumſtante per ἀντιπερίστασιν intenſius calet, ſic gratia, quo peccato oppreſſa magis, eo fere vehementius contra peccatum efferveſcit. *Pia ſæpe* (ait Eucherius, ſeu quiſquis ſit ſub ejus nomine) *Domini diſpenſatione laxatus nonnunquam malignus Spiritus de culpâ ad culpam trahit, &, dum plus percutit, inde eum, quem ceperat, amittit, atque unde viciſſe cernitur, ibi ſuperatur.* Sic nempe *August. de C. D. lib. 14. c. 14.* *Pſ. 59. 12* *Eucher. in Libb. Regg. pag. m. 61.*

Increſcunt animi, & vireſcit vulnere virtus.

4. Diſcere denique *relapſuum* ſuorum eventu fideles poſſunt, *tum* quantâ tenacitate propenſio in peccatum cordibus ſuis adhuc hæreat, *tum* quantâ non aſſiduitate hoſtes quivis Spirituales invigilent, ut in peccata, etiam graviſſima, pellicere pios poſſint. Quæ ergo cum ita ſint, ex ipſis nempe *relapſibus*, adinſtar lucis e tenebris, piorum bonum qualecunque ſubinde fluere, luce ipſâ lucidius apparet, animas ob eoſdem vere dejectas, ſæpe gloriari adhuc poſſe, cum inſigni Theologo *Perkinſo*: *Quod mirabile videtur, pro comperto habeo, quod Deus mea fœda peccata ad meam inſignem utilitatem & vitæ emendationem convertit, non aliter quam ſcientiſſimus medicus ex mortifero veneno novit ſalutare medicamentum ad ſanitatis reſtitutionem, conficere.* Et *quia Dux in prælio* (ut Gregorianum hoc addam) *plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit; major proin Deo & Angelis lætitia de uno* lapſo reſurgente *ad bonam frugem, quam de multis molliter ſe gerentibus, licet nunquam collapſis.* *Perkinſ. Op. tom. 1. pag. 1036.* *Greg. m.*

XVII. At vero præter *Afflictorum* noſtrorum Exceptiones & Inſtantias jam diſcuſſas, alios adhuc dignos vindice nodos habent, quibus, occaſione *Relapſuum* ſuorum, contra converſionis ſuæ γνησιότητα acerrime ſæpe decertant. Deſumunt illos *tum* ex locis quibuſdam S. Scripturæ, *tum* ex Rationibus: ſinguli paucis expediendi ſunt.

1. *Locus* eſt Pſ. 85. 9. *Deus pacem loquetur erga populum ſuum, &*

 erga

erga eos, quos benignitate ſuâ proſequitur, ſed ne revertantur ad ſtultitiam. *Reſp.* 1. Non proponitur ibi reſpectu *relapſuum*, quorum mentionem ibi fieri non negamus, prædictio vel promiſſio ejus, quod *futurum erat*, ſed præmonitio tantum contra illud, quod *vitandum erat*: Ne *revertantur* ad ſtultitiam, habet textus, non, *haud revertentur* vel *reverſuri ſunt* ad ſtultitiam. 2. Proprie indicatur effectus piæ & ſanctæ tranquillitatis in Deo, qui non quidem eſt, peccati ejuſdem commiſſionem plane prævertere, ſed animum contra eam cautiorem reddere & munire; ſecus ac ſocordia carnalis facit, quæ *relapſibus* fibulam laxat.

2. *Locus eſt* Heb. 6. 5. 6. quem ſupra etiam excuſſimus: Addo tantum. 1. Non deeſſe, qui enunciationem illam Apoſtoli mere *hypotheticam* putant, adeoque nihil certi determinare. 2. Negatur, Sermonem ibi eſſe de qualibuscunque *relapſibus* Loquitur Paulus de totali apoſtaſiâ a veræ fidei profeſſione, (cum odiosâ hoſtilique ejuſdem inſectatione & odio) a quâ ſimplex in idem peccatum *Relapſus* multum differt. Per *illuminationem*, cujus ibi meminit, non etiam intelligitur teſtimonium Sp. S. in cordibus noſtris, quod peccata noſtra remiſſa nobis ſint, obſignantis, ſed convictio tantum de divinâ religionis Chriſtianæ veritate, cum lætitia quadam ſuperficiaria ad tempus acceptâ & agnitâ.

3. *Locus eſt* Eſr. 9. 14. *An rurſus irrita faceremus præcepta tua?* &c. *Reſp.* 1. Non dicitur ibi populum *relabi* non potuiſſe, ſed noluiſſe. 2. Imo vero *relapſum* eum revera fuiſſe, colligere eſt ex Mal. 2. 11. 13.

4. *Locus eſt* 2 Pet. 2. 22. coll. cum Prov. 26. 11. Ubi *ſtultorum*, imo *canum & porcorum* eſſe dicitur *ad vomitum & volutabrum ſuum redire*. Reſp. Non loquuntur *Salomo* & *Petrus* de ſingulari quodam in hoc vel illud peccatum *relapſu*, ſed de totali hypocritarum a veritate & pietate, quas profeſſi antea erant, defectione; quam vere ſtultam, *porcinam* & *caninam* eſſe, nemo negat. *Notandum* ut in Loca hæc obſervat J. Gerardi), *quod non de quibuſvis ſeductis, nec de quibuſvis lapſibus, quibus homo interdum præoccupatur, Gal.* 6. 1. *Apoſtolo hic ſermo ſit, ſed tum de Apoſtatis, qui ſinceræ doctrinæ repudium mittentes, eandem poſtmodum blaſphemant; tum de Epicuræis contemtoribus, qui abjecto pudore omni, totos ſe carnalibus concupiſcentiis tradunt.*

Joh. Gerard. in 2. *Pet.* 2. 22.

5. *Locus*

Digitized by Google

5. *Locus* eſt Prov. 28. 13 *Qui defectiones ſuas fatetur, & relinquit, afficietur miſericordiâ.* Reſp. 1. Eadem conſequentiâ inferre poſſem, neminem miſericordiam obtenturum eſſe, quod nemo defectiones ſuas omnimode relinquat. 2. Loquitur Rex non de totali a peccatis abſtinentiâ, ſed de odio eorum, ſeduloque ea fugiendi propoſito & ſtudio.

6. *Locus eſt* Gal. 5. 16. *Spiritu ambulate, & quod concupiſcit caro non perficietis.* Reſp. 1. Non neceſſe eſt, verba illa *promiſſive* vel *prædictive* ſumi, poſſunt etiam intelligi *dehortative*, quæ Doctiſſ. *Bezæ* ſententia eſt. 2. Non per*ficietis*, in quantum ſcil. *ſecundum Spiritum ambulatis.* 3. Non *perficietis* &c. id eſt, non erit ordinaria veſtra praxis, neque facietis id tam *pleno voluntatis* veſtræ impetu, quam ante. Prov. 16. 30. *Beza in Gal. 5. 16.*

7. *Locus eſt* 1 Joh. 5. 18. *Scimus, quod quiſquis natus eſt ex Deo, non peccat.* Reſp. 1. Si ſumi verba illa debeant de peccato in genere, ergo ne quidem infirmitatem aliquam committere poteſt regenitus; diſerte enim dicitur, *e Deo genitus non peccat.* 2. Sermo ibi eſt de peccato *ad mortem*, id eſt, de Blaſphemiâ in Sp. S. conf. verſ. 16. ejuſd. Capitis.

8. *Locus eſt* Pſ. 18. 24. *Quum ſum integer coram eo, & caveo mihi ne inique agam*, Reſp. 1. Non loquitur ibi David de *Relapſu*, ſed de commiſſione peccati ſibi adjacentis & dilecti. 2. Indicat ſtudium & conatum ſuum, non eventum. *Caveo mihi* (inquit) *ne inique agam*; at quotusquiſque ſibi a morbo quidem cavet, qui tamen invitus in eum incidit. Sed hoc obiter tantum, quia luculentior horum explanatio ubivis obvia eſt.

XVIII. *Objectiones e rationibus* deſumptæ, eæque quidem ſpecioſiſſimæ (omnes enim excutere brevis Diſquiſitiunculæ ratio non fert) ſequentes fere ſunt. *Prima*: Quod putent *Afflicti*, ſe neque debite neque vehementer ſatis *contritos* e præcedentium peccatorum ſuorum commiſſione fuiſſe, eo quod tam facile in eadem *relabi* ſe deprehendant: quodſi enim (concludunt) tetritatem & horribilitatem eorum probe ſatis perſenſiſſent, utique multo magis a repetitione eorum abhorrerent. Sed evaneſcet hæc difficultas, ſi, quæ ſequuntur, ad animum tantum revocentur: Dico. 1. Eſſe nonnunquam poſſe juſtam & *ſinceram* ſuper peccatis aliquibus cordis *contritionem*, quæ tamen perfecta, & omnibus modis enormitati eorum proportionata non ſit.

Digitized by Google

(2) *Juſtam* ſuper peccato *contritionum* ordinariò a repetitione & iteratione ejus retinere nos poſſe, & debere. (3.) Id tamen de tali *contritione*, quæ *mere legalis* eſt, dici non poſſe, quippe quæ Chriſtum Servatorem necdum involvit, adeoque nullam peccato reſiſtendi vim (quæ ex ſolo Chriſto, fide apprehenſo, manare debet) connexam habet.; quinimo *per accidens* corruptionis noſtræ, magis ad peccatum irritat fere & inſtigat, quam ab eo retrahit. Rom.7.11. (4.) Ut neque illum præciſe ipſius contritionis *Euangelicæ* effectum eſſe, quod *iterationem* peccati ipſo actu ſemper impediat, ſed quod ſerio & potenter eam diſſuadeat, animumque contra hoſtiles ac doloſos ejus inſultus muniat ac obfirmet. Pſ. 18.24. Proinde (5.) eſſe quidem poſſe, ut is, qui maxime ſæpe *contritus* ſuper peccatis ſuis eſt, *recidivas* tamen omnes non evadat. Patet id in *Petri* exemplo, Matt.26.ult. coll. c. Gal.2. 12.13. (6.) Imovero accidere nonnunquam poſſe, imo accidere, ut facilius multo in peccatum *relabantur*, qui *intenſiorem*, quam qui *remiſſiorem* contritionem eapropter experti ſunt; *tum* quod intenſius contriti paratiores plerumque ſint ad *temeraria* contra relapſus ſuos *vota* nuncupanda, quæ recidivationis præludia fere ſunt; *tum* quod in diffidentiam & puſillanimitatem plus juſto propendere quoque ſoleant; quâ tum μικροψυχίᾳ Diabolus ad animas illas, quæ ea laborant, vehementius tentandas, ac in novos lapſus protrudendas, abuti ſolet.

XIX. *Secunda Objectio* eſt, quod exiſtiment *Afflicti*, turpem ſe in Deum *perfidiam* committere, quotieſcunque in abjurata antehac peccata *recidere* ſe vident; quoniam ſe *relapſuros* non amplius eſſe, polliciti ſæpe ſunt, cujus promiſſi fidem *relabendo* non liberant. Sed *dico* I. Poſſe aliquando non-executionem promiſſi alicujus eſſe, etiam Deo facti, quæ ne peccatum quidem ſit, nedum turpis in Deum *perfidia*, hiſce ſcilicet caſibus: 1. Cum res promiſſa *illicita* vel peccaminoſa eſt. 2. Cum licita quidem eſt, ſed *abſolutè impoſſibilis*. 3. Cum poſſibilis quidem eſt, ſed non niſi per *extraordinariam* quandam *gratiam* efficienda. 4. Cum poſſibilis quidem eſt, & ordinariâ viâ præſtanda, ſed a poſteriori liquet, eam a Deo volitam non eſſe. 5. Cum, utcunque tempore, quo promitteretur, poſſibilis quidem, poſtmodum tamen, ob cauſam inevitabiliter incidentem, impoſſibilis facta eſt. 6. Cum interventu officii, quod majoris *tum* obligationis *tum* præſentioris neceſſitatis eſt, impeditur. 7. Cum per vim externam, qui promiſerat, adigitur,

Digitized by Google

gitur, ad promiſſi contrarium præſtandum vel patiendum; ut cum virgo, quæ caſtam ſe fore promiſerat, a ſcortatore violatur. *Dico* II. Poſſe etiam eſſe non executionem rei Deo promiſſæ, quæ, licet peccatum quidem ſit, non tamen pro *perfidiâ* votique irritatione habenda eſt. Ut (1) cum quis per incogitantiam & inadvertentiam abripitur ad rem, quam promiſerat, non præſtandam (2) Cum ex ſimplici minimeque deliberata imprudentia promiſſi fidem non liberat. (3) Cum per vehementem tentationem internam ab executione ejus avertitur; ut procul dubio *Petro* accidit, in trina Domini ſui abnegatione. *Dico* III. Sinceritatem promiſſionum noſtrarum ex eo cenſendam non eſſe, quod rem, quam promiſimus, actu ſemper præſtemus; ſed ex hoc, 1. quod abſolutè, totoque animo, ſine ullis ſiniſtris reſpectibus, Deo nos devinxerimus, ad exſolvendum illud, quod polliciti ipſi ſumus (2) Quod ad qualiacunque media, executioni rei illius inſervientia, paratiſſimos nos præbeamus. (3) Quod, ſi quidem forte contingat, ut rem promiſſam non præſtemus, omiſſionem illam, vel qualemcunque noſtram negligentiam, quæ omiſſionis illius cauſa fuit, omni animo deteſtemur, condemnemus, totiſque viribus corrigere enitamur. *Dico* IV. Omnes promiſſiones Deo factas, etiam quæ abſolutiſſimæ ſunt, quoad ſui executionem, hanc ſimilemve conditionem ſemper includere. *Si Deus ſuccurrat, juvet* &c. Ita Cl. D. Dematius, Theologus pridem Ultrajectinus: *In omnibus* (inquit) *votis de rebus talibus ſubintelligi debet tacita conditio, ſi Deus permiſerit, vel ſi potuero, vel ſi res in eodem ſtatu remanſerit.* Quibus ergo ſe non ita habentibus, promiſſum ſæpe non expletur, fide tamen nullatenus violatâ; quoniam a parte noſtra factum tum eſt, quod fieri potuit, Deo a ſua tantum parte deficiente. *Juramenti promiſſorii veritas* (ait Rivetus) *conſtabit, etiamſi qui promittit, exequi id non poſſit, quia ſufficit, ſi per eum non ſtet, & in animo habeat promiſſa præſtandi. In tali enim juramento non tam aſſeritur infallibilis rei promiſſæ eventus, quam propoſitum & voluntas promittentis, omniſque legitimus ad id conatus. Quum enim omnis obligandi vis ſit ab* intentione *promiſſionis, non poteſt ultra intentionem obligare.* Quibus gemina hæc Philoſophi *Malmesburienſis* ſunt, qui utinam nunquam turpius erraſſet! *Si accedat* (inquit) *impoſſibile eſſe, quod* promiſimus, *præſtandum eſt, quantum præſtari poteſt. Obligant igitur pacta non ad ipſam rem pactam, ſed ad* ſummum conatum, *hoc enim* ſolum (legendum puto *hic enim ſolus*) non

Demat. de Vot. Jepht. Diſp. 1. qu. 4.

Rivet. Op. tom. 1. Pag. 1281.

Leſſ. de Juſt. & Iur. lib. 2. cap. 18. m. 6.

Hobb. de Civ. cap. 2. §. 15.

Digitized by Google

non res ipſa in noſtra poteſtate ſunt. Neque ſtatuendum tamen eſt, non-evitationem peccati alicujus, quam quis promiſit, ideo peccaminoſam non eſſe, quia Deus ad illam gratiâ ſuâ cohibente non concurrit, abſit: quinimo verè illa peccaminoſa eſt, & haberi ſemper debet, quod in generalem Legis obligationem impingat, quæ omnium peccatorum omiſſionem abſolute mandat. Verumtamen notandum, dictam illam peccati non-evitationem, ſi contra animi peccantis propoſitum contingat, pro *perfidiâ* proprie dictâ, promiſſioniſque Deo factæ violatione, non eſſe habendam; quia, utut contra illam fiat obligationem, quæ generaliter ex *Legis præſcripto* promanat, haud tamen contra illam fit, quæ ex *factâ promiſſione* reſultat; cujus quippe ſenſus vel ſcopus nunquam fuit, ſe ad hoc vel illud, gratiâ Dei non adjuvante, ipſo eventu fugiendum & omittendum, abſolute devincire. *Dico V.* Eſſe tamen talem nonnunquam rei, Deo promiſſæ, non-executionem, quæ reverâ promiſſionis irritatio eſt, atque adeo a *perfidiæ* in ipſum crimine abſolvi non poteſt: habetque hæc locum. 1. Cum promiſſum ex mero Dei contemptu vel vilipendio non præſtatur, ut ſæpe a profanis hominibus fit? 2. Cum non quidem ex *abſoluto* Dei vilipendio non præſtatur, ſed ex *comparato* tamen, quatenus nempe is, qui promiſit, de induſtriâ e majori *lucri*, *honoris*, *commoditatis*, &c. quam Dei reique, quæ promiſſa erat, æſtimatione, non facit, quod facturum ſe eſſe promiſerat. 3. Cum aliâ qualicunque ratione audacter, ſine ullo conſcientiæ palpitantis reniſu, res, quæ promiſſa fuit, executioni non mandatur. *Dico VI.* Ne quidem iis tamen, qui hoc ipſo, ut dictum eſt, modo in Deum *perfidi* ſunt, arma plane abjicienda eſſe, ſed allaborare e contra eos oportere, ut animo eapropter vere contrito coram Deo ſe ſiſtant, ad ejuſque miſericordiam confugiant. Exerta enim promiſſio in Dei verbo extat, etiam *perjuros* iſtiusmodi, cum fide & reſipiſcentiâ ad Deum accedentes, repudiandos non eſſe. Locus ἐμφατικώτατος eſt Jer. 3. 15, 16, 17. *Utique* perfide (inquit Deus) *deſcivit uxor ab amico ſuo, utique perfide egiſtis in me, Domus Iſrael, dictum Jehovæ. Vox in locis eminentibus audiatur, fletus, deprecationes Iſraelitarum, quia perverterunt viam ſuam, obliti Jehovæ Dei ſui, dicemus: Revertimini filii averſantes & curabo averſiones veſtras: vox, inquam, audiatur: ecce nos accedimus te, quia tu es Jehova, Deus noſter.*

XX. *Tertia* Objectio eſt, quod ſe totos ſub peccati *Dominio* adhuc eſſe

eſſe exiſtiment *Afflicti*, quod peccata ſua, utut toties abjurata, intermittere necdum poſſint. Per *tria* puncta nodum hunc ſolvam. *Primum* exhibebit veri *dominii*, quod peccatum in homines habere poteſt, delineationem. *Secundum* determinationem, quo uſque *dominium* illud in vere regenitos cadere adhuc poſſit. *Tertium*, quomodo *relapſus* aliquis in regenito eſſe poſſit ſine hoc *dominio*.

XXI. Quoad *primum* tenendum: Peccati in homine *dominium* per omnes ejus facultates ſe diffundere. Exerit enim ſe (1) in *Intellectu* ejus, idque *tum* privative *tum* poſitive. *Priori* modo (a) Occultando ſive non manifeſtando ei juſtitiam, ſanctitatem & ſpiritualitatem Legis Divinæ. (b) Non oſtendendo ei abominabilem deformitatem & noxam inevitabilem cujuſque peccati, contra Legem illam commiſſi. *Poſteriori* modo (*a*) Imprimendo ei ſingularis tum *delectabilitatis* tum *utilitatis* peccati, quæ tamen revera in eo non inveniuntur, opinionem. Mal. 3. 15. Gen. 3. 3. Prov. 12. 26. & 11. 28. (*b*) Judicium ejus ad bonum jucundum, commodum, utile &c. bono honeſto ſanctoque ordinario præferendum, inclinando. (2) In ejus *Voluntate*, efficiendo (א) Averſionem ab omni virtutis bono. Zeph. 2. 1. (ב) Inclinationem ad omnis peccati malum, Job. 21. 15. (ג) Carentiam omnis ſalutaris luctæ & reniſus contra peccatum. Jer. 8. 6. *Peccata* regnantia *ſunt* (inquit Spanhemius) *quæ fiunt ſine luctâ vel antecedente vel concomitante vel ſubſequente.* (3) In *Affectibus* ejus, non quidem motus eorum naturales impediendo, ſed eos invertendo; ſic ut, *vel* ubi moveri eos oportebat, non moveantur: E. G. ut ubi juſta doloris, vindictæ &c. cauſa eſt (prout præcipue ſe res in peccato habet) nullus ibi dolor excitetur; *vel* ubi non debebant moveri, ibi imo moveantur, ut in gaudio mundano, metu carnali &c. (4 In ejus *Actionibus* (a) Ordinariò illas ad peccata dirigendo. Joh. 8. 34. (b) Omni ſpirituali bonitate eas deſtituendo. (c) Vel, ſi in ſpirituale quicquam tendant, totum illud vel inſtabile & tranſitorium reddendo, vel ad fines illegitimos dirigendo. Hoſ. 6. 6. Matt. 6. 1.

Spanhem. Syntagm. Diſpp. p. 176.

XXII. Quoad *ſecundum*, diſtinguendum peccati dominium eſt in *univerſale* ſive totale, & *partiale*, ad hunc vel illum particularem actum tantum reſtrictum. *Prius* non cadit in regenitos, at quidem *poſterius*. Rom. 7. 23. Pſ 19. 14. & 65. 3. Offendebatur antehac Doctiſſ. *Zanchius* vocabulo *regnantis* vel dominantis pec-

 cati,

Zanch. in Miſcellan. Theolog. cati, ipſis regenitis attributo, ſed neſcio quam ob cauſam; cum non tantum ἔγγραφον ſit, ut ex allegatis locis liquet, ſed præ- *Urſin. Tr. Theol. Loc. de Peccato pag.* 207. ſtantiſſimis etiam Theologis uſurpatum, *Urſino*, *Gomaro*, *Paræo*, *Riveto*, *Ameſio*, *Eſſenio*. &c. Neque objicitur bene: quod *dominari* in regenitis peccatum nullo modo poſſit, quia *ſpiritus* ſemper *fortior* in ipſis eſt, quam *caro*, 1 Joh. 4. 4. neque vivere regeniti juxta *carnem* *Gomar. in Rom.* 7. 23. debeant, ſed juxta ſpiritum. Rom. 8. 1. Nam utcunque id ita ſit, *Rivet. in Pſ.* 19. 14 ſuperat tamen nonnunquam in iis *Caro*; *tum* quia, licet gratia inhibitiva ſemper in ipſis quidem ſit, ſemper tamen a commiſſione *Paræus in Rom.* 6. 13. peccati actualiter & efficaciter eos non retrahit; *tum* quod *caro* ſingulares quaſdam prærogativas ſupra *ſpiritum* in nobis adhuc habeat, *Eſſen. Syſt. Theol. pag.* 378. quibus mediantibus non raro fit, ut plus valere videatur, quam ſpiritus. Animas noſtras *prior* occupavit, quam ſpiritus. Pſ. 51. 7. Motus ejus naturæ noſtræ humanæ convenientiores fere ſunt, quam ſpiritus; quinimo carnalis corruptionis menſura *copioſior* in nobis paſſim eſt, quam ſpiritus regenerantis dimenſum. Rom. 8. 23. Attamen ſuperatio illa, quâ *carnem* aliquando ſupra ſpiritum gaudere in nobis, diximus, pro propriè dictâ *victoriâ* non eſt habenda, ſed pro vehementiore tantum ejuſdem carnis in nobis ad peccatum motu & ſolicitatione, cui eopſe tempore Sp. S. non lubet operationes ſuas cohibitivas tam efficaciter opponere. Accu- *Eſſen. Syſt. Tit.* 10. §. 76. ratè Cl. D. Eſſenius: *Peccatum* regnans κατά τὶ *eſt* (inquit) *cui peccator, habens in actu* primo, *quo reſiſtere & prævalere poſſit, de facto tamen aliquantiſper non reſiſtit, ſed ſuccumbit, tanquam hoſti prælio victori vel invaſori, ad tempus prævalenti, dum* (N B) *ſe non exerit in actu ſecundo.*

XXIII. Unde & *Tertium* tum pateſcit, quomodo nimirum in vere regenito *Relapſus* eſſe poſſit ſine peccati dominio: ſcil. ſine dominio abſoluto & totali, non ſine *reſtricto* & *partiali*. Attamen reverâ (*inquis*) devincor a peccatis meis, cum *relabor*; id vero, ut conſtat, regenitorum non eſt, ſed e contra devincere & *ſuperare* ſua peccata. *Reſp.* Officium regenitorum eſſe ſuperare ſemper peccata ſua, conceditur, at iſtiuſmodi id officium eſſe, cujus ſimplex omiſſio cum regenerante gratiâ conſiſtere non poſſit, negatur. 2. Potes ſæpe, dum huic vel illi peccato pro tempore ſuccumbis certius & felicius id ipſum ſuperare. *Plerumque fit* (inquit Eucherius) *ut nonnulli per ſuperbiam in luxuriam* *Eucher. in Libb. Reg. pag.* 61 *corruentes, ex aperto caſu malum culpæ latentis erubeſcant, & tunc etiam majora corrigant, cum proſtrati in minimis gravius confunduntur.* Superabat mors temporalis ad breve tempus Servatorem Chriſtum, at dum

dum ſuperabat, ipſa proſtrata eſt, animamque in vulnere poſuit. 3. Vel ſi hoc, quoad ipſum illud peccatum, cui pro tempore ſuccumbis, ſemper non contingat, accidit tamen ſæpe quoad alia peccata, non minus forte gravia & noxia. 4. Peccati quoque ſuperatio gradus ſuos habet. Superat id pius (a) Cum totum illud extirpat, adeo ut ab omnibus ejus inſultibus univerſim liberatus jam ſit; & ſic peccati victor non ſit, niſi in ſtatu gloriæ poſt hanc vitam. (b) Superat id, cum bonum, peccato iſti oppoſitum aſſequitur, quo à Sp. Sancto motus & impulſus erat, utut multis cum difficultatibus & moleſtiis. (c) Superat id, cum, licet actuali peccati evitatione non gaudeat, animosè tamen ei reſiſtit, nec volens lubenſque ſe ei ſubmittit. Jac. 4. 7. *Ejuſmodi pugna & rixa* (notante Gerſone) *apud Deum reputatur pro victoriâ.*

August. de C. D. lib. 14. c. 4.

Gerſon. de Remed. cont. Puſill.

XXIV. At *(pergis)* nimis frequentes *recidivas* patior; non eſt quod *ſemel* vel *bis* tantum peccata mea iterem, ſed ſæpius, tot numero lapſus mei ſunt,

quot in horti fertilis arvis
Punica ſub lento cortice grana rubent.

Ovid. de Pont. Lib. 4. Eleg.

Quid ergo inferre inde aliud poſſum, quam me peccati *dominio* plane adhuc ſubjacere? *Reſp.* 1. Semper nimis *frequentes* relapſus noſtri ſunt, utut ſimplex vel unicus tantum eſſet; quia omni, etiam minimo, peccato abſtinere nos decet. 2. Conceditur, *relapſuum* frequentiam *partiale* peccati dominium involvere, ſed quid tum? ergo ſine *totali* & abſoluto ejus *dominio* non conſiſtit? Negatur illa conſequentia: ſi nempe. (a) In peccata *enormia* & ſcandaloſa non crebro incidas, ſed in incurſationes tantum quotidianas, ipſis piiſſimis communes. (b) Si animi tui *rubor* & *pudor* ad eam conſequantur. Secus ac Sociniani *Smalcii* verba ſonant, dum inquit: *Siquis crebro data ad eam rem occaſione peccatum committat*, quantumvis id doleat & deploret, *huic peccatum* dominatur, *hic ſecundum carnem ambulat*, *hic opera carnis facit*, *& quicunque tales ſunt, regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Et ſane graviſſimus nimiſque vulgaris piorum hic ſe prodit error; quod *relapſuum* ſuorum, utut multiplicium, contemplationi juſto pertinacius ſæpe inhæreant, eoſque volvant jugiter revolvantque; ex quo haud quicquam aliud lucrari eos tum videas, quam animi noxios quoſdam terrores, fideique concuſſiones, ſatis ſæpe periculoſas. Nequaquam certe negligi velim *recidivas*, minime ſi numeroſiores ſint: verum iis ſolis meditatio noſtra mancipanda non eſt, ſed gratuitis quoque Dei promiſſio-

Smalc. contra Frantz. Diſp. de Poenit. pag. 355.

 miſſio-

Digitized by Google

miſſionibus, peſſimis etiam peccatoribus factis, inſiſtendum, modo collapſi, imò centies collapſi, reſurgere ne detrectent. *Si millies peccaſti* (inquit Chryſoſtomus) *millies pœnitentiam age.* Et Tertullianus: *Haud ſtatim ſuccidendus ac ſubruendus eſt animus deſperatione. Si ſecundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit, pigeat ſane peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat, pigeat iterum periclitari, ſed iterum liberari neminem pigeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt. Gratus in Dominum extiteris, ſi quod tibi Dominus offert, non recuſaveris: offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes.*

Tertull. de Pœnit. cap. 8. ſive, ut Eraſmus vult, alius quis ſub ejus nomine.

XXV. Adhuc *inſtas*, ſi frequenter adeo in peccata mea *relabar*, unde conſtare mihi tum poteſt, peccatum in me non *totaliter*, ſed *partialiter* tantum dominari? *Rep.* Ex hiſce gnoriſmatis: Si (1) ordinario impetum & inſultus ejus non ſine *indignatione* ſuſtineas. (2) Si haud ægre feras, ſaltem diu ægre ferre non poſſis, quod in commiſſione ejus turbari & impediri te deprehendas. (3) Si remedia patrationi ejus directè oppoſita, admittere non gravatè poſſis, quinimò ipſemet aliquando quæras. Exinde enim liquet, te hoſtis tui, ad tempus dominantis, fugam meditari, ac proinde, licet externis actibus, animo tamen ei nunquam ſubfuiſſe.

XXVI. *Quarta* Objectio eſt, quod multos alios pios *relapſibus* abſtinere videant *Afflicti*; quos dum ipſi peræque non vitant, ſe e piorum grege non eſſe, concludunt. At toto Cœlo errant: Eſto enim, quod pii illi, quo reſpiciunt, in eadem ſpecie peccata, in quæ ſe ipſos recidere dolent, non *relabantur*, recidunt forſan in alia. *Hi* proniores forte ſunt in *iram*, *rixas* &c. *illi* in *ebrietatem*, *voracitatem*, *luxum mundanum* &c. prout quiſque ſuos patimur manes, infernali Veteratore nemini non inſidiante. Accedit, quod ne unquam quidem omnes ſinguloſque regenitos eadem ſemper ſpecie peccata æque feliciter evitaſſe & effugiſſe videris. Confer *Abrahami*, *Jobi*, *Iſaaci*, *Jacobi*, *Salomonis* &c. exempla. *Jobus* effugere potuit *laſcivæ carnis* illecebras, imo *foedus pangere cum oculis ſuis, ne adſpicerent virginem.* Job. 31. 1. Piiſſimus *David* id non potuit. 2 Sam. 11. 2. 3. Si *Polygamia* in V. T. peccatum fuerit, ut vulgatior opinio eſt, palam eſt, *Iſaacum* ſibi cavere ab eâ potuiſſe. *Abrahamum* vero, *Jacobum*, *Davidem*, *Salomonem* &c. non potuiſſe. Cauſæ diſcriminis hujus hæ eſſe poſſunt: 1. Quod *hic* plures forte tentationes tam internas quam

quam externas ad hoc illudve peccatum habeat, *ille* pauciores 2. Quod *hic* ſingulari quodam contra hoc vel illud peccatum Dei auxilio gaudeat, *ille* non item. 3. Quod in *hoc* pronior temperamenti naturalis ad hoc vel illud peccatum diſpoſitio ſit, quam in *illo*. 4. Quod *hic* ante converſionem tam profundam & radicatam hujus vel illius peccati conſuetudinem forte non contraxerit, ac *ille*. 5. Quod *hic* multa peccati hujus vel illius evitandi media habeat, *ille* tantum pauca, multo ſaltem pauciora.

XXVII. Sed *inſtas*, etiam illi, qui tenuiori, quam ego, gratiæ dimenſo donati ſunt, animoſe ſæpe talibus reſiſtunt peccatis, in quæ ego tamen *relabor*? Reſp. 1. Ergo aliquam ſaltem gratiam habere te ſupponis, licet aliis tenuiorem. 2. Neque nego, Deum ſubinde ſic diſpenſare, ut qui *provectiores* in gratiâ ſunt, peccata quædam non effugiant, quæ infirmiores imo evitant: idque ob duplicis generis rationes: (a) A parte *provectiorum*, ne infirmiores contemnant, ſed αἰσθητικῶς e contra apprehendant, ſolam gratiam Dei habitualem, utcunque *ampliorem*, ſine actuali Sp. S influxu, non ſufficere ad peccatum ipſo facto evitandum; adeoque ſoli illi fidere nunquam præſumant; multo minus Dei inhibitoris gloriam, ſi forſan a peccati commiſſione præſervati nonnunquam ſint, ſibi ipſis rapiant (b) A parte *infirmiorum*, ut animus iis addatur, inſinueturque, ne a provectiorum exemplo abſolutè unquam dependeant. Hinc enim ſæpe fit, ut dum imitari illos ſtudent, in peccata quædam ruant, in quæ, ſi a ſolâ Dei gratiâ ſanctificante & inhibitivâ dependiſſent, nunquam lapſi forte eſſent.

XXVIII. *Pergis*: Sequitur ſaltem hinc, gratiam me tenuiorem habere iis, qui magis ſe continent. Iterum *repono*, 1. in quæſtione non eſſe, *quanta* gratia tua ſit, ſed *qualis* ſit, an vera & ſincera, utut tenuiſſima; quam ſi agnoſcis, concedere utique debes, veram aliquam gratiam cum *relapſibus* conſiſtere poſſe, quod hactenus negabas. 2. Non ſequitur abſolute: Ego quoad hunc vel illum particularem actum peccato magis ſuccumbo, quam ille, ergo ego tenuiorem gratiam habeo. Plurimi enim inter nos cavere ſibi poſſunt, & revera cavent ab *inceſtu*, *homicidio* &c. a quibus *Loth*, *David* &c. ſe non continuerunt; at ſequiturne inde, ergo *Loth*, *David* &c. tenuiore gratia donati fuere, ac nos ſumus?

3. Sequitur tantum, ſi minus te contineas, gratiam tuam pro illo tempore tam operativam non eſſe, ac in illis fuit, qui ſe magis continuerunt. 4. Sequeretur tamen etiam, gratiam tuam tenuiorem eſſe, ſi *ordinario* in peccatum illud prolabereris, in quod ille, quocum te comparas, vel in aliud ei ſimile, non ita prolabitur. In genere enim indubium eſt, tametſi accidere poſſit, ut abundantior gratia pro hoc vel illo tempore aliquem minus a peccato præſervet, *ordinario* tamen magis eam præſervare; ac per conſequens illum, qui *ordinario* minus a *relapſu* præſervatur, tenuiore gratiâ donatum eſſe illo, qui *ordinario* magis præſervatur.

XXIX. Iterum *dicis:* Homines ſæpe offendo carnales & plane irregenitos, magis hoc vel illo peccato abſtinentes, quam me ipſum, quomodo ego ergo regenitus eſſe poſſum? *Reſp.* Non nego, aliquando id accidere; ſed conſequentia, quam inde nectis, non valet. Nam (1.) David non potuit *adulterio* abſtinere, qui verè *regenitus* fuit, quo tamen *Abimelech* abſtinuit, qui fuit *ethnicus*. Gen. 20. 4. 2 Sam. 11. 5. *Impetus peccati* (inquit Ameſius) *poteſt eſſe vehementior aliquando, ubi oppoſitionem habet gratia, quam ubi non habet; & tamen* dominium *peccati eſt multo* minus. *Sic ſæpe vitioſæ qualitates corporeæ multo vegetiores & vehementiores ſunt in corpore vivo, quam in mortuo cadavere, quamvis in iſto magis, quam in illo prædominentur.* (2.) Regenerationis veritas ex ſingularibus quibuſdam *actibus* non eſt æſtimanda, ſed ex conſueto *vitæ curſu*, ut notum eſt. 3. Imò vero nunquam homo naturalis & irregenitus tam ſanctè a peccato continere ſe poteſt, ac is, qui gratiam Dei vere habet: *ille* enim paſſim ab eo ſe continet, vel ob ſolum Legis horrorem, vel ob damni dedecoriſque alicujus metum; *hic* eo abſtinet ex peccati odio, Chriſti amore, vel ſimili quodam interno vitæ Spiritualis principio. 4. Unde & fit, ut nunquam non Deus multò intenſius amet hominem regenitum (perſonam ejus, non vitium) peccatum committentem, quam irregenitum id omittentem, quoniam *is*, dum peccatum committit, verè tamen id odit. Rom. 7. 19. *hic*, dum illud omittit, verè tamen id diligit.

Ameſ. Antiſynod. pag. m. 330.

XXX. Hactenus *Afflictorum* noſtrorum *Objectiones*. Supereſt, ut *Directiones* quaſdam ſubnectamus, quibus in vitandis deinceps *Relapſibus* juvari qualitercunque poſſint. Ergo 1 Animum ſuum omni ſpirtuali *præſumptione* ſollicite expurgent, utpote quæ ordinarium *recidivationis*, præludium non tantum eſt, ſed & principium. Hinc de *Petro* Auguſtinus: *E magno præſumptore creber*

Auguſt. de Verb. Dom. c. 14.

Digitized by Google

ber negator factus eſt. Multos enim (ut alibi) *impedit a firmitate firmitatis* præſumptio: *nemo erit a Deo firmus, niſi qui a ſeipſo ſe ſentit infirmum.* Quinimo (ut alio adhuc loco) *acutiſſima & excellentiſſima quædam ingenia tanto in majores ierunt errores, quanto præfidentius, tanquam ſuis viribus, cucurrerunt.* Uno enim adverſo ictu languent ſæpe eorum ſtudia, qui prius, ut videri volebant, fidem atque animum nimium oſtentabant. Involvit ſpiritualis *præſumptio* hæc ſequentia. 1. Turgidum *Relapſuum* tum præſentium, tum præteritorum, tum futurorum comtemptum. Hoſtis autem jam appropinquantis neglectus ſtragis plerumque prænuncius eſt; docent id illi, qui a morbo recenter convaluêre, qui nunquam *recidivæ* viciniores ſunt, quam cum flocci facere morbum ſuum incipiunt. 2. Inconſideratam in nuncupandis contra *Relapſus* votis temeritatem. Eccleſ. 5. 1. 4. Nuncupantur vero *temere* vota. (a) Cum quis ex incogitantiâ vel indignationis aut doloris ſuper ante commiſſa peccata vi eò proripitur, ſciens ſæpe vix, vel quod vel quid promiſerit. (b) Cum ſine firmo arctius ſeſe Deo, ad peccati evitationem, devinciendi propoſito fiunt, atque adeo in ore magis hærent, quam in cordis penetralibus deliteſcunt. (c) Cum in extraordinario tentationis paroxyſmo vel alio qualicunque animi, ſub peccato ad tempus ſuccumbentis, deliquio inſtituuntur. (d) Cum collective & indiſcriminatim contra *omnia* peccata nuncupantur. *Quoniam enim* (ut bene obſervavit Balduinus) *omne peccatum evitare nemo poteſt, temerarium eſſet voto ſe ad hanc rem adſtringere.* (e) Cum ſine reverentia juſtâque ad difficultatem rei, quæ vovetur, & majeſtatem *Dei*, cui vovetur, attentione fiunt. 3. Debitæ dependentiæ (quoad actualem peccati fugam) a Divino Sp. Sancti influxu carentiam. Sunt qui vim reſiſtendi peccato ex ipſo voto, qua tali, derivandam putant; at perverſiſſimé; cum non niſi ex ſolo inhibitivo Chriſti auxilio, per fidem haurienda ſit, votumque nihil proprie aliud ſit, quam novum diligentioris peccato reſiſtendi curæ incentivum. Quare & fit, ut graviora nonnunquam peccata facilius evitent pii, quam *leviora*; quod in *his* nimium plerumque a ſe ipſis, in *illis* magis a Deo dependere deprehendantur. 4. Faſtuoſam denique & dictatoriam aliorum, qui *relapſi* forte ſunt, condemnationem; quaſi ipſi extra *relabendi* aleam conſtituti eſſemus. Gal. 6. 1. Jac. 4. 12.

Idem. Ep. 52.

Balduin. Caſ. conſc. lib. 2. cap. 8. caſ. 3.

XXXI. Caveant ſibi. 2. ne e *Relapſibus* hiſce vel illis impoſſibilita-

bilitatem evitandi in poſterum peccata imprudenter concludant; alterum enim id extremum eſt, quod nocere affatim hic poteſt. Damnoſiſſima omnis carnalis præſumptio eſt, at non minus damnoſa *deſperatio*, Rite Martialis.

Peccant
Securæ *nimium* ſollicitæque *manus*.

Impotentiæ enim hæc impreſſio reſiſtendi peccatis ſtudium ſufflaminat, languoremque inducit animo; ſic ut ne perſtare quidem tentet, eo quod perſtare ſe ullatenus poſſe dubitet. E diametro fortitudini & fiduciæ Chriſtianæ μικροψυχία hæc oppoſita eſt, juxta quam tum certare tum triumphare contra peccatum pium hominem decet, non ſpem omnem abjicere. Commaſculandus animus eſt, juxta Poëtam:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Liv. lib. 22.

Nam (ut illud Livii huc applicem) *quo timoris hic minus, eo & periculi minus.* E contra

Lucan.

Multos in ſumma pericula miſit
Venturi timor *ipſe mali.*

Gerſon. de Remed. c. Puſillanimit.

Timoratis (inquit Gerſon) *ſi accedat pavor & timor, ad peccatum eos adducet.* Et optime Senatori cuidam *Carthagenenſis* Epiſcopus:

Cyprian. ad Senat. Lapſ.

Qui pedis offenſi lapidem vitare ſecundo
Neſcit, & incautos iterum vexaverit artus,
Imputet ipſe ſibi, nec caſibus imputet ullis.
Corrige delictum fidamine *corrige mentem,*
Suffecit peccare ſemel, deſiſte vereri.

XXXII. Ne 3. apprehenſionem Chriſti in *ſanctificatorem*, & contra peccata auxiliatorem, ullo modo intermittant. Nimis ſane huc piæ animæ inclinant, cogitantes, toties & toties dependimus, in peccatis noſtris vitandis, a Chriſti adjuvantis manu, toties eum ardentibus precibus imploravimus; at ſemper fruſtra fuimus, identidem tamen in eaſdem prævaricationes *relapſæ* ſumus, quid ergo opitulationi ejus deinceps fidamus? Sed inſulſa ratiocinatio illa eſt, ob has rationes. (1.) Quia, ſi auxilio Chriſti non fidas, nullum ſaltem peccatum ſalutariter evitaturus es. *Sine enim ipſo nihil valemus*, Joh. 15.5. (2.) Quia certitudo auxilii divini contra peccatum a noſtrâ contra illud conſtantia non dependet, ſed a ſola Dei eâque infallibili promiſſione. 2 Tim. 2.12.13.

Digitized by Google

2.12.13. *Ergo verendum non eſt* (ut bene alicubi Bernardus) *ne dedignetur condeſcendere nobis* (Chriſtus ſcil.) *qui potius, ſi vel exiguum quid abſque illo conamur, dedignatur.* Bernard. in Cantic. Serm. 17.

XXXIII. 4. *Gaudio ſpirituali* excitando diligenter incumbant. Melancholia enim vehiculum Diaboli eſt, lætitia e contra vires addit. Nehem. 8. 11. Pſ. 85. 9. *Dicis*, ſuaderi facile gaudium poteſt, at unde id mihi tam crebris *relapſibus* obnoxio? Sed an non gaudendo quidquam lucratus unquam es? Imovero gaudendum, non quod *relabaris*, ſed quod dolere *relapſus* tuos poſſis: ipſe hic dolor materia gaudii tui eſto. *Semper doleat poenitens* (monet Auguſtinus) *& de dolore gaudeat.* Martyr in ipſâ catenâ gaudet. Auguſtin in Pſ. 137.

XXIV. Aliorum. 5. admonitionem contra peccata, a quibus ſibi metuunt maxime, ſerio ſæpe requirant. Non ægre ferendum eſt, ſi quis a malo retrahere nos tentet, imo vero expetendum id potius; quia in hac palæſtrâ non ſemper nobis ſufficimus. Diabolus ſuas inſtituit auxiliatrices copias, ut nos proſternat, carnem, Mundum, &c. quid ni ergo & nos noſtros advocemus, ut cordate & viriliter reſiſtamus? *Quid enim beatius* (verba iterum ſunt μελιφώνυ Bernardi) *quid ſecurius, quàm cuſtodes ejuſmodi & ſimul vitæ teſtes habere, quibus me totum refundam, quaſi alteri mihi? Qui deviare non ſinant, præcipitem frænent, dormitantem excitent.* Et alio loco: *Non eſt contemnenda increpatio juſti, quæ ruina peccati & cordis ſanitas eſt.* Bernard. in Cantic. Serm. 57.

XXXV. 6. Vota maxime ſeria & deliberata contra peccata ſua nuncupent. Ut temerariis promiſſionibus abſtinendum, ita ſeriis & præmeditatis incumbendum. Neglecta nimis praxis hæc eſt, etiam apud vere fideles, in magnum pietatis diſpendium, & inſidiantis Satanæ oblectamentum. Quam firmiter equidem iſtiuſmodi propoſitis inſiſtamus, quæ ſolenni quaſi juramento obſignavimus, in ipſis rebus vulgaribus palam eſt. Expreſſum *votorum* nuncupandorum *præceptum* extat Pſ. 76. 12. *Exempla* eorum exhibent ſequentes loci. Pſ. 119. 106. Joſ. 24. 22. 22. Jer. 42. 5. Eſr. 7. 10. 2 Chron. 15. 12. 14. *Reddebat* (inquit Gerſon) *eos magis timidos & cautos contra peccatum per promiſſiones expreſſas, in manibus ſuis factas, de cavendo hoc vel illo peccato.* Neque puttandum, vota Gerſon. de Remed. cont Recidiv.

Digitized by Google

hæc ad ſolum V.T. pertinuiſſe. Verum enim id quidem eſt de *Ceremonialibus*, quæ Chriſtum, vel aliquid Chriſti, præfigurabant, ut *Nazireatus* &c. haud vero de *Moralibus*: hæc enim peræque locum habent in *Novo* ac in *Veteri* Teſtamento, quoniam pars cultus *Moralis* ſunt; loquor de iis, quibus ad res *præceptas* præſtandas & *vetitas* omittendas, nos obſtringimus. Imò addo, rerum etiam indifferentium vota, licet *abſolute* neceſſaria non ſint, *relative* tamen etiam in N.T. imperata eſſe, quatenus cultui morali ut adminicula fere inſerviunt, Deum glorificant, utque firmius virtutis hujus vel illius praxi, vel horum illorumve vitiorum fugæ adhæreſcamus, efficiunt. Neque ullo modo *παπίζειν* dicendi ſumus, cum *vota* hujuſmodi urgemus. Certant enim *Romanenſes* præcipue pro rerum (ut loquuntur) *conſultarum* votis, nam res *præceptas* ſub voto cadere inficias eunt; vel pro votis rerum illicitarum & impoſſibilium, ut *voluntariæ Mendicitatis*, *Cælibatus perpetui*, *Cæca obedientia*, &c. quæ omnia meritoria eſſe pertendunt. Quo ſenſu & fine nos a nuncupandis *votis* alieniſſimi ſumus. Inculcamus tantum (hoc ſaltem loco) rerum *præceptarum* vota, ut fugæ *Relapſuum*, ad quam, utcunque nullum noſtrum *votum* intercedat, peræque ex Lege Dei obſtricti ſumus.

Ameſ. de Conſ. lib. 4. cap. 16.

XXXVI. *Dicis:* ſed an *voto* me ad evitandos *relapſus* obſtringam, cum tam inconſtans ſim? *Reſp.* (1) Imò, & ideo quidem, quia tam inconſtans es. *Ne* (inquit Auguſtinus) *cum quis ſe minus idoneum putet ad reddendum, piger ſit ad vovendum.* Votum, ut bene diſtinguit Oliverius in Valer. Max. *duplicis* generis eſt, *conceptivum* & *nuncupativum*. Prius eſt, quod *animo* & mente tantum percipitur, ſed verbis non exprimitur; poſterius, quod *nominativâ voce* declaratur ac vovetur. *Priori* voti genere ad peccati omiſſionem ſemper obſtrictus manes, utut votum *nuncupativum* nunquam acceſſerit: quoniam pius eſſe non poteſt, qui mente & animo ad perpetuam peccati fugam ſe non obligavit. Pſ. 119. 106. (2) Mitto, quod *Baptiſmus, Cœna*, & quotquot unquam rite fudiſti *preces*, implicitum etiam *votum* ſemper habeant; quid ergo refert, ſi promiſſionem externam ei quandoque adjicias? (3) Ut inconſtantem te retineat, a nuncupandis procul dubio *votis* deterrere te ſtudet Satan; hoc ergo magis vovendum, ut conatus ejus in fumum abeant.

Oliver. in Valer. M. lib. 1. cap. 1. §. 8.

Hieronym. Torrenſ. Confeſſ. Auguſt. lib. 4. cap. 8.

XXXVII. Sed hoc vehementius ad *relabendum* impellor, quo me obſtinatius ad contrarium obligavi? *Reſp.* Neque id mirum. 1. Quia impurus Spiritus peccata tua atrociora fore optat, ſi con-

Digitized by Google

contra datam fidem committantur. 2. Quia ex peccatis, contra nuncupatum *votum* patratis, ampliorem ſibi materiam polliceri ſolet, quâ ad deſperationem, ob commiſſos *relapſus*, te adigat, ſaltem animum tuum vehementius torqueat & excruciet. 3. Et quidni iterum gravioribus inſultibus te forſan invadat vaferrimus Artifex, ut a repetendis *votis* te deterreat? Notandum ergo eſt ut ut tumultuetur magis Diabolus, poſt nuncupata *vota* tua quam antę, non plus tamen valiturum eum eſſe; eſt enim adinſtar Leonis, qui caveæ incluſus rugire quidem ſolet atrocius, nocere tamen poteſt minus. *Veſpæ* (inquit alicubi Epiphanius) *quo* *Epiphan.* *pungunt acrius, eo lædunt minus.* 4. Quinimo hoc quidem magis alla- *de Hæreſib.* borandum tibi eſt, ut quod voviſti, præſtes, quo divexando plus obnititur tibi Diabolus. Si enim uſquam, imprimis hoc loco pertinacia laudabilis eſt. In quâ ut immoti conſiſterent olim Veteres, ſuſcepta *vota* ſua ſcriptis ſubſignatiſque tabulis confirmabant; imo ipſas tabulas Deorum, quibus voverant, genibus cerâ nonnunquam affigebant. Juvenalis: *Juvenal.*

> *Ergo ſupervacua, aut perniciosa petuntur,* *Satyr. 10.*
> *Propter quæ fas eſt genua* incerare *Deorum.*

Et *Plinius* ad Trajanum: *Solennia vota pro incolumitate tuâ, quâ publica* *Plin. Ep.* *ſalus continetur, & ſuſcipimus, Domine, & ſolvimus; precati Deos, ut velint* *ad Trajan.* *ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari.* Refertur etiam inter Pythagoræ *Eraſm.* ſymbola ab aliquibus Καθῆσθαι προσκυνήσαντας, id eſt *Adoraturi* *Adag. pag.* *ſedeant*; quod notat, *vota* certa concipi oportere, & in iis, quæ bo- *m. 19.* na ſunt, *perſeverari.*

XXXVIII. At aggravantur ex *voto* relapſus mei, ſi contra illud eos committam? *Reſp.* 1. Quid tum? An non gravius etiam peccat, qui poſt auditum verbum, poſt acceptam Cœnam peccat, quam qui verbum Dei nunquam audivit, Cœnâ nunquam uſus eſt? ſed an ideo integrum ipſi eſt, auditione verbi Cœnæque uſu abſtinere? 2. Gravius peccat, qui *votum* non *vovit* & rem vovendam non præſtat, quam is, qui candide & prudenter vovit, & quod præſtiturum ſe promiſerat, invitus non præſtat. Ratio eſt, quia *prior* duplicis omiſſionis reus eſt, tum *voti* tum *rei præceptæ* omiſſæ, ad quam ex Dei lege tenebatur. *Poſterior* tantum ſimplicis officii, non executionis nempe rei promiſſæ, quam ſe ſerio tamen intendiſſe, ipſo *voto* teſtatum fecit. Appoſite ad difficultatem hanc Martyr: *Non inicimus* (inquit) *nobis* vovendo *novum laqueum, ſed potius novam incitationem ad illa reddenda, quæ antea debe-*

Dddd 2 *bamus,*

bamus, neque imminet hic nobis periculum ex natura rerum, *quæ pol-* Martyr. in Geneſ. 28 f. 118. *licemur, ſed ex* noſtro vitio. *At ejuſmodi res, quæ periculum adferre poſſunt noſtrâ culpâ, non ſemper ſunt evitandæ, alioqui non eſſet edendum non bibendum, & ſexcenta ejuſmodi evitanda, quæ noſtrâ intemperantiâ aut vitio nocere poſſent. Oportet enim ſemper attendere, utrum res a nobis inchoanda* per ſe *aut* per accidens *ſit periculoſa.*

XXXIX. 7. Adverſus ea imprimis peccata, quæ maxime adjacent, nunquam non *excubias* agant. Quod *quinque* abſolvitur partibus. (1.) Accuratâ peccatorum eorundem cognitione. Jer. 3. 13. Quem enim in foveam denuo prolabi non juvat, noſſe eam ante omnia oportet, Rite *Stobæus:*

Τό δὲ στρατηγεῖν τοῦτ᾽ ἐγὼ κρίνω καλῶς
Γνῶναι τὸν ἐχθρὸν, ᾗ μάλιστ᾽ ἁλώσιμος.
Ars imperantis prima noſſe *hoſtem ſuum,*
Et ſcire, quâ ſit parte conceſſus capi.

Stobæus c. 54 & 102 Et alibi.

Πρὸς τὴν νόσον τοι καὶ τὸν ἰατρὸν χρεὼν
Ἰδόντ᾽ ἀκεῖσθαι.
Mali neceſſe eſt noſcat ingenium, malo
Qui vult mederi.

Bernard. in Cantic. Serm. 55. 58 Cum vero quis *peccata* ſua, eorumque τὰ βάθη & μεθοδείας probe *cognoſcere* non poſſit niſi viarum ſuarum exploratione adhibita, utique & huic ſollicite ſæpe incumbendum eſſe, quis non videt? hoc magis, quod non Sanctis & piis tantum, ſed quibuſdam etiam e Gentilibus in deliciis fuerit; Quam enim non urget eam *Bernardus*, neque minus ſerio *Seneca Philoſophus*? Quam non commendatur ob eam *Sextius*, Paganus licet, minime Chriſtianus? Imò quis *Vir* vere *Bonus* Auſonio dictus, quam qui

Senec. de Irâ. lib. 3. cap. 36.

Auſon. εἰδύλλ. 16.

Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputaverit acta *diei.*
Quæ prætergreſſus? Quid geſtum in tempore? Quid non?
Cur iſti facto decus abſuit? Aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem
Cur aliquem fractâ perſenſi mente dolorem? &c.
Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoque a veſpere cuncta revolvens
Offenſus pravis, dat palmam & præmia rectis.

Quin *hanc ipſum in finem* (teſtatur Hoornbekius) *nonnullos legimus, qui libellos & Codicillos ſemper ſecum ferre ſoliti, in quibus delicta*

& peccata ſua annotarent. (2) Sedulâ omnium cauſarum occaſionumque, quibus naſci peccata illa ſolent, obſervatione. Recedivam in morbum vitare qui ſtudet, ad ipſum morbum non tantum attendit, ſed ad omnes etiam cibos potuſque inſalubres; qui morbi cauſa extiterunt. (3) Diligenti earundem cauſarum occaſionumque evitatione, utut adiaphoræ & in ſe forſan illicitæ non ſint, modo vel per ſe vel per accidens animam nonnunquam proſtraverint. *Quid miramur, nos identidem relabi* (inquit Drexelius) *in priſtinas noxas? occaſiones peccati eſcas non fugimus. Hinc illæ lachrymæ, irriti labores?* (4) Indeſinenti contra peccata illa; maxime inſidiantia oratione; præprimis tum, cum lapſus alicujus occaſio jam præſto, vel alio quoquam modo tentatio ad peccandum vehementior & impudentior eſt. Pſ. 138. 3.

Hoornb. de Theol. Pract. lib. 8. cap. 2. pag. 35.

Drexel. Chr. Mor. pag. m. 474.

XL. 8. Relapſus antea commiſſos in & contra ſe ipſos acerrime vindicent. 2 Cor. 7. 11. profundiſſime eapropter ſeſe humiliando; concupiſcentiam, quæ proxima eorum radix & fons fuit, indeſinenter oppugnando; qualibuſcunque cum peccatis illis induciis renunciando; praxique virtutum, directe iis oppoſitarum; ſollicite incumbendo. Contraria enim contrariis maxime retunduntur: vel (*ut* Theodoretus) *ſi vicere quis velit carnis affectiones, ſequatur Spiritus admonitiones,* Rom. 8. 13. & Gal. 5. 16. Et *quid* (ut notanter Auguſtinus) *aliud eſt homo pœnitens, niſi homo iratus ſibi?*

Iac. de Paradiſ. de arte curand. vit. cap. 6.

Theodor. in Gal. 5. v. 16.

Auguſt. de Verb. Domini.

XLI. 9. Angores animi, ob peccata ante commiſſa, crebrò recogitent vix enim lubebit tum *pœnitere tanti* iterum *emere*. Præcedentium dolorum memoriâ ipſi infantuli a contrectandis rurſus carbonibus deterrentur.

XLII. Denique *Affectuum* ſuorum rationem nunquam non habeant, eos *tum* Divini Verbi *tum* rationis illuminatæ imperio prudenter ſubiiciendo. Effrenes enim perturbationes illæ equi alias ſunt, qui, omni deſtituti retinaculo, currum facile præcipitant. Juxta illud Poetæ:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Expertus id ſuo damno eſt *Petrus*, qui dum *Timoris* affectui, quem ſibi ſubjeciſſe oportebat, ſemet ipſum nimium ſubiiceret, in triplicem Domini ſui abnegationem turpiſſime lapſus eſt. Pathetice Thomas a Kempis: *Fili* (inquit) *ad illud diligenter tendere debes, ut in omni loco & actione externâ ſis intimus liber, & tui ipſius potens; & ſint omnia ſub te, & tu non ſub eis, & ſis dominus actionum tuarum & rector, non ſervus & emptitius.*

Thom. a Kemp. de Imit. Chri. lib. 3. cap. 38.

Digitized by Google

EXERCITATIO IX.

DE

FELICE ET DRUSILLA.

BREVIARIUM.

Felicis *nomine plures Viri illuſtres inſigniti.* Felicis Urgellenſis *hæreſis notata.* Sylla *apud Romanos cur* Felix *dictus. Qui quando & quo mortis genere obierit, explicatur.* Felicis, *de quo Lucas, prænomen, ortus, Frater, dignitas.* Ἡγεμὼν, *Procurator, Princeps, Præſes olim quis? Quamdiu munere hoc functus ſit Felix?* Baronii *lapſus.* Bullingerus *ad partes vocatus. Res a* Felice *præclare geſtæ.* Vitia *ejuſdem & flagitia. Idem cum* Herode Aſcolonitâ *comparatus.* Cujus *cædes multifariæ & deteſtandæ indicantur. Item cur & quomodo* ἀλλόφυλος *dictus ſit,* Regemque *eum nominare Iudæi recuſaverint?* Scipionis Gentilis *hallucinatio.* Κράτιστος *quid? Quo ſenſu* Felix *ſic nominatus?* Galliarum Rex *quomodo a Calvino* Chriſtianiſſimus *ſalutatus? Quivis apud Romanos Magiſtratum gerens* Optimus *dictus.* Viri Boni *apud Veteres imago.* Meſſalina *Claudii Imperatoris uxor. Ejus luxuria, apud Imperatorem authoritas, ſupplicium.* Sextus Aurelius *laudatus.* Trium Reginarum *maritus* Felix. *Quod quo ſenſu capiendum ſit, exponitur.* Grotius & Caſaubonus *ad partes vocati. Duaſne habuerit Druſillas* Felix, *an unam tantum?* Poſterior *opinio recepta, & adſtructa. Plures* Druſillæ *apud Autores.* Druſillæ *Liviæ &* Druſillæ *Auguſti nepti divini honores a Romanis decreti Quæ qualiſve Noſtra* Druſilla *hæc fuerit? Ejus* Pater, Maritus prior, Soro-

Digitized by Google

ſorores. *Quomodo ad nuptias cum* Felice *ineundas pellecta? Præſidem in Provincia uxorem e* Provincialibus *ducere, cur apud Romanos illicitum?* Druſillæ *laſcivia, pulchritudo, levitas.* Uxorne *Felicis hæc fuerit, an* concubina? *De voce γυνὴ varia. Generaliter* mulierem *ſæpe ſignificat, non præciſe uxorem vel virginem.* Virgo *&* *&* mulier *quomodo apud Autores diſtinctæ?* Torrentius *notatus. Scriptura an unquam juxta vulgi opinionem loqui dicenda? Diſtinctio inter veritatem Scripturæ* relativam *&* abſolutam *exploſa.* Viri *cujusdam* Docti *periculoſe dictum.* Cornelius Agrippa *notatus. Inter* falſum dicere & verum improprie *dicere qualis differentia? Locus Geneſ.* 1. 16. *vindicatus.* Luna *quo ſenſu* luminare magnum *dicta?* Objectio *ſoluta.* בְּארת *quid?* Burmannus *pulſatus. Locus 2 Chronic. 28. 23. illuſtratus* Wittichius *notatus.*

I.

MEntio *Felicis* & *Druſillæ* fit Act. 24 verſ. 34. ubi ſic *Lucas*: Μετὰ δὲ ἡμέρας τινὰς παραγενόμενος ὁ Φῆλιξ σὺν Δρυσίλλῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ: *Poſt aliquos autem Dies venit* Felix cum *Druſilla*, uxore ſuâ.

II. Inter illuſtres *Chriſtianos* varii fuerunt *Felicis* nomine inſigniti. Eorum *quinque* exhibet e Pontificum Romanorum ordine *Platina*: *Felicem* I. Romanum origine, qui Anno 275. martyr obiit, ſucceſſore relicto Eutychiano. *Felicem* II. etiam martyrem, quem Damaſus excepit. *Felicem* III. qui A. 483. Simplicii ſucceſſor fuit, exceptuſque eſt a Gelaſio. *Felicem* IV. qui Ao. 530. diem clauſit, & Bonifacium II. ſucceſſorem habuit. *Felicem* denique V. qui uxoratus fuit, ceſſitque Nicolao V. Mitto *Felicem Valeſium* Eremitam, *Felicem* Epiſcopum *Urgellenſem*, hæreticum, qui Chriſtum non niſi adoptione Dei Filium eſſe aſſeruit, ob idque condemnatus eſt in Concilo *Francofurtenſi* Ao. 794. Confutatum eum dedit *Paulinus* Epiſcopus Aquileienſis, cujus *libellus* extat in *Bibliothecâ P. P.* Tom. 5. p. m 434. *Felicem Nolandum*, *Felicem Petantium*, *Felicem Platerum*, pluresque ejusdem nominis alios, Viros eruditione & ſcrip-

Platin. de Vitis Pontif.

Bellarm. Chronol. p. 75.

Digitized by Google

tis ſuis celebres. Inter *Gentes* perpauci notione hac conſpicui ſunt. Meminit *Felicis*, Urbis *Alexandriæ* Præſidis, Juſtinus; *duos* eâ Conſules notatos habuit Roma; unum cum *Tauro* Ao. U. C. 1181. Alterum cum *Secundino* Ao. U. C. 1265. Præter *Syllam* Dictatorem, qui autoritate magniſque ſucceſſibus inflatus, *Felicis* non tam nomen geſſit, quam *cognomen* ſuperbè ſibi vindicavit, tandem tamen non niſi infeliciſſime *Felix*. Periit enim (*Plutarcho* teſte) Ao. Urb. C. 676. ætat. 60. pediculari apoſtemate, de cujus putrilagine coacervati ſcaturiebant pediculi, corpus perreptantes & exedentes, quos cum miniſtri de corpore ejus diu noctuque avellerent, ſuccreſcentium tamen copia interemtorum turbam longe ſuperabat; & nec veſtium mutatio, thermæ, aut alia lavacra quicquam proderant, pædoris magnitudine omnia corporis purgamenta multum ſuperante. Quare non immerito in illum Quintus Serenus:

Juſtin. Apol. 2. — *Plin. lib. 7. cap. 43.* — *Plutarch. in Vit. Syllæ.* — *Seren.*

Sylla *quoque* Infelix *tali languore pereſus*
Corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci.

III. Noſtri *Felicis* prænomen fuit *Antonius*, teſte Tacito: *Antonius Felix per omnem ſævitiam ac libidinem jus regium ſervili ingenio exercuit.* Nihil minus, quam, ut nonnulli voluerunt, ex *Arabiæ* Regibus oriundus fuit, tametſi plebi credulæ perſuadere id paſſim ſategerint adulatores ejus, quibus circumcinctus nunquam non erat. E contra originem duxit e vili & contemptiſſimâ familiâ, imo ſervili, peræquè ac frater ejus *Pallas*, qui libertate donatus, nihil non apud Cæſarem valuit, faciliqùe proinde negotio effecit, ut ad Judææ gubernationem, aliaſque dignitates, utut indignus, promotus fuerit: multorum invidiæ, nec pauciorum odio, ob cauſas mox memorandas expoſitus.

Tacit. Ann. lib. 12 & Hiſtor. 5 — *Ioſeph. Antiqq. lib. 20. cap. 5.* — *Sueton. in Claudio. §. 28.*

IV. Conſtituit eum *Claudius* ἡγεμόνα Judææ, quod plerique per *Præſidem* vertunt. Eraſmus *Principem* interpretatur. Alii *Procuratorem*. Sed eſt nomen generale, quo omnes provinciam regentes denotabantur. Munere hoc functus eſt, non per *biennium*, ut craſſe hallucinatur *Baronius*, ex verſu hujus cap. 27. ubi inquit Lucas: *Bienniovero expleto accepit ſucceſſorem Felix Portium Feſtum.* Biennium enim illud referendum eſt ad tempus, quo Paulus in cuſtodiâ remanſit ſub *Felice*, non quo Judææ gubernatorem *Felix* egit. Nam *Claudius* ante quinquennium modo *Felicem* Judææ ἐπίτροπον fecerat; neque ulla videtur eſſe ratio, ob quam *Lucas* tempus adminiſtrationis *Felicis* definire maluerit ab imperio *Nero-*

Grot. in Matth. 27. 2

Neronis, qui eum gubernatione illâ privavit, quam a *Claudio*, qui eum autoritate illâ donaverat. Verba hæc fere ſunt *Edwardi Simſoni*, quocum & *Merula* facit; licet in alia ire videantur *Funccius* & *Bucholcerus*, ad Ann. Chriſti LIV. Ad rem Bullingerus: *Beda* (inquit) Biennium *intelligit ab initio captivitatis Pauli ſupputatum, non autem ad tempus præfecturæ præſcriptum. Cui & illud accedit, quod paulo ante Paulus confeſſus eſt*, Felicem *multis annis genti huic judicem fuiſſe. Euſebius in Chronicis author eſt, Claudium Imperatorem in Judæam miſiſſe* Felicem, *anno Regni ſui undecimo. Idem teſtatur*, Felicem. 11. *Neronis anno revocatum, ſucceſſorem accepiſſe Feſtum. Omnes ergo anni* Felicis, *quibus Judææ præfuit, colliguntur plus minus ſex. Porro Joſephus multo plures annos computavit. Nam in* 19, *Libro, Cap.* 9. *palam meminit decem annorum. Magis ergo placet Bedæ ſententia, qui Hiſtorias citans*, Felicem *ait eo tempore Hieroſolymam eſſe miſſum, quo Agrippa, Herodis Agrippæ, quem Angelus Cæſareæ percuſſit, Filius regno ſuo inauguratus. Id autem factum meminit Euſebius quarto Claudii anno, unde nunc plus minus duodecim anni Præfecturæ* Felicis *colliguntur*.

Simſon. Chronol. part. 7. *Merul. Th. Temp. pag.* 114. *Bulling. in Act. lib.* 5. *p.* 198.

V. Præſtitit quædam hic *Præſes* laude non indigna; occidit enim multos prædones, homicidas, & præſtigiatores, eorumque Principem & Anteſignanum devicit, *Eleazarumque* captivum Romam miſit. Adhæc ſenſum qualemcunque naturalis conſcientiæ, doctrinâ Pauli excitatum, habuit & oſtendit. Act. 24. 25. Aſt cætera homo fuit putidiſſimis flagitiis immerſus; quibus eò impudentius ſe dabat, quod authoritate fratris *Pallantis* apud Imperatorem *Claudium* niteretur. Judææ (inquit Tacitus) *impoſitus, & cuncta malefacta ſibi impune ratus tantâ potentiâ ſubnixo.* Vir fuit iniquiſſimâ ſanguinolentiâ maculatus, *Jonathanem* enim Pontificem M. eo quod animoſe increpare ipſum non detrectaſſet, necari impiè curavit. Etiam φιλάργυρος fuit, & exinde in δωροφαγίαν propenſiſſimus. Vid. Act. 24. 26. necnon ἀνθρωπάρεσκος, Ibid. verſ. 27. Denique inſenſiſſimus cæleſtis veritatis hoſtis; Ethnicus enim cum eſſet, doctrinam Chriſtianiſmi pietatemque veram neque quæſivit, neque amavit. Quinimo propter inſignia ejus ſcelera Judæorum primores *Romam* tandem

Joſeph. lib. cit. cap. 6. *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 20.

Tacit. loc. cit. & cap. 14.

profecti ſunt, coram Imperatore ipſum accuſaturi; a quo etiam procul dubio, propter illatas Genti Judaicæ injurias, pro merito punitus fuiſſet, niſi *Nero* Pallantis fratris, qui in pretio apud Principem tum erat, precibus eum donaſſet.

VI. Geminus, ſi quiſquam, *Felici* fuit *Herodes Aſcalonita*, præſertim ſi proſapiam & mores utriuſque conſideres. Erat enim hic, ſimiliter ac *Noſter*, originis plane *plebejæ* & humilis: juxta Joſephum, *οἰκίας δημοτικῆς, καὶ γένους ἰδιωτικοῦ καὶ ὑπακούοντος τοῖς βασιλεῦσι.* Adhæc *crudele* non minus ingenium, *τυραννίδος γλιχόμενον* (ait idem Joſephus) *Herodes* habuit, quam *Felix*: Quos enim belluinus ille Tyrannus non interfecit? Miſellulos *Bethlehemi* infantulos, *Alexandram* ſocrum, *Mariamnem* uxorem, eamque quidem formoſiſſimam & antea dilectiſſimam, *Ariſtobulum*, conjugis ſuæ fratrem, Sacerdotem ſummum, *Joſephum* Patruum, *Sohemum* familiarem, *Hyrcanum* ſenem octogenarium, proprios e *Mariamne* filios, *Alexandrum* & *Ariſtobulum*. Manus ſuas truculentas (inquit Euſebius) fœdavit ſanguine *γυναικὸς καὶ τέκνων, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν μάλιστα πρὸς γένους ἀναγκαιοτάτων καὶ φιλτάτων.* *Uxoris ſuæ & liberorum, & reliquorum, quibuſcum maxima ei interceſſit neceſſitudo, propter generis propinquitatem & amoris conjunctionem.* Imo vero, ut ſibi defuncto publico velut parentaretur luctu, e totâ Judæâ nobilitatis florem adduci ad ſe *Jerichuntem*, ubi decumbebat, juſſit, obſecratus Sororem *Salomen* ejuſque Maritum *Aretam*, ut eum, Hippodromo concluſum, ſimulac mortuus eſſet, plane interficeret; licet *Salome* conſilium illud ſecuta non ſit. Quamobrem neque adeo mirum eſt, quod *Felix* noſter, homo *Gentilis*, Judæos tam infeſtos ſibi expertus ſit, cum ne in ipſum quidem *Herodem*, quoad progeniem quidem ſuperiorem alienigenam, in religionem tamen, familiam, ac nomen Judaicum adſcitum, imo ex Patre judaiſmum profeſſo *Judæum* natum, æquiores fuerint: Tam enim impatienter, *tum* ob *δυσγένειαν tum* ob ingenium ejus violentum & audax, imperium ejus ferebant, ut neque minis neque tormentis adigi potuerint, ut *Regis* ipſum nomine dignarentur.

Joſeph. lib. 17. cap. 10. & 14. cap. 17.

Simſon. Chron. Catholi. part. 7. pag. 1. 2.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 8.

Hoornb. Diſp. de Herode. §. 6.

VII. Sed dubium oritur, neceſſario expediendum: nimirum ſi homo tam improbus fuerit *Felix*, quomodo eum *κράτιστον* verſu hujus capitis 30, id eſt, *optimum* dixerit Lucas? *Reſp.* 1. Mirari hic ſatis non poſſum *Scipionis Gentilis* errorem nimis palpabilem, qui allocutionem hanc, quâ *κράτιστος* vocatur *Felix*, Paulo Apoſtolo-

Walæus in Libb. Hiſt. N.T. pag. 1164.

ad-

adſcribit, hiſce verbis: *Dum* Felicem *Præſidem hominem ſceleratum* κράτιστον,*hoc eſt, optimum* Paulus *appellas.* Cum nihil minus, quam *Pauli* verba hæc ſint, ſed *Tertulli* oratoris, qui paraſitari eo elogio *Præſidi* voluit, ut benevolentiam ejus aucuparetur. Mulus itaque mulum ſcabebat; quapropter neque commendare multum poterat *Felicem* ſceleratum elogium hominis itidem ſceleratiſſimi, qualis *Tertullus* hic erat. *Tertulli* autem hæc verba eſſe, non *Pauli*, etiam puero, textum inſpicienti, palam eſſe poteſt. 2. Ut neque neceſſum eſt, κράτιστον ſemper *optimum* interpretari. *Vatablus*, *Zegerus* &c. vertunt per *præſtantiſſimum*, ita etiam *Bullingerus* & *Calvinus.* Alii per *potentiſſimum*; unde *Eraſmus:* Optimè Felix] Græce non eſt βέλτιστε *ſed* κράτιστε, *quod, ut dixi, optime ſonat* Potentiſſime, *a* κράτος, *quod* robur & potentiam *ſignificat.* Unde & κρατέω *imperium obtineo, impero.* Reſpicit ergo *Tertullus*, ſic loquens, Felicis non tam *animi* mores, quam imperandi *potentiam*, ejuſq; authoritatem *politicam*, non *moralem.* Sunt 3. Nomina quædam vel *tituli Ordinis* hominum, tum politicorum, tum Eccleſiaſticorum, quibus quid de rei veritate aut perſonarum qualitate ſit, ſæpe non definitur, ſed cavetur tantum, ne, affando & compellando eas, humanitatis & reverentiæ legibus vis inferatur. Vel (ut ſcite nonnemo) non tam innuunt denominationes illæ, quid perſonæ, quibus tribuuntur, ſint, quam quid eſſe debeant, ut Epiſtolarum inſcriptiones. Ipſe *Calvinus* Galliarum Regem Franciſcum *Chriſtianiſſimum* indigitavit, Idololatram tamen & vero Dei cultui tum corde tum opere infeſtum. Ne dicam. 4. Romanos omnes imperii candidatos *Bonos*, magiſtratum vero jam actu gerentes *Optimos* vocitaſſe. Trajano Plinius: *Juſtiſne de cauſis S. P. Q. R.* Optimi *tibi cognomen adjecit? Paratum id quidem, & in medio poſitum, novum tamen ſcias neminem adhuc meruiſſe.* Addit Alexander, quod cum Trajanus contra Parthos victor eſſet, multique ei decernerentur honores, *reliquis poſthabitis* Optimi *agnominatione gaviſus* tantum ſit. Morem hunc procul dubio imitatus eſt adulator *Tertullus*, quem fugere alias vix poterat, *Felicem* inter viros vere ingenuos, nedum *optimos*, cenſendum minimè eſſe. *Libertus* quippe *Claudii* erat, ſeu *Meſſalinæ* potius, penes quam ſumma rerum adminiſtratio tum ſtabat. Erat hæc monſtrum illud luxuriæ, de quo *Juvenalis*:

Eraſm. in Act. 24. 3.

Calvin. in Epiſt. Dedic. ad Inſtitut.

Plin. in Panegyr.

Alex. ab. Alex. lib. 2. cap. 11.

Juvenal. Saty. 6.

Claudius, audi,
Quæ tulerit, dormire Virum cum ſenſerat uxor,

Digitized by Google

Auſa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,
Linquebat, comite ancillâ non amplius unâ.
Et nigrum Flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque ſuam, tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ
Oſtenditque tuum.

Taceo reliqua verecundiæ ergo. Concludit tandem,

Sueton. Claud. cap. 26. 28.

Et laſſata viris nondum ſatiata receſſit.

Hanc uxorem habuit Imperator, &, infandas licet quotidie a tanto proſtibulo injurias ferens, ejus tamen (verba ſunt *Suetonii*) non *Principem ſe ſed miniſtrum egit*, id eſt, ad nutum meretricis quævis diſpoſuit. Atque hac procul dubio procurante (forſan quod prodigioſæ ejus libidini etiam inſerviiſſet) *Felix* libertate donatus fuit. Poſtmodum tamen Cæſar, cum comperiſſet, ſuper cætera flagitia, C. Filio eam nupſiſſe, dote inter Auſpices conſignatâ, ſupplicio eam affecit. Quo vero loco vel genio Imperatoris *liberti* tunc temporis fuerint, collige ex hiſce *Sexti Aurelii* verbis: *Liberti* (inquit) *ejus* (Claudii nempe) *poteſtatem ſummam adepti, ſtupris, exilio, cæde, proſcriptionibus omnia fœdabant.* Adeoque hic *Felix* non tantum vere *optimus* non fuit, ſed ne quidem viris *Bonis* accenſendus, quorum hæc quippe apud Veteres imago erat: *Quod ubique ſancti, ubique caſti, honeſti cultores, pii & integri eſſent; quorum ne erratum quidem minimum erat, ne dicam vitium; qui nullo malo perterriti, nullâ calamitate victi, fortunæ cedebant, nihil expetebant, nihil dicebant, nihil faciebant in vitâ, niſi ſummâ cum laude & dignitate; in nullâ re delinquebant, nullius pœnitebant, ſervabantque fœdera humani generis ita inviolata in magnis minimiſque rebus, ut ne ullâ quidem conſcientiæ labe detinerentur.*

Sext. Aurel. Vict. in Vitâ Claudii.

Alexand ab Alexand lib. 6. cap. 1.

VIII. Attamen *trium Reginarum* maritus, utut ſcurra, fuit, teſte *Suetonio*: Licet incertum ſit, an omnes eas *ſimul* poſſederit, an ſingulas *ſeorſim* & *ſucceſſive*. Torrentius putat, ipſum ut meretricibus uſum iis eſſe: *Quod vero* (inquit) *trium Reginarum maritum vocat Suetonius, id ad* ſtupra *referendum puto.* Quibus verbis innuere videtur, eum *junctim* eas habuiſſe, non quidem ut uxores, ſed ut pellices, quarum tum hac tum illa pro lubitu uteretur.

Sueton. in Claudio. Torrent. in Sueton. pag. 265.

Sed

Sed contrarium tenet Illuſtris Grotius: *Et hic tamen homo ſervili & ortu & ingenio, non cohortibus tantum, aliisque & Provinciæ Judææ præpoſitus eſt, ſed & trium* Reginarum *maritus.... Quod intellige, non* eodem tempore, *ſicut quidam male interpretantur illud μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα apud Paulum, ſed alia mortuâ, aliam.* Reginæ vero uxores illæ vocabantur, non quod Regia corona & dignitate ipſæ gauderent, ſed quod Regum eſſent neptes vel filiæ. Bene Caſaubonus: Trium *Reginarum maritum*] *Ad amores vagos Felicis Eruditi referunt: Ita ſimile fuit illi de Julio Cæſare,* omnium mulierum *virum fuiſſe. At* maritum *heic Suetonius ait, non* virum. *Hoc igitur ſine dubio ſignificare voluit, nullo huic Veneris tres diverſis* temporibus *nupſiſſe* Regio ſanguine prognatas *mulieres.* *Grot. in Act. 23.* *Græv. in Sueton. pag. 502.* *Caſaub. in Sueton. Claud. c. 28*

IX. Harum uxorum una, ac noviſſima quidem fuit *Druſilla.* Sed quæritur iterum, An *unam* hujus nominis tantum habuerit, an *duas*? Non conſonant hic Scriptores, licet *poſterius* probabilius videatur. Expreſſim enim *Tacitus* teſtatur, *Felicem* Druſillam *Cleopatræ & M. Antonii neptem in matrimonium accepiſſe.* Aſt ea *Druſilla* cum *hac*, de qua *Lucas* hoc loco, eadem eſſe non potuit: *Hæc* enim. 1. Judæa fuit, ut vocatur Act. 24. 24. *illa* Ethnica, ex Patre & matre gentilibus oriunda. 2. Ea, quæ Cleopatræ & Antonii neptis fuit, Agrippæ ſoror eſſe non potuit, ut *hæc* tamen fuit, de qua *Lucas* mentionem facit; ſed fuit *Jubæ* Regis & *Cleopatræ Junioris* Filia; nam ex Cleopatra, Ægypti Regina, Antonius Trium-vir filiam ſuſcepit *Cleopatram*, quæ & *Selene* dicta eſt; hanc Auguſtus *Jubæ* Regi ſecundo matrimonio junxit, teſtibus *Dione* & *Plutarcho.* *Tacit. Hiſt. lib. 5.* *Hofmann. Lexicon. Univ. p. 1. pag. 639.*

X. *Druſilla* vero, quæ hic occurrit, *Herodis Agrippæ* Majoris filia fuit, ejuſdem *Herodis*, qui Jacobum gladio necavit, quemque Angelus Dei inopina morte percuſſit. Act. 12 Diſtinguenda igitur etiam eſt a *Druſilla* Germanici ex Agrippina Filia, *Auguſti* nepte, *L. Caſſio* primum, dein *M. Lepido* nupta; ut & a *Livia*, Auguſti uxore, quæ & *Druſilla* dicta fuit. Fueruntque ambæ hæ fæminæ adeo apud Romanos illuſtres, ut divini ipſis honores decreti fuerint. De *Druſilla Livia* ſic Prudentius: *Tacit. Annal. l. 5.*

Adjecêre ſacrum fieret quo Livia Juno,
Non minus infamis thalami ſortita cubile,
Quam cum fraterno caluit Saturnia lecto. *Prudent. Libr. 1. contr. Symmach.*

Dio lib. De Druſillâ, Auguſti nepte, *Caligulæ* ſorore, teſtatur *Livius Geminius* apud *Dionem*, ſe eam vidiſſe in cœlum aſcendentem, ac cum
59. & 60. Diis converſantem; perniciemque ſibi liberiſque imprecabatur, ſi falleret: quam in fidem Deos, & in his ipſam *Druſillam* in teſtes vocavit. Voluit etiam *Cajus*, ut mulieres per hanc jurarent, quotieſcunque jurejurando aliquid firmarent: quod idem per nomen *Liviæ* fieri *Claudius* decrevit. Deſponſa fuit antea hæc noſtra *Epiphani* Regis *Antigoni* Filio; verum cum adoleſcens Judaicos ritus, imprimis *Circumciſionem*, admittere renueret, licet antea contrarium promiſerat, Frater ejus *Minor Agrippa*, de quo *Actor. Capp.* 25. 26. poſt mortem Parentis, *Azizo*, Emiſſenorum Regi, eam elocavit. E cujus contubernio Præſes *Felix* blanditiis ſuis eam abduxit. Hic enim ſingulari ejus pulchritudine captus, *Simonem* quendam Judæum, genere *Cyprium*, ſubornavit, qui lenociniis ſuis ad novas nuptias cum *Felice*, homine ethnico, incundas eam pellexit. *Sorores* habuit duas, *Berenicen*, quæ continua fere Regis *Agrippæ*, Fratris ſui, ſocia fuit, quocum etiam, ut nonnulli volunt, familiarius juſto verſabatur; & *Mariamnem*, Archelai Helciæ uxorem.
Ioſeph. loc. Cit. *Filium* reliquit unicum, *Agrippam*, qui, una cum uxore, in *Veſuvii* montis exuſtione periit. Iniit vero *Felix* hoc cum Druſillâ matrimonium invitis Romanorum legibus; hæ enim vetabant, ne *Præſes* in provinciâ, quam adminiſtrabat, vel ſibi vel ſuis uxores acciperet ex *provincialibus*; qualis tamen *Druſilla* hæc fuit; erat enim Judæa & Felix *Judææ* præſes. Rationes hujus decreti has habebant *Romani*: Non latebat eos, poſſe facile fieri, ut Prætor, Proconſul, aut Præſes in Provincia, fretus familiis & cognatis uxoris a ſe ductæ, res quaſdam novas moliretur, & a Rep. tandem alienaretur. Periculum quoque præſagiebant, ne parum quidem æquus & ſeverus in jure dicundo eſſet, ut qui ſuis magis affinibus, quam aliis ſtuderet gratificari.

XI. Formæ venuſtate celebratiſſima fuit hæc mulier; eâ enim & *Felicem* illaqueavit, & ſororis *Berenices* invidiæ ſe objecit. Laſciva fuit & luxurioſa, quod adeundis, & tam facile commutandis nuptiis, abunde manifeſtavit, ne quid de impudentiſſimo ejus adulterio addam. Animo fuit levis & vertumnoſa, quod in ſacratiſſimo Religionis negotio turpiſſimè teſtatum fecit. Primum enim *Epiphani*, quippe præputiato, nubere recuſavit, dein viro Judææ Gentis *Azizo* ſe junxit, poſtea iterum maritum ejuſdem cultus conſortem deſeruit, &, calcatâ patriâ religione, viro Gentili ſe ſociavit.

XII. At

XII. At quomodo Lucas *Druſillam* Felicis *uxorem* vocat, cum ejus *concubina* tantum fuerit; *Reſpond.* Vocabulum γυνὴ in originali non præciſe notat γαμετὴν, quam vocem nos per uxorem ſive *mulierem, legitime viro junctam*, ordinario interpretamur, ſed ſæpe in genere tantum *mulierem*, ſive nuptam ſive innuptam. Ita Servator Matt. 5. 28. *Si quis adſpiciat* mulierem *ut concupiſcat eam*: occurrit ibi vox γυνὴ, quâ hic utitur *Lucas*; ſed quis dixerit, nullam per eam fœminam intelligi poſſe, quam nuptam vel maritatam? Imo indubie aliquando vox illa *Virginem*, viro intactam, ſonat. Sic Chriſtus *dicitur natus ex* muliere, ἐκ γυναικὸς Gal. 4. 4. At quis neget inde, eum e *virgine* natum fuiſſe; Æquipollet vocabulum hoc voci Hebreæ אִשָּׁה, quæ tam *virgini* quam *maritatæ fœminæ* applicatur; Deus *Evam* vocavit אִשָּׁה, antequam ad Adamum adducta eſſet, Gen. 2. 22. Cl. *Gathakeri* obſervatio eſt: *Sicut* κόρη *Græcis* puella *Latinis nunc ætatis nunc integritatis, ita* γυνὴ *illis* mulier *iſtis, nunc ſexus, nunc ætatis, nunc conditionis ſive honeſtæ ſive inhoneſtæ etiam nomen eſt.* Apud Homerum etiam *Briſeis* γυνὴ poſtea dicta fuit, quæ antea κόρη *puella* nuncupabatur.

Iſidor. Peluſ. Lib. 3 Epiſt. 86.

Gathak. c. Pſochen. pag. 135.

Homer. Iliad. α. verſ. 336. 348.

> Ὅς σφῶϊ πρόϊει Βρισηΐδος εἵνεκα κούρης
> Ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν
> *Qui vos præmiſit* Briſeidis *gratia* puellæ,
> *Ipſa autem invita cum ipſis ſimul* mulier *ibat.*

Conſentit tandem *Hieronymus*, dum dicit. *Non erat neceſſe ſemper quaſi caute & timide* virginem *dicere, cum* mulier *ſexum magis ſignificet, quam copulam viri. Et ſecundum intelligentiam Græcitatis* γυνὴ *tam* uxor *quam* mulier *valeat interpretari.* Conſpectius forte diſcrimen ſe prodit inter *virginis* & *mulieris* latinas voces: ita *Cicero* objurgantibus, quod ſexagenarius puellam *virginem* duxiſſet: *Cras*, reſpondit, *mulier erit.* Pariter *Lactantius* de Junone: *Si adolevit, ſi* virgo *fuit primò, poſtea* mulier; *hominem fuiſſe qui non intelligit, pecudem ſe fatetur.* Agnoſcunt id etiam Juris-conſulti: ſic Ulpianus: *Quod ſi ego me* Virginem *emere putarem, cum eſſet jam* mulier, *emptio valebit.* Licet neque hic idem omnium calculus ſit; *Tertullianus* enim, Tractatu de *Velandis Virginibus*, multis contendit, *proprietatem vocis* mulieris *ad ſexum ipſum non ad* gradum *ſexus pertinere, quo communiter etiam* Virgines *cenſeantur.* Et diſerte Servius ad *Æneid. XI. Apud majores indiſcretè* Virgo *dicebatur &* mulier, *utrumque enim ſexum* tan-

Hieron. in Gal. 4.

Quintil. Inſtitut. lib. 6. cap. 4.

Lactant. Inſtit. lib. 3. cap. 17.

Ulpian. ad Sabin. lib 28. D D. l. 10. tit. 1. leg. 11.

Tertull. de Veland. Virg. cap 5.

Serv. in Æn. XI.

Digitized by Google

tantum deſignabat. Præterea ſupponitur hic quod non probatur, ſcil. *Druſillam* Præſidis *concubinam* tantum fuiſſe; nam unde id conſtat? Quod enim ex *Torrentio* ſupra attulimus, *tum* conjectura ipſius ſingularis, vel forſan etiam paucorum aliorum, tantum eſt, *tum* hàc nititur hypotheſi, quod *tres* ſuas Reginas *ſimul* poſſederit *Felix*, quod æque incertum, imo ne probabile quidem eſt; quis enim credat, non tria e fæce populi proſtibula, ſed tres filias vel neptes ſaltem regias unius *Felicis* libidini ſimul ſerviiſſe? imo quis non credat potius, id ipſum apud moratiorem Gentem, qualis *Romana* erat, pro horrendo flagitio habitum fuiſſe? Quod alii putent, *Druſillam* Felicis *uxorem* dici, non quod fuerit ea revera, ſed a vulgo habita pro ea ſit; adeoque loqui *Lucam* citato loco, non juxta rei veritatem, ſed *vulgi erroneam opinionem*, ut haud raro fieri in Sacris Scripturis exiſtimant, ſupervacaneum plane eſt; quoniam, prout ex dictis liquet, alio modo difficultas hæc facilius & tutius expediri poteſt. Axioma enim hoc, temere nimis a quibuſdam adoptatum (*Scripturam ſæpe loqui juxta erroneam vulgi opinionem, & non ex rei veritate*) quod attinet (neque enim abs re erit, ſi paucis ad incudem id revocem, quia occaſio ſe hic prodit, gliſcitque impræſens hæc controverſia) lubens fateor, me in id conſentire non poſſe; præprimis ſi hæc ei, ut a nonnullis fit, inædificetur diſtinctio, quod S. Scripturæ veritas alia ſit *abſoluta*, alia *relativa*, multaque in eâ enarrentur, *relative*, id eſt, reſpectu vulgaris judicii quidem vera, ut E.G. *Solem moveri, Terram non moveri*, &c. in ſe vero & *abſolute* non vera, ſed falſa; atque adeo *complexa quædam falſa* in Verbo Dei exerte contineri. Hiſce enim verbis ad hæc *Cornelii Agrippæ* juſto propius accedi mihi videtur, dum dixit: *Atque vero hi omnes* (Prophetæ Veteris & Apoſtoli Euangeliſtæque N. Teſtam.) *licet Spiritu S. repleti fuerint, omnes tamen alicubi defecerunt, & ſecundum quid fuerunt* mendaces, *non quod ſcienter, quod actu aliquid mentiti ſint, hoc enim dicere pernicioſiſſimum. &c. Sed eos* mendaces *fuiſſe intelligi volo, non ſponte errantes, ſed aut humanitus lapſos, aut mutatâ Dei ſententiâ deficientes. Sic defecit Moyſes, qui pollicitus erat populo Iſrael, ut educeret eum de Ægypto & introduceret eum in Terram promiſſam, & eduxit quidem de Ægypto, ſed ad Terram promiſſam non perduxit. &c.* Et aliquanto poſt: *Defecit Matthæus, quando ſcripſit, Christum nondum mortuum, dum lance latus ejus aperuit. Verum iſtic defectus non eſt defectus. Sp. S. ſed aut defectus*

Agripp. de Vanit. Scient. capit. 99. m.

defectus Prophetæ non bene percipientis, quid ſuggerat Spiritus vel indicet viſio, aut ex aliquâ mutatione facta in iis, de quibus vaticinabatur; unde contingit Oraculi ſententiam aut mutari aut differri. Hinc contingit, omnes Prophetas & Scriptores in aliquibus videri mendaces, *juxta Scripturam dicentem*: *Omnis homo mendax*. At quam certe profana hæc ſunt, quamque aliena a B. *Auguſtini* in Sacros Scriptores pietate, qui ſic de iis olim ad Hieronymum: *Solis Scripturarum libris didicimus hunc timorem honoremque deferre, ut* nullum *eorum ſcribendo* aliquid erraſſe *firmiſſime credamus.* Ego quidem, ut dixi, nequaquam amplector, e contra vehementer improbo, iſtiuſmodi Scripturas interpretandi vel potius conſpurcandi rationem & methodum. Reſpectus enim non mutat naturam, quodque verum eſt *Theologice* verum etiam eſt *philoſophice*; utcunque eadem illa veritas aliquando *clarius*, aliquando *obſcurius*, quandoque magis *proprie* quandoque magis *improprie* efferri & proponi contingat. Ita Scriptura Deo *manus*, *pedes*, *oculos*, &c. adſcribit, neque tamen quoad rem, neque quoad vulgi opinionem verum eſt, Deum *manus*, *pedes*, *oculoſque* habere, ſed utrobique id falſum eſt; verum autem eſt, & nullo reſpectu falſum, Deum eſſe *potentem*, *omniſcientem* &c. ſed perfectiones illæ Dei locutione aliquando *propriâ*, aliquando catachreſticâ & *impropria*, ſub notionibus *manuum*, oculorum, *pedum* &c. nobis ſignificantur. De quo latiſſime diſſerentem conſulere potes *Eucherium*, Epiſcopum *Lugdunenſem*, Tractatu peculiari.

Auguſtin Epiſt. 19. *T.* 11.

Eucher. Lib. Singul. de Formul. Spiritalib.

XIII. At *duo* pro *Axiomate* hoc opponi ſolent Loca, ad quæ, quoniam quantivis ponderis eſſe nonnullis videntur, verbo reſpondendum: *Prior* deſumitur e Geneſ. 6. 16. ubi Deus condidiſſe dicitur duo *Luminaria magna*, Solem & *Lunam*; cum *Luna* tamen *Magnum luminare* non ſit (multo quippe quibuſvis fere ſtellis *minus*) niſi juxta opinionem vulgi, cui ut reliquis luminibus cæleſtibus *majus* apparet. Sed *dico*: falſum eſſe, Lunam *luminare magnum* non dici, niſi juxta apparentiam tantum, & non ex rei veritate. *Luminare* vere *Magnum* eſt *abſolute*, licet non *comparate* ad Solem reliquaſque omnes ſtellas, ſolo *Mercurio* excepto. *Magnum* etiam bene dicitur ratione *luminis*, licet non ratione *molis*. Summa *huc redit* (inquit Cl. Voetius) *quod* Luna *terris ſit viciniſſima*, & *ſic apparet non tantum* major, *ſed & efficaciâ ac virtute agendi omnibus aliis ſtellis* major eſt; & *conſequenter quod ad rationem* luminaris, & *non quod ad rationem* molis, *recte dicitur Luminare Magnum*. *Magnum* autem aliquid operationibus

Martyr. in Geneſ. 1. *Fol.* 5. 6.

Voet. Diſpp. part. 1. *pag.* 697.

Muis. Var. Sacr. §. 2.

Digitized by Google

& *efficaciâ* in Scripturis nonnunquam dici, quod tamen *mole* tale non eſt, patet ex ſequentibus locis. Gen. 24. 35. Eccleſ. 2. 10. Luc. 1. 15. 1 Cor. 13. 13.

XIII. Sed *inſtat ὁ Δεῖνα*, vocem מארת quæ in originali eſt, notare *ſubſtantias lucentes*, quas φωςῆρες Græci dicunt, adeoque *impropriam* locutionem neceſſariò admittendam hic eſſe? At ſapit bonus ille Vir, pro more ſuo, ex *D. Coccejo*, e quo hæc hauſit: is enim vocem מָאוֹל germanice vertit *Een ligtgebernder Stern*. Sed vertat is ita, quid tum? *Buxtorfius*, Philologorum Alpha, ſimpliciter *lumen* & *luminare* interpretatur, ac ſic etiam alii. Et eſto, ſignificent מארת *ſubſtantias lucentes*; poteſtne una ſubſtantia lucens aliâ multo lucidior eſſe? atque adeo *Luna* major aliis ſtellis ratione *luminis*, utut minor ratione *molis*? Sumamus candelas duas, unâm *mole majorem*, ſed *vel* ob diſtantiam, vel ob aliam cauſam, obſcuriſſime lucentem, alteram *mole minorem*, ſed lucidiſſime ardentem, eruntne ambæ hæ מארת *ſubſtantiæ lucentes*? At hocne impedit, quo minus hæc, quæ *minus corpus* quidem eſt, ſed magis lucet, *majus* tamen *luminare* dici poſſit, eâ, quæ utut *majus corpus*, minus tamen lucis emittit? Sed impropria tamen (*pergit*) Dei locutio tum admittenda eſt, non rei veritati, ſed ſenſibus noſtris accommodata? *Reſp.* Negatur id ſequi: *Magnum* enim *luminare* non dicitur Luna, quia nobis *videtur* tantum magis lucere aliis ſtellis, ſed quia *revera* magis lucet. Nedum quod *ipſe hic ejus uſus & hac operatio rurſus vulgi errori tantum inniteretur, quod mole corporis & lucis magnitudine reliqua aſtra vincat, atque inde majorem uſum terræ prabeat*, ut Vir quidam Doctus obtendit, ſed ſine probatione. Et certe quis non manifeſte videt, Moſem, dum Planetas has duas, Solem & Lunam *magna luminaria* indigitat, non voluiſſe indicare, quantæ *molis* corpora illa forent vel non forent, ſed quantum *lucis* Terræ, in cujus uſum creatæ erant, communicaturæ eſſent. Et quid ſi daremus, Deum *impropriè* locutum hic eſſe, quid hoc ad rem? modo juxta *rei* veritatem locutus ſit, & non juxta erroneam vulgi opinionem? *Improprie* enim Deum res ſuas ſæpe effari, ſupra ipſi aſſeruimus.

Buxtorf. in Lexic. Talmud. pag 45.

XV. *Alter* Locus eſt 2 Chron. 28. 23. quem continuo crepant non tantum, ſed & ἄλυτον putant *Opponentes*: Sic enim ibi dicitur de Achazo, Rege Iudæ, quod *Sacrificavit DIS Damaſcenorum*,

Digitized by Google

norum, qui percuſſerant ipſum. Dicit ibi Sp. S. *Damaſcenorum Deos* Achazum percuſſiſſe, quod verum non erat; ipſe enim Deus eum percuſſerat; ſed ſic ad *erroneam* Achazi *opinionem* loquitur, qui putabat, ſe a Gentium Diis percuſſum eſſe. Aſt *Reſp.* 1. Certum eſſe, inveniri Interpretes, qui verbum *percuſſerant* non referunt ad *Damaſcenos*, ſed ad *Deos Damaſcenorum.* Ita *Vatablus* in hunc locum expreſſim, הַמַּכִּים בו ſubintell. *Opinione ſuâ*, ſcil. Achazi, *hoc enim ſibi perſuaſerat.* Sic Munſterus, *Diis percuſſoribus ſuis.* Ut & *Pellicanus* in Loc. *Poſt hæc omnia Diis Damaſci ſacrificat, a quibus* (Diis ſcil.) *percuſſus fuerat.* Diſſentiunt tamen non pauciores, neque incelebriores, qui non vertunt, Sacrificavit *Diis* Damaſcenorum *percuſſoribus*, ſed *percutientium ipſum.* Ita *Junius* & *Tremellius*, nec non *Piſcator*, aliique. Adeo ut narret hic Scriptor Sacer, non quod *Achaz* factum eſſe *opinabatur*, ſed quod *revera factum erat*, ſcil. *Damaſcenos milites* ipſum percuſſiſſe. Eſt quidem, quod ex ſequentibus pateat, *Achazum* ſuam & ſuorum cædem *Damaſcenorum* idolis adſcripſiſſe; ſed in quæſtione non eſt, quid falſo opinatus ſit Achaz, ſed an Sp. S. *Achazi* cladem referens, ſe *falſæ* Achazi *opinioni* locutione ſuâ accommodaverit? Id vero eſt, quod ex verbis hiſce elici non poteſt; ſenſus enim originalium verborum peræque conſtat, ſi τὸ *percuſſerant* ad *Damaſcenos Ipſos*, quam ſi ad *Damaſcenorum Deos* referatur, ut jam oſtendimus. 2. Ex ipſiſſimâ, vulgatâ ſaltem hactenus *Opponentium* hypotheſi, Deus ſe *erroneæ* vulgi *opinioni* non accommodat in Scripturâ, niſi cum de rebus *naturalibus* & *Phyſicis* E. G. *Solſtitio perpetuo*, *Terræ rotatione* &c quæſtio eſt; At vero hic ne γρῦ quidem apparet rei *phyſicæ* vel *naturalis*, ſed hiſtoricè tantum narratur, quid *Achazi* hoſtes contra ipſum valuerint, vel non valuerint. Dixi *vulgatam* hanc *Opponentium* hypotheſin *hactenus* fuiſſe. Nam, ſi jam nonnullos roges, dicent apertè, non tantum ad res *phyſicas* & *naturales* ſed & *ſupernaturales* Theologicaſque extendendum axioma id eſſe: ſic error errorem trahit, & *nihil* (ut ritè obſervavit Cicero) *tam abſurdum dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum.* Suntne enim Hiſtoria de *Melchiſedeko*, negotium *redemtionis per Chriſtum* &c ad res, quæ fidei & mere ſupernaturalis revelationis ſunt, referenda? At audiſis de hoc Theologum quendam *Reformatum*: aſſerit is intrepidè, etiam de iis Deum ſæpe non niſi *juxta erroneam vulgi opinionem* diſſerere. Ipſiſſima ejus verba ſunt: *Heb.* 7. 3. *De Melchizedeko dicitur, quod fuerit*

Vatabl. & Pellican. in. loc. Munſter. in loc.

Cicer de Divin. lib. II. *cap.* 58.

Digitized by Google

EXERCITATIO X.

DE

JURAMENTI ILLEGITIMI OBLIGATIONE.

BREVIARIUM.

Iuramentum vel Aſſertorium eſt vel Promiſſorium. Poſterioris, *quo hic reſpicitur, deſcriptio. Variis id reſpectibus* illegitimum. 1. *Ratione* efficientis; *& ſic* Juramentorum *infantum, ebriorum, furioſorum nulla obligatio eſt.* 2. *Ratione* materiæ; *atque ita* rei illicitæ *juramenta nunquam obligant.* Hottingeri, Philonis, Auguſtini *de hoc obſervationes.* Jacobus Laurentius *notatus & refutatus. Rei* licitæ *juramentum, utut* exigui momenti, *obligatorium tamen eſt.* Oſiander & Balduinus *laudati.* Verba *Iuramenti, non ex jurantis, ſed Dei & audientis mente interpretanda. Rei qualiſcunque quidem momenti, ſed majus quoddam bonum morale impedientis, juramentum non eſt obligatorium.* Corban *Hebræorum quid? Simplexne id votum fuerit an compoſitum? Ejus* formula *apud Hebræos quæ? Iuramenti rei per ſe* impoſſibilis *nulla obligatio. Oppoſitorum juramentorum* prius *obligat* poſterius *non obligat. Iuramenta talium perſonarum, quæ* ſui juris non ſunt, *non obligant. Et neque iſtiusmodi rei, quæ cum juraretur, poſſibilis quidem eſſet, ſed poſtea, citra jurantis culpam, impoſſibilis facta eſt. Cautio hic obſervanda* 3. *Ratione* formæ; *atque hujus reſpectu omnia juramenta rerum, quæ ſub juramento legitime cadunt, obli-*

gato-

2. &c. 11. Ratione *Materiæ*: hæc enim eſſe poteſt vel *illicita* plane & peccaminoſa, ut *homicidium*, *adulterium*, *perduellio* &c. Ita illegitimum fuit *Herodis* juramentum, de quo Marc. 6. 23. & *Davidis* 1 Sam. 25. 35. Caretque hoc itidem omni obligatione, quoniam juramentum *vinculum iniquitatis* eſſe non debet. Imò apertam contradictionem implicat, ad id, quod illicitum eſt, quemquam obligari, cum tum licitum ſimul foret & illicitum: *illicitum*, quod vetitum a Deo ſit, *licitum* quod *juramento* obligatus ad id eſſet. *Eleganter* Hebræi *monuerunt* (verba ſunt Cl. Hottingeri) *Verbum* נשבע, *quod* Jurare, Juramentum præſtare *ſignificat*, *reciprocam habere notionem*, *quæ nexum inter Deum creatorem*, cui *juratur*, *& creaturam*, quæ *jurat*, *religioſum exprimat. Quodſi jam reciprocationis illius non habeatur ratio*, *ſive vel in materiâ vel formâ peccetur*, *adeoque eſſentialiter*, *eo ipſo vinculum nullum eſſe*, *ex præſcripto & Ideâ voluntatis Divinæ æſtimandum.* Etenim turpe promiſſum eſt, quod non niſi ſcelere adimpleri poteſt. Audiſis quoque Philonem; *Qui juratus* (inquit) *male agit*, *addit culpam culpæ*, *dum Sacramento abutitur*, *cum debuiſſet abſtinere potius a malitiis: abſtineat igitur*, *& ſupplex Deum exoret*, *ut*, *pro ſua clementiâ*, *temeritati inconſultæ ignoſcat*, *qua ad jurandum præceps actus eſt. Nam duplicare noxam*, *cum te poſſis exonerare dimidio*, *maxima eſt mania*, *vix unquam curabilis.* Et Auguſtinus: *Si ad peccatum committendum fides exhibeatur*, *mirum eſt*, *ſi fides appellatur.* Eſt, qui diſtinguendum putat inter *intentionem* adimplendi, quod peccatum eſt, & *impletionem ejus ipſam*; cenſetque, dum juravimus aliquid, quod illicitum eſt, licet adimplere illud nefas ſit, *intendiſſe* nos tamen debuiſſe, cum jurabamus, id ipſum implere, neque illicitam eſſe illam *intentionem*, dum modo, cum juraremus, licitum id eſſe putaremus. At quomodo hæc conſiſtunt? Putaram ego hactenus, quod *opere præſtare* malum eſt, ipſo *animo velle* peccaminoſum etiam eſſe; eo quod *Lex ſpiritualis* ſit, actiones non tantum malas prohibens, ſed quaſcunque etiam eò tendentes mentis diſpoſitiones. Rom. 7. 14. Neque juvat quod dicitur, *ἀναμάρτητον* eſſe illam *intentionem*, ſi rem illicitam, quam juravimus, licitam eſſe *putaverimus*. Putare enim illud eſt ignorare; ignorantia autem, ea ſpeciatim, quæ *juris* & *pravæ diſpoſitionis* eſt, de qua hic ſermo, non excuſat, niſi quibuſdam caſibus forſan ex parte, nunquam ex toto. Poſito quod Paulus, tunc adhuc Judæus, *juramento* promiſerit, perſecuturum ſe ubique fideles eſſe, quæritur an, cum *juramenti* illius executio peccatum fuerit, intentio ejus ad illam perſecutionem eſſe potuerit non

Juſtinian. Inſt. lib. 3. tit 27.

Hottinger. Hiſt. Eccleſ. part. 4. pag. 121. 122.

Philo. de Legib. Spec. ad 3. Decalog. Præc. p. 40.

Iſidor. Peluſiot. Ep. lib 4. Epiſt. 96.

Iac. Laurent. in Ep. Iacobi. cap. 5 12. pag. 358

Deut. 19. 2.

tualiter. Si enim *verba jurantia* prolata, dum *animus* iis *ſeſe obligandi* abeſt, obligationem nullam inducerent, omnis certe *jurisjurandi* uſus caderet; cum nemo in eo, diriſſimis licet verbis concepto, ſecurè poſſet acquieſcere; eo quod in ancipiti ſemper hærere opus ipſi eſſet, an, qui ore juravit, *mente* etiam obligare ſe ipſum intenderit, cum in ſecretos animi ejus receſſus penetrare non poſſit. Niſi dicas forte cum nonnullis, *juramentum*, quod ſe ipſum obligandi voluntate deſtitutum eſt, *proprie dictum* juramentum non eſſe, ſed ejus ſpeciem tantum & ſimulachrum: prout ſi Princeps Legem aliquam poſitivam ferat, nolens tamen eâ obligare ſubditos ſuos, facit quidem aliquid, quod ſimilitudinem *Legis* habet, ejuſque nomen forte gerit, ſed quod pro genuinâ tamen *Lege* non eſt habendum. At quis diſparem plane *Legis*, a Principe ſic latæ, & *Juramenti* rationem eſſe, non animadvertit? cum tota obligationis vis, quæ in *Lege* tali eſt, ex Legislatoris ſubditos ſuos obligandi voluntate pendeat; quod ſecus in *Juramento* ſe habet, in quo obligationis vis, ex mera jurantis ſe ipſum obligandi voluntate arceſſenda non eſt, ſed ex verborum etiam iſtiusmodi pronunciatione, quibus, per glorioſiſſimum Dei nomen interpoſitum, præſtandum vel omittendum aliquid eſſe promittitur. Haud tenet tamen hæc regula, ſi qui jurat ſciat ab eo, quocum negotium ei eſt, verba jurantia aliter accipienda eſſe; dictis enim teſtem adhibens Deum, debet dicta illa vera facere, ſenſu eo, quo intelligi ea putat. Sic *Auguſtinus*, loquens de eo, qui e Punicis caſtris egreſſus in caſtra redierat, indeque Romam venerat: *Ita non attenderunt, qui illum Senatu moverunt, quid ipſe jurando cogitaſſet, ſed quid ab illis, quibus juraverat, expectarent.* Dicendum igitur reſtat (ut bene monet Balduinus) *ſi juramentum alias licite factum eſt, etiamſi res, quæ jurejurando promittitur, videatur minima, modo ſit honeſta & quæ ſub juramento cadere poſſit, violationem ejus conſcientiam lædere, & maledictionem mereri: quia omne juramentum fit cum invocatione nominis Divini, quod profanari nullâ in re debet.* Idque hoc magis, quod *juramenti* verba (ut dicere jam cœpi) ex arte & mente ejus, qui jurat, æſtimanda non ſint, ſed, ut Deus ac ille ea intelligunt, quibus id factum eſt; vel, juxta Ciceronem, *ſicut verbis concipitur more noſtro.* Alioqui enim certitudo omnium ſermonum ac per conſiquens commune inter homines commercium plane tolleretur, multiſque dolis aperiretur aditus. Ita Iſidorus: *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ſic illud accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Cui etiam Vatis Chriſtiani hæc conſonant apud *Hincmarum*:

Azor. Inſtit. Moral. lib. 11. cap. 4. quæſt. 2.

Auguſt. Ep. 224.

Iſidor. de Summ. Bon. lib. 2.

Cicer. de Offic. lib. 3. pag. m. 134. Biblioth. P. P. Tom. 12. p. 179.

Gregor. de Valent. 2. 2. n. 5. qu. 13. p. 2.

Gregor. de Valent. 2. 2. d. 5. qu. 13. p. 2.

At ſi jurandi te cauſa perurget & arctat,
Id puris verbis, id gere mente piâ.
Nec verbi arte putes te fallere poſſe Tonantem,
Cui nihil abſtruſum eſt, cui tua corda patent.
Qui non ut juras, ſed ut is juraſſe putavit,
Cui juras, audit: ſicque es utrique reus:
Nempe Deo, in vanum cujus vis ſumere nomen;
Et ſocio, quem atra fallere fraude paras.

Euripid. Hyppol. verſ. 611. *Cicero. loc. Cit.* *Bonacin. Summ. Moral. Tom. 2. p. m. 205.* *Grot. de Jur. Bell. & P. lib. 2. c. 13. §. 7.*

Quare cordato etiam candidoque viro indignum judicandum eſt quod habet *Euripides*, utut a *Cicerone* alias laudatum,

Ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽, ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.
Juravi lingua, mentem injuratam gero.

Sive, ut alii vertunt,

Jurata lingua *eſt*, mente *juravi nihil.*

Gomar. Op. tom. 1. pag. 87. *Cicer. de offic. lib. 1.* *Allſted. Paratit. Theolog. pag. 69.* *Selden. de Jur. Natur. & c. l. 7. c. 2.* *Capell. Diatrib. in Matt. 15. 5.* *Cocc. in Exc. ex Gemara Sanhed. pag. 273.*

Niſi intelligi id malis de eo, qui non animo deliberato & rationis compote juravit, id eſt, non putans ſe jurare, verba tamen jurantia protulit. Tunc enim hoc Poëtæ obſervandum eſt:

Conſilium prudenſque animi ſententia *jurat*,
Et niſi judicii *vincula nulla valent:*

Aut eſt momenti quidem alicujus res jurejurando promiſſa, ſed *bonum aliquod majus morale impediens*: quale *juramentum* fuit *Corban*, de quo Matt. 15. 5. Quamobrem neque hoc obligat; quia (ut bene obſervavit Grotius) *profectum in bono Deo debemus, ita ut ejus libertatem eripere nobis non valeamus.* Et quotieſcunque comparatio fit in eodem placito, ubi dignius indigniori ita officit, ut utrumque præſtari officium nequeat, efficit certe ea impoſſibilitas, ne ad indignius eo inſtanti exequendum obligatus dici quis poſſit. *Iniquum* enim (inquit Cicero) *eſt, ut majus bonum poſtponatur minori.*

Grot. de Jur. Bell. & P. l. 2. c. 13. *Petit. Variar. Lect. lib. 1. c. 4.* *Scultet. Exercit. in Euang. l. 2. cap. 69.*

III. Quid autem κορβᾶν hoc ſit, fuſe nec non eruditè ediſſeruit Cl. *Gomarus*. Κατ᾽ ἐπιτομὴν, ex *Lyrano*, id ſic explicat *Alſtedius*: Corban (inquit) *eſt vox hebraica, ſignificans* oblationem, donum, munus *Levit*. 21. 2. *Marc*. 7. 11. Matt. 15. 5. *ad quem poſtremum locum ſic adnotat Lyranus: Deus dixit, honora* Patrem tuum: *per honorem illum non ſolum intelligitur reverentia, ſed etiam adminiſtratio neceſſariorum; hanc autem excludebant per ſuam doctrinam falſam, quod Sacerdotes, qui erant cupidi, ut bona, quæ eſſent adminiſtranda parentibus, converterentur in lucra eorum, dicebant, quod melius erat, illa Deo offerre, tum quia eſt Pater principalis, tum quia, licet per talem oblationem parentes ſuſtinerent detrimentum corporale, conſequebantur tamen bonum ſpirituale, in quantum illud,*

illud, quod erat in eorum neceſſitatem convertendem, Deo offerebatur. Neque negare auſint *Judæi*, pudendum hanc in *Parentes* ſuos ἀςοργίαν dicam, an impietatem, revera a ſe inculcari, quum ſacrilegi hujus dogmatis multa in eorum Scriptis indicia extent. HIC dicunt: *Quicquid paravero ex illo non comedet pater meus quicquam, id eſt, utilitatem inde non percipiet.* ILLIC: *Quodcunque paro, eſto patri meo velut Sacra oblatio.* Alio loco: *Sacrum erit quicquid paravero in futurum, quantum ad os patris.* Id eſt, uti *Sacrâ re*, ita bonis meis interdictum *patri meo* eſto. Ipſiſſima e *Talmude* Loca verbotim alii exhibuerunt, qui videndi. Efferebant vero filii verba hujus voti Κορβᾶν, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, plerumque cum indignatione; quaſi, cum a filio quid poſceret egenus pater, oggereret illi velut iracundus & non ſine contemtu: *Sicut res Sacrata ſit, quodcunque meum prodeſſe tibi poſſit.* Id eſt, ne quicquam tibi proſit; prout res Sacræ in uſus communes erogandæ non erant. Utcunque vero (quod abominandum certe) verba hæc tam irreverenter, indignabunde, atque inhumane a filio in Patrem dicerentur, ea tamen Traditionis hujus ſtoliditas & iniquitas fuit, ut obligatum ita pronunciaret filiũ, ut patri indigenti ſuccurrere nequaquam licitum ei fuerit. Scilicet ad dicanda ſua in Sacros uſus nullatenus iis obligabatur, ad non juvandum Patrem tenebatur inviolabiliter; idque hoc quidem, ut Docti obſervant, ſub obtentu, אין עינוי נפש *non eſt in eo afflictio animæ*; q. d. Pater aliunde vivere tamen poteſt, neque meis facultatibus eget, præſertim Deo dicatis.

Coccej. Excerpt. e Gemar. Sanh. c. 7. Not. 9.

Martin. Lexic. Theol in Voce Corban.

Coccej. loc. mox cit.

IV. Quum autem e Scriptis Hebræorum conſtet, *votorum* genus (quo referendum etiam eſt, quod loc. cit. Chriſtus de κορβᾶν habet) duplex fuiſſe: unum *ſimplex*, quod ſolâ verborum *voti* pronunciatione abſolvebatur, alterum *compoſitum* ſive *qualificatum*, quod *juramentum* connexum habebat; dubium videri poteſt, quonam hoc præſens ſit referendum? At dubium illud non erit dubium, ſi tum verba S. Scripturæ, Matt. 23. 18. *Quicunque* juraverit *in altari nihil eſt, quicunque autem* juraverit *in* dono (δῶρα) *quod eſt ſuper illud, debet*; tum communem pene Eruditorum conſenſum conſideres. Ita *Arias Montanus*, qui hic Aquila in nubibus, *Scaliger*, *Gomarus*, *Druſius*, *Rainoldus*, *Petitus*, *Capellus*, *Grotius*, ac tandem etiam *Coccejus*, qui hanc expreſſam *Juramenti* hujus formulam exhibet: *Sanctum munus* juro *me eſſe damnatum, ſi quicquam proficiſcatur ex me, quod tibi* (patri meo) *proſit.*

Druſ. Obſervat. l. 2. cap. 17.

Selden. Loc. cit.

Oſiand. Tr. cit. part. 2. p. 965.

Ar. Mont. in Matth. 15. 5

V. Aut *Juramenti* materia eſſe poteſt rei quidem *licita, momentoſa, nullumque bonum morale majus impedientis,* ſed quæ in *noſtra poteſtate* tamen non eſt. Quod iterum variè conſiderari poteſt: vel quod res ea in poteſtate noſtrâ non ſit *per ſe*, vel quod talis non ſit *per accidens*. Si *per ſe*, ut quod quis juraſſet, ſe Cælum digito tacturum, tum nulla iterum talis *juramenti* obligatio eſſe poteſt; præſumitur enim non juraſſe, qui ſe ad impoſſibile obligavit. Faciunt huc Jureconſultorum Canones: *Impoſſibilium nulla eſt obligatio*; Ea, *quæ dari* impoſſibilia *ſunt, vel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adjectis habentur*; *Si ſub cauſa aliquid detur* impoſſibili, *conditio habetur pro non ſcriptâ, atque adeo datum condici non poteſt*, &c.

l. non ſolum. ff. de Act. & Obligat. l. ff. de Regul. Jur. l. 185. Ibid. l. 135.

VI. *Per accidens* dici poteſt aliquid in poteſtate noſtrâ non eſſe, *vel* ob præcedens aliud juramentum; ac tum *poſterius* non obligat, quia impoſſibile eſt, quæ directè oppoſita ſibi invicem ſunt, ſimul præſtari. E.G. *Sempronius*, domum ſuam locaturum ſe juravit *Titio*, & deinde idem juravit *Cajo*, non tenetur *Sempronius*, quod juravit *Cajo* præſtare, imo perjurus modo fuit, *Titio* obligatus, eo ipſo *juramento*, quo ſe *Cajo* devincire ſimul voluit. *Vel* ob jurantis ſubjectionem ſub alio; neque in hoc caſu juramentum tenet. Unde male paſſim in *Sponſalibus*, a liberis necdum emancipatis, etiam interpoſitâ Divini nominis invocatione, parentibus inſciis & diſſentientibus, contractis, ad *juramenti* reverentiam refugitur; cum juramentum tale pro nullo habendum ſit, a talibus quippe præſtitum, qui ſui juris non ſunt vel ſub eorum poteſtate adhuc conſtituti, qui parentum loco ſuſpiciendi ſunt: licet *liberi* iſtiuſmodi temeritatis & illatæ *Parentibus* ſuis injuriæ reatu non ſint abſolvendi. *Vel* ob talium circumſtantiarum interventum, quæ rem, heri poſſibilem, hodie reddidêre impoſſibilem; atque & talis *juramenti* obligatio nulla eſt, ſi nempe mutatio illa nobis inſontibus invitiſque acceſſerit. V.G. Juraverit hodie *Sempronius*, ſe filiam ſuam *Titio* in uxorem daturum eſſe; at mortua interim eſt filia, quis tamen *Sempronium* juramento ſuo teneri pronunciaverit? *Ad hoc* (inquit Seneca) *ad quod homo tenetur facere quod promiſit, requiritur, quod omnia* immutata *permaneant; alias nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit, quod habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus, Neque etiam eſt infidelis non implendo, quod promiſit, quia eadem conditiones non extant.* Cæterum de eo, quod pro tempore aut ex ſuppoſitione eſt impoſſibile, in pendenti eſt obligatio, ita ut is, qui ex ſuppoſitione juravit, operam, quam poteſt, dare debeat, ut quod juravit, poſſibile reddat.

Vultej. Jurepr. Rom. lib. 2. cap. 8.

Bonacin. Sum. Theolog. Mor. tom. 2. p. 212.

Senec. de Benef. lib. 4. cap. 34.

VII. Po-

Digitized by Google

VII. Poteſt etiam III. Juramentum *illegitimum* dici ratione *formæ* & *modi*, cum ſcil. res, quæ juratur, legitima & poſſibilis quidem eſt, ſed is, qui juravit, in juramento illo præſtando indebite ſe ipſum habuit, & vel juravit *irreverenter* vel per *idola*, vel ira, *terrore*, metuque aliquo correptus. Ac hujuſmodi quidem *juramenta*, utut cum particulari noſtro damno conjuncta, ad ſui tamen executionem nunquam non obligant. Teſtatur id aperte *David* Pſ. 15. 3. clarumque eſt ex *Iſraëlitarum* circa *Gabaonitas* laudatiſſimo exemplo. Joſ. 9. 18. Quin inter Paganos ipſe *Alexander* id agnovit, dum *jusjurandum*, quo mera ipſum iracundia impulerat, religioſe tamen ſervavit. Animus ipſi erat *Lampſacum* diruere; ad id tendenti cum *Anaximenes* extra muros obviam ipſi veniret, deprecaturus Civitatis ſuæ periculum, ſuſpicans Rex quid eſſet petiturus, dicebat: juro, me non facturum quod petet *Anaximenes*. At tum *Anaximenes*, peto, inquit, ut *Lampſacum* diruas: quo verbo captus Rex, ob *juris-jurandi* reverentiam, ſervavit quos demoliri ſtatuerat. Adeoque falſiſſimum eſt vulgare inter Belgas noſtros effatum: *Een gedwongen eedt is God leet.* Si enim materia ejus peccatum non ſit, præſtandum omnino eſt, ex veritatis amore & majeſtatis infinitæ, per cujus nomen juratum eſt, reverentiâ. Neque enim tali in caſu (ſumamus E. G. eum de *latrone* qui, &c) juramentum vinculum iniquitatis fit; cum iniquum eſſe non poſſit, ſolvere pecuniam pro redimendâ vitâ, & præſtare hoc, ut *juris-jurandi* religione ſe exſolvat, atque vitam redimat jurans. Sed hoc eſt iniquum, ad juramentum tale viatorem adigere, adeoque iniquitas eſt ex parte *latronis*, non ex parte *invaſi*. Neque *juramentum* etiam hujuſmodi eſt contra bonos mores, non enim ſolvendo pecuniam approbat latrocinium jurans, ſed fidem tantum ſervat, latrocinii vitio rejecto. Audiatur in hanc rem Leſſius: *Sequitur hinc* (inquit) *eum, qui pro redimendâ vitâ promiſit cum juramento centum aureos, teneri ſolvere. Etſi enim latro ex hac promiſſione nihil juris acquiſiverit, eique injuria nulla fiat, ſi non ſolvas, tamen Deus jus habet, ut veſices id, ad quod eum teſtem adduxiſti.* Atque hactenus bene; ſed hallucinatur Jeſuita, cum addit: *Ubi tamen ſolviſti, potes repetere, quia momentanea ſolutione ſatisfecis.* Verba enim (ait præclare Grotius) *quo ad Deum in juramento ſimpliciſſime atque adeo cum effectu ſunt intelligenda. Atque ideo qui redivit ad hoſtem clam, iterumque abiit, non ſatis eo juramento de reditu, ut recte a Senatu Romano judicatum eſt. Hinc laudavit apprime Cicero* Pomponium Tribunum, *eo quod*

Eraſm. Apophth. lib. 6.

Auguſtin. Ep. 224. 225.

Bonacina. Summ. Theolog. Moral. tom. 2. *pag.* 203.

Leſſ. de Juſt. & Iure lib. 2. *cap.* 42. *dub.* 6.

Grot. loco cit. §. 15.

Cicer. de Offic. lib. 3.

 ſer-

ſervaverit exactè, *quod*, *terrore coactus*, *juraverat*. Neque bene ceſſit militi illi apud eundem *Ciceronem πανȣργία*, quâ eludere *jurisjurandi* religionem ſimili fere modo conatus eſt; ſic enim de eo habet lib. 3. de *Officiis*: Ut *laudandus Regulus in conſervando jurejurando*, *ſic decem illi*, *quos poſt Cannenſem pugnam juratus ad Senatum miſit Annibal ſe in caſtra redituros ea*, *quorum erant potiti Poeni*, *niſi de redimendis captivis impetraviſſent*, *ſi non redierunt vituperandi*; *de quibus non omnes uno modo. Nam Polybius*, bonus Autor imprimis, *ex decem nobiliſſimis*, *qui tum erant miſſi*, *novem revertiſſe*, *a Senatu re non impetrata*: unum *ex decem*, *qui paulo poſtquam egreſſus erat e caſtris*, *rediiſſet*, *quaſi aliquid eſſet oblitus*, *Romæ remanſiſſe*: *reditu enim in caſtra liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur*. *Non recte*: fraus *enim diſtringit*, *non diſſolvit perjurium*: *fuit igitur* ſtulta *calliditas*, perverſe *imitata prudentiam*: *itaque decrevit Senatus*, *ut ille* veterator *&* callidus *vinctus ad Annibalem duceretur*. Correpti etiam a Prophetis Judæorum quidam Reges ſunt, quod fidem Babyloniis, utut coacte juratam, violaſſent. Ezech. 17. 12. 13. 14. Jer. 29. 7. Neque immerito, quoniam etiam *metu* vel aliâ quâvis animi perturbatione facta revera *voluntaria* quadantenus ſunt; & quia in *juramento* prorſus abeſſe debet ſimulatio, promiſſionem tali in caſu reipſâ *juramentum* etiam eſſe, manifeſtum eſt. Viatori enim (ut eidem ſimili inſiſtamus) poſtquam in periculum incidit, propoſitis vel ab hoſte vel a latrone minis, optio datur, ſeu poteſtas permittitur, ut eligat, utrum velit vitam amittere, an pecuniam promittere. Factâ ergo viatori poteſtate, ut alterum inter duo mala eligat, manifeſtum eſt, in eâ collatione electionem fieri a voluntate aſſentiente, ut pecuniæ jacturâ ſalus corporis redimatur. Quare cum judicio non impedito voluntas tunc, propter talem temporis articulum, eligit minus damnum, videlicet pecuniæ jacturam, ut vitam retineat, fateri neceſſe eſt, voluntatem, etſi metu perturbatam, in hac tamen promiſſione retinere libertatem, adeoque electionem eſſe voluntariam. Proinde, utut violentum tale juramentum ſit ratione *principii externi*, eſt tamen voluntarium *intuitu vitæ*, & comparatione inſtitutâ inter jacturam ſpiritus & pecuniæ, quæ longe inferior eſt. Idem vide in alio exemplo: Eſto aliquis, qui naufragium patiens, ne ipſe cum reliquis omnibus pereat, merces ſuas in mare projicit, Quæris an is *voluntarie* id faciat, an *involuntarie*? Ego puto, cum utroque id facere modo, at magis tamen voluntarie, quam involun-

Cicer. *ibid pag. mihi* 136.

Polydor. Virgil. de Juram. & Perjur. pag. 18.

Pezel. in Not. ad Argum. & Obj. Melancht. part. 3. *pag.* 139.

luntarie: Tum quod projectionem illam eligit præ vitæ jacturâ, quodque eligitur in quantum eligitur, non niſi voluntarium eſſe poſſit; *tum* quod omnis actio, imprimis voluntaria, a fine denominanda ſit; at qui profundit merces, facit id, ut vitam ſuam conſervet, vitæ autem conſervatio eſt magis voluntaria, quam mercium, quia magis vult quiſque vitam, quam merces ſuas. Dicunt alii, pro tempore, pro loco, pro occaſione datâ, aut pro conditione poſitâ, *voluntariam* mercium talem projectionem eſſe, *involuntariam* vero abſolute & ſimpliciter; quia ſi abſolute mortis metus abeſſet, merces non projicerentur in mare, at vero ex metu projiciuntur, ergo ex conditione & occaſione metus projectio eſt voluntaria. Adhuc ſunt, qui id invertunt, docentque projectionem illam mercium abſolute & ſimpliciter eſſe voluntariam, ex conditione vero involuntariam. Quicquid ſit, in hoc conſpirant (quod huc facit) etiam *metu* vel ex aliâ animi perturbatione facta quadantenus *voluntaria* eſſe poſſe. Neque ſimplices *contractus* injuſto metu extorti opponendi his ſunt: reſcindi enim eos poſſe, pro arbitrio ejus, qui injuſte *metum* paſſus eſt, ſententia vera eſt & communis; quæ hinc etiam confirmatur, quod E.G. *latro* eo in caſu vi legis & juſtitiæ naturalis liberare promiſſorem ab obligatione, quam promittendo in ſe ſuſcepit, obligatus ſit, eo quod peccarit, injuriamque promittenti fecerit, cum *metu* mortis ad promiſſionem illam eum adigeret. Jus equidem habet unuſquiſque, injuriam paſſus, exigendi ab eo, qui infert, reſtitutionem; atqui haud alia quæpiam reſtitutio noſtro promiſſori fieri hic poteſt, quam quod liberetur a promiſſione ſuâ, & in ſtatum priſtinum reſtituatur. Ubi vero *juramentum* promiſſioni adjectum fuit, ibi, utcunque ad eandem reſtitutionem obligatus quidem ſit *latro*, eâ tamen gaudere non poteſt promiſſor, quia *duplex* in juramento promiſſorio obligatio eſt, *una* homini *altera* Deo; adeoque (ut rite obſervavit Ameſius) *quamvis injuria facta obligationem tollat reſpectu hominis injuriam inferentis, quoniam in injuria nullum jus fundatur, manet tamen obligatio Deo facta, quæ ſine irreverentiâ & injuriâ Dei non poteſt inſuper haberi.* Et ad rem Sophocles

Grot. de Jure B. & P. lib. 2. cap. 13 §. 14.

Azor. Inſtit. Moral. lib. 1. cap. 11. qu. 14.

Ameſ. de Conſc. lib. 5. cap. 42. §. 27.

Eſt. in Libb. Sentent. lib. 3. Diſt. 39. § 8.

Rivet. in Decalog. 3. præcept.

> *Mens excitari jurejurando ſolet,*
> *Ut* bina *diligenter evitet mala,*
> *Culpari* amicis & Deos *offendere.*

Impudenter, ſcio, oblatrat hiſce *Hobbeſius*, dum exertim ait: *Obligationi a* juramento *nihil addi. Pactum* nudum *non minus*

obli-

Hobb. de Civ. cap. 2. art. 10. 22. Et Leviath. cap. 14.

obligare, quam in quod juravimus. At tum omnis jurisjurandi *Promiſſoriu* neceſſitas tollitur, quem enim tunc uſum id habebit? Ipſe dicit: *Effectum* juramenti *eſſe, ut hominibus naturâ pronis ad violationem datæ fidei, major juratus cauſa ſit metuendi.* Et paulò ante: *Jusjurandum ideo introductum eſt, ut* major metus *violandæ fidei, quam is, quo homines (quos facta noſtra latere poſſunt) timemus, divinæ potentiæ conſideratione atque religione incuteretur.* At hæccine nihil obligationi addunt? an non intenditur, imò duplicatur veluti pacti obligatio, cui *metus* iſtiuſmodi incuſſio accedit? Aliud vero eſt, cum quæritur, num juramentum *ſilentii*, latroni factum, ſervandum ſit; nam utcunque & tum negligenda non videatur *Numinis* reverentia, materia tamen jurata cum peccaminoſa ſit, non ſinit ut exſolvatur, quod promiſſum fuit. Illicitum quippe eſt, de periculo imminente non monere proximum Matt. 7. 12. prout neque culpâ caret, qui ſcit & non prohibet, cum prohibere poſſit; ne dicam, quod *ſilentio* tegens, & latrones non prodens, ſuſpicionem ſocietatis occultæ, cum latronibus initæ, evidenter præbeat; vel ſi nulla colluſio ſubſit, juſtitiam tamen impedit, improboſque in malitiâ ſuâ confirmat.

Tilen. Syntagm. Theologic. part. 1. Diſp. 36.

Joh. Gerard. Loc. Theol. Tom. 3. pag. 53. b.

L. Siquis major. 41. c. de Transact. auth. Sacram. &c.

Melancht in Ethic. Edit. Poſtr. pag. 281.

VIII. Neque obſtant *Conſtitutiones Civiles*, juramenta coacta metuque extorta *irrita* paſſim pronunciantes. Reſpiciunt enim eæ jus *Soli* non *Poli*. Ita mentem earum explanat Melanchton: *Quod autem,* (inquit) *in Jure Civili Prætor dicit, quod vi metuſque causâ factum eſt ratum non habebo: ſapienter & juſtè ſanxit Lex, ne Prætor actionem det latroni, quia non debet confirmare latrocinia; ſed cum Poteſtas politica nolit judicare de alterius conſcientiâ, relinquit hanc curam tibi ipſi privatim, ne violes juramentum. Non igitur prohibet facere promiſſa, tantum hoc oſtendit, ſe nolle confirmare latrocinia, aut armare aut confirmare aut juvare latronem.* At ex ipſo Jureconſultorum ore id arceſſamus; ſic infit Magnus inter illos coryphæus Antonius Matthæus, Juris, cum viveret, in Academiâ Ultrajectina Profeſſor celeberrimus: *Foret ſane exemplo plane periculoſum, velle punire eum, qui metu coactus fidem ſuam jurejurando obſtrinxit. Quantum tamen* (N B) *ad conſcientiam jurantis & cæleſte tribunal attinet, non inſontem eum futurum dixeris. Deo enim obligatur, qui Deum teſtem atque vindicem invocavit, extra quam ſi quid turpe aut contra bonos mores promiſerit: hujuſmodi enim juramenta adimplere, quam præſtare turpius eſt.* Adducitque in exemplum, loco *Zedechiæ* Judæorum Regis, & *Pomponii* Tribuni, quos ἀπροσδιονύσως trahi huc putat, ob rationes, quas ibi allegat, *Julium*

Matth. de Crimin. pag. m. 275.

lium Cæſarem, qui a Piratis interceptus, jurejurandoque adactus, ante lytron ſolvit, dein, Claſſe paratâ oppreſſos cruci ſuffixit.

IX. IV. Sive Ultimò, poteſt etiam illegitimum eſſe juramentum ratione *finis*: qui quidem *dupliciter malus* dici poteſt, nempe *vel* reſpectu *jurantis*, ſi vanam ille gloriam ſuique oſtentationem eo intendat; & tum obligatio ejus minimè tollitur, modo factum ſit in causâ poſſibili & honeſtâ. *Vel* reſpectu perſonæ, *cui* juratur, ejuſque quidem inſontis; & tunc juramentum ordinario non tenet. In hoc ſimilive exemplo palam erit, quid velim: Emerit quiſquam continuo merces a vicino ſuo, oriatur poſtmodum inter emptorem & vicinum illum qualiſqualis ſimultas, juretque emptor, ſe nunquam merces deinceps a vicino illo empturum eſſe, idque ut noceat ipſi, vindictamque in eum exerceat; per nomen Dei emptor ille juravit, idque in re quidem tum poſſibili tum licitâ, penes eum enim ſtabat, extra haſce circumſtantias, de mercium ſuarum coëmptione pro arbitratu ſuo diſponere; neque tamen tenetur ſuo *Juramento*, quia, licet materia ejus in ſe indifferens ſit, a *fine* tamen *malo* & impio malitiam quandam moralem contraxit, atque adeo jusjurandum hoc in *vinculum iniquitatis* abiit.

X. Oſtendimus hactenus, quo uſque & quando juramenta *illegitima* obligent vel non obligent, quibus *Tria* hæc ſubnectimus: 1. Non tantum *illegitimorum* juramentorum, ſed & quandoque ipſorum *legitimorum* obligationem nullam eſſe, hoc nempe in caſu, ſi eâdem in causâ ab alio, quocum per *juramentum* tranſegeramus, juramentum *prius* violatum ſit, juxta vulgatum hoc: Rivet. in Decal. ad 9. præc.

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

In *eâdem causâ* dico; nam in omnibus caſibus, etiam perjuriorum in nos commiſſorum, regula hæc non tenet. Ad rem iterum Grotius: *Duobus* (inquit) *modis fieri poteſt, ut quis a perfidia vacet, nec tamen id faciat quod promiſſum eſt, defectu ſcilicet conditionis & per compenſationem. Defectu* conditionis *non vere liberatur promiſſor, ſed eventus oſtendit nullam eſſe obligationem, ut quæ non niſi ſub conditione contracta erat. Et huc referendus caſus*, ſi prior alter non impleverit, quod ex ſuâ parte implere tenebatnr. *Nam unius ejuſdemque capita ſingula alia aliis ineſſe videntur per modum conditionis quaſi expreſſum eſſet, hæc ita faciam, ſi & alter faciat, quæ promiſit*: 2. Tametſi multa juramenta ad executionem non obligent, non tamen omnia ideo ἀναμάρτητα eſſe & inculpabilia; nam, quia contrarium verum eſt, ideo *illegitima* paſſim vocantur. *Herodes* juramento ſuo non te- Philo. de Leg. ad III præcept. Grot. de I. Belli. & P. lib. 3. cap. 19. §. 14.

Hhhhh ne-

nebatur ad cædem Johannis Baptiſtæ; neque tamen irreprehenſibile, ſed e contra temerarium, injuſtum, & belluinum id fuit. In *genere* juramenta omnia, quæ in vitio ſunt, hocce nonnemo verſiculo complexus eſt:

Stulta, doloſa, placens, mendax, temeraria fruſtra
Deteſtans, iterata, procax, ſuper Idola membra;
Non ſine peccato eſt omnis juratio talis.

3. Obligationem *juramentorum* ſive legitimorum ſive illegitimorum, ob varias intervenientes cauſas, ceſſare nonnunquam poſſe; ut cum vel deeſt conditio, quæ *juramento* adjecta fuit, vel ceſſat qualitas, ſub quâ alicui *juratum* eſt, vel ſolutum jam eſt, quod *juramento* promiſſum erat. Finis enim juramenti eſt, ut præſtet quis quod ſpopondit, adeoque ſatisfaciat ei, cui juravit; quod ſi non præſtet, perjurii crimine non eſt abſolvendus, ſin imo, ſolutum eſt obligationis vinculum, cujus tum nullus deinceps uſus eſſe poteſt. Vel denique juri ſuo renunciant, quibus factum eſt *juramentum*. Nihil enim magis rationi conſentaneum eſt, quam ut voluntas Domini, res ſuas in alium transferre volentis, habeatur rata. Sic irrita pronunciare poſſunt Parentes, Mariti, Domini, Principes *juramenta* a filiis, uxoribus, ſervis, ſubditis ſuis facta, in iis rebus, quæ poteſtati ipſorum ſubſunt. Imo in genere verum eſt, ſi *juramentum* utilitatem alicujus ſpectet, atque is eam nolit, non teneri qui *juravit*; quia nemo eſt, qui licentiam non habeat, iis, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare. NB. *pro ſe*; quodſi enim *juramento* quiſquam aliquid promiſerit alteri, quod ad honorem Dei vel aliorum utilitatem ſpectat, tum ille, cui promiſſio facta eſt, non poteſt abſolvere eum, qui *juravit*; quia promiſſio ei principaliter facta non eſt, ſed Deo, vel in aliorum bonum. Quare ad contractus *Sponſaliorum* extendi hæc non poſſunt, quod in iis utilitatis hominis non tantum ſed inſtituti etiam Divini ratio habenda ſit. Quæ de *Diſpenſationibus Relaxationibus*, *Commutationibus* Juramentorum Pontificii paſſim habent, ab aliis examinata & profligata ſunt, neque ad rem præſentem faciunt. Atque ita quidem de hâc materia *Theologice* & briviter,

Senec. de Benefic. lib. 4. c. 34.

Cod. de Pact. l. Si quis in conſcribendo.

Baldu de Caſib. Conſc. lib. 2. cap. 9.

Cum animo ſatis hæc veſtigia parva ſagaci
Sint, per quæ poſſis cognoſcere cætera ....

Lucret. Lib. 1.

Quæ

Digitized by Google

Quæ *Juriſconſulti* aliique de eâ habent, videri apud illos poſſunt, οὐ γὰρ ἐπίθημι πόδα ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ, haud enim libenter *pedem pono in alieno choro*,

Quod Medicorum *eſt*
Promittant Medici, *tractent fabrilia fabri.*

EXERCITATIO XI.

DE

LOCO NATIVITATIS CHRISTI.

BREVIARIUM.

Locorum Mich. 5. 1. *&* *Luc.* 2, 5, 6, 7. *collatio inſtituta.* Bethlehem *nativitatis Chriſti locus.* Bodinus, *id negans, notatus & confutatus.* Liber *ejus impius & peſtiferus. Chriſtus* Bethlehemita *quomodo* Nazarenus *tamen dictus?* Duplex *ab Auguſto Cæſare* deſcriptio *indicta.* Cenſuum *apud Romanos ratio. An* peregrini *cum* mulieribus *ad eos etiam vocati? Cur Chriſtus* Bethlehemi *naſci maluerit, quam alibi? An* in *an* extra *urbem natus ſit? Eruditorum de hoc diſcors ſenſus.* Prior *opinio recepta & adſtructa.* Exceptio *diſcuſſa.* Romæ *natus quo ſenſu dici quis poſſit, qui* Romæ *nunquam fuit? Loca Act.* 22. 26. *&* *Ioſ.* 5. 13. *&* 10. 10. *illuſtrata. Non* omnes *leproſi apud Hebræos oppidorum mœnibus excluſi.* Lichtfotus *laudatus. Locis Luc.* 9. 31. *&* 2. 15. *lux affuſa.* Juſtini Martyris *aliorumque, pro ſententia* poſteriore *rationes expenſæ & refutatæ.* Origenes *&* Euſebius *vindicati.* Lanſelius *virulentus* Cau-

ſauboniorum *cenſor*. Patrum *in rebus Theologicis* authoritas *qualis*? Auguſtinus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Lactantius *laudati*: Grotii *inſtantia diſcuſſa*. Juſtinus *cum ſe ipſo commiſſus*. Chryſoſtomus *fruſtra ab Opponentibus adductus*. *Vox* Κώμη Bethlehemo *quomodo inſcripta*? *Chriſtus eodem loco, quo natus eſt, a Magis non adoratus. Locus Luc.* 2. 38. *vindicatus. Inter τὸ natum eſſe* in ſpelunca, & *natum eſſe* in urbe *nulla pugna*. Sculterus *pulſatus*. *An Chriſtus in* ſtabulo & *inter* pecora *natus*? *Sententia vulgaris rejecta. Matris Ignatii Lojolæ κακοζηλία.* Baronius *a* Caſaubono *refutatus*. Salmaſius *notatus*. *Φάτνη ſive Præſepe apud Lucam quid*? Articulorum *ſæpius repetitorum apud Græcos ἔμφασις*. *Chriſtum non in* ſtabulo, *ſed in* Diverſorio *quodam* ſingulari, *recipiendis pauperibus deſtinato, natum eſſe, ſententia probabilis. Quorundam iniquior in eam cenſura notata & refutata.* Scandalum *e* re bona *ſumptum contemnendum*. Caſaubonus & Salmaſius *refutati*. Becmanni *falſa hypotheſis detecta*. Objectio *ſoluta. Vocum* Ανακλίνειν & Κεῖσθαι *ſignificatio nativa*. Πανδοχεῖον, *Stabulum* & *κατάλυμα nonnunquam idem. Vt ut Chriſtum in* ſtabulo *natum eſſe daretur, non ſequitur tamen, eum inter beſtias natum.* Objectio *diſcuſſa*. *Error popularis de* Betlehemitarum *in Chriſtum recens natum* ingratitudine, *exploſus*. *Chriſtus* laceris & ſordidis *faſciis non involutus*. *Σπαργανόειν quid, & unde derivatum*? Druſius *laudatus*. Maria *Virgo ἐπίκληρος*. *Adeoque, ut ut conditione tenuior, ad ſtipem tamen minime redacta*. Objectio *eliſa*. Eraſmus *laudatus*. *Viri cujuſdam Docti ἀβλεψία notata*. *Totius* Operis *concluſio*.

I.

Voet. Diſp. Select. p. 2. p. 1.

DE *Tempore* Nativitatis Chriſti multi multa, quæ non repitimus: Nemo eſt, qui cuncta, eo pertinentia, diligentius & accuratius examinavit, ac Celeberrimus *D. Voetius*, qui conſulendus. Nobis volupe eſt, de

de ejus *Loco* hic paucis disquirere Eum *Betlehemi* diſtrictum fore *predixerat* Micheas. cap.5.verſ. 1. *At tu* Bethlehem *Ephrata minima ut ſis in Ducibus Jehudæ, ex te mihi prodibit futurus Dominator in Iſraele; cujus exortus inde a principio ſunt, a diebus ſeculi.* Quod *eventu* comprobatum eſſe, teſtatur *Lucas* in Euangel. cap. 2. verſ. 4, 5, 6, 7. *Aſcendit autem etiam Joſephus a Galileâ, ex urbe Nazarethâ in Judæam, in urbem Davidis, quæ vocatur Bethlehema, propterea quod ex domo & familiâ Davidis eſſet, ut deſcriberetur cum Maria deſponſa ſibi uxore, quæ erat prægnans. Factum eſt autem, cum eſſet* illic, *ut implerentur dies ipſius ad pariendum. Peperit igitur filium ſuum primogenitum, & faſciis eum involvit, reclinavitque eum in præſepi, eo quod non erat eis locus in diverſorio.*

II. Sunt tamen, qui in alia eunt, quorum vexillifer eſt *Johannes* quidam *Boduinus*, qui an idem fuerit cum *Johanne Bodino*, Juriſconſulto & Hiſtorico celeberrimo, qui Anno 1585. modo mortuus eſt, fateor me neſcire. Scripſit hic, quiſquis ſit, Dialogum, cui titulum fecit *de Abditis rerum ſublimium Arcanis.* Librum peſtiferum & exitialem, ſed nunquam editum & nunquam edendum, in quo Judaicum omne ſuum virus evomuit. Ortum Jeſu Chriſti e *Bethlehemo* non ſolum in dubium ibi vocat, ſed acerrime etiam oppugnat. Rationes ejus primariæ, eo quod alii eas fuſe ſatis ad incudem revocarint, hic verbo diſſlandæ tantum ſunt. Dicit 1. Chriſtum *Nazarenum* paſſim vocari, nullibi *Bethlehemitam*. At quam falſum id eſt? dum enim Lucas *Bethlehemi* eum natum narrat, ſatis indicat *Bethlehemitam* eum fuiſſe. Dicitur & *Nazarenus*; non quod inde *oriundus*, ſed *educatus* ibi fuerit, indeque majores ejus venerint; prout hoc jure Virgilius Cæſarem *Trojanum* etiam dixit. Dicit. 2. Chriſtum eo tempore *Bethlehemi* natum referri, quo *cenſus* ab *Auguſto* indictus fuit; eum vero, cum Bethlehemi natus dicitur Chriſtus, non accidiſſe, ſed anno demum mortem *Auguſti* proximè antecedente; tumque Jeſum quartum decimum ætatis annum modo attigiſſe. Sed non conſiderat, duplicem ab Auguſto indictam Deſcriptionem eſſe, *priorem* per *Cyrenium*, ſub quâ natus eſt Chriſtus, *poſteriorem* eo tempore, quod a *Dione*, quoque opponens provocat, indicatur. Neque bene prætexit, ad *cenſum* hunc vocatos non fuiſſe *peregrinos*, ſed *Cives* tantum *Romanos*, qualis Chriſtus non fuit. Rurſus enim falſum eſt, *ſolos cives*, Romanos deſcriptos eſſe; nam, utcunque civium Romanorum *cenſus* hic præcipue quidem fuerit, reliquorum tamen nomina in tabillas etiam

Bodin. de Abdit. Rer. Sublim. Arcan. l. 5

Dio Caſſ. lib. 59.

Spanh. Dub. Euang. p. 3. Dub. 4.

re omnium pene ſaniorum Doctorum amicabilis conſenſus hactenus fuit.

III. Sed diſceptatur acriter, an *extra* an *intra* urbem *Bethlehemum* natus ſit Chriſtus; Neque deſunt, qui *priorem* ſententiam tenent, hiſce ducti rationibus. 1. Quia *Juſtinus Martyr* ſic ſenſit; cui hoc quidem magis ſtandum putant, quod ipſe, quippe *Samarites*, *Iuſtin.* prope Judæam natus & educatus ſit. Hæc ejus verba ſunt: *Mart. in* Γεννηθέντος δὲ τότε τοῦ παιδίου ἐν Βηθλεὲμ, ἐπεὶ Ἰωσὴφ οὐκ εἶ- *Dialog. c.* χεν ἐν τῇ κώμῃ ἐκείνῃ ποῦ καταλῦσαι, ἐν σπηλαίῳ τινὶ σύνεγγυς τῆς *Tryphon. Op* κώμης κατέλυσε. *Nato* autem *tum puero*, quia *Ioſeph in vico illo non* *Iuſtin. pag.* *habebat, quo diverteret, in ſpecum quendam* vico proximum *con-* *m.* 303. 304 *ceſſit*. 2. Quia in multis regionibus diverſoria *extra* portas eſſe conſtat. 3. Quia Paſtores infantulum Jeſum noctu adierunt, neque fieri id potuiſſe videtur, ſi *in* urbe natus fuerit, ad quam, utpote clauſam, non niſi interdiu acceſſus concedebatur. 4. Quia difficile intellectu videtur, quomodo ignorare potuerit *Herodes*, Chriſtum a *Magis* adoratum fuiſſe, ſi in ipſa urbe adoratio illa contigerit. 5. Quia Veterum multi in *Spelunca* natum Servatorem cenſent; at unde *Spelunca* in urbe? Conceſſerunt in hanc ſententiam, poſt *Juſtinum Martyrem*, etiam alii, nominatim *Chryſo-* *Chryſoſt.* *ſtomus*, ſive quiſquis ſit, qui *Homiliam* de *Nativitate Chriſti* evulga- *Hom. de* vit: *Rem novam*! (inquit ille) *ingrediuntur* in Diverſorium, *non in-* *Nativ.* *grediuntur* Civitatem. *Baronius* in principio Annalium; *Sannaza-* *Chriſti.* *rius* Poëta Chriſtianus, cujus hoc Carmen eſt,

Eſt ſpecus haud ingens parva ſub mœnibus *Urbis*, *Baron.*
Incertum manibusne hominum, &c. *in Annalib.*

Quique 12. pene ſeculis hunc anteſſit, *Juvencus* Preſbyter, *Juvenc. de*

Hoſpitium amborum Bethleem ſub mœnibus Urbis *Hiſt. Euang.*
Anguſtis fuerant perparva habitacula ruris.. *lib.* 1.
Illic virgo novo completo in tempore fœtu *Sannazar.*
Solvitur, & *puerum veteri cunabula texto* *de Part*
Involvunt, *durumque datur præſepe cubili*. *Virgin. l.* 2.

Atque hos Recentiorum ordine ſecuti tandem ſunt *Abrahamus* *Scult. in* *Sculteus* & *Hugo Grotius*, virorum par, cujus, ob immenſum do- *Exercit.* ctrinæ theſaurum, *Euang. l.* 1. *cap.* 51.

Nomen Sydereos ſurgit adusque polos. *Grot. in* *Luc.* 2. 5, 6.

IV. In contrarium vero abierunt omnes fere Antiqui *Patres*, *Caſaubon.* nec non inter modernos Interpretes quam plurimi: quos inter pri- *ad Annal.* mas tenet Vir diffuſiſſimæ eruditionis *Iſaacus Caſaubonus*, qui oppo- *Baron. pag.* *m.* 159.

ſitæ

ſitæ ſententiæ (quæ erronea ipſi eſt) originem in hoc ponit: *Quod proniores fuerint Viri Eruditi, ad conjecturas ſuas in medium proferendas, quam ad mentem Scripturarum diligenter rimandam.* In quam Scriptoris limatiſſimi opinionem nos etiam concedimus. Nempe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non *extra* urbem Bethlehem, neque in aliquo ejus ſub-urbio, ſed *intra* eam primam lucem adſpexiſſe. Sic enim verbis allegatis Lucas: *Factum eſt autem, cum eſſent* illic (ἐκεῖ) *ut completi ſint dies, quibus ipſa* (Maria) *pareret. Peperitque filium ſuum primogenitum.* &c. Ubi cum peperit? *Illic*, ἐκεῖ. Et ubi id erat? *Bethlehemi*, quo, non ad ſuburbium, ſed ipſam urbem, cum *Joſepho* profecta erat, ut textus exertim habet. Adde Matt. 2. 1. 4.

V. Scio, excipi a quibuſdam, dici quandoque *in* loco quid fieri, quod *prope* illum factum tantum eſt; prout apud *Jureconſultos* non is tantum Romæ natus dicitur, qui *in* Oppido ipſo, ſed etiam qui *ad*

Leg. 2. ff. de V.S.

Urbem & in continentibus ejus ædificiis natus eſt. Ita *Chriſtus* dicebatur moriturus *in* Jeruſalem Luc. 9. 31 & 13. 33. quem tamen *extra* moenia crucifixum eſſe conſtat. Sic *Joſua* dicitur fuiſſe *in* Urbibus *Hiericho* & *Gabaon* Joſ. 5. 13. & cap. 10. 10. Cum eas obſideret tantum, necdum vero intraſſet, Et Luc. 5. 12. dicitur Jeſus *in unâ Urbium* obviam factus leproſo, cum conſtet, leproſos *extra* moenia manere debuiſſe. Verum *reſpondeo*; 1. cum Jure-conſulti *Romæ* natum quem dicunt, qui *prope* Romam natus tantum eſt, non tam de civitatis *Loco* loquuntur, quam de ejus *Jure* & privilegio, quod hic ad rem nihil facit. Etiam Paulus *Romanum ho-*

Act. 22. 26.

minem (ἄνθρωπον Ῥωμαῖον) ſe ipſum dixit, utut (Tarſenſis quippe) tum ne unquam quidem Romam adhuc vidiſſet. Romanum hominem eſſe, non per *natum Romæ eſſe*, ſed jure civitatis il-

Calvin in Act. 2. 28.

lius gaudere exertim etiam interpretatur *Calvinus*, dum ait: *Norunt Romanæ Hiſtoriæ periti, quoſdam in Provinciis civitate fuiſſe donatos, ſi de republicâ bene meriti in bello, vel in aliis gravibus negotiis, hanc ſibi mer-*

Lichtf. Hor. Heb. in Luc. 5. 12. Et in Matt. 8. 2.

cedem a Pro-conſulibus rogarent: ita nihil abſurdi eſt, natum fuiſſe Romanum Civem, qui tamen ex Provinciâ oriundus, nunquam in Italia pedem poſſuiſſet. 2. Non habetur Joſ. 5. 13. *in* urbe *Hiericho* Joſuam fuiſſe, ſed *prope* Hierichuntem vel *ad* Hierichuntem, juxta *Junium* & *Tremellium.* Sæpe enim litera in dictionis principio per *ad* vel *apud* vertenda eſt, non ſemper per *in*. Conf. 1 Sam. 29. 1. 1 Reg. 8. 9. & 17. 3. 5.) 3. Idem *Gabeone*, ibi enim etiam eſt בְּגִבְעוֹן, ut cap. 5. 13. בִּירִיחוֹ *apud* Hierichuntem. 4. Ut neque abſo-

Digitized by Google

abſolute verum eſt, *Leproſos extra moenia* manere ſemper debuiſſe. Arcebantur quidem inde quotquot eorum abſolutione Sacerdotali adhuc carebant, at reliqui admittebantur. Lichtfootus in hunc loc. *Lichtf. Hor. Hebr. in Luc. 5. 12 & Matt. 8. 2.* *Si civitas* hæc (inquit) *de quâ Euangeliſta, talis foret*, cincta nempe mœnibus a diebus Joſuæ, *non tolerandus in eâ erat leproſus, niſi quem* (NB) *ab immunditia ſua abſolverat Sacerdos. Nam remanſit lepra poſt illam abſolutionem & non ſanatus eſt ager, ſed redditus Eccleſia.* Et alibi. *Purificato leproſo, non ſanata eſt lepra, ſed evaporato jam veneno morbi, & periculo contagionis præterlapſo, redditur Leproſus cœtui publico.* Gehazi, *ſervus* Elizæi, *ſempiterna lepra eſt adjudicatus, & tamen mundatus verſatur.* 2 *Reg.* 8. 5. *mundatus non ſanatus. Sic ſub juſtificatione & ſanctificatione remanent tamen ſemina & ſordes peccati.* 5. Locus Luc. 9. 31. non dicit, moriturum eſſe Jeſum Hieroſolymæ, ſed loquitur de ejus paſſionibus tantum Hieroſolymæ inchoandis, vel de morte ejus decretâ a Pontificibus & Synedrio Magno; & ſic idem ibi dicitur, quod cap. 13. 33. *Non fieri, ut Propheta pereat extra Hieruſalem*; quia nempe Prophetæ non judicabantur, niſi a judicibus Sanhedrin, qui Hieroſolymæ reſidebant. Confer. Matt. 23. 37. *Ioh. Gerard. Harmon. Euang. cap. 181.* Ne dicam, eſſe inter Veteres, qui ἔξοδον dicto loco per *ſpiritualem* Chriſti *e Synagogâ Judaicâ egreſſum* interpretati ſunt, de quo Jer. 12. 7. Matt. 23. 37. Act. 13. 46, &c. 6. Imo ſumantur allegatis locis verba, ut Opponentes volunt; quid tum? Non enim ſequitur, *Ier. 12. v. 7. Matt. 23. 37. Act. 13. 46. &c.* modus aliquis loquendi impropriè alibi uſurpatur, ergo & hic eodem modo ſumendus eſt. In locis citatis, ſi juxta mentem Opponentium interpretanda ſint, neceſſitas circumſtantiarumque ratio urget, ut ad ſenſum improprium recurratur, quia alioqui Scriptura ſibi ipſi contrariaretur. Aſt ubi hic iſtiuſmodi neceſſitas, ubi hic circumſtantiarum ratio, quæ proprium verborum ſenſum non admittit? Monſtretur illa & argumento huic non amplius inſiſtetur.

VI. Adhæc *Deſcriptionis* ratio, quam *Auguſtus* mandaverat, exegit, ut deſcribendi non tantum *prope* locum, ſed *in* loco eſſent, unde oriundi erant. Verſ. 3. dicit Lucas: *Ibant omnes, ut deſcriberentur* (NB) in *ſuam quiſque Urbem*; Εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. At Urbs *Ioſephi* & *Mariæ* non erat *diſtrictus* Bethlehemiticus, neque Bethlehemi *ſuburbium* aliquod, ſed *ipſa Bethlehem*; proinde non *extra* ſed *intra* eam procul dubio ſe ſtiterunt. Ἀνέβη Ἰωσὴφ εἰς πόλιν Δαβίδ, non ἐγγὺς πόλεως. Denunciat etiam Angelus verſ. 11. *Natum eſſe Servatorem* ἐν πόλει Δαβίδ, *in* urbe Davidis,

non *prope* urbem. Prodire etiam debuit Salvator *ex* urbe Bethlehemo, מִמְּךָ, Mich.5.1. Accedit, quod oppoſita ſententia neſcio quæ non ut vera & certa ſupponat, quæ ſummo jure dubia & incerta haberi poſſunt. Ut E. G, Urbem Bethlehemum *ſuburbia* habuiſſe, oppidulum ſcilicet tam abjectum & exiguum; *extra* Bethlehemum *diverſorium* vel diverſoria fuiſſe; *Speluncam* juxta muros fuiſſe, & quæ ſunt ejuſdem farinæ alia, quæ apud Scriptores videri poſſunt. *Profecti* quoque verſ. 15. *Bethlehemum* dicuntur Paſtores, quibus primum denuntiatus eſt Chriſtus, ut & poſtea inde ad jumenta ſua *reverſi*: quodſi jam per Bethlehemum non *ipſa urbs* ſed ejus tantum regio vel *diſtrictus* intelligendus ſit (quo referenda certe eſt *ſuburbicalis ſpelunca*, quæ hic fingitur) ſequi utique neceſſe eſt, eos etiam ad *regionem* illam diſtrictumque ſolum contendiſſe, indeque reverſos tantum eſſe, quod abſurdo non carere quis non videt? Quomodo enim profecti ad *regionem* dici potuerunt, in quâ jam erant modo, excubiaſque ſuas agebant? quomodoque ad eum reverſi *diſtrictum*, e quo receſſum nunquam fecerant, ſed in quo revera manſiſſe eos certum eſt, etiam eopſe tempore, quo diſceſſiſſe inde perhibentur? Paſtores dixerunt, Διέλθωμεν δὴ ἑώς Βηθλεὲμ; id vero vertendum tum eſſet, non ut vulgo fit, per *Eamus Bethlehem uſque*, ſed *Eamus prope Bethlehem*, vel ad *regionem Bethlehemiticam*; quod ſcopo certe Spiritus S. conveniens non eſt. Quomodo enim dicere potuerunt: Eamus *prope* Bethlehem, cum jam eſſent modo *prope* Bethlehem, ut textus exertim habet, ἐν τῇ χώρᾳ τῇ ἀυτῇ. Neque ſufficit, ſi dicatur, *regionem* illam *Bethlehemiticam* amplitudinem & latitudinem ſuam habuiſſe, adeoque Paſtores, Chriſtum quærentes, dici poſſe, *ex una* regionis illius parte ad *aliam* ſeceſſiſſe, manentes nihilominus *extra* ipſam urbem; Nam quomodo tum dici poſſunt profecti *Bethlehemum* Paſtores? vel cur una diſtrictus *Bethlehemitici* pars ipſius *Urbis* notione magis inſignita fuit, quam altera, ſi neutra *ipſa* urbs fuerit, ſed utraque tantum circumjacentis Regionis pars quædam, ab *ipſa urbe* diſtincta?

VII. Neque pondus habent quæ in contrarium adferuntur. Ad *Primum* enim, quod de *Juſtino Martyre* (quem ab adverſâ parte ſtare apud multos in confeſſo eſt) objicitur, dico, 1: fruſtrà ipſius ſolius authoritatem omnibus aliis Antiquæ Eccleſiæ Doctoribus opponi. Tametſi enim quæſtio hæc *facti* & hiſtorica ſit, in quâ

non

Digitized by Google

non abs re teſtibus & teſtimoniis agitur, percipere tamen non poſſum, cur plus unus teſtis pro parte unâ valere debeat, quam plurimi pro adverſâ. Eſt quidem, quod *Baronius* Origenem, Euſebium &c. pro ſe quoque adducat, ſed gratis id facit; cum *Originem* contrarium plane aſſeruiſſe, ex hiſce ejus verbis palam ſit: Δείκνυται (inquit) τὸ ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον, ἔνθα ἐγεννήθη: *Oſtenditur* in *Bethlehem ſpelunca, ubi* (Jeſus) *natus eſt.* Nota bene: non *prope* Bethlehem, ſed *in* Bethlehem. Neque ad rem facit, quod Vir quidam Doctus ad *Origenis* interpretem hic provocet, eumque vertiſſe obtendat, non *in* Bethlehem, ſed *apud* Bethlehem; quum quæſtio non ſit de *Origenis* verbis, in ſermonem Latinum transfuſis, ſed de originalibus; neque quisquam procul dubio inficiaturus ſit, multo ſemper plus Scriptoris qualiscunque primogenio textui, quam aliorum tranſlationibus tribuendum eſſe. Eſtque id, quod de omnibus pene Patribus, a *Juſtini* ſententiâ recedentibus, *Caſaubonus* urget, hoc obſervatu dignius, quod ne ipſe quidem Antagoniſta ejus *Lanſelius* negare id auſit, ſed in laudes *Iuſtini* mirifice tantum excurrat, concludatque tandem aculeato hoc dicto: *Iuſtinus unus plus habet ponderis apud me, quam ſexcenti alii de grege Novatorum.* *Origen. Cont. Celſ. lib. 1.* *Lanſel. Adv. Caſaubon. p. m. 535.*

VIII. Neque felicius *Euſebius* ad partes vocatur; quum ille non *extra urbem* ſed *in agro* Servatorem natum ſtatuat, quæ ſane unum & idem non ſunt. Sic verba ejus habent: Πιςούμενοι τὴν ἀλήθειαν διὰ τῆς τοῦ ἀγροῦ δείξεως, ἐν ᾧ τικοῦσα ἡ παρθένος κατατέθειται τὸ βρέφος. *Veritati fidem adſtruentes*, agri *illius demonſtratione, in quo depoſuit Virgo infantem, quem pepererat.* Nam quis neſcit, etiam *intra* ipſos urbium parum populoſarum muros (qualis procul dubio Bethlehem fuit) loca quædam vacua, imo totos agros nonnunquam reperiri, qui ab incolis camporum & pratorum ruralium inſtar haberi ſolent? Cenſet etiam *Baronius*, in Bethlehemi quodam ſub-urbio natum eſſe Chriſtum, at ſi *ager* eſſe potuerit in ſuburbio, quod contractius procul dubio fuit, cur non etiam in ipſa urbe, ſuburbio longe ſpatioſiore? niſi univerſam circumjacentem *Bethlehemi* regionem *ſuburbium* ejus dicere velis. Ut neque ſine ratione exiſtimat *Caſaubonus*, Euſebiani Codicis mendum eſſe, quod pro τοῦ ἄντρου habeat τοῦ ἀγροῦ; etiamſi, ut ex dictis patet, non opus ſit eo recurrere. Maxime cum ex ipſis Opponentibus *Lanſelius*, Hyperaſpiſtes *Baronii*, virulentuſ- *Euſeb. Edit. Græc. pag. 213. Citat. Caſaubono Exercit. 2. p.m. 163.* *Lanſel. Loc. Citat.*

que *Caſaubonioru*m cenſor, cauſam ſatis *tradat*, dum *Euſebium* verbis citatis nihil aliud velle pertendit, quam quod ſupra dixit Origenes, *Oſtendi* nempe *Speluncam* in Bethlehem, *ubi Ieſus natus eſt*. Accedit, quod nunquam in rebus adſtruendis Theologicis Patrum antiquorum auctoritatibus, niſi cum periculo, plus juſto inſiſtatur; quare & ipſiſſimi ſapientiores inter eos a vindicando ſibi hoc honorē alieniores ſemper fuerunt. Ita Auguſtinus: *Nolo authoritatem* meam *ſequaris, ut ideo tibi putes aliquid credendum, quoniam a me dicitur. Nullo modo litteras* meas *ab omni errato liberas audeo vel putare vel dicere.* Et alibi: *Obſurdeſcentes adverſus Euangelium & non permittentes legere verba Dei, qua ſe jactant cuſtodiviſſe a flamma, & volunt delere lingua, loquuntur ſua, loquuntur inania. Ille tradidit, inquiunt, & ille tradidit, & verum dico, ſed quid ad me? Nec tu mihi, quos nominas, ex Euangelio legis; nec ego quos nomino ex Euangelio lego. Auferantur de medio charta* noſtræ. *Procedat in medium* codex *Dei. Audi Chriſtum docentem, audi veritatem loquentem.* Et Chryſoſtomus: *Non tam attendimus, quid huic vel illi videatur, ſed Scripturam ſequimur, omnium exactiſſimam trutinam & regulam.* Nec non Hieronymus: *De me, ubicunque Scripturas non interpretor, ſed libera de meo ſenſu loquor, arguat me quilibet.* Abſit tamen, ut contemnenda eapropter *Antiquitas* ſit, e contra reverenter habenda & ſuſpicienda potius eſt, licet ſemper Divinæ authoritati ſubjicienda. Quouſque vero in genere deferendum ei ſit, vel non deferendum, hujus loci non eſt determinare, cum alii abunde id præſtiterint. Tenendum tantum eſt quod habet Lactantius: *Nec quia Majores nos* temporibus *anteceſſerunt* ſapientia *quoque anteceſſerunt; qua ſi omnibus aqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Hac fallit, quod* majorum *nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia* minores *vocantur, aut illi deſipuerint, quia* majores *nominantur.* Cum, ut ſcitè nonnemo, *pygmei Gigantum humeris impoſiti, plus quam ipſi Gigantes videre ſæpe poſſint.*

August. Lib. 5. de Baptism.

Id. in Ps. 57.

Chryſoſt. in 2. ad Corinth. Hom. 13.

Hieron. in Apolog. ad Iovinian.

Voet. Diſputat. Sel. p. 1. p. 87.

Lactant. de Falſ. Relig. l. 2. c. 7.

Didac. Stell. in Luc. cap. 10.

IX. Dicit quidem *Grotius*, hoc magis, *Iuſtini Martyris* teſtimonio tribuendum hic eſſe, quod ipſe *Samarites* fuerit, & prope Judæam natus & educatus. At idne ſolum totius Antiquitatis, quinimo ipſius Scripturæ, authoritatem exæquabit? Quid ad rhombum facit, quod in Judææ confiniis natus & educatus ſit *Iuſtinus*, ſi ipſum verſatum in Regionibus illis fuiſſe, quando Chriſti nativitas incidit, non demonſtretur, ut nunquam demonſtrari poterit? cum dictus *Martyr* ſeſqui fere ſeculo, poſt natum Chriſtum

Bucholcer. ad A. 141.

ſtum, lucem demum adſpexerit. Inclareſcere enim cœpit Anno, poſt reparatam ſalutem, 141. quippe quo Librum ſuum, pro Chriſtiana Religione conſcriptum, Imperatori *Antonino* demum tradidit.

X. Imo hoc quidem minus *Iuſtino Martyri* ſtandum hic videtur, quod tum hic tum alibi ſibi ipſi apertè contradicat. Revera enim dixit, Mariam in Specu *vico* (Bethlehem) *proximo* Chriſtum peperiſſe; at verbis immediate præcedentibus plane ejus contrarium aſſeruerat, dicens: Γεννηθέντος δὲ τότε τοῦ παιδίου ἐν Βηθλεὲμ, id eſt, *nato autem puero in Bethlehem*; quomodo vero *in* Bethlehem natus fuit, & tamen *extra* Bethlehem? Eluere quidem contradictionis hanc maculam ſtudet *Sylburgius*, dum ad tropum Metonymicum profugit, explanans τὸ ἐν Βηθλεὲμ per in *Bethlehemi vicinia*, ſive in *agro Bethlehemenſi*; ſed qua authoritate vel colore id faciat, neſcio. Pari enim jure dicere mihi licebit, per ſpecum *vico proximum* vicum ipſum intelligendum eſſe; quod ſi concedatur, habeo quod intendi, *Iuſtinum* nempe non magis pro ea ſententia, quæ Chriſtum *extra* urbem natum vult, ſtare ac pro illa, quæ contrarium ejus tenet.

Sylburg. in Not. ad Iuſt. Mart. pag. m. 55.

XI. Ut neque juvat *Grotium*, quod famam de Jeſu *extra* Bethlehemum nato, ità olim innotuiſſe dicat, ut etiam Vetus Scriptor, ſub Divi *Chryſoſtomi* nomine, aſſenſum ei præbuerit, idemque cum *Juſtino* profatus ſit. Nam unde probabit Vir illuſtris, Scriptorem illum aliunde, quam ex ipſo *Juſtino*, id habuiſſe & deprompſiſſe, atque adeo pro peculiari hac in Hiſtoria teſte admittendum eſſe? Scripſit *Iuſtinus*, ut dictum eſt, Anno, poſt Chriſtum natum, præter propter 141; at *Chryſoſtomus*, vel quiſquis Scriptor is fuerit, in quem *Grotius* digitum intendit, ducentis & quinquagnita annis fere, ſi non pluribus, poſt eum; exceſſit enim Ao. a nato Servatore 407. vel, ut *Funccius* vult, Ao. 411. Et quam ſæpe non accidit, ut Hiſtoricus ſequens nihil aliud narret, quam quod a præcedentibus commodato ſumſit? Præſertim cum in iis referendis occupatus eſt, quorum ipſemet teſtis auritus vel oculatus nec fuit nec eſſe potuit, vel quæ ſuo ſaltem tempore non evenerunt.

Funcc. Chronolog. Fol. 111.

XII. Ad *Secundum*, Diverſoria in multis Regionibus *extra* portas fuiſſe, *reſpondeo*: Nequaquam inde ſequi, quod probandum erat; non enim negatur, Chriſtum *extra* Bethlehemum naſci potuiſſe, quod ex hac ſuppoſitione tantum ſequitur, ſed revera

 ipſum

ipſum natum ibi eſſe. Imò utcunque *tum* apud Veteres *tum* apud nos *diverſoria extra-muralia* ſæpe fuerint, haud tamen probabile eſt, cum vili hoc oppidulo conſtitutum ita fuiſſe; *tum* ob loci parvitatem, ob quam etiam ſuburbiis forſan caruit, *tum* ob exiguum adventantium ordinario hoſpitum numerum, qui intra urbeculæ cancellos comprehendi ſatis potuerunt.

XIII. Similiter ad *Tertium* regero: Evinci. 1. certo non poſſe, muris circumcinctum Bethlehemum fuiſſe; non enim fuit urbs ſpatioſa & ampla, ut nemo non fatetur, ſed per-exigua; unde Johanni cap. 7. 42. κώμη, id eſt, *vicus* tantum dicitur; neque Johanni tantum, ſed ipſi etiam *Juſtino*. Ἐκεῖ Ἰωσὴφ οὐκ εἶχεν ἐν τῇ κώμῃ [*in Vico illo*] ἐκείνῃ ποῦ καταλῦσαι. Hieronymus *villam* imo *villulam* indigitat. 2. Quodſi murata Urbecula fuerit, non ſequi tamen, paſtores noctu eam intrare non potuiſſe; erat enim altiſſima tum pax Imperio Romano, ut teſtes ſunt *Theodoretus*, *Oroſius*, alii. Unius *Hieronymi* ecce iterum verba: *Veteres* (inquit) *revolvamus Hiſtorias, & inveniemus uſque ad* 28. *annum Cæſaris Auguſti, cujus* 41. *anno Chriſtus natus eſt in* Judæâ, *in toto terrarum Orbe fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas Gentes arſiſſe ſtudio præliandi, ita ut caderent & caderentur. Orto autem Domino Salvatore, quando ſub Præſide Syriæ Cyrino, prima eſt in orbe terrarum facta Deſcriptio, & Evangelica doctrina pax Romani Imperii præparata: tunc omnia bella ceſſaverunt. Et nequaquam per oppida & vicos exercebantur ad prælia, ſed & agrorum cultus, militibus cautum, legionibuſque Romanis contra Barbaras nationes bellandi ſtudia delegato.* Adeoque ne quidem ipſâ procul dubio nocte urbium in Judæâ portæ ita obſeratæ fuerunt, quin introitus in illas adventantibus facile fuerit conceſſus. Prout de Chriſto etiam legitur, quod noctu Hieroſolymâ, ad invocandum Patrem ſuum, quandoque exiverit. Luc. 21. 37.

Juſtin. Mart. Loc. cit.
Hieronym. ad Marcell.
Oroſ. Hiſtor. lib. 6. cap. Ult.
Theodoret. in Pſalm. 45.
Hieronym. in Eſ. 2.

XIV. Ad *Quartum* dico, Providentiæ divinæ ſingulari adſcribendum eſſe, quod *Herodes* de Magorum facto nihil reſciverit; ut ſcrupulum illum piè eximit doctiſſ. *Caſaubonus*. Cui addo, eandem remanere difficultatem, ſi in Bethlehemi *ſuburbio* natus ſit Salvator: non enim veriſimile eſt, urbem & ſuburbium hoc longo a ſe invicem intervallo diſtitiſſe. Præterquam quod ſupponi videatur, quod falſum eſt, plane ſaltem incertum, eodem loco natum eſſe Chriſtum, quo adoratus eſt a Magis; obſtare enim iſti hypotheſi videtur Matthæus, qui, dum Lucas dicit, Chriſtum prodiiſſe ſive

Matt. 2. 11.

ve

ve reclinatum fuiſſe ἐν τῇ φάτνῃ, expreſſe aſſerit, adorationem ejus per *Magos* ἐν τῇ οἰκίᾳ, id eſt, *domo* aliquâ contigiſſe; adeo ut probabile ſit, Ioſephum & Mariam, poſt Deſcriptionem finitam, e loco, in quo natus erat Ieſus, ad diverſorium, quo recipi antea non potuerant, quodque hoſpitum diſceſſu vacuefactum jam erat, cum Infantulo ſuo tranſiiſſe, vel transferri ſe curaſſe. Quodſi denique in urbe *Hieroſolyma* adoratio hæc contigiſſet, admiratione forte dignum eſſet, *Herodem* eam non reſciviſſe; ſed cum in urbe *Bethlehem* acciderit, quæ inſigni ſpatio *Hieroſolymâ* diſtabat, minus utique alienum fuit, ſi rumor ejus, nullo forſan loco a pleriſque primum habitus, ad aures ejus mox delatus non ſit. Diſtabat minimum Bethlehem *Hieroſolymâ* ſex milliaribus; *Herodem* vero non illic, ſed *Hieroſolymæ* tum temporis ſubſtitiſſe, e verbis Matthæi cap. 2. 1. 2. 3. 4. manifeſtum eſt.

XV. Ad *Quintum* ſive ultimum repono: Non pugnare, Chriſtum *in Speluncâ*, & tamen in *ipsâ urbe* natum eſſe; cum, obſervante *Strabone*, non tantum univerſa Paleſtinæ regio, ſed & ipſa urbs *Bethlehem* ὑπόπετρος, id eſt, *petroſa* fuerit. Conjunguntur hæc ideo etiam a *Caſaubono*, dum de *Helena Auguſta*, ex Sozomeno, ſic loquitur: Ὠκοδόμησε ναὸν ἐν Βηθλεὲμ ἀμφὶ τὸ τῆς γενέσεως Χριστοῦ σπήλαιον. *Ædificavit Templum in Bethlehem ad* ſpeluncam *illam, in qua natus eſt Chriſtus.* Quæ quomodo cum *Sculteti* verbis componi poſſint, cum inquit, *Quotquot* Speluncæ *habemus confeſſores, totidem nos ſententiæ noſtræ, de Chriſto* extra *civitatem Bethlehem nato, habemus patronos*, fateor me non videre. Mitto quod & alii ſunt, qui *Speluncæ* in Servatoris nativitate quidem meminerunt, nec tamen de ortu Ejus *in* vel *extra* Urbem quicquam determinarunt; Sic Epiphanius: Καὶ τῶν ποιμένων ἡκόντων εἰς τὸ σπήλαιον ἔνθα ἐγεννήθη. *Et cum paſtores veniſſent in* Speluncam, *ubi natus fuit* Chriſtus. Et Athanaſius: Ἡ παρθένος ἐν τῷ μικρῷ σπηλαίῳ ἐγέννησε. *Virgo in parva* Spelunca *peperit*, nempe Chriſtum: nulla de ortu ejus *in* vel *extra* Civitatem mentione injecta. Idem in *Pſeudo-Evangelio Iacobi* videre etiam eſt. Nolumus proinde multis contendere, an Chriſtus in *Spelunca* natus ſit, nec ne; cum impune id dari poſſit, ſine ullo ſententiæ noſtræ, de Ejuſdem *in ipſa urbe* ortu, præjudicio, quinimo id vero abſimile non ſit, non tantum quia omnes pene Latini Græciq; Patres ſic ſenſerunt, ſed quia & ipſi illi, qui

Huet. Demonſtrat. Evangel. Tom. 1. p. m. 41.

Caſaubon. loc. cit.

Scultet. Exercitat. Evangelic. lib. 1. cap. 51

Hoornb. Vet. & Nov pag. 32.

Epiphan. Hæreſ. 78.

Athanaſ. Homil. in. Deſcript. B. Virg.

Epiphan. Hæreſ. 78.

Origen. contr. Celſ.

Hieronym. Ep. 18. ad Marcell.

qui terras illas peragrarunt, ipſis ſuis oculis viderunt, multas ibi domos ipſis ſaxis inciſas fuiſſe. Iterum Caſaubonus: *Stabulum, in quo natus eſt Dominus, paſſim Græci Latinique Patres appellant* σπήλαιον, Speluncam, *quia* Bethlehem *in colle erat ſita, unde pleraque domus in ſaxis exciſa fuiſſe videntur.*

Caſaubon. Exercit. 2. num. 1.

XVI. Quæritur porro, an in *Stabulo* & quidem inter *ipſa pecora* natus ſit Chriſtus? Viſum eſt multis, cum in diverſorio *Mariæ* locus non fuerit, eam cum *Joſepho* in ſtabulum, diverſorio proximum, ſeceſſiſſe, ibique peperiſſe. *Vulgaris opinio eſt*, ait Chemnitius, de Bove & Aſino, *quam arbitror ex illa conjectura natam eſſe, quia* Lucas *nominat* Præſepe, *& veroſimile eſt, in tanta hoſpitum præſentia, qui non omnes pedeſtri itinere venerunt, ne ſtabula quidem & præſepia vacua fuiſſe. Quia v. Prov. 14. 4. Eſ. 1. 3. Luc. 13. 15.* Aſinus *præſepi alligatur, exſtructa inde eſt Traditio de* Bove & Aſino, *in quorum* medio *Chriſtus ſit natus, & in præſepe reclinatus.* Ut & hinc factum putat *Drexelius*, quod mater S. *Ignatii Lojolæ* (ſic enim verba ejus ſonant) Marina, domo Badenſis, claro genere nomineque fœmina, cum hunc ipſum ſuum filium parturiret, ingenti erga natalem Domini affectu, in *ſtabulum* deferri ſe juſſerit; ut eo loci pareret, ubi Virgo Deum genuiſſet: *neque enim meliore loco ſe dignam cenſebat in puerperio, quam fuerat mater Domini, quæ pepererat in Stabulo.* Imo adeo quidem trita ſententia hæc eſt, ut religio pene videatur, quadantenus ab ea recedere. Sed (quod pace multorum Præſtantium Virorum dixerim) non video, quibus argumentis, iiſque quidem apodicticis, adſtructa hactenus ſit. Probari quidem eam pertendit *Baronius* ex Propheta *Habakuk* cap. 3. verſ. 2. trahens eo etiam locum *Eſaiæ* cap. 1. 2. 3. ut & verba *Veterum* quorundam, *Nazianzeni*, *Hieronymi*, *Gregorii Nyſſeni*, *Cyrilli*, &c. adducens; ſed tam docte & ſolide profligata illa dedit Celeberr. D. *Caſaubonus*, ut ſupervacaneum foret, ſi unum verbum adderem.

Chemnit. Harmon. Euangel. c. 8

Drexel. Oper. tom. 2. p.m. 392.

Baron. Annal. l. 1.

Caſaubon. loc. Citat.

XVII. Multi e præſentibus *Lucæ* verbis id educunt, cum ait, *Mariam* Filium ſuum ἐν τῇ φάτνῃ repoſuiſſe. Quod fuiſſe præſupponunt loculamentum ſive manducatorium quadratum, idque ſatis quidem *anguſtum*, paſcendis bobus equiſque deſtinatum. Ita *Sedulius Presbyter*:

Walæ. in Libb. Hiſtor N.T. p. 450

Sedul. l. 2 *Quemque procelloſi non mobilis unda profundi*

Ter

Terrarum non omne ſolum, ſpatioſaque lati
Non capit aura Poli, puerili in corpore plenus
Manſit, & anguſto *Deus in* Præſepe *quievit.*

Et in Hymno ad Chriſtum:

Enixa eſt Puerpera,
Quem Gabriel *prædixerat,*
Quem matris alvo geſtiens
Clauſus Iohannes *ſenſerat.*
Fœno *jacere pertulit,*
Præſepe *non abhorruit.*

Imo exiſtimat *Salmaſius*, per ſynechdochen partis, vocem φάτνην quandoque ipſum *ſtabulum*, cujus pars eſt, ſignificare, atque ita etiam hoc loco ſumendam eſſe. At alii ſequelam illam, Chriſtus reclinatus eſt in *præſepio*, ergo natus eſt *in ſtabulo*, fidenter negant, planeque aliud quid, ac mox dictum eſt, per τὴν φάτνην intelligi volunt: ſcilicet non *præſepe* aliquod proprie dictum, vel *ſtabulum*, ſed ſingularem quendam locum ſive ædificium publicum, a *diverſorio Bethlehemitico* diſtinctum, vel *extra* urbem, vel *intra* urbem, in quod peregrini & viatores, iique quidem (obſervante *Drexelio*) pauperiores, ſe recipiebant; locumque illum τῆς φάτνης nomine appellatum, vel *Præſepis* inſigni notatum fuiſſe. Belgæ ſimile quid habent, quod *een Beyert*, vocant, eorum uſui deſtinatum, qui hoſpitio vel aliorum diverſoriorum adminiculo deſtituti ſunt. Ut etiam pro *Sponſis*, qui tam tenuis conditionis erant, ut propriis carerent ædibus, *Nymphæorum* quoddam genus, præter illa, quæ ad pompam & voluptatem comparata erant, Veteres habuerunt: quæ loca erant optimorum Imperatorum beneficio eum in finem tantum condita & publicata, ut nuptiæ in iis a *pauperioribus* celebrarentur, ſingularibus ſuis *titulis* ab aliis diſtincta; prout hodiedum apud omnes pene populos receptum etiam eſt, ut hoſpitiis & diverſoriis ſuis peculiaria nomina inſcribant. E. G. hiſce in oris de *Swaen*, de *Toelaſt*, de *Gulde Leeuw*, het *Roode Kruys*, &c. Inferunt hoc qui ſic ſentiunt ex eo, quod *Lucas* ſimpliciter non tantum dicat, reclinaſſe *Mariam* Infantulum ſuum ἐν φάτνῃ, *in præſepio*, ſed ἐν τῇ φάτνῃ q. d. *in illo* præſepio, cum expreſſo articulo, id eſt (inquiunt) inſignite in *illo* loco, qui ſub *præſepis* notione notus Bethlehemi tum erat; Sicut articuli iſtiuſmodi in lingua Teutonica haud abſimilem ἔμφασιν fere habent: ita qui dicit, *Titius*

Drexel. Loc. Citat.

Ælian. Variar. Hiſtor. l.13. cap.16.

Plutarch. in Sylla.

tius habitat in *een* Kaſteel, genus tantum dicit ædificii, quod incolit; at qui dicit, *Titius* habitat in *het* Kaſteel, electè hunc vel illum locum deſignat. Ut longe etiam aliud eſt, ſi dicam, *ik heb een Koning geſien*, quam ſi dicam, *ik heb de Koning geſien*.

Regenvol. Hiſt. Eccleſ. Slavonic. lib. 3. p. m. 379.

XVIII. Primarius opinionis hujus antiſtes eſt *Abrahamus Scultetus*, *Grunbergæ* Sileſiorum Anno 1566. natus, *Heidelbergæ* Anno 1618. Profeſſioni Theologicæ admotus, triennio vel quadriennio poſt exul factus, tandem Anno 1622. ad Eccleſiæ miniſterium *Emdam* vocatus, ibidemque Anno 1624. denatus, Vir ſane verè magnus, de quo jure Annales, quod *diſertiſſimus non tantum Concionator, ſed, præter Theologicam ſcientiam, Antiquitatis & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus fuit.* Verba ejus appingam, quia forte Liber ejus omnibus ad manum non eſt: *Is ſpecus* (inquit) *dictus eſt Præſepe* zur Krippen, *quemadmodum hodieque in medio ſæpe agro* (ſupponit Chriſtum non *in* urbe ſed *extra* urbem natum, in quo ipſi non applaudimus) *ædiculæ ruſticæ inveniuntur, ad quas viatores neceſſitate compulſi, ſolent divertere; qualis inter Brugas & Sluſam in Flandriâ reperitur, vocaturque* zum Birnhauw: *favent huic ſententiæ verba Lucæ Euangeliſtæ, ipſiſſimuſque articulus Græcus*, &c. Et paulo poſt: *Si Angelus indefinite* Præſepe *indicaſſet, perreptandum Paſtoribus fuit totum Oppidum, & quærendum, ecquis infans cubaret in præſepi.* Dixi, *primarium* ſententiæ hujus *Antiſtitem* eſſe Virum illum Summum, non dixi *ſolum*; fuerunt enim & adhuc ſunt alii, qui eam, ſi non ut abſolute veram, ut valde ſaltem probabilem adoptarunt; a quarum partibus me ipſum fateor haud plane abhorrere, hiſce nixum fulcimentis: *Primo* (repeto hoc ex *Sculteto*) quod dictus articulus τῇ non tantum hoc loco voci φάτνῃ præfixus reperiatur, ſed identidem repetitus appareat. Non enim hic duntaxat dicitur, ἐν τῇ φάτνῃ, ſed verſu etiam 12. *Hoc autem* (inquiunt Angeli) *vobis ſignum erit, invenietis Infantulum faſciis involutum, & jacentem* ἐν τῇ φάτνῃ *in præſepio.* Ut & verſ. 16. *Et invenerunt Mariam & Joſephum, & infantem jacentem* ἐν τῇ φάτνῃ. Eſt quidem, quod etiam ſine ullâ ἐμφάσει nonnunquam articuli apud Græcos uſurpentur, ut Act. 7. 43. Matt. 4. 4. 2 Teſſal. 2. 3. videre eſt; ſed aliud eſt, *ſemel* tantum articulum voci cuidam præponi, aliud, ut a *Lucâ* hic fit, tam crebro eum ingeminari; neque credibile eſt, ullum in Novo Teſtamento exemplum extare, in quo ἐμφατικώτερον id eſſe non appareat. Si *dicas*, voci etiam καταλύματος articulum

Scultet. Exercit. Euangel. lib. 1. cap. 51.

lum a *Lucâ* præfixum eſſe; dicitur enim, Διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι, neque tamen concludi inde poſſe, *ſingulare* quoddam diverſorium, vulgo notum, eo indicari. *Reſpondeo*, vim argumenti, ut jam dictum eſt, in *ſimplici* articuli ejus præfixione non collocari, ſed in præfixione ejus toties, id eſt, *trinis vicibus* repetitâ, ut *Sculteti* verba innuunt, dum inquit: *Quorſum Euangeliſta Lucas illa* ἐν τῇ φάτνῃ ſemel, iterum, tertium, *verſu num. 7.12.16. cap. Secundi, ingeminaſſet, niſi* ſingularem *locum voluiſſet indicare?* Et quodſi diceretur, peculiare etiam quoddam diverſorium per τὸ κατάλυμα deſignari, an plane abſurdum id eſſet? Non quod in genere unum tantum diverſorium in totâ urbe Bethlehem fuerit, quod recipiendis hoſpitibus patuerit (gratis enim id a quibusdam dici mox demonſtrabitur) ſed tale tantum unicum, in quod, tanquam in domum commodam & honeſtam, utque talem ab aliis ſibi forte commendatam, ſe recipere, ibique eo tempore, quo commorari *Bethlehemi* opus erat, divertere Joſeph & Maria conſtituerant. *Secundo*, quod ab Angelis, in ſignum inveniendi Servatoris *Paſtoribus* datum, dicatur, quod offenderent ipſum ἐν τῇ φάτνῃ recumbentem. Si autem dicti Angeli, per τὴν φάτνην nihil aliud, quam *indefinitè* qualecunque *Præſepe* voluerint indicare, perreptandum certe (argumentum iterum *Sculteti* eſt) Paſtoribus totum oppidulum fuit, nunquid ibi infans in *præſepio* alicubi jaceret. Niſi dicere quis velit (quod probatu utique arduum foret) *manducatorium* illud, quod indicatum per τὴν φάτνην putatur, non in ipſis ædibus, ſed foras in plateâ conſtitiſſe, ſic ut in præteruntium oculos facile incurrerit. Id vero opus non fuiſſet, ſi ad *ſingulare* iſtiusmodi ædificium & Ptochodochium publicum, nemini non notum, τῆς φάτνης nomine inſignitum, digitum Angeli intenderint. *Tertio*, quod *Præſepe* hoc ultro ſatis cognitum *Paſtoribus* fuiſſe oporteat, cum ad indicium ejus, ab Angelis factum, ne verbum quidem exceperint, ſed ſecure ſtatim in dato illo ſigno acquieverint: quod quî facere potuerint vix dixeris, ſi in omnia Bethlehemi *præſepia* (quæ varia procul dubio ibi fuerunt) inquirere opus fuerit, num & ubi Jeſus in eorum aliquo recubaret: haud quicquam enim aliud aderat, quod Jeſum monſtrare ipſis poterat. Dicere enim, cum *Caſaubono*, multas hanc in rem *rationes adduci quidem poſſe*, nullas vero adducere, ſed ad *doctam ignorantiam*

Scultet. Loc. Citat.

Caſaub. c. Baron. Exercit. 2. p.m. 165.

& *Scriptura* hac de re *ſilentium* provocare, ſecare nodum potius eſt, quam ſolvere. Neque bene obtenditur, rem ſatis inſolentem Bethlehemi fuiſſe, quod puerulus recens natus, non in *cunis* vel conſueto parvulorum quodam receptaculo, ſed in beſtiarum *loculamento* recubaret, adeoque hoc ſolo indicio cognoſci ſatis a *Paſtoribus* potuiſſe, ubi inveniendus eſſet Jeſus. Utcunque enim *ordinario* Bethlehemitis infantulos ſuos in beſtiarum manducatorium reponere in more non fuerit, non liquet tamen *extraordinario* hoc imperatoriæ Deſcriptionis caſu a nemine eorum vel hoſpitum quoquam, qui in urbem acceſſerant, factum id eſſe. Quidni enim ipſa ea neceſſitas, quæ *Mariam*, juxta Opponentes, adegit, ut diverſorio excluſa, cunarum vice in *præſepio* Filium ſuum reclinaret, etiam alias eo impellere mulieres potuit? niſi probari poſſit vel nullas, præter *Mariam*, Bethlehemi tum parturiviſſe fœminas vel, ſi parturiverint quædam, nulli earum tam duram obtigiſſe ſortem, ut ob hoſpitum frequentiam in diverſorium admitti non potuerit, ſed in beſtiarum ſtabulum ſecedere coacta ſit. Quin eſto, inſolentius Bethlehemi fuiſſe, quod puerulus aliquis in *præſepio* recubaret, quomodo ſcire tamen potuerunt *Paſtores*, ubi loci infantulus is eſſet? Notumne id omnibus urbeculæ incolis aliiſque quibuſvis, in eâ tum commorantibus, fuit, ſic ut e quocunque obviam ſibi facto cognoſcere id potuerint? unde id liquet? Id autem ſi non fuerit, iterum dico, quomodo in ſigno illo *Angelico* tam ſecure potuerunt acquieſcere? *Quarto*, quod vix conſtare videatur ratio Lucæ, repoſuit Maria Infantem ſuum in *præſepio*, quia iis locus non erat in *diverſorio*, ſi per *præſepe* Boum vel Equorum manducatorium intelligendum ſit. Potuitne enim, Joſepho & Mariâ diverſorio excluſis, infantulus tamen in hiſce vel illis cunis alicubi reponi? Vel debebatne Is loculamento præciſe beſtiarum recipi, quod a *Bethlehemitis* hoſpitio non reciperetur? Quis tam lynceus eſt ut connexionem hanc videat? Nonne multo ſpecioſius inferri quis dixerit: reponendus erat Jeſus in diverſorio *viliori*, quia ipſi locus non erat in diverſorio ordinario & *honoratiori*? Sicut ſequelæ hujus infirmitatem etiam obſervavit *Salmaſius*, dum τὴν φάτνην non per *præſepe* ſed per ipſum *ſtabulum* interpretatus eſt: ita ut, ipſo judice, dicere voluerit *Lucas*: repoſitus eſt infans in *ſtabulo*, quia ei cum parentibus locus non erat in *diverſorio*. Quod utcunque nos non recipiamus, multo tamen melius procedere videtur, quam ſi per

τὴν

τὴν φάτνην *beſtiarum manducatorium* dicatur intelligendum. *Quinto*, quod nulla oſtendi neceſſitas poſſit, ob quam per τὴν φάτνην beſtiarum manducatorium præciſe intelligendum hic ſit, quam quod φάτνη iſtiuſmodi manducatorium *proprie* ſignificet. At cogitne illa ratio? an propriæ vocum ſignificationi tam obſtinate ſemper inhærendum, ut nunquam recedere ab eâ licitum ſit? Quomodo centena Scripturæ loca tum explices, quæ abſurdiſſima quæque inferre nō raro debebunt, ſi non niſi *proprie* accipiantur? non abeundum quidem a *proprio* verborū ſignificatu, niſi *urgente neceſſitate*; at an nulla ſe neceſſitas hic prodit? judicent id velim quotquot vulgaris & antiquę opinionis præjudicio plus juſto occupati non ſunt. Mihi ſaltem hactenus (licet præfractè inhærere opinioni huic nolim) collatione factâ, majorem pro vocis hujus ſenſu *improprio* adoptando, quam pro *proprio* retinendo, neceſſitatem eſſe, vix dubium eſt. Neque cuiquam fraudi eſſe debet quod, dum Scripturæ alicujus loci ſenſus minus perſpectus ipſi eſt, illum potius amplectatur, qui *paucioribus* obnoxius eſt difficultatibus, quam qui *pluribus*; quod poſterius an de ſenſu *proprio* hic verum non ſit, ἄνευ πάθων, ut dixi, expendi velim.

XIX. Si *objicias*: Dici de Infantulo, quod *reclinatus* ſit *jacueritque* ἐν τῇ φάτνῃ, in *præſepio*; at quid illud τὸ *reclinari* & *jacere* ad commorationem Chriſti, cum Joſepho & Mariâ, in *Ptochodochio* aliquo *publico*? cur, ſi eam indicare voluerit *Lucas*, non dixit potius, *divertit* vel *commoratus* Infantulus eſt in *præſepio* cum Joſepho & Mariâ? nonne τὸ *cubare*, Infantuli præprimis reſpectu, multo veroſimilius *manducatorium* aliquod beſtiarum infert, quam diverſorium vel domicilium aliquod publicum, in quo qui moratur, non tam *jacere* vel *reclinari*, quam *eſſe*, *ſtare*, *ſedere* vel *habitare* vulgo dicitur? *Reſpondeo*, Non ſequi, *repoſuit* vel *reclinavit* Maria Infantulum ſuum in *Præſepio*, ergo non divertit in Ptochodochio, vel *præſepe* illud non fuit Ptochodochium aliquod publicum, niſi probari poſſit, in Prochodochio illo, *præſepi* dicto, nullas fuiſſe cunas, in quibus reclinari Infantulus is potuit. Imovero ſequi puto, ſi ἐν τῇ φάτνῃ diverterit Maria, id eſt, in Ptochodochio, *præſepi* dicto, nuſquam alibi reclinare eam Filiolum ſuum potuiſſe, quam in ipſiſſimo illo *præſepio*. Neque juvant originales voces, quæ a *Luca* uſurpantur: Ἀνακλίνειν enim verbum generale eſt, non ſigni-

ſicans tantum *jacentem* vel *cubantem* aliquem alicubi reponere, ſed nonnunquam curare ſimpliciter, ut quiſquam vel quicquam alicubi ſit. In Euangeliis de *diſcubitione* paſſim ſumitur. Matt. 8. 11. & 14. 19. *Herodotus* per *expandere*, *aperire*, &c. interpretatur: ἀνακλίνειν τὴν θύραν habet, quod eſt *januam aperire*. Idem de voce κεῖσθαι dicendum eſt, quæ *poſitum* eſſe in genere notat, nullo præciſe ad *jacentis* vel *cubantis* geſtum reſpectu habito. Sic Joh. 19. 29. Σκεῦος ἔκειτο, *Vas poſitum erat*. Apoc. 4. 2. Θρόνος ἔκειτο, *Thronus* poſitus *erat*. Et apud *Plutarchum*, Ἀνδριάντα κεῖσθαι, *ſtatuam collocare*, non *jacentem* procul dubio, ſed *ſtantem* & erectam. Et *Plato*: οὔτοι κακῶς σοι κείσεται, ὅ, τι ἂν ἡμᾶς τοσούσδε ὄντας εὐεργετήσῃς. *Non male* collocabis *beneficium*, *quod in nos*, *qui tot ſumus*, *conferes*. Et ſignificent vocabula illa *jacentis* geſtum, quid tum? Non negat *Sculteus*, vel quiſquam ei conſonus, Chriſtum *jacentem* ἐν τῇ φάτνῃ recubuiſſe, imo expreſſe id aſſeritur; cum ob membrorum teneritudinem vel ſtans, vel ſedens, vel ambulans eſſe ibi non potuerit. Quinimo vulgaris fere loquendi mos eſt, cum de *Infantibus* agitur, non dicere, ubi *ſtat* vel *ſedet* vel *commoratur* parvulus, ſed ubi *cubat*? in quo cubiculo *jacet*? *Inſtas*, adſcribi Mariæ, quod reclinaverit Filiolum ſuum in *Præſepio*, illam vero reclinaſſe eum dici non poſſe in Ptochodochio, cum in hoc eſſe modo oportuerit, antequam Jeſum pareret. At *regero*: hoc quidem magis, quod eſſet modo in Ptochodochio Maria, antequam pareret Jeſum, reclinare eum in illo Ptochodochio neceſſe habuit; neque enim congruum fuit, alio Servatorem a matre ſuâ reponi loco, quam ubi ipſa adeſſet. Tribuitur vero id *Mariæ*, non *Joſepho*, quia *illius* erat fœtum ſuum tractare & faſciis invovlere, non *hujus*. Inter illos, qui ex profeſſo *Sculteti* hanc ſententiam oppugnant, primarius quidem eſt Cl. *Becmannus*; at hoc mirum non eſt, cum conſiſtere non poſſe Vir ille Doctus exiſtimet, Chriſtum in tali, ut *Sculteus* vult, *ædificio publico*, & ſimul tamen *in ipſâ urbe* natum eſſe; quæ nos ſupra conjunximus, & ut conjungantur neceſſarium eſſe putamus.

Plat. de Republ. lib. 1.

Becman. Exercitat. Theolog. pag. m. 473.

XX. Quæ cum ita ſint, nollem certe Viros quoſdam cætera Doctos & modeſtos ſententiæ hujus *Scultetianæ* a ſuâ διαφωνίαν tam indignè tuliſſe, ut patronos ejus tanquam *ſuperbos*, *curioſos*, *nuga-*

nugatores, &c. ea propter exagitaverint. *Quod docti controvertunt* (inquit Nonnemo) *præſertim* Baronius & Caſaubonus *de* Loco *nati Chriſti*, in *urbe an* extra *urbem*, *an in ſuburbicario diverſorio*, Φάτνῃ *ſive* Præſepe *appellato* &c. *otiantis & luxuriantis ingenii*, *omiſſa Sacrâ rei Hiſtoriâ*, *in periſtaticis lubentius pro curioſitate & oſtentatione intempeſtiva eruditionis diverſantis*, *& non tantum nullius uſus & pretii*, *ſed conjuncta etiam cum nonnullo rei ſimpliciter credendæ periculo* & ſcandalo. Addit Alius: *Nugantur*, *qui exinde*, *quod ſcriptum eſt* ἐν τῇ Φάτνῃ *cum articulo*, *conjiciunt notari certum diverſorium*, *cujus inſigne fuerit Præſepe.* Non dicent, qui a Viris illis Præſtantibus divortium hic faciunt, eos forte ipſos, cum in re *mere problematica*, ſine ullo cogente argumento, a ſe diſſentientibus Fratribus aniles veluti *nugas* improperarent, haud longe a *nugatione* abſuiſſe, abſit; nimis enim acris retaliatio ea eſſet; Chriſtianum magis eſt, parcere Eruditorum exiſtimationi, quam durioribus verbis dura verba opponere. At quiſnam hic interim juſtus *periculi* metus eſt, qui obtenditur? involvitne ergo ſententia hæc abſurda quædam veritati Hiſtoriæ vel fidei analogiæ noxia? & quænam illa ſunt? vel an hinc minus *vere* natum, minus *Bethlehemi* natum, minus *pauperem* natum eſſe Chriſtum ullo colore quis inferat, quod in *Ptochodochio* potius, quam in beſtiarum quodam *manducatorio* repoſitus dicatur? Et ſi *tria* illa, mox dicta, firmiter teneantur, ut a *Sculteto* ejuſque ſuffragatoribus fit, neque contrarium ex eorum hypotheſibus educi poſſit, quomodo *Hiſtoria* tum omitti, vel quodnam *rei ſimpliciter credendæ* periculum *upereſſe* dici poteſt? Sed receditur (*inquis*) a communi Theologorum calculo, quod forte *ſcandalo* non caret. At receditur ne etiam a veritate, a Concordiæ formulis, ab ipſis Interpretibus Belgis? unde id liquet? cum altum in iis omnibus de *Diſquiſitione* hac ſilentium ſit. Quodſi offendi quis velit ex adſtructa veritate, vel quæſtionis quodlibeticæ determinatione, a ſuo forte ſenſu abeunte, quis eſt, qui cavere id poſſit? Res ſane bonæ neminem ſcandalizant, niſi malam mentem; & rite Gregorius: *Si de* veritate *ſcandalum ſumitur*, *utilius naſci permittitur* ſcandalum, *quam quod* veritas *relinquatur*. A ſcandalo forte non procul abeſſet, ſi ſententia hæc ut neceſſaria & velut fidei dogma cuiquam obtruderetur; ſed ab illo inſtituto ut alienus fuit *Scultetus*, ita abhorrent etiam quotquot veſtigia ejus premunt. *Nihil præfracte hic definitur* (verbis utor Iſidori Peluſiotæ) *ſed lectoris calculi & judicii libertas permittitur*. Quinimo comparantur tantum cum

Gregor. in Ezech. Hom. 7.

Iſidor. Peluſ. Epiſt 11.

cum ſe invicem ſententia *magis* probabilis & *minus* probabilis, adoptaturque, pro *prophetandi* in talibus *libertate* nemini non conceſſâ, cuivis ſaltem concedendâ, ea, quæ, utut minus vulgata, pluribus tamen rationibus nixa eſſe videtur.

Caſaubon l. cit. XXI. Caſaubonus τὴν φάτνην relative ſumit ad τὸ κατάλυμα ſive *Diverſorium.* Articulus *adjectus* (inquit) *oſtendit diverſorium, quidem illos* (Joſephum & Mariam) *habuiſſe, verum, in quo locus ad cubandum non eſſet vacuus, coacti igitur ſunt in* ſtabulum *jumentorum concedere, quod erat, ut ſit veroſimile, diverſorio conjunctum aut ſaltem propinquum. Hoc declarat Euangeliſta Lucas, cum ait,* Καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ, *non enim dicit* ἐν φάτνῃ, *ſed* ἐν τῇ φάτνῃ. *Wale. in Libb. Hiſt. N. T. pag. 540.* Conſonat Caſaubono *Salmaſius* (utcunque is articulum τῇ legere hic vetet, nixus, ut dicit, optimis & vetuſtiſſimis Libris) loco ſupra ellegato, dum ait: *Intelligitur* φάτνη τοῦ καταλύματος, *hoc eſt,* ſtabulum equorum, *quod adjunctum erat diverſorio.* Sed dubito, an etiam hæc firmo ſtent talo. Quia 1. præſupponitur, τὴν φάτνην idem hîc ac πανδοχεῖον ſive *ſtabulum* ſignificare; quod unde probari poſſit, doceri velim. Eſt quidem, quod voces illæ pro iiſdem quandoque veniant, ut apud *Homerum,*

Homer. Iliad. pag. m. 168. Τοὺς μὲν τέσσαρας αὐτὸς ἔχων ἀτίταλλ' ἐπὶ φάτνῃ.

Quatuor quidem ipſe habens nutriebat ad præſepe,

Id eſt, in *ſtabulo*; nutrire enim *in ſtabulo* & *ad præſepe* ibi coincidunt. Et apud *Virgilium.*

Virgil. Æneid. 7. *Stabant ter centum nitidi in* præſepibus *altis,*

Equi nempe, id eſt, in *ſtabulis* ſtabant. At quid tum? ergone *hoc* etiam Euangelii loco coincidunt? qualis illa conſequentia? Ne dicam, voces πανδοχεῖον & *ſtabulum* pro ipſo *diverſorio* non raro ſumi; atque hoc ſenſu *Salmaſii* & *Caſauboni* hæc ſententia a *Chryſoſt. Op. tom. 5. Hom. 10.* *Sculteti ana* non multum diſtaret. Nihil enim aliud hæc vult, quam τὴν φάτνην, *Præſepe* pro *diverſorio*, ab eo, quo excluſi erant *Joſeph* & *Maria* diſtincto, ſumendam eſſe. Chryſoſtomus Abrahami ten- *Cyprian. Ep. 67.* torium πανδοχεῖον ἄμισθον dixit, per quod *ſtabulum beſtiarum* intelligi non poteſt, ſed *hoſpitium hominum.* Et Cyprianus de *ſtabulo*: Nonne *commeantes hac opinione compertâ*, ſtabula *alia in itinere appetunt tutiora, ubi ſunt fida hoſpitia*? Auguſtinus: *Iter agis*, ſtabu- *Apul. lib. 1.* lum *eſt hac vita. Ego vero* (habet Apulejus) *quod primum ingreſſus* ſtabulum *conſpicatus ſum, acceſſi*; unde etiam idem *ſtabularius* quod *cau-*

po

po apud Senecam. 2. Quia, ſi per φάτνην non niſi *ſtabulum* τȣ̃ καταλύματος intelligi debeat, mirum videri poteſt, cur *Lucas* haud clarius id expreſſerit; facile enim id potuiſſet, modo pronomen (*ipſo*) τῷ καταλύματι præfixiſſet, ac pro, quia eis *locus non erat in diverſorio*, poſuiſſet, *quia eis locus non erat in* ipſo *diverſorio*. 3. Quia, utcunque ἐν τῇ φάτνῃ verſu hoc 7. ad τὸ κατάλυμα reſpectum habere detur, eo quod καταλύματι immediate præfigatur, non tamen reſpicere eo dici poteſt verſſ. 12. 16. dum ibi voci καταλύματι non præponitur. 4 Quia difficultates ſupra motæ expoſitione eâ non removentur, præſertim non illa, quod, ſiquidem verſ. 12. præſepe tantum aliquod, vel *ſtabulum* indefinitè ſumptum innuerint Angeli, univerſum *Bethlehemi* oppidulum perreptandum *Paſtoribus* fuerit, antequam Chriſtum invenirent; niſi evincere quis poſſit, non plura, ſed *unum* tantum ſingulare diverſorium, cui *ſtabulum* hujuſmodi connexum erat, in urbe *Bethlehemo* extitiſſe, quod nemo hactenus præſtitit, imo ne probabile quidem videtur; quia tum etiam *unum* tantum oporteret fuiſſe *ſtabulum publicum*, ſermo enim eſt de *ſtabulo* huic καταλύματι connexo; hoc vero quomodo tanto equorum aſinorumque numero, quantum tot homines, ditiores imprimis, ob Imperatoriam *Deſcriptionem*, ſecum adduxerant, recipiendo par eſſe potuerit, vix perceptibile videtur. Etiamſi enim non uſque adeo ſpatioſa fuerit urbecula *Bethlehem*, cum tamen non hic vel ille tantum in iſtis regionibus e familiâ Davidis eſſet, ſed plures procul dubio, iique omnes contendere eo deberent, nimis certe turba iſtiuſmodi, præſertim equis bobuſque ſtipata, ſingulare illud diverſorium repleviſſet, ſi non obruiſſet.

Senec. de Benefic. lib. 1. cap. 14.

XXII. Et pepererit Maria Filium ſuum in *ſtabulo*, ſequiturne mox inde, inter ipſa *pecora*, ac in ſpecie inter *Bovem* & *Aſinum* natum eum eſſe; quis hoc affirmet? quam ſæpe enim *ſtabula* & *præſepia* etiam inter nos quidem manent, ſed bobus, equis, ovibuſque plane vacua? Quinimo expreſſe de *Paſtoribus* verſ. 8. dicitur, quod fuerint φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτȣ̃. *vigilias noctis agentes ſuper gregem ſuum*: quæ verba evidenter docent, *ruri* tum temporis Bethlehemitarum pecus paviſſe, non in urbe, nedum in *ſtabulo* delituiſſe. Præſertim cum potuerint tunc Oppiduli incolæ propter hoſpitũ adventantium fre-

quentiam, non ædes tantum ſed & *ſtabula* ſua inſigni lucro hoſpitibus elocare. Neque dicendum eſt, adduxiſſe procul dubio hoſpitum quosdam equos & aſinos, qui in eodem diverſati ſint *ſtabulo:* Nam, utcunque id ita ſit, unde probari poteſt, in *hoc* præciſe *ſtabulo* equos aſinoſque illos divertiſſe? Et ſi id etiam daretur, ubi tunc *Bos* tamen & *Aſinus*, quos *præſepio* Servatoris adſtitiſſe, Jeſumque in medio eorum jacuiſſe, nunquam non crepant homines nugivenduli? Imo vero, juxta hypotheſin hactenus aſſertam, contrarium verum eſſe probabile eſt; quoniam illi, qui Aſinis vel Equis *Bethlehemum* vecti ſunt, lautioris procul dubio conditionis fuerunt, malueruntque per conſequens in diverſorio illuſtriori, quam in vili & publico quodam *Ptochodochio*, in quo Joſeph & Maria erant, divertere.

XXIII. Adhuc *quæritur:* An civibus *Bethlehemiticis*, ut peccatum ſingulare, idque ſatis quidem atrox, imputandum ſit, quod natum Servatorem urbe ſaltem diverſorio ſuo non receperint? *Reſp.* Sic video a multis ſtatui, qui ob id ipſum *ingratitudinis*, *inhumanitatis*, *crudelitatis*, & neſcio cujus non criminis eos arceſſunt: O ingratum *noſtrum genus*, & ſtolidum *etiam*! exclamat *Iſidorus Clarius.* At unde

tantæ animis cæleſtibus iræ?

Iſid. Clar. in Luc. 2. 7. Ego hoc *Æſchyli* ad *Promotheum* iis oppono:

Ὅπου Πϱομηθεῦ τῦτο γινώσκεις, ὅτι
Ὀϱγῆς νοσϐσης εἰσὶν ἰαϊϱοὶ λόγοι.

Id eſt, interprete Cicerone,

Cicer. Tuſcul. Quæſt. 3. *Atqui Prometheu, te hoc tenere exiſtimo,*
Mederi poſſe rationem *iracundiæ.*

Excluſeruntne enim *Bethlehemitæ* Jeſum *urbe* ſuâ? unde hoc liquet? imo ne quidem *diverſorio* ipſum fraudarunt. Ipſa enim φάτνη, ut nobis ſaltem probabilius videtur, fuit diverſorium publicum, hoſpitibus tenuioris conditionis recipiendis deſtinatum. Neque *malitia* Bethlehemitarum in cauſa fuit, quod alio diverſorio non receptus ſit Jeſus, omnium rerum Dominus, quo ſupra omnes creaturas digniſſimus alias erat, ſed hoſpitum *turba numeroſior*, quibus recipiendis impar illud erat. Diſertè enim id innuit textus: *Reclinabat* eum (Maria) *in* præſepio, *quia locus iis non erat in Diverſorio.* Ut neque dubitandum videtur, quin pluribus quoque aliis eo tempore acciderit, quod Parentes

rentibus Jeſu, imo ipſi Salvatori evenit. Sicut & fruſtra tam odioſe obtenditur, immiſericordes Bethlehemitas, non *Joſephum*, non *Mariam*, non homines tantum, ſed ipſiſſimum Servatorem excluſiſſe; neque enim iis tum ut *Servator* offerebatur Jeſus, ſed ut *hoſpes* tantum peregre adveniens, adeoque non peccabant, quod eum ut *Servatorem* non reciperent; quia, utut revera *Servator* eſſet, necdum tamen ut *talis* patefactus iis erat, imo ne tunc quidem ut talis iis prædicabatur. Imo quidni Maria in loco quodam alio puerperam agere maluerit, quam in qualicunque tot hoſpitibus repleto diverſorio, *tum* propter pudorem virgineum, qui eam procul dubio ab ingenti & promiſcuo hominum conſortio deterruit, *tum* propter innumera incommoda, quæ magnæ multitudinis ſtrepitu creari puerperis ſolent. Non dico, *abſolute* parere eam maluiſſe in *Ptochodochio*, ſed ex hypotheſi & comparative, poſito nempe, quod diverſoria alia tot hoſpitibus referta eſſent, ut κατάλυμα hoc erat, teſtante *Luca*.

XXIV. Dicit etiam Euangeliſta, Mariam Filiolum ſuum *faſciis involviſſe*, quæritur de iis, an *lacera* & *ſordida* fuerint? Sunt, qui a *laceris ſordidiſque* his *faſciis* Mariæ Chriſtique paupertatem mirum in modum amplificant; ſed magis, meo judicio, ad ciendos affectus, quam vere. Tametſi enim Dominus Ieſus *pauper* ad nos acceſſerit, &, juxta Prophetas, accedere debuerit, non tamen *ſordidis pannis* infaſciari opus habuit. In Græco eſt ἐσπαργάνωσεν a σπαργανόω, *faſciis involvo*, unde τὸ σπάργανον, *faſcia* ſive pannus oblongus. Habent & aliud vocabulum Græci, φακιόλιον, quod *faſciam* etiam ſignificat, ſed *faſciam Capitis* tantum, eſtque idem quod πεξίδιον, *vitta*, *corona*. Hic faſciæ ſunt, quibus aliquis vel aliquid involvitur, quod modo, quo tractari *parvuli* ſolent, omnino conveniens eſt. Sic alicubi Plinius: *Jacent* Senec. de
manibus pedibuſque devinctis. Et Seneca de Parentibus: *Ne membra* Benefi. lib. 6. cap. 24.
libertas immatura detorqueat, in rectum exitura conſtringunt. Neque Chemn.
vox, quæ in Græco hic occurrit σπαργανόω originem habet Harm.
(ut vult Chemnitius, ac cum & ex eo Althoferus) ἀπὸ τοῦ σπαράσ- Euang. cap. 8. pag. 93.
σειν quod *lacerare* ſignificat, ſed ἀπὸ τοῦ σπειρᾶν, *colligare*, *obvincire*, & γόνος *proles*; licet ſimpliciter etiam *involvere*, *infaſciare* non raro ſignificet, ſine ullo *ad prolem* reſpectu. Coincidit cum Althof. Harmon. Emedull.
Hebræorum חָתַל, *faſciis*, *linteis*, aut *linteolis involvo*. Ezech. 16. 4. pag. 64.

unde

unde חֲתֻלָּה *faſcia.* Job. 38. 9. in quo loco LXX. τὸ חַתֵּל vertunt per σπαργανοῦν. Neutiquam ſaltem ſordidis aut *laceris* pannis quicquam *involvere* præciſe ſignificat. Meminit *infaſciationis* per *purpuram* Plutarchus, eodem utens vocabulo, quo hic Lucas noſter: Ἀῤῥιδαῖον σπαργανώσας τῇ πορφύρᾳ Μελέαγρος. Quam *purpuram* ſordidam & *laceram* fuiſſe nemo, credo, crediderit. Obſervat quidem Druſius, *Suidam* vocem σπάργανον τὰ ῥάκη exponere; ſed bene addit, *non ſequi* tamen *pannum lacerum* eâ indicari, cum ῥάκος ἄγναφον ſit *rudis* & *recens pannus*, non *lacerus:* tandemque concludit, illam de *laceris* ac *ſordidis* Chriſti *pannis* opinionem *a Monachis, qui paupertatem profitentur, ad nos dimanaſſe.*

Plutarch. de Fort. Alex. M *Druſ. Obſerv. in Luc. 2.7.*

XXV. Neque ſtringit quod in contrarium adfert *Chemnitius*, dum ait: *Si enim vel uſitata vel elegantiores fuiſſent faſciæ, non potuiſſent eſſe ſignum, quo natus Meſſias a reliquis infantibus, qui in civitate Bethlehem tum faſciis involuti etiam fuerunt, dignoſci potuiſſet.* Unde enim conſtat, ipſas *faſcias* Chriſti in ſignum cognoſcendi eum Paſtoribus datas eſſe? ſupponitur hoc, non probatur. Habebant illi aliud indicium, ſcil. τὴν φάτνην, id eſt, domicilium ſic dictum, eoque nomine vel inſigni Bethlehemi ſatis cognitum, in quo Meſſiam quærentes cognoſcere & invenire eũ poterant. Prout etiam ad hoc ſolum attendiſſe videntur Paſtores in Pueruli quæſitione; cum enim acceſſiſſent ad eum, ſimpliciter tantum dicitur, *quod invenerint Mariam & Joſephum, & infantem poſitum in* præſepio, non addito eo, quod *faſciis fuerit involutus.* Luc. 2. 16. quum tamen & ibi, & in antecedentibus repetitum identidem ſit, *quod reclinatus fuerit* ἐν τῇ φάτνῃ. Oportebat quidem, ut dictum mox eſt, ſub formâ humilitatis apparere Chriſtum, & revera etiam ſic apparuit, totus enim ejus in nativitate apparatus conditionem, non regiam, ſed abjectam humilemque referebat. Vilis erat urbecula, *in* quâ, vilis Mater, *ex* quâ oriebatur, vile quoque domicilium, & nihil minus quam pretioſâ aulæorum ac periſtromatum ſupellectile inſtructum, in quod *cum* Parentibus receptus erat; & haudquaquam procul dubio etiam *pretioſi panni*, quibus infaſciatus cubabat. Neque opus talibus ornamentis Chriſto etiam erat, qui ſolus omnia in ſe ornamenta continebat; quoniam *oculos* (verba ſunt Cypriani) *inſpectores cuncta illa non habuiſſent; quia præſentia Parvuli ſic*

Chem. Loc. Cit.

eorum, qui aderant, Joſeph, & ſiquis forte alius ibi aderat, oculos occupaverat, ſic illuminaverat animos, ſic corda illexerat, ut in hoc ſummo bono omnium bonorum unita collectio videretur. Nec opus eſſet evagari per partes, quod ſimul in ſe uno Fidelibus omnipotens infantia præſentabat. At ideo *laceros* & *ſordidos* pannos, quibus infaſciatus erat, fuiſſe vel eſſe debuiſſe, argumentis probari ſolide velim, non verbis inaniter tantum jactari. Optime Eraſmus: *Ut Parentibus* (inquit) *Jeſu tenuitatem ac paupertatem libenter tribuimus, ita ſordes ac mendicitatem procul amovemus. Habet & paupertas ſuam munditiem.* Neque adeo etiam ἀναργύρους parentes Chriſti extitiſſe credibile eſt, quin coëmendis panniculis, qui ſtatui ſuo, tenuiori quidem, ſed tamen honeſto, convenirent, pares ſatis fuerint: eò magis, quod tentaſſe eos conſtet, in tale etiam admitti diverſorium, in quo non niſi ſoluto pretio potuiſſent divertere. De *Mariâ Virgine* Baillius, Chronologus excellentiſſimus: *Advertendum* (inquit) *Mariam Virginem fuiſſe* ἐπίκληρον: *licet enim paupercula, non tamen in eâ rei ac ſpei tenuitate fuit, ut nulla ipſi particula agelli a Patre relinqueretur, vel ut in nullo caſu portiuncula aliqua potuerit contingere, imprimis cum, Domo Davidicâ ad pauciſſimos reducta, ad quemvis ex iſtis reliquiis ſuperſtitem, ſi non* poſſeſſio *tyrannicis iſtis temporibus,* jus *tamen ad ampla ſatis latiſundia contingere fuit facillimum.* Quo referendus etiam *Epiphanii* locus, contra *Antidicomarianitas*, ubi dicit Mariam Ioſepho eſſe traditam, κλήρων εἰς τοῦτο ἀναγκασάντων αὐτὴν ἥκειν: *quum jura hæreditatis, quam poſſidebat, eo ipſam adegiſſent.* In quæ verba Caſaubonus: *Significat,* Mariam *fuiſſe virginem* ἐπίκληρον. *Quod autem* Epiphanius *bona, quæ tum beata* Virgo *obtinebat,* κλήρους *appellat, non* κλῆρον? *videtur id innuere, una cum Patris hæreditate etiam aliorum agnatorum bona ad ipſam fuiſſe devoluta.* Quæ cum ita ſint, quid obſtitit, quo minus vel juris vel hæreditatis hujus beneficio, ſummulam aliquam, ad iter *Bethlehemiticum* neceſſariam, commodato accipere potuerit Maria, utcunque eam ipſi proprium forte peculium (quod tamen veroſimile non videtur) non ſuppeditaſſet. Quod vero ad τὴν φάτνην cum Joſepho ſe receperit, non niſi ex accidenti contigit, quia (ut Textus habet) *eis locus non erat* ἐν τῷ καταλύματι.

Cyprian. Orat. de Nativit. Chriſti.

Eraſm. in Luc. 2. 12.

Baill. Chronolog. lib. 2. qu. 9. p. m. 65.

Caſaub. in Baron. Exercit. 1. §. 13.

XXVI. Atque hæc quidem de *Nativitatis* Chriſti *Loco*, quibuſdamque ei connexis circumſtantiis. Plura huc ſpectantia qui deſiderat, adeat Exercitationes dicti *D. Becmanni*, qui latius diduxit

 duxit

Digitized by Google

duxit quæ ego hic compendiario tantum exhibui. Certatque quidem paſſim Vir ille doctus Magni *Caſauboni* armis, ſed nequaquam nomine ejus *ſuppreſſo*, quod Vir quidam celebris ei nuper adſcripſit, neſcio quâ ἀβλεψίᾳ in errorem illum inductus. Verba ejus ſunt: *Vide de tota hac controverſia ſingularem Exercitationem Chriſtiani Becmanni. inter Exercit. Theoligic.* 23. *Et qui ex* Caſaubono, *ejus ſuppreſſo nomine, ſua hic deſcripſit.* Niſi forte Theologus ille candidiſſimus alias &, ſi quiſquam, a ſugillandis aliorum laboribus alieniſſimus, aliam *Becmanniorum* editionem habuerit, quam ego. Editione ego uſus ſum omnium *noviſſimâ*, in quâ non *ſemel* tantum, ſed *aliquoties* lectores ad *Caſauboniana* remittuntur.

XXVII. Sed complicanda vela ſunt. Exædificavi ſic tandem, *Lector* Benivole, *Exercitationum* harum opificium, ſed neutiquam (neque enim fateri id nefas eſt) animo æque ſemper compoſito, multo minus valetudine peræque firmâ: quibus ergo adſcribas velim, ſi non eandem ſemper offendas ſtyli, quo uſus ſum, tum ſerenitatem tum æquabilitatem. Luctuoſiſſimus & calamitoſiſſimus, Divinâ ſic diſpenſante Sapientia, dulciſſimi *Pignoris*, quinque Liberorum matris, e familia mea eopſe tempore, quo occupatiſſimus in OTIIS his eram, exceſſus in cauſa fuit, quod in concinnandis iis pertinacior quidem, at in expoliendis eis & limandis minus forte attentus & accuratus nonnunquam fuerim. Tu utere Conatibus hiſce meis in Dei gloriam, &, ſi tanti ſint, in ſtudiorum tuorum adjumentum, incrementum, oblectamentum: quod ſi facere non dedigneris, Scriptionis hujus ſcopo plane ſatisfeceris.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,
Quæ tum *illuſtrantur* tum *vindicantur*.

GENESIS.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
I.	1.	63.
	6. 8.	308.
	16.	777. 778.
	26.	222. 223. 224.
II.	8. 9.	310. 606.
	19.	230.231.232.
	21.	226.230.
	24.	351.352.
III.	2.	606.
	3.	603.
	22.	606. 607.
IV.	3.	325. 332.
	15.	325.343.344,&c.
	17.	68. 69.
VI.	2.	549.
XII.	6.	28. 29.
XIV.	14.	27. 28.
XVI.	34.	27.
XVII.	14.	467. 470. 471.
XXIV.	25.	235.
XXVIII.	19.	28.
XXXVI.	3.	27.
XXXVIII.	14.	89. 90.
Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
	15.	Ibid.
XLI.	45.	521. 522.

EXODUS.

IV.	24.	470. 505.
XII.	48.	529.
XVI.	4.	275. 293.
XXII.	2.	631. 634. 635.

LEVITICUS.

XXII.	18.	262.

NUMERI.

V.	12.	75. & ſeqq.
IX.	14.	529.

DEUTERONOMIUM.

IV.	2.	32
XV.	4.	683. & ſeqq.
	11.	687. 688.
XVII.	17.	356. 357. 358.
XXIII.	1.	524. & ſeqq.
	18.	126. & ſeqq.
XXV.	18.	434.

JO-

Digitized by Google

JOSUA.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
V.	13.	800.
X.	10.	ibid.
XIV.	15.	234.235.

JUDICUM.

XVI.	30.	287.
XVIII.	29.	27.28.

I. SAMUEL.

XXXI.	13.	676.

II. SAMUEL.

III.	8.	353.354.
XII.	8.	139.

I. REGUM.

X.	19.28.	706.

II. CHRONICORUM.

XXVIII.	23.	778.779.&c.

ESRA.

IX.	14.	748.

ESTHER.

III.	1.	425.
	2.	426.431.
V.	10.	440.
IX.	20.21.	440.487.
	26.	442.

JOB.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
XXIV.	15.	93.
XXX.	1.	139.
XXXV.	14.	155.
XXXVIII.	7.	480.482.

PSALMI.

XVIII.	24.	749.
XXXVI.	25.	690.691.
LXXXV.	9.	747.748.
XC.	2.	480.481.
CXXXIX.	8.	227.228.

PROVERBIA.

XXVI.	11.	748.
XXVIII.	13.	749.

ECCLESIASTES.

VII.	29.	600.
IX.	10.	644.645.

CANTICUM.

VIII.	5.	596.597.598.

JESAIA.

VIII.	2.	531.532.533.
XXIII.	18.	153.154.
XXXIX.	7.	446.
LVI.	3.	527.
	10.	128.129.

EZECHIEL.

XII.	6.	91.

Digitized by

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
XIV.	14.	524
XX.	12.20.	247.
XXV.	7.	473.
XXVII.	23.	316.
XLVII.	12.	605.

DANIEL.

I.	3.9.	498.
X.	2.3.	676.

HOSEA.

IV.	14.	111.

AMOS.

V.	13.	404.405.

MICHA.

V.	1.	797.802.

ZACHARIAS.

VII.	3.	668.

MALACHIAS.

II.	15.	355.356.

LIB. SAPIENTIÆ.

IV.	19.	391.

I. MACHABÆORUM.

II.	23.	632.

MATTHÆUS.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
I.	19.	104 105.
V.	41.	665.666.
VI.	7.	577.578.579.580.
IX.	16.	645.
X.	33.	398.
XIII.	18.	694.
XV.	27.	134.
XIX.	12.	499.
XXII.	32.	562,563.
XXVI.	39.	44.
XXVII.	5.	369,&ſeqq.
	9.	488.

MARCUS.

XIV.	72.	93.

LUCAS.

II.	4.5.	779.
	6.	800.
	15.	802.
IV.	5.	232.
IX.	31.	800,801.
XIII.	33.	Ibid.
XVI.	19.	254,255,701,702
XVIII.	11,12.	669.
XXII.	20.	377,378.

JOHANNES.

II.	14	612,&ſeqq.
	15.	618.
	16.	Ibid.
III.	5.	472.
VIII.	6.	111,112,113.
	44.	545.
XIII.	30.	377.
XVIII.	22.	632.

ACTA.

I.	18.	387,389,&ſeqq.
	25.	396.
VII.	28.	453.
	43.	441.
	58.	625,634.
VIII.	27.	522,523.
XXII.	26.	800.
XXIV.	24.	767.
	27.	768:

Digitized by

INDEX LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

AD ROMANOS.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
III.	2.	34.
V.	12.	67.
XIII.	7.	705.706.
XIV.	17.	674.

I. AD CORINTHIOS.

II.	16.	723.
IV.	20. 21.	674.
V.	3. 4. 5.	456. &c.
VII.	3.	159.
X.	6.	243
XI.	8.	228.
	10.	84. 85.
XII.	10. 28.	456.

II. AD CORINTHIOS.

X.	6.	454.
XII.	7.	186. & ſeqq.
XIII.	10.	456.

AD GALATAS.

V.	16.	749.

AD EPHESES.

VI.	12.	551.

AD PHILIPPENSES.

III.	21.	182.
IV.	18.	43.

I. AD TIMOTHEUM.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
I.	20.	457. 464.
II.	8.	573. 574.
III.	6.	546.

II. AD TIMOTHEUM.

I.	7.	641.
IV.	2.	642. 643.

AD TITUM.

I.	2.	480. 482.
	12.	713.

AD HEBRÆOS.

VI.	4.	744. 748.
IX.	3, 4. 5.	250. 251.
X.	1.	245. 247. 281.

I. PETRI.

I.	10. 11. 12.	298.
III.	21.	273.

II. PETRI.

II.	22.	748.

I. JOHANNIS.

V.	6.	650. 654. 655.
	18.	748.

APOCALYPSIS.

II.	4.	413.
	17.	168. & ſeqq.
XII.	4.	550.
XIX.	10.	299.
XXII.	15.	136. 137.

Digitized by

INDEX AUTHORUM

Laudatorum, Vindicatorum, Notatorum.

ABbas Urſpergenſis.
Aben-Eſra.
Abrenetius.
Achilles Statius.
Acoluthus.
Adrianus Pauli.
Ælianus.
Aëtius.
Agathias Scholaſticus.
Agrippa.
Alanus.
Albertus Magnus.
Albinus.
Alciatus.
Aldrovandus.
Alexander ab Alexandro.
Alſtedius.
Altingius, Henr. Jaobus.
Althoferus.
Alvarez Pelagius.
Amama.
Ambroſius.
Ameſius.
Ammianus Marcellinus.
Amyraldus.
Anaſtaſius.
Ansbertus.
Anſelmus.
Arrianus.
Athanaſius.
Athenæus.
Avenarius.
Antonius Auguſtinus.
Antonius Margarita.
Antonius Panormitanus.
Antonius Ruſca.
Apollonius.
Apulejus.
Aratus.
Ardentius.
Arethas Cæſarienſis.
Aretius.
Arias Montanus.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arminius.
Arnobius.
Aventinus.
Avienus.
Auguſtinus.
Auſonius.
Azorius.
Baillius.
Baker.
Balduinus.
Baldus.

INDEX AUTHORUM.

Balſamon.
Barlæus.
Baronius.
Barradius.
Barthius.
Baſilius
Batelerius.
Baxter.
Becanus.
Becmannus.
Belga.
Bellarminus.
Bellus.
Bejerus.
Bernardus.
Bertramus.
Bibliotheca PP.
Biel.
Bizarius,
Bleyenbergius.
Bochartus.
Bodinus.
Bonacina.
Bonartius.
Boulducus.
Bouvillanus.
Boxhornius.
Brantius.
Brentius.
Brichtmannus.
Briſſonius.
Brouchtonus
Brounius.
Brouwne.
Bucerus.
Buchananus.
Buchelius.
Bucholcerus.
Bullingerus.
Burmannus.
Buſbequius.
Buſæus.
Buxtorfius,
Bzovius.
Cajetanus.
Callimachus.
Calovius.
Calvinus.
Calviſius.
Camartus.
Camerarius.
Camero.
Candallus.
Caninius.
Capellus. (Jacobus.
Car[illegible]us. (Luduvic.
Carolinus.
Carpzovius.
Carteſius.
Carthuſianus.
Cartwrigtus.
Caſaubonus.
Caſſianus.
Caſſiodorus.
Catullus.
Chalcidius.
Chamierus.
Charronus.
Chokierus.
Chromatius
Chriſtinæus.
Chryſoſtomus.
Cicero.
Claudianus.
Clemens. (Alexandrin.
Cligtoveus. (Romanus.
Cloppenburgius.
Cluverus.

Cocbur-

Cocburnus.
Coccejus.
Cocquius.
Comenius.
Comnaeus.
Contzen.
Cornelius a Lapide.
Corput.
Coteraeus.
Cottherius.
Covarruvias.
Crantzius.
Crauſerus.
Crauſmus.
Crocius.
Cujacius.
Cunaeus.
Curcellaeus.
Curtius,
Cyrillus Alexandrinus.
Cyprianus.
Damaſcenus.
Danaeus.
Daniel Dyke.
Delrio.
Dematius.
Demſterus.
Dietericus.
Dilherus.
Dio Caſſius.
Diodatus.
Diodorus Siculus.
Dionyſius. (Areopagita.
Dioſcorides. (Halicarnaſſ.
Dominicus a Soto.
Donatus.
Dorlandus.
Drexelius.
Druſius.
Duarenus.
Eimericus.
Elias Cretenſis.
Eliezer.R.
Elmenhorſtius.
Epictetus.
Epiphanius.
Epiſcopius.
Eraſmus.
Eſſenius.
Eſtius.
Evagrius.
Eucherius.
Euripides.
Euſebius Pamphilus.
Euſtathius.
Euthymius.
Fagius.
Farnabius.
Fernelius.
Fuardentius.
Firmicus Maternus.
Flaccus Illyricus.
Flockenius.
Florus.
Forbeſius.
Forerius.
Forſterus.
Fracaſtorius.
Frantzius.
Freidlibius.
Friſmuth.
Fritſchius.
Fromondus.
Fulgentius.
Fullerus.
Funccius.
Fungerus.
Gaffarellus.

Gagnæus.
Galatinus.
Gathakerus.
Gaudentius Brixienſis.
Gellius.
Genebrardus.
Gerſon.
Geſnerus.
Geuſius.
Giggejus.
Gilleſpius.
Giſelbertus.
Glaſſius.
Goffæus.
Gomarus.
Goodwin.
Gordonius.
Gorionides.
Gotefridus Viterbienſis.
Gothofredus.
Grævius.
Graſerus.
Gregorius Magnus.
Gregorius Michael.
Gregorius Nyſſenus.
Gregorius Neo-Cæſarienſ.
Gregorius de Valentia.
Gretzerus.
Groenewegius.
Groſſius.
Grotius.
Gryphiander.
Gualterus.
Gualterus de Bruyn.
Gualtperius.
Guiljelmus Armoricanus.
Guiljelmus Novoburgenſ.
Guiljelmus Pariſienſis.
Guirandus Aloſianus.
Guntherus.
Gynorianus.
Gyraldus.
Hachenbergius.
Hakspan.
Haſenmullerus.
Havemannus.
Heda.
Heerbrandus.
Heidanus.
Heideggerus.
Heinſius.
Hemmingius.
Herbertus.
Hermes Triſmegiſtus.
Herodianus.
Herodotus.
Heſiodus.
Heſychius.
Hieronymus.
Hieronymus Torrenſis.
Hilarius.
Hildersham.
Hobbeſius.
Hofmannus.
Holocottus.
Holſtius.
Homerus.
Honſdorfius.
Hoornbekius.
Hopkinſonus.
Horatius.
Hoſpinianus.
Hotomannus.
Hottingerus.
Huetius.
Hugo Cardinalis.
Hugo Etherianus.
Hulſius.

Hygi-

Hyginus.
Hyperius.
Jacobus Laurentius.
Jacobus de Paradiſo.
Jacobus Sarugenſis.
Jacobus de Voragine.
Janſenius.
Jean d'Eſpagne.
Innocentius.
Johannes Gerardi.
Johannes Gregorius.
Jonktyſius.
Joſephus.
Iſidorus Clarius.
Iſidorus Peluſiota.
Iſocrates.
Junilius.
Junius (Adrianus (Franciſc.
Jurrianus.
Juſtinus.
Juſtinus Martyr.
Juvenalis.
Juvencus.
Keckermannus.
Kempius.
Kircherus.
Kirchmannus.
Klebetius.
Lactantius.
Laertius.
Lætus.
Lalamantius.
Lampridius.
Lanſelius.
Laſitius.
Ledinus.
Leichius.
Leideckerus.
Lemnius.
L'Empereurius.
Leo Romanus.
Leſſius.
Leuſdenus.
Lichtfootus.
Lipſius.
Livius.
Lodenſteinius.
Lombardus.
Lomejerus.
Love.
Lucanus.
Lucas Brugenſis.
Lucretius.
Luduvicus le Blancq.
Luduvicus de Dieu,
Luduvicus Romanus,
Luduvicus Vives.
Lutherus,
Lydius,
Lyranus,
Macarius,
Macrobius,
Maffæus,
Magdalius Gaudenſis,
Magdeburgenſes,
Maginus,
Maimonides,
Malchus,
Maldonatus,
Mamertus,
Manilius,
Manlius,
Manſveltius.
Mantuanus.
Marchantius.
Mareſius.
Marckius.
Marshamus.

Mar-

INDEX AUTHORUM.

Martialis.
Martyr.
Maſſonus.
Maſtrichtius. (Gerardus.
(Petrus.
Matthæus.
Matthiolus.
Melanchton.
Melchior Adam.
Menaſſe Ben-Iſrael.
Mendoza.
Mercerus.
Merſennus.
Merula.
Minucius Felix.
Molinæus. (Luduvic.
Momma. (Petrus.
Moncejus.
Montagne.
Morinus.
Morus.
Moſes Bar-Cepha.
Muiſius.
Munſterus.
Muretus.
Muſculus.
Muſæus.
Natalis Comes.
Nazianzenus.
Nemeſius.
Nicephorus. (Hiſtoricus.
(Patriarcha.
Oecumenius,
Olaus Magnus.
Oliverius.
Opſopæus.
Oranus.
Origenes.
Oroſius.
Oſiander.
Otto Friſingenſis.
Ouenus.
Ovidius.
Outramus.
Oviedo.
Ouzelius.
Owenus.
Pacianus.
Pagninus.
Pamelius.
Pancirollus.
Paracelſus.
Paræus. (David.
(Philipp.
Paulinus.
Paulus Diaconus.
Paulus Zachias.
Pauſanias.
Pegna.
Pellicanus.
Pererius.
Pereira.
Perkinſus.
Perſius.
Petavius.
Petitus.
Petrarcha.
Petronius Arbiter,
Petrus Comeſtor.
Petrus Meſſias.
Petrus a Valle.
Pezelius.
Pfannerus.
Phædrus.
Philaſtrius.
Philo.
Philoſtorgius.
Philoſtratus.
Philoxenus.
Phocylides.
Photius.

Pichirel.

Digitized by Google

Picherellus.
Pictetus.
Pindarus.
Pineda.
Piſcator.
Pithœus.
Plato.
Platina.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Pocockius.
Poggius Florentinus.
Politianus.
Polybius.
Polydorus Virgilius.
Pollux.
Pomponius Mela.
Pontanus.
Porphyrius.
Prateolus.
Priceus.
Proba Falconia.
Procopius.
Propertius.
Pſeudo-Clemens.
Prudentius.
Quintilianus.
Quintus Serenus.
Quiſtorpius.
Ratbertus.
Ravanellus.
Raynaudus.
Regenvolſcius.
Reuchlinus.
Rhodiginus.
Richardus Simon.
Richardus Vitus.
Rhonaeus.
Ridderus.
Rittangelius.
Rittershuiſius.
Rivetus.
Rogerius.
Roſinus.
Roſſius.
Rovenius.
Ruffinus.
Rupertus.
Ryſſenius.
Sabellicus.
Salianus.
Salmaſius.
Salmero.
Salmuthus.
Salmurienſes.
Salvianus.
Sandivoglius.
Sannazarius.
Sasbout.
Saubertus.
Scaliger.
Scarpius.
Schefferus.
Schickardus.
Schikartus.
Scipio Gentilis.
Scotus.
Scultetus.
Sedanenſes.
Seldenus.
Seneca. (Philoſophus. (Tragicus.
Serarius.
Serranus.
Servius.
Sextus Aurelius.
Sextus Empiricus.
Sidonius Appolinaris.
Sigonius.
Simanca.

Simon de Vries.
Simſonus.
Sixtus Senenſis.
Sleidanus.
Smalcius.
Smithaus.
Socinus.
Socrates.
Solinus.
Sozomenus,
Spanhemius (Pater. (Filius.
Spencerus.
Spinoſa.
Spizelius.
Statius.
Stella.
Stephanus.
Stobaus.
Strabo.
Strada.
Stuckius.
Suarez.
Suetonius.
Suicerus.
Suidas.
Sulpitius Severus.
Sylburgius.
Sylvanus.
Symmachus.
Syncellus.
Syneſius.
Taffinus.
Talmudis Codices Varii.
Tarnobius.
Tatianus.
Terentius.
Tertullianus.
Theocritus.
Theodoretus.
Theodoritus,
Theophylactus.
Theophraſtus.
Thomas.
Thomas à Kempis.
Thomas Waldenſis.
Tibullus.
Tilenus.
Tiraquellus.
Torniellus.
Torrentius.
Toſtatus.
Trebellius Pollio.
Trithemius.
Turnebus.
Turretinus.
Twiſſus.
Tycho Brahè,
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Valeſius.
Varenius,
Varro.
Vedelius.
Vegetius.
Velthuſius.
Verderius.
Veſthemerus.
Vice-Comes.
Victor Marius.
Victorinus.
Victor Uticenſis.
Vida.
Vincentius Belluacenſis.
Villanovanus.
Vincentius Lirinenſis.
Virgilius.
Viſorius.
Vitruvius.

Vrſinus

Digitized by Google

Vrvius.
Vlpianus.
Voetius.
Vogelſangius.
Vorſtius.
Voſſius.
Vrieſius.
Urſinus (Fulvius.
Urſinus Joh. Henr.
Urſinus (Zachar.
Uſſerius.
Vulteius.
Wagenſeilius.
Walæus (Antonius.
(Balduinus.
Waſerus.
Weigelius.
Weſſelus Groningenſis.
Wetſteinius.
Wiertſius.
Wilhelmius.
Wiſſenbachius,
Witſius.
Wutichius.
Wolzogius.
Zacutus.
Zaemannus.
Zanchius.
Zegerus.
Zepperus.
Zonaras.
Zuingerus.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM

A.

ABdæ, Perſarum Epiſcopi, inconſideratus zelus. pag. 638, 639.

Abel an cum *Kaino* gemellus? pag. 326. Ipſene ſacrificium ſuum obtulerit, an *Adamus* pro eo? *Ibid.*

Abelis ſacrificium quale? p. 333. Quare Deo placuerit? *Ibid.* Unde colligere id *Abel* potuerit? p. 335. Quid ad ſacrificandum ipſum impulerit? pag. 326, 327.

Abelem an *centum annos* luxerint Protoplaſti? p. 346, 347.

Abelianorum hæreſis quæ? p. 348.

Abnegatio veritatis vel *ore* fit, vel *opere*. p. 409. *Poſterior* priore multo pejor, & quare? *Ibid.* Quæ *opere* fit irregenitis fere peculiaris. pag. 410. Quæ *ore* piorum etiam communis. *Ibid.* Haud tamen eodem in utroſque cadens modo. pag. 413. Diverſis ad illam *gradibus* proceditur. pag. 415, 416, 417. Præcipua ejus ante-ludia quæ? pag. 415.

Abnegatorum Veritatis varia genera. p. 410, 411. Notabilia eorum exempla. p. 413, 414. Dei in eos vindicta. pag. 417, 418. Eccleſiæ in illos diſciplina primum quidem rigidior, ſed poſtmodum in inertem *Cenſuræ* neglectum verſa. pag. 419, 420, 421.

Abrahami Sculteti Patria, Profeſſio Theologica, exilium, mors, encomium. pag. 810.

Achitophel non fuit *Iudæ* typus, pag. 286, 287, 358. Quodnam mortis ejus genus fuerit, incertum. pag. 286.

Actæonis Fabula quomodo intelligenda? p. 134, 135, 148, 149.

אדם vox tum *proprie* tum *appellative* ſumenda. pag. 226, 234, 235. Male ad *quatuor* Mundi *plagas* ſignificandas a nonnullis tracta. p. 295, 296.

Adam abſolute πρωτόκτιστος. p. 66. Non fuit *androgynus* creatus. p. 224, 225. Eodem præciſe ætatis anno, quo Chriſtus obiit, non eſt conditus. p. 233. Cur lapſus *foliis ficulneis* ſe texerit? p. 330. An & quo ſenſu Chriſti *typus*? p. 281, 282, 283.

Adami

Adami ὀνομαθεσία creationem *Evæ* non anteceſſit. p. 230, 231 233. Neque viâ *ordinariâ* peracta eſt, ſed *extraordinariâ*. pag. 231.

Adami cacumen quid & ubi ſitum? p. 311. De ejus *Spelunca* nonnullorum fabula. *Ibid.* Quisnam ejus, juxta *Magiſtros*, Præceptor? p. 461. Immediate a Deo creatus eſt, non e viro & muliere natus p. 61.

Adami pomum quale? p. 597.

Ἅδης quid? p. 312. Non *Infernum* ſemper ſignificat, nec *ſepulchrum*. pag. 313 Sed *ſtatum mortis* fere. *Ibid.* Nonnunquam etiam *beatum*. p. 313, 314.

Adoratio ad hanc vel illam Mundi plagam apud Gentiles non uniformis. p 589, 590.

Adoratio Magorum, quâ venerati ſunt Chriſtum, *religioſa* fuit; non mere *civilis*? p 434. Eodem loco, quo natus eſt Chriſtus, non eſt inſtituta pag. 806, 807.

Adulterium mulierum quo ſenſu gravius, quam *virorum*? pag. 105, 106.

Adulterii præludia quæ? p. 109, 110

Ægypto quotnam virorum armatorum millia olim egreſſa? p. 69.

Ægyptius, de quo Exod. 2, 12: cur & quomodo a *Moſe* occiſus? pag. 452.

Ægyptiorum de ſcientiæ ſuæ antiquitate gloriatio vana. pag. 5. Regum eorum ſucceſſio quouſque ab aliquibus producta? pag. 62.

Ælia Lælia Criſpis quid? pag. 71. Varia Variorum ejus interpretamenta. p. 70.

Affectuum cohibitio ad evitanda peccata neceſſaria. p. 765.

Agamemnon cur, dum filia ejus *Iphigenia* mactaretur, *velatus* pictus? p. 91.

Ageſilai, Lacedæmoniorum Regis, dictum heroicum. p. 798.

Ἀγγαρείας vox *Jejuniis* minus conveniens, p. 665. Quo ſenſu a Papicolis iis inſcripta? p. 666.

Ἄγγαρος, *angariari* &c. quid? pag 665, 666.

Ἄγγελοι σατᾶν neque Diaboli tantum, neque homines duntaxat adverſantes, ſed res quandoque etiam inanimatæ. pag. 198.

Ἀιπολογία qualis Scripturas explicandi ratio, p. 220 Quibus ſub cautelis adhibenda? *Ibid.*

Alapæ & *colaphi* quomodo diſtinguantur? pag. 298.

Digitized by

Albi & *atri* dies apud Veteres qui? pag. 117.

Alexander M. πολυχαμαίζετος, p. 357. Quomodo *Clitum* a ſe interemtum defleverit? p. 372. 373. Ejus,in liberandâ *juramenti* ſui fide,conſtantia. pag. 789.

Alexandri VI. libidinoſa impietas. p. 163.

Allegoriæ a *typis* ut differant? p. 243. Quomodo a *Parabolis* diſcrimenandæ? p. 595. Perperam in *hiſtoricas* & *theologicas* diſtinctæ. p. 243. 244.

Ἁμαρτωλοὶ apud Græcos qui? p. 713.

Ambroſius mortis ſuæ prænuncius. p. 193.

Amyclæ quomodo *tacendo* perierint? p. 403.

Anabaptiſtæ an divinitatem Libri *Eſtheræ* in dubium vocent? p. 789. 790.

Ανακλίνειν quid? p. 813. 814.

Angeli quomodo in ſacris Cœtibus præſentes? p. 84. 85. Plures in gratiâ confirmati, quam lapſi. p. 550. *Mali* in Cœlum nonnunquam etiam admiſſi. p. 551.

Angelorum tractatio quorumnam præcipue ſit? p. 480. De *Tempore creationis* eorum conſiderationes variæ. p. 480. 481. 482. Intra *Hexaëmeron* creatos eſſe opinio vera & communis. p. 481. Rationes in contrarium militantes excuſſæ & diſcuſſæ, p. 482. 483. Quomodo etiam Moſes *creationis* eorum meminerit? p. 483. 484. Cur tamen κατὰ τὸ ῥητὸν eam non enarret? p. 483. *Dies* creationis eorum incertus. p. 484. Quæſtionis momentum, p. 485.

Angelorum Lapſus in quod tempus inciderit? p. 545. *Primum* eorum peccatum quod? p. 545. 546. Opinio eorum, qui plane id in Scripturâ diſſimulatum volunt, ad limam vocata. p. 548, 549. Non fuit *ſtuprum* cum *Filiabus hominum* commiſſum. p. 549. 550. Diſtinctio circa illud obſervanda. p. 546.

Angelorum lapſorum numerus temerè a quibuſdam definitus. p. 550. Atroces eorum pœnæ. p. 551. 552.

Angerona qualis apud Romanos Dea? p. 407.

Animæ vox ambigua. p. 468.

Animæ rationalis ſupra *ſenſitivam* & *vegetativam* prærogativa. p. 187. Eſſentia ejus explicatu

ar-

ardua, p. 728. Tam *Gentilium* quam *Chriſtianorum* de ſuâ hic ignorantiâ confeſſio ingenua. *Ibid.* Veterum Philoſophorum de *natura* ejus conjecturæ perplexiſſimæ. *Ibid.* In merâ *cogitatione* non conſiſtit. p. 729. 730. Eſſe tamen, qui hoc ſtatuunt, variis Excerptis oſtenditur, p. 731.

Animalium mundorum & *immundorum* diſcrimen quando ortum? p. 330. 331.

Ante tempora ſecularia & *ab æterno eſſe* in Scripturis idem. pag. 480. 481. Quid e contorto phraſios illius ſenſu intulerit *Arrius*? p. 481.

Ἀντίτυπον quid? p. 273, 274, 275, 276. Ejus cum *typo* ſimilitudo quomodo conſideranda? pag. 276. 277. Dignoſcendi illius ratio indicata. p. 292, 293, 294.

Antonini Pii Philoſophi elogium, p. 43. Liber ejus *de iis, qui ad ſe pertinent*, laudatus, *Ibid.* Ejus ἀκολούθησον θεῷ unde? p. 44.

Antonini de Ripolis ad Muhammediſmum apoſtaſia & pœnitentia. p. 414.

Anubis (Ægyptiorum idolum) cur *canino* capite pictus? p. 144. An idem cum Mercurio? *Ibid.* Non fuit ipſe Moſes. *Ibid.* Variis apud Scriptores nominibus inſignitus. pag. 145. Cur *Latrator*, *Deriſor*, *Canis ſemi-homo* dictus? *Ibid.*

Ἀπάγχεσθαι quid? p. 384 &c. Quo ſenſu *Iudæ* proditori attributum? p. 385, 386, 387.

Apex quodnam tegminis genus? p. 82.

Ἀποκαλύψεως vox qualis? p. 186. 187. Ultimo Scripturæ libro cur inſcripta? p. 186.

Apollonius Thyanæus impoſtor celeberrimus. p. 189. Quibus artibus phantaſmatis ſuis fidem conciliârit? *Ibid.* Philoſtrati de eo fabula. *Ibid.*

Apoſtatæ & *Epicuræi* Hebræis fere idem. p. 421.

Apoſtolorum ſupra alios Eccleſiæ Miniſtros prærogativæ. p. 449. Extraordinaria eorum in prævaricantium corpora poteſtas qualis? p. 453. 454. Cur ſub ipſo N. T. in Templo Hieroſolymitano adhuc adorarint? p. 483. 484.

Ἀφίστημι quid? p. 210.

Aquæ Aſbamææ quæ? p. 115.

Aquæ amaræ, de quibus Numer. 5. 18. cur ſic dictæ? p. 96. Unde deſumptæ? p. 96. 97. An idem

Digitized by Google

idem earum cum aquâ, cui Moſes *Vituli aurei* pulverem inſparſerat, effectus? p. 101. 102 Vis earum, quâ *concidere ſemur* & *intumeſcere ventrem* faciebant, unde? p. 102.

Aquarum in mundi primordio *ſecretio* duplex, ſuperiorum ab Inferioribus *una*, Inferiorum ab ipſâ Tellure *altera*. p. 308.

Arbores Paradiſi, *Sacramentales* dictæ, quæ? p. 595.

Arbor Scientiæ boni & mali an & qualis planta? pag. 595, 596. Quando & unde ſic dicta? p. 590, 591. De naturâ ejus opiniones variæ. p. 595, 596, 597. Non fuit mulier *Eva*. p. 595. Nec Adami *virilis virga*. p. 596. Neque *omnium rerum* in homine *ſemen*. p. 595. Phyſicâ ſcientiam ingenerandi facultate non polluit. p. 590. 591. In *Templum*, ſi Adam non peccaſſet, non fuiſſet commutanda. p. 600. 601.

Arbor vitæ in Allegoriam a quibusdam verſa. p. 601. Unde nomen ſuum indepta? p. 601. 602. Non a Diabolo ſed ipſo Deo ſic dicta? p. 602. 603. Vitam conferendi vim non habuit. p. 602. Fœderis opertum ſacramentum, Chriſtique quale quale *exemplar* fuit, non *typus*. p. 603. 604. Una & individua non fuit, ſed arboris ſpecies. p. 605, 606. Etiam *extra* Paradiſum, ſi homo non peccaſſet, fuiſſet multiplicanda. p. 605. 606. Præciſe in Paradiſi *meditullio* non conſtitit. p. 606 Procul dubio a Protoplaſtis fuit *deguſtata*. pag. 606. 607. Nonnullorum de eâ nugamenta rejecta. p. 607. 608.

Arcadum de ſeipſis, ante *Lunam* natis, delirium. p. 61.

Archigalli qui? p. 505, 507. An *exſecti* vere fuerint, an non? p 508. Cur olim *velati*? p. 82.

Argumentum negativum in rebus Hiſtoricis ſemper invalidum. p. 227. 228.

Ariſtoteles an Mundum *æternum* ſtatuerit incertum. p. 60, 61.

Arius quo mortis genere interierit? p. 391.

Arianorum baptizandi ratio. pag. 502.

Ars ſtatuaria a *Tertulliano* cur damnata? p. 591.

אִשָּׁה vox *tam virgini* quam *maritatæ* fœminæ communis. p. 775.

Aſinarios cur Pagani *Chriſtianos* olim

olim dixerint? p. 716.
Aſſaſini qui, & unde ſic dicti? p. 637.
Aſſenſus veritatibus S. Scripturæ præbendi impedimenta. p. 724
Ἀταραξία *Scepticorum* quæ? p. 40.
Athanaſii contra minimæ ſyllabæ in Doctrina veritatis immutationem conſtantia. p. 652
Athenienſium σαμαίνα, devictis a ſe hoſtibus inſcriptum, quid? p. 344. Regni eorum antiquitas, juxta nonnullos, ſtupenda. p. 62.
אתנן quid ſignificet? p. 154.
Atrium Gentium quid? 712. Quibusnam aditus ad id conceſſus, quibus non? *Ibid.*
Atri canis conſpectus olim ominoſus. p. 140. 141. *Creſcentio*, Pontificis in Concilio Tridentino Legato, éxitialis. p. 517.
Atys vel *Attys*, puer Phrygius, quis? p. 505. 506. Hiſtoria ejus ad *fabulas* a nonnullis relegata. p. 505. Ab aliis *allegoricè* explicata. p. 506. Non fuit *Moſes*. p. 505. An a *Cybele* fuerit exſectus? *Ibid.*
Auguſtinus quâ via in aſſenſum divinorum myſteriorum tandem pertractus? p. 655. Libros *Ciceronis* cur abjecerit? p. 491.
Authoritas humana in rebus fidei quouſque ſuſpicienda? p. 274. 341.
Auxilii Divini, quo ſuccurrere ſuis in praxi pietatis ſolet, actus varii, p. 726.
Awina & *Azrona* commentitiæ Adami filiæ. p. 338.

B.

Bacchanalia Romanorum quomodo celebrari ſolita? p. 545. *Papiſtarum* unde orta? p. 545. Horum cum Dierum *Purim* celebratione hodiernâ convenientia, p. 445. 446.
Bagoas apud Perſas quid? p. 499.
Balduini (Franciſci) fidei vitęque ratio mirè deſultoria. p. 417.
Baptiſmalia dona Veteri Eccleſiæ incognita. p. 538.
Baptiſmus Diluvii non ἀντίτυπος ſed σύντυπος. pag. 273, 274, 275. &c. Inter formulam adminiſtrandi ejus in Eccleſiis *Palatinis* & *Belgicis* uſurpari ſolitam diſcrimen quale? p. 538.
Baptizandi in Vet. Eccleſiâ quo ritu Diabolum ejurare ſoliti? p. 590.
Baptizatorum inſtituendorum in

doctrinâ Domini cura quatenus *Parentibus*, quatenus *Suſceptoribus* impoſita? p. 540.

Baſilii, Iſauriæ Epiſcopi, *apoſtaſia* & P*alinodia*. p. 414.

Βάττος quis? p. 578.

Βαττολογία Gentilium quæ? pag. 579. Vocis origo. p. 578. A πολυλογίᾳ quomodo diſtincta? p. 578. 579. Cur Ethnicis præ aliis uſurpata? p. 581. 582. Cum qualicunque precum proxilitate, συμπλοκῇ, anaphoris & epiphoris Rhetoricis non confundenda. p. 579, 580. 581, 582.

Battologia Pontificiorum exploſæ, p. 582.

Begardi, Begini vel *Beguini* quales hæretici? p. 142.

Benedicti Spinoſæ delineatio. p. 23. 24. Putidi ejus errores. p. 25. Antagoniſtæ varii. *Ibid.* Argumenta, quibus nixus, Moſem *Pentateuchi* Autorem eſſe negat, profligata. pag. 25, 26, 27, 28, 29.

Benedictionis ſuper cibum apud Hebræos neceſſitas. p. 584. Conſueta ejus formula. p. 585.

בני־אלהים qui? p. 549.

Bernardinus Ochinus quis? p. 263. Quo artificio *Polygamiam* defenderit? *Ibid.* Cur *Tiguro* urbe ejectus? *Ibid.*

Bethlehemum urbs non ampla ſed exigua. p. 802, 806. Unde *ſuburbia* eam habuiſſe haud veroſimile. *Ibid.* Quandoque *vicus* tantum dicta. *Ibid.* Etiam noctu tempore nativitatis Chriſti intrare volentibus acceſſibilis. *Ibid.* Procul dubio ὑπέπιγος fuit. p. 807. 808. Cur naſci in eâ voluerit Chriſtus? p. 798. Quanto *Hieroſolymâ* diſtiterit ſpatio? p. 807.

Bethlehemitæ, Chriſtum recens natum diverſorio non recipientes, an peccaverint? p. 818. 819.

Beza calumnioſe a Pontificiis *pæderaſtia* poſtulatus. p. 164. 165. *Juvenilia* ejus ab Autore retractata, ſaltem emendata. p. 165.

Binarius numerus an ominoſus? pag. 305, 306.

Biothanati olim qui? p. 388.

Blaſphemantes in Veteri Eccleſiâ quinam? p. 411. 412.

Βλέπε κύνα quid, & unde ortum? p. 128.

Bona injuſte acquiſita quo ſenſu *Deo* non offerenda? p. 151, 152, 155. Quomodo & quibus ſub conditionibus a pauperibus recipienda? *Ibid.*

Boni Viri apud Veteres imago. p. 764. 772. Quinam olim nomine eo decorati? p. 771.

Bonitas Creaturarum in quibus ſita? p. 304. De quæſtione, an operibus *ſecundæ diei* inſcripta etiam fuerit, Eruditorum conflictus. pag. 305. *Negantium* rationis excuſſæ. p. 305. 306. *Affirmans* ſententia recepta, explicata, confirmata. p. 307, 308, 309.

C.

Cadaverum, ad hanc vel illam Mundi plagam conſtituendorum, ratio apud

pud Gentiles non uniformis. p. 5⁸6. Quorundam *Chriſtianorum* circa eam ſuperſtitio. *Ibid.*

Caſalpini (Andreæ) de *Primorum hominum* ortu ſententia, p. 64.

Calculi quid? p 168, 169. Multiplex eorum apud Veteres uſus. p. 169. 170, 171, 172, 173, &c. In *Judiciis* præcipue adhibiti. p. 175, 176. Eorum in urnam mittendorum ex eâque in *Magiſtratuum electione* educendorum ratio. p. 169. Cur *Mercurii* nomine notati? *Ibid.* Duplex, cui injiciebantur, urna, in *Judiciis* ænea, in *certaminibus* argentea, pag. 176.

Calculus albus abſolutionis *ater* condemnationis olim index. pag. 176.

Calculi albi quoties certantibus dati, & quem in finem? pag. 173. Perſonæ non tantum pugnaturæ, ſed urbes etiam expugnandæ, iis deſignatæ. p. 174.

Calculus albus Apoc. 2. 17. quis p. 176, 177. *Bona poſt hanc vitam poſſidenda* eo non indicata, p. 181. Neque ipſe *Chriſtus*. p. 180, 181. Neque *Carbunculus*. p. 182, 183. Minime *Philoſophorum Lapis*. *Ibid.*

Calculi Vitrei. p. 170.

Calculorum Ludus qualis? p. 170, 171. Quis in eo *Victor* olim habitus? *Ibid.* An & quomodo a *Latrunculorum* ludo diſtinctus? p. 170.

Caligulæ Equus, *Incitatus* dictus, quanti ipſi habitus? p. 133.

Calvini laus. p. 244. Non fuit Polygamiæ patronus. p. 364.

Canis cur Κύων dictus? p. 127.

Canis animal ex Lege *immundum*. pag. 139. *Viliſſimum*. p. 139, 140. *Impudentiſſimum*. p. 141, 142, 143, 144. *Ingratiſſimum*. p. 148. 149.

Canis caput quid? p. 139.

Canis pretium, de quo Deut. 23. 1. quid? p. 135, &c. Cur a *Sanctuario* relegatum? pag. 139 — 149. Non fuit idem cum *Meritorii* pretio. 135, 136, 137.

Canem ferre, qualis olim pœna? p. 140.

Canes ut ſacrificia a Gentilibus oblati. p. 143. 144.

Canes muti Eſ. 56. 10. qui? p. 128, 129.

Canes & *Sues*, de quibus Matt. 7. 6. cur ſic dicti? p. 400. 401.

Canes Sepulchrales. p. 134.

Canes in præliis adhibiti. p. 131. 132. Impenſè a quibuſdam æſtimati. p. 132. 133. Ab aliquibus ſepulti. *Ibid.* Encomia & Epicedia ipſis ſcripta. p. 133. Lautius, ac ipſi homines, a nonnullis habiti. p. 133, 134. Deorum inſtar ab *Ægyptiis* culti. pag 144. 145. 146.

Canibus humana loquela adſcripta. p. 131. Ipſæ nonnunquam *Gentes* in cultu ſuo iis alienæ. pag. 147, 148.

Canonici Libri κριτήρια. p. 487.

Canticum Canticorum an nomen יהוה in ſe contineat? p. 491. *Salomonis* in eo conſcribendo ſcopus. p. 491. 492.

Carbunculus qualis lapis? p. 182. Unde ita dictus? *Ibid.* Quo colore prodere ſe ſolitus? *Ibid.*

Caro & *Spiritus* quid? p. 461, 462. *Illa* cur in ipſis regenitis quando-

que ſuperior, quam hic? pag. 756.

Carnis vocabuli ambiguitas. pag. 206. Ejus in ipſis regenitis ſupra *Spiritum* prærogativæ. p. 754.

Caſeus in probationem innocentiæ aliquando adhibitus. p. 117.

Caſtor unde dictus? p. 515. An proprios teſticulos, ut evadat, devoret? *Ibid.*

Caſtratio a quonam primum exercita? p. 503, 504, 505. Ejus tormenta & fœditas. p. 516. Variis Imperatorum decretis cohibita. p. 515, 516.

Cathari vel *Catari* cur & a quibus fideles olim dicti? p. 717.

Catechizationes non minus *Eccleſiaſtica*, quam *Domeſtica* neceſſariæ. p. 571. 572. Male in *minus pueriles* & *nimis pueriles* diſtinctæ. p. 572.

Catechumeni cur a Veteribus *velati*? p. 92, 93. Ad baptiſmum olim non admiſſi, niſi *jejunio* præparati. p. 671.

Cauſam Dei prodere quinam dicendi p. 643.

Cecrops male ab aliquibus *Merops* dictus. p. 12. An *Creta* an *Athenienſium* Rex fuerit, diſquiritur. p. 12, 13. *Ægyptius* natione fuit, non *Atticus*. *Ibid.* Cur Διφυὴς nuncupatus? p. 13. *Luti* nomine inſignitus, & quare? *Ibid.* Non fuit *Moſes*. p. 13, 14. Athenarum Reges omnes *Cecropidæ* ab ipſo dicti. p. 13.

Celatores apud Canoniſtas qui? p. 739.

Cenſus Iſraelitis ad Paſcha impoſitus. p. 617. Nummorum, qui eo colligebantur, uſus. *Ibid.*

Cenſus Moſis & Davidis cur *Fœminarum* mentionem non faciant? p. 798

Cenſuum apud Romanos ratio. p. 797. An *Peregrini* & *Mulieres* ad eos etiam vocati? p. 79 .

Ceremoniales Leges uni Dei beniplacito nixæ. p. 138. Summe tamen rationabiles ſemper habendæ. pag. 138, 139.

Ceremoniarum in V. T præcipuus finis. p. 147, 263. *Tria* earum tempora diſtinguenda. p. 584.

Certitudinis ſpecies variæ. p. 647.

Certitudo experientalis quæ? pag. 647, 656, 657. Fidei Divinæ quomodo connexa? p. 657.

Certitudo Moralis quibus fundamentis nixa? p. 647, 650. *Pro verâ* certitudine etiam habenda. *Ibid.* Quo ſenſu ipſâ *Mathematicâ* non ſemper inferior. p. 657.

חנך quid? p. 335.

Caritatis judicium quale? 365, 366. *Perſonis* tantum non *rebus* applicabile. *Ibid.*

חִתֵּל de quâ involutione proprie intelligendum? p. 819.

Chinenſium de hominibus *ante-adamicis* opinio. p. 62.

Chriſtus quo ſenſu *Nazarenus* dictus? p. 797. An *in* an *extra* urbem Bethlehem natus? pag. 799, 800, 801. &c. An inter pecora & in *ſtabulo*? p. 808. &c. *Laceris* & *ſordidis* faſciis non fuit involutus. p. 819, 820. Quid *ſcriptione ſuâ in Terra* Joh 8, 6. intenderit? p. 111, 112.

Chriſti φραγέλλιον, quo *Numularios* Templo ejecit, unde factum? p 618.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum in *ſanctificatorem* apprehendere quid ſit? 760. 761. Ad peccata evitanda ſumme neceſſarium. p. 760.
Chriſtiani Damaſceni qui? pag. 590. Fructus Arboris vetitæ juxta illos quis? *Ibid.*
Chriſtiani cur *cathari* dicti? Vid. *Cathari.*
Chryſoſtomus quo anno Chriſti mortuus? p. 805.
Circumcellionum & *Circuitorum* ſecta quæ? p. 389.
Coa & *Cea* vel *Cia* quomodo differant? p. 87.
Coa veſtis quid? p. 86. Quomodo aliter dicta? *Ibid.* Quem in finem a *Romanis* adhibita? *Ibid.* Prima ejus inventrix quæ? p. 87.
Cos (inſula) ubi ſita? p. 87. A *bombycum* multitudine celeberrima. *Ibid.* *Hippocratis* Patria. *Ibid.*
Cœli Beatorum magnitudo, juxta nonnullos, quanta? p. 53.
Cœna in probationem innocentiæ olim adhibita. p. 117.
Cœnâ Paſchali finitâ quicquam edere, juxta Judæos, illicitum. p. 380.
Cogitatio ſubſtantialis exploſa. pag. 729, 730.
Cogitandi actus & potentia ab ipſa *Animâ* quomodo diſtincta? p. 730, 731.
Cognitio verborum S. Scripturæ alia, alia *rerum*, p. 723.
Color albus victoriæ & lætitiæ, *niger* miſeriæ & infortunii index. p. 178, 179. *Flammeus* cur in Nuptiis olim adhibitus? p. 90. 91.
Columbarum venditores apud Hebræos qui? p. 612. Cur infames olim habiti? p. 613. Quinam per eos, de quibus Chriſtus Johann. 2. 14. intelligendi? p. 613, 614.
Columbarum apud Judæos, *Petra* qualis? pag. 614.
Collybus quid? p. 615, 616. Ejus valor apud Hebræos. p. 616. Quinam dare eum obligati, quinam non? *Ibid.* *Bovis* imago cur ei impreſſa? p. 615.
Collybiſta & *Numularii* an differant? p. 615. Quo anni tempore coire in Templo conſueverint? pag. 617. In quâ Templi parte conſederint & quem in finem? pag. 617, 618. Apud Hebræos & Romanos infames. pag. 613.
Combabus cur ſe ipſum exſecuerit? p. 514.
Comenii de Revelationibus extraordinariis ſub N. T. ſententia varie excepta. pag. 190, 191. Ultimum ejus propoſitum quale? pag. 191.
Confeſſio Belgica præſentiæ Judæ in *Cœna* non favet. pag. 381, 382. Tria in eâ, ut & in omnibus Eccleſiæ *formulis*, diſtinguenda, p. 382.
Conſcientia errans quæ? p. 642. Agere vel omittere aliquid contra ejus dictamen quando peccatum? *Ibid.*
Conſcientiæ lancinantis terrores. pag. 68, 340, 417, 418.
Conſequentia ex opinione alicujus abſur-

Digitized by Google

abſurdâ quando pro propria ejus ſententiâ habenda? p. 385. 386.
Conſtantii Imperatoris fidelitatis *Aulicorum* ſuorum exploratio arguta. p. 420. 421.
Contractus injuſto metu extorti cur reſciſſibiles? p. 791.
Contritio ſuper peccatis vel *Legalis* vel *Euangelica.* pag. 750. Neutra omnem *Relapſus* poſſibilitatem tollit. *Ibid.* Magis aliquando intenſa *majus*, minus intenſa *minus* relabendi periculum inducit. *Ibid.* Cujus ratio redditur. *Ibid.*
Copiata qui? vid. *Parabolani.*
Corban quid? p. 786, 787. Juramenti ei connexi formula. p. 787. Abominabilis ejus injuſtitia. *Ibid.*
Corinthiorum Idololatria putidiſſima. p. 163.
Corinthus, Achaiæ urbs, quot habuerit portus? p. 163.
Coronæ, quibus *Romani* victores ſuos condecorabant, varii generis. pag. 174, 175.
Corporis quot & quæ apud Hebræos vitia? p. 527.
Correctio Scribarũ, ſive תיקון סופרים quid? p. 31.
Cortina quale veli genus? p. 83.
Crucicolæ Chriſtiani a *Paganis* dicti & quare? p. 717.
Crucifixionis varium apud Antiquos genus. p. 197.
Crucis pœna cur & quando a *Conſtantino* abrogata, & patibuli ei ſubſtituta? p. 441.
Crucis ſignum cur *Servis* olim inſcriptum? p. 345.
Cujuslibet non eſſe adire Corinthum, unde ortum? p. 163.
Cultus V. T. *Legalis* interni & ſpiritualis non fuit *typus*. p. 247.
Cultus externus quis? p. 677.
Curtius cur in foveam *Romæ* ſe præcipitaverit? p. 389.
Cybele unde dicta. p. 510. Cur *Enthea* nominata? *Ibid.* Sacerdotum ejus πολυωνυμία? p. 508, 509.
Cycloides quale dicendi genus? p. 580.
Cynadi qui? p. 115. Ὀνοματολογίας eorum ratio. *Ibid.* Cur *Feles* nominati? *Ibid.*
Cynici Philoſophi quales? p. 142. Unde id nominis indepti? *Ibid.* Per *Canes*, qui Lazari ulcera linxerunt, non deſignati. *Ibid.*

D.

Daciarii qui? p. 707.
DAN [urbs] quando ſic primum vocata? p. 27, 28.
Danielem Prophetam fuiſſe cur negent Judæi? p. 523. An *exſectus Eunuchus* fuerit diſquiritur. pag. 523, 524.
David quando natus? p. 202. Quo ætatis anno *adulterium* ſuum commiſerit? Ibid.
Democriti Abderitæ de primorum hominum ortu figmentum. p. 64.
Denckius (Johannes) in ſententiam *Origenis*, de omnibus tandem hominibus ſalvandis, prolapſus. pag. 51. Alii illius errores qui? pag. 52. Ad ſaniorem mentem tandem reductus. p. 52.
Deorum apud Paganos πολυωνυμίαι p. 580, 581.

Digitized by Google

Deſcriptio non ſimplex ſed duplex ab *Auguſto* indicta. p. 797.
Deſperatio non minus quam *ſpiritualis præſumptio* cavenda. p. 760.
Devictiaci quales hæretici? vid. *Heliognoſti.*
Devovendi ſe DIS *Manibus* apud *Romanos* formula, p. 94.
Deuterotæ olim qui? p. 259. Quomodo a vulgaribus *Scripturarus* diſtincti? *Ibid.*
Diaboli. vid. *Angeli.*
Dicterium: Plures *Orientem* adorare Solem, quam *Occidentem*, unde derivatum? p. 589.
Dies fauſti & *infauſti* quomodo olim explorati? pag. 445, 444. Quidam εὐπρακτοι quidam ἄπρακτοι apud Romanos. *Ibid.* Ægyptiaci quinam dicti? *Ibid.*
Dii ſuper menſam conſtituti, ſive, Θεοὶ ἐπιτραπέζιοι qui? p. 585.
Diluvium quo Mundi anno immiſſum? p. 504. *Baptiſmi* non fuit typus. p. 273. &c. Quo ſenſu hic illius ἀντίτυπον tamen dictus? vid. *Baptiſmus.*
Diocletionæ perſecutionis inſcriptio. pag. 411.
Diomedes Thraciæ Rex, *equos* ſuos humanâ carne alere ſolitus. p. 441. Tandem ab ipſis ſuis *Equis* devoratus. *Ibid.*
Diſſimulatio veritatis nonnunquam inculpabilis & quando? p. 406. Quot modis prudenter inſtitui poſſit? vid. *Silentium.*
Diſpenſatio. vid. *Polygamia.*
Dominium peccati in homines irregenitos in quibus? vid. *Peccatum.*
Druſilla, de qua Act. 24. 24. quibus parentibus orta? p. 773. *Duaſne* ejus nominis poſſederit *Felix*, an *unam* tantum? *Ibid.* Ejus ſorores, pulchritudo, levitas. p. 774. *Felicisne uxor* fuerit, an *concubina* diſquiritur. p. 775, &c.
Druſilla Livia & *Druſilla* Germanici Filia quæ? p. 773. A Druſillâ *Felicis* uxore diſtinguendæ. *Ibid.* Cur & a quibus divini honores eis decreti? p. 773, 774.
Dubia quo ſenſu in *meliorem partem* ſemper interpretanda? p. 365.
Duellum injuſtum innocentiæ explorandæ medium. pag. 120. Quibus olim Gentibus eum in finem uſurpatum? pag. 121. 122.
Memorabile ejus, inter duos Nobilis *Rupam de Vidima* & *Rodigem de Avila*, exemplum. p. 120, 121.

E.

Ecebolii aſſeclæ quinam proprie dicendi? p. 403.
Eccleſiaſtes Salomonis nomine יהוה deſtitutus. p. 492.
Eduardi Confeſſoris continentia illaudabilis. p. 159.
Egeſtas & *Paupertas* an & quomodo differant? p. 682.
Egenis, juxta Hebræos, quid præſtandum, priuſquam ad Eleemoſynas admitterentur. p. 688.
Εἰκὼν & σκία ut differant? p. 289.
Elias Propheta an in terreſtri Paradiſo adhud deliteſcat? p. 319. 320.

Elias

Eliæ Abbatis Jejunium ſuperſtitioſum. p. 676.
Elmerodachi, Babyloniorum Regis, in ludum *Schacchicum* affectus. p. 172.
Ἐπιβάλλειν quid? p. 93.
Epictetus an Chriſtianis accenſendus? p. 43. Cujus fuerit diſcipulus? *Ibid.* A ſuis mirandum in modum æſtimatus. pag. 416. *Lucerna* ejus *fictilis* quanti vendita? *Ibid.*
Epicurus a ſuis ſummo in pretio habitus. p. 416. Unde *primos* homines derivaverit? p. 64.
Epiſtolarum inſcriptiones quomodo interpretandæ? p. 771.
Epitaphium Camerio Creſcenti Archi-gallo ſcriptum. p. 510.
Ἐποχὴ in rebus *Theologicis* quando laudabilis, quando illaudabilis? p. 307, 475.
Ἐποφθαλμιᾶν quid? p. 100.
Equorum lachrymantium exempla. p. 127.
Eraſtianorum hypotheſes falſæ & lubricæ? p. 454, 465. Antagoniſtæ primarii? 466.
Eſdra Pentateuchi non *Autor* ſed *reſtitutor*. p. 21, 22. Quid in reſtaurando eo præſtiterit? p. 22. Cur, cum Hiſtoriæ *Eſthera* Scriptor ſit, nullam in aliis ſuis Libris mentionem ejus faciat? p. 487, 488.
Eſthera Liber cur Canonicus habendus? p. 487, 488, 489, &c.
Unde מְגִלָּה dictus? pag. 490.
Ejus *Autor* quis? p. 487. *Divinitas* ejus a quibus in dubium vocata? p. 488. 489. Nomen *Dei*, יהוה, *Domini* &c. nuſquam in eo obvium. p. 490. Quod cur ita ſit, neque certum eſt, neque *Divinitati* ejus præjudicat. p. 490, 491, 493. Hebræis ſingulariter fuit æſtimatus. p. 493. Ejus ἐπιβλήματα cur ut *Divina* non recipienda? pag. 425, 426.
Eſther, Eſra, Nehemia an Perſarum Reges *divino* cultu venerati ſint? p. 435, 436.
Ethelrida præpoſtera a marito abſtinentia. p. 159.
Eva eodem die cum *Adamo* condita. p. 228, 229.
Euangelium non *Legiſlatorium*, ſed mere *promiſſorium*. p. 361.
Euangelium æternum qualis liber? pag. 288. Quisnam ejus author? p. 288.
Eudamonis Presbyteri, de luxandâ Eccleſiæ diſciplinâ, conſilium impium. p. 220.
Eunomius hæreticus quando ortus? p. 501. An *Eunuchiſmum* in ſectam ſuam induxerit? p. 501. 502. Quam *Baptizandi* rationem tenuerit? pag. 502.
Eunomiani ſcortationem peccatum eſſe negarunt. p. 502.
Eunuchus Reginæ *Candacis* quis? pag. 522. Ejus nomen. *Ibid.* An primus *Æthiopibus* doctrinam Euangelii annunciaverit? p. 522.
Eunuchi vel *propriè* vel *impropriè* dicti. p. 498. Hi iterum vel *Dignitatis* vel *Devotionis*. *Ibid.* Propriæ dicti cur *Corybantes*, *Cabiri*, *Dactyli*, *Telchines*,

chines, *Curetes*, *Arcanames* ab aliquibus nuncupati? p. 508, 509. Juxta Magiſtros vel *nati* ſunt vel *facti*; vel *Solis* vel *Hominis*. p. 503. In pretio ab aliquibus habiti. p. 517, 518. A pleriſque tamen contempti, & quare? p. 518. A peragendis *Sacris* non excluſi. p. 529. Ad vocalem *Muſicam* præ aliis fere idonei. p. 520, 521. Quidam uxorati. p. 521, 522. Ad matrimonium tamen temere non admittendi. p. 524, 525. A *congregatione Jehovæ* cur olim remoti? p. 525, 526, &c. Ad agenda publica non ſemper aliis ineptiores. *Ibid.* Quidam ad ſacra etiam munia promoti. pag. 519. Mulierum cuſtodia vix ſatis tuto iis commiſſa. p. 513. Male quicquid Lex Divina de eâ habet in *Allegoriam* ab aliquibus converſum. p. 528. Cur tempore *Athanaſii* & *Nazianzeni* nequiores fere fuerint? p. 519, 520.

Eunuchi occurſus olim ominoſus. p. 516, 517.

Eunuchi Spiritu quinam? p. 499.

Eunuchorum conſideratio quo jure ad *Theologos* etiam pertineat? p. 496. Nominis eorum ratio. p. 497, 498. A *Spadonibus* differentia. p. 497, 498. Origo. p. 504, 505, 506. Prærogativæ, p. 520, 521. Uſus apud Antiquos varius. p. 512, 513, 514, 515.

Eunuchæ Mulieres cur & a quonam inductæ? p. 511, 512.

Euſtochium. vid. *Paula*.

Exceſſus in cultu religioſo an & quo ſenſu poſſibilis? p. 643, 676, 677.

Exciſio animæ e populo Dei quid ſit, quæſtio perplexa. pag. 475. Ejus multiplex in V. T. mentio. p. 467, 468. Cauſæ, juxta Hebræos, variæ. p. 468. Vel *gravior* fuit vel *levior*, quæ quomodo differant, explicatur. p. 467, 468. In judicio quodam θεηλάτῳ non tantum conſtitit. p. 471, 472. Neque in ſolo Magiſtratus *capitali ſupplicio*. p. 471. Multo minus in ſolius *mortis æternæ* irrogatione. p. 471, 472, 473, 474. Neque in *merâ Excommunicatione* Eccleſiaſticâ proprie dictâ. p. 474, 475. Veriſimilior & communior de eâ ſententia quinque *Concluſionibus* expoſita. p. 475, &c. Tenellis *infantibus* non applicanda. pag. 470. Quo ſenſu in *ipſas* etiam Gentes nonnunquam exercita? pag. 473. 474.

Excommunicatio Eccleſiæ in quo ſita? p. 461. Cur *Traditionis Satanæ* notione in Scripturâ veniat? *Ibid.* Sententia ejus *conditionata*, non *abſoluta* aut architectonica. p. 463, 474. Apoſtolorum tempore *extraordinarium* quid connexum habuit. p. 464. 465. Neque ideo tamen pro plane tranſitoriâ habenda. pag. 465, 466.

Ἐξιχνιάζειν quid? p. 299.

Exploratio ſui ipſius ad peccata evitanda neceſſaria? p. 764. Apud ipſas Gentes etiam uſurpata. *Ibid.*

Expulſio Nundinatorum & Numulariorum e Templo quæ? pag. 618. Quali inſtrumento a Chriſto peracta? p. 418. *Hominum* etiam fuit, non

Digitized by Google

non *ſolorum animalium*. p. 618, 619, 620. Non *ſemel* tantum ſed *bis terve* inſtituta. p. 620. Quæ a *Johanne* narratur ab illâ, de quâ *Matthæus* & *Marcus*, diſtincta. p. 620. Quas ob cauſas & quâ authoritate a Chriſto facta? p. 621, 622. Cur nemo Judæorum ſe ei oppoſuerit? p. 622, 623.

Exſcindi e Populo Dei & *e Populis ſuis* non ſemper idem. p. 473.

Exſectio ſemper inviſa. p. 515, 516. Turpitudo ejus nefanda. pag. 516. Dolores acerrimi. *Ibid.*

Exſecti a ſe ipſis ad Clericatum olim non admiſſi. p. 500.

F.

Fabis cur abſtineri voluerint *Pythagorici*? pag. 660.

Fabula vox ambigua. p. 694. Etiam de *verâ Hiſtoriâ* nonnunquam uſurpata. *Ibid.*

Fœmina ἀνδρομανεῖς quæ? p. 87.

Falſum dicere & *verum* improprie *dicere* ut differant? p. 777.

Fanatici qui? pag. 188. Quibus κριτηρίοις a genuinis Prophetis diſtinguendi? pag. 189. 190.

Fauſtorum dierum exploratio apud Perſas quæ? pag. 444.

Fautores, de quibus Canoniſtæ, qui & cur ſic dicti? p. 738, 739.

Feciales apud Romanos quinam? pag. 94. Unde ſic nominati? *Ibid.* Eorum officium. *Ibid.* Cur *velati* inceſſerint? *Ibid.*

Feles ab Ægyptiis culti. p. 149. Cur *Gatta* & *Catta* olim dicti? *Ibid. Pedicones* cur nomine eo inſigniti? p. 156.

Feles pullaria quæ? p. 156.

Felicis nomine multi inſigniti. pag. 767, 768. Ejus, qui *Judææ Præſes* fuit, prænomen, ortus, frater. p. 768. Qui quamdiu Præſidis officio functus fuerit, diſquiritur. pag. 768, 769. Res ejus tum præclare tum nefarie geſtæ. pag. 769. Cum *Herode* Magno comparatus. pag. 770. Quo ſenſu χρήστος dictus? p. 770, 771. *Trium* Reginarum maritus & quomodo? p. 772, 773. Quâ arte *Druſillam* in ſui amorem pellexerit? p. 774.

Felicis Urgellenſis hæreſis quæ? pag. 768. Ubi & quando condemnata? *Ibid.* A quonam refutata? *Ibid.*

Ferre Canem qualis olim pœna? vid. *Canis.*

Ferre iniquitatem ſuam quid vulgo ſignificet? pag. 110.

Ferri candentis contrectatio naturaliter poſſibilis? p. 118.

Feſtum propriè dictum quid? p. 440.

Fides & *Ratio* quomodo differant? p. 331.

Fides conſideratio varia. p. 648. Quoad eſſentiam & *objective* ſi conſideretur, ſumma ei certitudo adſcribenda. *Ibid.* An rite *certitudo* tantum *moralis* ei tribuatur? pag. 651, 652. Quæſtionis hujus, juxta nonnullos, momentum. p. 650. Tutior & verior ſententia variis Concluſionibus comprehenſa. 653, 654, 655, 656, 657.

Fi-

F*iguratum* & *præfiguratum* non ſunt idem. pag. 247. *Poſterius*, quoad Legem Ceremonialem, ſola bona Novi Teſtamenti ſunt, *prius* etiam bona ſpiritualia V. Teſtamenti. *Ibid.*

F*ine* ceſſante *mediorum*, in finem illum ordinatorum, ratio etiam ceſſat. p. 406. 407. 641.

F*œderationis Spiritualis* indicia quæ? p. 543. Cauſa ejus duplex, *eſſendi* & *cognoſcendi*. p. 544. Parentum fœderatio, quoad liberos ſuos, *poſterior* eſt, non *prior*. *Ibid.*

F*oliis ficulneis* an ſe texerint Protoplaſti? vid. *Adam*.

F*ormularum Publicarum* interpretatio ad quos pertineat? p. 539.

F*ormula* loquendi, *van 't Kint te heffen*, unde derivata? p. 542.

F*ranciſcanorum* nugamentum exploſum. p. 618.

F*rancisci Spiræ* apoſtaſia. p. 417, 422. Ardens gratiæ Divinæ deſiderium. pag. 422. Favorabilius potius quam inclementius de ſtatu ejus æterno judicandum. *Ibid.*

F*rangenti fidem fides frangatur eidem*, quomodo intelligendum? 793.

F*urem nocturnum* quo jure occidere olim licitum? p. 634, 635.

G.

Gallare quid? p. 509.

Galli, Cybeles ſacerdotes, unde ſic dicti? pag. 508, 509. Qua formâ & geſtibus *Attidem* deplorare ſoliti? pag. 510, 511. Quamdiu ejulatus ille duraverit? pag. 510.

Gallæ an fœminæ fuerint, an mares? pag. 511, 512.

Galliarum Rex quo ſenſu *Chriſtianiſſimus* a Calvino ſalutatus? 770, 771.

Ganfredi ſuperſtitioſum Jejunium. pag. 676.

גַּן עֵדֶן quid? p. 321

Gaudium Spirituale quam neceſſarium? p. 661. Cum *dolore ſuper peccatis* probe conſiſtit. *Ibid.*

Gedwongen Eed is God leedt, an pie dictum? pag. 789.

Gentilium jejunia varia. vid. *Jejunia*.

Gentius Gallus cur ad adeundum Teſtamentum non admiſſus? p. 518, 519.

Germanorum veterum obfirmatus contra *zelotypiam* animus. pag. 75. Contra *Clerum papalem* rythmus admonitorius. pag. 164. In *Monogamiam* inclinatio. p. 358.

Gigantis vox in malum ſemper ſumpta. p. 235.

Gigantum origo & impietas. *Ibid.*

Gorgonia, Nazianzeni ſoror, propriæ mortis præſaga. p. 193.

Græci a Divino ſibi cultu vindicando aliis fere alieniores. p. 429.

Græcorum ſuſpecta fides. p. 12. De Scriptorum ſuorum antiquitate gloriatio vana. *Ibid.* Adoratio non operto ſed aperto capite fere uſurpata. p. 82.

Gregorii VII. innocentiæ ſuæ demonſtrandæ modus. p. 117. In Henricum Imperatorem anathema. *Ibid.*

Digitized by Google

Gregorii Thaumaturgi vaticinia quo loco habenda? p. 193.

Guinaenſium poculum adjuratorium quale? pag. 115.

Γυνὴ mulierem *maritatam* non ſemper, ſed ſæpe etiam innuptam ſignificat. p. 775.

H.

הבל quid ſignificet? p. 347.

Hæreſis & *Error* quomodo differant? p. 314. 315.

Hæreſis vox quandoque *late* quandoque *ſtricte* ſumenda. *Ibid.*

Hæreticis ne quidem, quoad ipſos *dicendi modos*, quicquam concedendum. p. 651. Ingens e praxi contrariâ Eccleſiarum periculum. *Ibid.* *Juſtini* Imperatoris laudabile de hoc Edictum. p. 652.

Hæretici in *Suſceptores* nec advocandi nec admittendi. p. 535. 536. Celebriores inter Hebræos qui? pag. 556. Quando inter eos orti? *Ibid.*

Halceſaitæ quales hæretici? p. 398. Eorum Princeps quis? *Ibid.* Cum *Eſſæis* non confundendi. *Ibid.* A quo refutati? *Ibid.*

Hamanis nomen. pag. 424. Ambitio. 426, 427, &c. Patria. p. 424, 425. Iracundia. p. 438. Sanguinolentia. p. 438, 439. Aſtutia. pag. 439. 440. Patibulum. p. 440. 441.

Haman non *Civilem* ſed *Divinum* ſibi honorem aucupavit. p. 431, 432.

Hannoch, urbs a *Kaino* ædificata, qualis? p. 68. 69.

Hareni ad Papiſmum ſeceſſus, cum inſecuta ejus pœnitentia. p. 415.

Harpocrates quis? p. 407. Quibus parentibus natus? *Ibid.* *Silentii* apud Romanos *Deus.* *Ibid.*

Haſidæi qui? p. 566. An iidem cum *Sadducæis* & *Phariſæis*? p. 566, 567.

Hebræorum pœnæ *capitales* quot? pag. 628. Pro conſervandâ Scripturarum integritate cura admirabilis. pag. 34, 35. In perdendis & damnandis Apoſtatis rigor. p. 421. *De Veſte* Hamanis, *animalium imaginibus picturatâ*, figmentum. pag. 426. אֲבִי הַבְּרִית in *Circumciſione* quales? p. 532.

Hedenis Hortus ubi ſitus? pag. 311, 312, 313. Sententiarum ſuper hoc divortium. p. 312. Hiſtoria ejus male ab aliquibus per *allegoriam* explicata. p. 314. *Amplitudo* ejus incognita. pag. 316. *Animalibus brutis* non fuit deſtitutus. pag. 316, 317. An & quomodo in hunc uſque diem ſuperſtes? p. 319, 320. Paradiſi Cœleſtis figura. p. 321, 322. Quo ſenſu ei *æternitas* a quibuſdam adſcripta? p. 321. 322. Judæorum de eo deliramenta. p. 322. 323.

Heliognoſti hæretici quales? p 588.

Henrici VIII. Anglorum Regis zelotypia. p. 77.

Henrici IV. ad Papiſmum ſeceſſus qualis? p. 413.

Henoch quo Mundi anno raptus? p. 3. Super commoratione ejus in Paradiſo *Pontificiorum* conflictus. p. 319. 320.

Henochi Liber quis? pag. 3. Quanti a Patri-

Putidus error inde hauſtus. *Ibid.* Patribus nonnullis æſtimatus? *Ibid.* Primarium ejus argumentum. *Ibid.* Γνήσιος non fuit, ſed ὑποβολιμαῖος. p. 8, 9. Autor ejus quis? *Ibid.* Quot lineis, juxta nonnullos, conſtiterit? p. 3

Henochi Prophetia, de quâ Apoſtolus *Judas*, non ſcripta, ſed per manus tradita. p. 8, 9.

Hermes, vel *Hermetes* plures. p. 15.

Hermes Triſmegiſtus quis? p. 15. An idem cum *Mercurio Triſmegiſto*? *Ibid.* Unde *Triſmegiſti* nomen ei adhæſerit? p. 15. Quot Librorum autor fuerit? p. 5, 6. An omnium Litterarum inventor? p. 6. Ejus *Poemander* qualis Liber? p. 15. Num *Moſes* ſuorum multa ex eo hauſerit? p. 15, 16. Philaſtrii de eo judicium. p. 15. Moſe antiquior non fuit, ſed recentior. *Ibid.*

Herodes Aſcalonita cum *Felice*, Judææ Præſide, collatus. p. 770. Proſapia ejus humilis. *Ibid.* Ingenium crudele & audax. *Ibid.* Cædes multifariæ. *Ibid.* Quo ſenſu ἀλλόφυλος dictus? *Ibid.* Ubi tempore nativitatis Chriſti reſederit? p. 807. Cur *Regem* eum ſalutare Judæi renuerint? p. 770.

Herodianorum opinio quæ? p. 559.

Hierapolis unde dicta? p. 507. Variæ ejus nominis urbes. *Ibid.* *Magna Phrygia* quæ? *Ibid.* Celebre in ea *Bacchi* vel *Deucalionis* templum. *Ibid.* *Cybeles* Sacerdotes in eâ exſecti. pag. 507. Fons ejus mire contagioſus. p. 507. 520.

Hierarchici in Angliâ *adorationis ad Orientem* in Eccleſiam reducendæ patroni. p. 592.

Hieronymus in ſtatum *matrimonialem* paſſim inquior. p. 306. Explicationi S. Scripturæ per *Kabbalam* nimis addictus. p. 295.

Hierophantæ quomodo caſtitati ſuæ conſulere ſoliti? p. 499.

Hiſtoriarum neceſſitas & uſus. p. 7.

Hobbes impudens & impurus Philoſophus. p. 398. Pernicioſæ ejus hypotheſes detectæ. pag. 436, 791. 792.

Homerus Alexandro M. in deliciis. pag. 7.

Homo totius univerſitatis compendium. p. 219. Cur μικρόκοσμος dictus? *Ibid.* Ejus excellentia. p. 219. Cur ultimo loco conditus? p. 220, 221.

Honor divinus a quibusvis fere Gentium Regibus affectatus. p. 427.

Hordeum in potu Zelotypiæ cur adhibitum? p. 80.

I.

Jacobi (Patriarchæ) Filii quomodo, licet valde adhuc juvenes, tot liberos & nepotes habere potuerint? p. 69, 70.

Jacobi, Brittanniarum Regis, ad Filium ſuum de *Ludo Schacchico* παραίνησις. p. 172.

Jacobi Prapoſiti Apoſtaſia & palinodia. p. 414.

יה an nomen Deo proprium? pag. 491.

Digitized by Google

Ianbuſan ſive *Somboſcher* quis? p. 91.

Jejunium Græcorum *Magnum* unde ſic dictum?. pag 673.

Jejunium Pontificiorum *quadrageſimale* exploſum. p. 602.

Jejunium Scoticum A. 1583. quo ſenſu per *ſeptiduum* continuatum? pag. 676.

Jejunii publici & privati diſpar ratio. p. 680.

Jejunia quædam *Gentilium* admiranda. p. 660. *Pythagoræ* ab *animalium eſu abſtinentia* eo non referenda. p. 660. 661. 662.

Jejunia Hebræorum an *Angariæ* dicta? p. 665. Cur תעניות vocata? p. 666. Quodnam *Jejunium* maxime iis ſolenne? p. 666, 667. Quomodo ab aliis id diſtinctum? p. 667. Cur & quâ occaſione inſtitutum? p. 667. Quomodo olim tranſigendum? p. 666. 667.

Jejunia Hebræorum hebdomodalia. pag. 669. Quoties & in quos fines celebranda. *Ibid.* Eorundem *ſemi-jejunia*. p. 669, 670.

Jejunia Chriſtianorum varia. p. 670. 671.

Jejunia Græcorum moderna quæ? p. 672. 673. Quibus anni temporibus obſervari ſolita? p. 673. Etiam bis hebdo modatim a quibuſdam eorum celebrata. 670.

Jejunia non tantum in Vet. ſed etiam in Novo Teſtamento imperata. p. 673. Quo diſcrimine celebranda? p. 673, 674. Non *propter ſe* ſed propter *aliud* neceſſaria. p. 674. Singulis ex æquo non imponenda. *Ibid.* Nimis protracta *corpori* & *animæ* noxia. p. 676.

Jejunia ſtata haud temere admittenda. p. 674. 675. *Privata*, quâ prudentiâ ſuſcipienda? p. 675. 676. *Exceſſus* in *jejuniis* qubus caſibus committatur? 677.

Jejunia quorum autoritate inſtituenda? p. 678. Animarum *medicamenta* ſunt, non *alimenta*. p. 675. 677. Quando finiri dicenda? *Ibid.* Proprius eorum effectus quis? pag 678. 669. Qualis *mœroris* externa demonſtratio in iis licita? p. 679. 680. 681.

Imagines Imperatorum divino cultu honoratæ. p. 428.

Immunitas a totali Dei deſertione tam fidelibus *Novi* quam *Veteris* Teſtamenti promiſſa. p. 690.

Impoſitores vel *Imponentes* unde Chriſtiani olim dicti? p. 716.

Impotentia fidem profitendi vel *naturalis* vel *moralis*. p. 402.

Inceſtus alius ex *neceſſitate* alius ex *libidine*. p. 360.

I*ndulgentia* quando invectæ? pag. 672.

I*nebriari ante cibi ſumptionem* non Hebræis tantum, ſed etiam Gentibus quibuſdam exoſum. pag. 670.

I*nfantes* in *proximis* non tantum ſed etiam in *remotioribus* Parentibus cenſendi. p. 544. Cur *Rheni* fluvio olim expoſiti? p. 115. 116. Vere *fœderatos* eſſe unde colligendum? p. 543.

I*nfernus* ubi ſitus? pag. 53. Ejus capacitas temere ab aliquibus definita. pag. 52, 53. Quo die cre-

creatus ? p. 306. Quo ſenſu *bonus* dicendus. *Ibid.*

Ingenii humani imbecillitas duplex ? p. 603. Qualis ante lapſum locum habuerit, qualis non ? *Ibid.*

Ingreſſus in congregationem Jehovæ quid ? p. 524, 525.

Initiati in Veteri Eccleſia quinam dicti ? p. 161.

Initiati impuræ libidini quales ? *Ibid.*

Injuriæ ab *Amalecitis* Iſraeli illatæ quæ? pag. 434.

Innocentiæ probatio. vid. *Probatio innocentiæ.*

Inſcriptiones Antiquorum varii generis. p. 343, 344, 345. Multiplex earum uſus. *Ibid.*

Inzabbatati veræ fidei profeſſores olim dicti, & quare ? p. 717.

Jobabus qualis Rex ? p. 6. 17.

Jobus non fuit idem cum *Jobabo.* pag. 16. Nativitatis ejus tempus. pag. 17. Μακρόβιος fuit. pag. 17. Non fuit Rex. pag. 17. 18.

Iobi Liber an a *Moſe* in Midian inventus ? p. 6. *Poëtice* procul dubio conſcriptus, ſed *ignoto metri genere.* p. 17. Ejus *autor* quis ? *Ibid.*

Johannes de la Caſa Sodomiæ encomiaſtes. pag. 160. Ad magnas tamen a Papicolis dignitates evectus. *Ibid.*

Johannes Labadæus novus morum reformator. p. 39, 194.

Iohannis Lanſpergenſis apoſtaſia. p. 418. Conſcientiæ cruciatus. *Ibid.* Deſperatus exitus. *Ibid.*

Johannis Rothai προσωπογραφία. p. 194, 195. Inconſtantia. *Ibid.* Molimina. pag. 195. Incarceratio. *Ibid.*

Iordanes qualis fluvius ? p. 315, 316. Origo & latitudo ejus. pag. 315, 316. An *Fluvius* fuerit *Paradiſi*? *Ibid.*

Joſephus ſubleſtæ fidei Autor. p. 9. 10. 627. 628.

Joſua liber a quo conſcriptus ? p. 36.

Iſaacus Pereira Præ-adamitarum artifex. p. 64. Ejus πρῶτον ψεῦδος. p. 66.

Iſcariotæ quinam olim dicti ? pag. 376.

Iſmeniæ Thebani in declinandâ Regum Perſiæ adoratione aſtutia. pag. 429.

Ισόπυς, ἰσὸς, ἰσοπέδη quid ? pag. 502.

Judas Gaulonites quis ? & cur ſic dictus ? p. 359.

Juda nomine plures in Scripturâ denotati. p. 368. 349.

Judas proditor unde *Iſcariotes* dictus? p. 269. A quibuſdam peccato abſolutus 371. An *vere* pœnitentiam egerit, & quo ſenſu ? 370. 371. 372, 373. *Pœnitentia* ejus quibus partibus conſtiterit ? pag. 372. Multos χειροκτόνους eâ ſuperavit. p. 374. *Credere* ſi potuiſſet, ſalvari etiam potuiſſet. p. 375. *Paſchati* interfuit, non *Cœnæ*; quod variis rationibus oſtenditur. p. 376. &c. Quæſtionis hujus momentum. p. 376. *Mors* ejus non Matth. 27. 3. 4. ſed Act. 1. 18. expoſita. p. 383. 384. 385. &c. An *ſui ſuſpendio*, *angina*, in aërem per Diabolum raptus

ac

Ianbuſan ſive *Somboſcher* quis? p. 91.

Jejunium Græcorum *Magnum* unde ſic dictum?. pag 673.

Jejunium Pontificiorum *quadrageſimale* exploſum. p. 602.

Jejunium Scoticum A. 1583. quo ſenſu per *ſeptiduum* continuatum? pag. 676.

Jejunii publici & privati diſpar ratio. p. 680.

Jejunia quædam *Gentilium* admiranda. p. 660. *Pythagora* ab *animalium eſu abſtinentia* eo non referenda. p. 660. 661. 662.

Jejunia Hebræorum an *Angaria* dicta? p. 665. Cur תעניות vocata? p. 666. Quodnam *Jejunium* maxime iis ſolenne? p. 666, 667. Quomodo ab aliis id diſtinctum? p. 667. Cur & quâ occaſione inſtitutum? p. 667. Quomodo olim tranſigendum? p. 666. 667.

Jejunia Hebræorum hebdomodalia. pag. 669. Quoties & in quos fines celebranda. *Ibid.* Eorundem *ſemi-jejunia*. p. 669, 670.

Jejunia Chriſtianorum varia. p. 670. 671.

Jejunia Græcorum moderna quæ? p. 672. 673. Quibus anni temporibus obſervari ſolita? p. 673. Etiam bis hebdo modatim a quibuſdam eorum celebrata. 670.

Jejunia non tantum in Vet. ſed etiam in Novo Teſtamento imperata. p. 673. Quo diſcrimine celebranda? p. 673, 674. Non *propter ſe* ſed propter *aliud* neceſſaria. p. 674. Singulis ex æquo non imponenda. *Ibid.* Nimis protracta *corpori* & *animæ* noxia. p. 676.

Jejunia ſtata haud temere admittenda. p. 674. 675. *Privata*, quâ prudentiâ ſuſcipienda? p. 675. 676. *Exceſſus* in *jejuniis* qubus caſibus committatur? 677.

Jejunia quorum autoritate inſtituenda? p. 678. Animarum *medicamenta* ſunt, non *alimenta*. p. 675. 677. Quando finiri dicenda? *Ibid.* Proprius eorum effectus quis? pag 678. 669. Qualis *mœroris* externa demonſtratio in iis licita? p. 679. 680. 681.

Imagines Imperatorum divino cultu honoratæ. p. 428.

Immunitas a totali Dei deſertione tam fidelibus *Novi* quam *Veteris* Teſtamenti promiſſa. p. 690.

Impoſitores vel *Imponentes* unde Chriſtiani olim dicti? p. 716.

Impotentia fidem profitendi vel *naturalis* vel *moralis*. p. 402.

Inceſtus alius ex *neceſſitate* alius ex *libidine*. p. 360.

Indulgentia quando invectæ? pag. 672.

Inebriari ante cibi ſumptionem non Hebræis tantum, ſed etiam Gentibus quibuſdam exoſum. pag. 670.

Infantes in *proximis* non tantum ſed etiam in *remotioribus* Parentibus cenſendi. p. 544. Cur *Rheni* fluvio olim expoſiti? p. 115. 116. Vere *fœderatos* eſſe unde colligendum? p. 543.

Infernus ubi ſitus? pag. 53. Ejus capacitas temere ab aliquibus definita. pag. 52, 53. Quo die cre-

creatus ? p. 306. Quo ſenſu *bonus* dicendus. *Ibid.*

Ingenii humani imbecillitas duplex ? p. 603. Qualis ante lapſum locum habuerit, qualis non ? *Ibid.*

Ingreſſus in congregationem Jehovæ quid ? p. 524, 525.

Initiati in Veteri Eccleſia quinam dicti ? p. 161.

Initiati impuræ libidini quales ? *Ibid.*

Injuriæ ab *Amalecitis* Iſraeli illatæ quæ? pag. 434.

Innocentiæ probatio. vid. *Probatio innocentiæ.*

Inſcriptiones Antiquorum varii generis. p. 343, 344, 345. Multiplex earum uſus. *Ibid.*

Inzabbatati veræ fidei profeſſores olim dicti, & quare ? p. 717.

Jobabus qualis Rex ? p. 6. 17.

Jobus non fuit idem cum *Jobabo.* pag. 16. Nativitatis ejus tempus. pag. 17. Μακρόβιος fuit. pag. 17. Non fuit Rex. pag. 17. 18.

Jobi Liber an a *Moſe* in Midian inventus ? p. 6. *Poëtice* procul dubio conſcriptus, ſed *ignoto metri genere.* p. 17. Ejus *autor* quis ? *Ibid.*

Johannes de la Caſa Sodomiæ encomiaſtes. pag. 160. Ad magnas tamen a Papicolis dignitates evectus. *Ibid.*

Johannes Labadæus novus morum reformator. p. 39, 194.

Johannis Lanſpergenſis apoſtaſia. p. 418. Conſcientiæ cruciatus. *Ibid.* Deſperatus exitus. *Ibid.*

Johannis Rothæi πρoσωπογραφία. p. 194, 195. Inconſtantia. *Ibid.* Molimina. pag. 195. Incarceratio. *Ibid.*

Iordanes qualis fluvius ? p. 315, 316. Origo & latitudo ejus. pag. 315, 316. An *Fluvius* fuerit *Paradiſi*? *Ibid.*

Joſephus ſubleſtæ fidei Autor. p. 9. 10. 627. 628.

Joſuæ liber a quo conſcriptus ? p. 36.

Iſaacus Pereira Præ-adamitarum artifex. p. 64. Ejus πρῶτον ψεῦδος. p. 66.

Iſcariotæ quinam olim dicti ? pag. 376.

Iſmeniæ Thebani in declinandâ Regum Perſiæ adoratione aſtutia. pag. 429.

Ἰσόπους, ἰσὸς, ἰσοπέδη quid ? pag. 501.

Judas Gaulonites quis ? & cur ſic dictus ? p. 359.

Judæ nomine plures in Scripturâ denotati. p. 368. 349.

Judas proditor unde *Iſcariotes* dictus ? p. 269. A quibuſdam peccato abſolutus 371. An *vere* pœnitentiam egerit, & quo ſenſu ? 370. 371. 372, 373. *Pœnitentia* ejus quibus partibus conſtiterit ? pag. 372. Multos χειρoνόμους eâ ſuperavit. p. 374. *Credere* ſi potuiſſet, ſalvari etiam potuiſſet. p. 375. *Paſchati* interfuit, non *Cœnæ*; quod variis rationibus oſtenditur. p. 376. &c. Quæſtionis hujus momentum. p. 376. *Mors* ejus non Matth. 27. 3. 4. ſed Act. 1. 18. expoſita. p. 383. 384. 385. &c. An *ſui ſuſpendio*, *angina*, in aërem per Diabolum raptus

ac

ac inde in terram *dejectione*, an vero *ſui præcipitio* interierit, diſquiritur. p. 384, 385, 386, &c. Quo ſenſu a Diabolo fuerit obſeſſus? p. 394. Non *ante* ſed *poſt* Chriſti crucifixionem mortuus. pag. 395. Quomodo *ruptus medius*, & ex quâ cauſa? p. 389, 390. Inter Cœlites a quibusdam relatus. p. 369. *Sepulchrum* ejus ignotum. p. 396.

Judæ Euangelium quid? p. 369.

Judæi adoraturi cur *velo* obducti? pag. 82.

Judæorum Ægyptienſium & Hieroſolymitanorum in *Verſionis* LXX. *Interpretum* approbatione & improbatione diſpar ſenſus. p. 668, 669.

Judæorum de duobus, ſe invicem ſuccedentibus mundis, figmentum. pag. 62, 63. Figmenti illius origo. p. 63.

Judæis an & quomodo *mendicare* licitum? p. 689. An a *Paganis* etiam mendicarint, & quibus caſibus? *Ibid.*

Judicium aliud de *Perſonis* aliud de *rebus*. p. 365, 366. *Charitatis* quando & ubi locum habeat? *Ibid.*

Judicium Zeli quid, & unde ſic dictum? p. 624, 625.

Julius Cæſar quo ſenſu *Trojanus* dictus? p. 797.

Juramentum vel aſſertorium vel promiſſorium. p. 782. Promiſſorium *illegitimum* vel ratione *Efficientis*. p. 782, 783. Vel ratione *materiæ*. 783, 784. Vel ratione *formæ*. p. 789, 790. Vel ratione *finis*. p. 793. De rebus nullius momenti an etiam obliget? p. 784, 785. *Metu extortum* etiam præſtandum. p. 789, 790. Infantum, ebriorum, furioſorum ipſo jure nullum. p. 782.

Juramenti verba ex cujus mente interpretanda? p. 785, 786. Obligatio ejus duplex. p. 791. Quæ quibus caſibus ceſſare dicenda ſit, explicatur. p. 793

Juramenta non obligantia nonnunquam tamen peccaminoſa. p. 793, 794. Quænam pro juramentis *vitioſis* habenda? p. 794.

Jus naturale duplex. p. 358.

Jus Soli & *Poli* ut differant? p. 792.

Juſtinus Martyr quando inclaruerit? p. 668, 850. Pontificiorum hypotheſi, de *Henocho* & *Elia* in Paradiſo adhuc deliteſcentibus, non favet. p. 319, 320.

Juſti Vondelii fides motoria. pag. 417. Venuſtus in eum Anagrammatiſmus. *Ibid.*

K.

Kabbala Judæorum deſcripta & exploſa. p. 295, 296. Omnium Ceremonialium enodatio, juxta Hebræos, inde arceſſenda. p. 296.

Kaimanorum hæreſis quæ? pag. 347, 348. Quo tempore orta? pag. 347. A *Cajanorum* hæreſi diſtincta. *Ibid.*

Kaini Sacrificium quale? p. 332, 333. Cur Deo ingratum? p. 333. 334. Quo indicio id ſignificatum? pag. 335. An ex *præcepto Divino* an ſolo *naturæ ductu* oblatum? pag. 327, 328.

Digitized by Google

Kain non fuit primus mundi *Monarcha*. p. 347 Quo ſenſu hoſtium Chriſti *typus* dici poſſit? p. 348, 349. Quibus verbis affatus *Habelem* ſit, antequam eum trucidavit? pag. 337, 338. An dentibus ipſum diſcerpſerit? p. 339. Fratricidii ejus *inſtrumentum. Ibid.* Cur *exilio* tantum non *morte* mulctatus? p. 342, 343. Quale ſignum ipſi impoſitum? p. 343, 344, 345. An *quartam* mundi *partem* in Fratre ſuo interfecerit? p. 339, 340, 341 Qualis urbs ab eo condita? p. 68, 69. Ejus modo tempore Gens humana inſigniter multiplicata. p. 69.

Κάρικον θῦμα quid? p. 143.

Karrai qui? p. 558 An *Saaducais* accenſendi? *Ibid.* Cur *Phariſæis* magis, quam alii *Judæi*, exoſi? p. 558, 559.

קְדֵשׁ , קָדֵשׁ qualeѕ voces, & unde derivatæ? p. 155.

Κεῖσθαι quid? p. 814.

Kenai an hæretici? p. 556.

קנאה vox varie uſurpata. p. 75.

Κλαῖος μελιταῖος quid? p. 133

Κυνοφορία quem in finem olim uſurpata? pag. 141. Memorabile ejus exemplum. vid. *Canem ferre*

Κυνὸς ὄμματα ἔχειν quinam dicendi? p. 141.

Κολαφίζειν quid? p. 198.

L.

Lacedæmonii cur *nuptas* ſuas fœmellas velaverint, *innuptas* non velaverint? 87 88 *Canes* ſacris ſuis abercuerunt, & quare? p. 147

Lanſelius virulentus *Caſaubonianorum* cenſor. p. 803. 804.

Lapidatio apud Hebræos duplex. p. 287

Lapis Philoſophorum in ipſa *S.* Scripturâ a quibuſdam quæſitus. p. 183. De ejus materia ingens ſententiarum apud Chryſopæos divortium. *Ibid.*

Lapſi in Veteri Eccleſiâ qui? pag. 410

Latrunculorum ludus unde? p. 170. 171. Primus ejus inventor. pag. 171. Inſtitutionis illius ratio. *Ibid.* Cum ludo *Schacchico* moderno fere conveniens. p. 171.

Lazari nomen non *appellativum* ſed *proprium*. p. 701.

Legati inſcriptio Apoſtolorum prærogativis non accenſenda. p. 449, 450.

Legati cur ſenes dicti? p. 450.

Lex Leviratus qualis? p. 358.

Lex de *excluſis in Congregrationem Jehovæ non admittendis* ceſſare quando cœperit? p. 426.

Legis notio non *Prophetis* ſed *Scribarum verbis* fere oppoſita. p. 561. 591. Explicandæ ejus apud Talmudicos regula. p. 229. Rabbinorum, de illâ mille ante mundum annis conditâ, delirium. p. 5.

Leges Antiquorum cur involutius ſere perſcriptæ? p. 139.

Leoniſtæ vel *Lioniſtæ*. vid. *Pauperes Lugdunenſes*.

Leonis X. in Chryſopæum quendam feſtive dictum. p. 183.

Leproſi muratis urbibus non ſemper excluſi. p. 801. Purificatione Sacerdotali non ſanati. *Ibid.* Ea accepta

Digitized by Google

ceptâ cœtui publico redditi. *Ibid.*
Leuca quantum itineris ſpatium? pag. 53.
Libelli repudii miſſio & exploratio *per Aquas amaras* quomodo differant? p. 108, 109.
Libellatici in Veteri Eccleſia qui? p. 411. Triplex eorum genus. *Ibid.* Cur ſupra alios *Lapſos* exoſi? p. 412.
Liberationem a vitæ hujus ærumnis petere quomodo licitum, quomodo illicitum? p. 209, 210.
Libertorum tempore *Claudii* Imperat. genius qualis? p. 772.
Liber a Deo Adamo traditus quis? p. 3, 4. Mira ejus, juxta Hebræos, efficacia. *Ibid.*
Liber Canonicus & *Divinus* ut differant? p. 488.
Liber in exploratione mulieris ſuſpectæ adhibitus quis? p. 97. Quid inſcriptum ei fuerit? *Ibid.*
Liber Henochi, vid. *Henochi Liber.*
Liber Geneſios quando ſcriptus? pag. 35.
Liber, Thebanorum Tyrannus, cur a *Lycurgo* in mare præcipitatus? p. 388.
Libri alicujus *Divinitas* unde judicanda? p. 36, 490, 491.
Libri Adamo, Noacho, Hanocho, Abrahamo, XII. Patriarchis, imo ipſi Deo ab Hebræis adſcripti. pag. 5, 9.
Libri procul dubio aliqui ante Moſem. p. 8.
Librorum compaginatio olim qualis? p. 33.
Librorum Regum & Chronicorum Scriptores paſſim ignoti. p. 36.
Lipſii admirabilis in *Canes* affectus. p. 133.
Litteralis ſenſus quis? pag. 391.
Litterati apud Romanos qui? pag. 345.
Lolhardi Walteri opinio portentoſa. p. 552. Vita ejuſdem & obitus. *Ibid.*
Lolhardi vel *Lolhardiſtæ* qui? pag. 552. Unde ſic dicti? *Ibid.* Quando orti? pag. 552. An iidem fuerint cum *Wicleſiſtis*? *Ibid.*
Luduvici IX. contra ludum *Schacchicum* edictum. p. 172.
Luna quo ſenſu *Luminare Magnum* dicta? p. 777.
Luſus Aleæ & *Chartularum* cur illicitus? p. 171.
Lutheri de *Polygamiâ* improvidè dictum. p. 363. Liber de *Sermonibus Convivalibus* perperam ei adſcriptus. p. 489.
Lutherani an Hiſtoriam *Eſtheræ* pro fictitiâ habeant? pag. 489, 490.

M.

Macedonici Regni antiquitas juxta nonnullos quanta? p. 62.
Magiſtratus omnis *Optimus* olim dictus. p. 771.
Magi quomodo ſe Diabolo devincire ſoliti? p. 344.
Magnum aliquid vel *mole* vel *efficacia*. p. 777, 778.
Manethonis πεσεωπογεάφια pag. 5.

Spiſ-

Spiſſus ejus circa *Sethi columnas* error. *Ibid.*

Malum (fructus) quid? p. 590. *Species* ejus variæ. p. 589, 590. Etiam *morus*, *ficus*, *nuces* ſub eo comprehenſæ. *Ibid.* Non fuit fructus *Arboris vetitæ*. p. 590.

Mancipes apud Romanos qui? pag. 707, 708. Multiplex eorum genus. p. 708.

Manichæi Solicolæ. p. 592.

Mardochæus, coram *Hamane* incurvare ſe detrectans, defenſus. pag. 431, 432.

Maria Virgo ἐπίκληρος pag. 820. Animas ex Inferno liberandi poteſtas a *Papiſtis* ei adſcripta? pag. 52. Ut & *major* erga peccatores *miſericordia*, quam ipſi *Chriſto*. *Ibid.* *Aquâ zelotypiæ* non fuit potionata. p. 104.

Maria Ægyptiaca ſtupenda impudicitia. p. 165.

Marinæ, matris *Ignatii Loyolæ*, κακοζηλία. p. 808.

Martyres pro demonſtrationibus *Mathematicis* nulli, pro Divinis *revelationibus* plurimi. p. 656.

Matrimonium in prolis non tantum generationem, ſed & in incontinentiæ remedium ordinatum. pag. 158.

Matthæus Lollardus. Vid. *Lolhardus Walterus*.

Manſa ſive *Manza* qualis mali ſpecies? p. 590 Non fuit fructus vetitus. *Ibid.*

Melitæus Canis quis? p. 133.

Mendicus & *egenus* an differant? pag. 683, 687, 688.

Mendici validi Republicâ exturbandi. p. 684, 685.

Mendicus non erit inter vos, non *præceptive* ſed *promiſſive* intelligendum. p. 686. Quo ſenſu noſtris etiam temporibus accommodandum? p. 689, 690.

Mendicantes Monachi notati. pag. 690, 691.

Mercatores Regii in V. T. an *Publicani*? p. 706.

Merces meretricia quæ? p. 153. Cur Deo non offerenda? *Ibid.*

Mercurius Triſmegiſtus. vid. *Hermes*.

Meſopotamia Paradiſi locus. pag. 315.

Meſſalinæ libido prodigioſa p. 771, 772. Apud Imper. *Claudium* autoritas. p. 772. Cur *velata* noctu proceſſerit & quo tegminis genere? pag 90. Ejus ſupplicium. p. 772.

Μεταμελείας & μετανοίας voces promiſcue uſurpatæ. p. 371, 372.

Μητραγύρται qui? p. 685. Eorumdem mendicantes ſuos Deos circumducendi ratio. *Ibid.*

Miltiadis de dono *Prophetiæ*, ad finem uſque Mundi duraturo, φλυαρία. 192.

Miraculorum χάρισμα quando ceſſare inceperit. p. 122, 123.

Monfies in regno *Granatæ* quinam dicti? p. 637.

Montani faſtus. p. 189. Prophetiſſæ ejus *Priſcilla* & *Maximilla* quæ? pag. 567. Harum *vita* & *mores* deſcripti. *Ibid.*

Mors in *naturalem* & *moralem* male diſtincta. p. 67.

Morte damnari quot modis dici quis poſſit? pag. 626, 627.

Mortis præſagia varia. p. 193.

Moſchovitarum Jejunia p. 673.

Moſes quo ſenſu *primus* Scriptor? pag. 7, 8. Propriam mortem an litteris conſignarit? p. 19, 20. *Pentateuchi* procul dubio Autor. p. 20, 21. Ætatem ſuam tum antegreſſa tum ſubſecutura ſcire quomodo potuerit? p 28. Quando natus & mortuus ſit? pag. 3, 17. An idem cum *Cecrope* vel Ægyptiorum *Anubi*? p. 13, 14, 144. Cur *velamine* faciei ſuæ impoſito de monte deſcenderit? p 81, 82. An *Jobi* Hiſtoriam concinnârit? p. 17. Quo *inſtrumento* Ægyptium trucidarit? p. 453.

Motus Localis alia in ſtatu *ante* alia *poſt* lapſum ratio. p. 231, 232.

Motus Prophetarum & Apoſtolorum *extraordinarii* communem regulam non faciunt. p. 640

Muhammedanorum Jejunium maxime ſolenne. p. 670. 671. Quomodo celebrari ſolitum? *Ibid.* Quamdiu protractum? *Ibid.* Mira eorum circa *Canes* ſuperſtitio. p. 134. De Librorum S. Scripturæ *numero* figmentum. p. 4. *Battologiæ* variæ. p. 552. Adoratio ad *Auſtrum*. p. 589.

Mulier adultera, de quâ Johannes Cap. 8. 6. quænam fuerit? p. 111.

Mulier pagana apud Hebræos quæ? p. 631.

Mulieris & *Virginis* voces ut differant? p. 775.

Mulieres menſtruatæ ad porticum Templi exteriorem non admiſſæ. p. 618.

Mundus duplex juxta Talmudicos. p. 5. Cur *animal rationale* a quibuſdam dictus? p. 219.

Mundi æternitatem an tenuerit Ariſtoteles incertum. vid. *Ariſtoteles.*

Mundi pluralitas a quibus invecta? p. 63. 64.

Mundi Natalis quis? p. 213, 214, 215. &c. Diſcrepantes de eo opiniones. *Ibid.* Cur & quomodo a *Moſe* non indicatus? p. 216.

Mundi primus dies quis? p. 216.

Muretta Diaconi παῤῥησία laudabilis. p. 539.

Mutatio unius litterulæ in rebus fidei Eccleſiæ ſæpe damnoſa. p. 652.

Myſtici Theologi notati. p. 47.

N

Naaman Syrus, in domo *Rimmonis* ſe incurvans, an peccaverit? p. 437.

Nabothæorum de hominibus ante-adamicis delirium. p. 61.

Narſes Eunuchus quis? p. 526. Sophiæ Imperatricis in ipſum ſcomma. p. 527.

Natalis Mundi. vid. *Mundus.*

Nativitatis Chriſti locus quis? p. 797. Cur tam vilis & non illuſtris fuerit? p. 798. An ipſum fuerit *Bethlehemum* an ejus *ſuburbium*? p. 799. *Prior* opinio recepta & adſtructa. 799, 800, 801, &c. Rationes in contrarium excuſſæ & diſcuſſæ. p. 801, 802, &c. Chriſtum in *Spelunca*, & tamen in ipſâ *Urbe* natum eſſe, non ſunt ἀσύστατα. p. 807.

Naturalia multa quoad τὸ ὅτι manifeſta,

ſta, quoad τὸ διότι inexplicabilia p. 732, 733.

Naucratitarum Deo, poſt ſumptum cibum, gratias agendi ratio. p 585.

Nazianzen, jam ſenis, de libidinoſis carnis ſuæ ſtimulis querelæ. p. 202.

Nazaræi hæreticis non accenſendi pag. 556. Neque abſtinentia eorum pro *jejunio* habenda. p. 662. *Nativi* quidam alii *votivi*. p. 262. Genuini Chriſti *typi* fuerunt, & Chriſtus eorum αὐτίτυπος. p. 262, 263.

Neceſſitas alia *præcepti* alia *medii*. p. 402. Alia *abſoluta* alia *relativa*. p. 762.

Nero pæderaſtes putidiſſimus. pag. 156, 157.

Nicolaus Eremita Prophetico ſpiritu clarus. p. 193.

Neutrum genus pro *maſculino* Græcis nonnunquam uſurpatum, & quando? p. 619.

Noach a filio ſuo *Chamo* non fuit exſectus. p 504. Ratio, ob quam aſſeruerint id aliqui, diſcuſſa. *Ibid.*

Nominis communicatio quo ſenſu *Typi* & *antitypi* index? p. 263, 264.

Novennii apud Populos Orientales dies. p. 216.

Novum Teſtamentum promiſſionibus *temporalibus* non magis deſtitutum, quam Vetus. p 690.

Nuces varii generis. p. 597. A *malis* ſeu pomis quomodo diſtinctæ? p. 598.

Nudato collo & *pectore* incedere ut *mulieribus* periculoſum ita *viris* contagioſum. p 86, 87, 88.

Numorum Purim valor. p 477. Quibus illi ab Hebræis diſtribui ſoliti. & quem in finem? *Ibid.*

Numularii vid. *Colybiſtæ.*

Nundinatorum & *Numulariorum* e Templo *ejectio* quoties a Chriſto inſtituta? p. 620, 621.

Nuptiæ unde dictæ? p. 90. Cur *Virgines* earum tempore velatæ, & quo tegminis genere? p. 60, 91.

Nyctileium apud Romanos quid? pag. 445, 809.

Nymphæa Veterum quæ? p. 809. Cur, a quibus, & in quem ſinem ædificata? *Ibid.*

O.

Oblatio per fidem facta quæ? p. 334.

Oboli argentei apud Hebræos valor. p. 616.

Octuvarii vid. *Publicani.*

Ὁδὸς τοῦ Κάιν quid? p. 341.

Odii inter *Iſraelitas* & *Amalecitas* cauſæ variæ. p. 434, 435.

Odium inter homines intercedens quomodo vim *Orationis* tollat? p. 573, 574. Quod cur huic magis peccato in Scripturis adſcribatur, quam aliis, diſquiritur. p. 574, 575.

Odium peccati, qua talis, quo diſcrimine tum *regenitis* tum *irregenitis* dſcribendum? p. 373, 374.

Oleum cur potui *Zelotypiæ* non immixtum? pag. 80, 81. Proprietates ejus variæ. *Ibid.*

Ὄλεθρος quid & quomodo ab ἀπωλείᾳ diſtinctum? p. 459, 462.

Ophitarum de *Arbore ſcientiæ boni & mali* figmentum. p. 590, 591.

Oratio purâ mente concipienda. pag. 574.

Oratio ad Occidentem Hebræis ad *Orientem* Paganis olim uſurpata. pag. 587. 588. Quos *poſteriores* Chriſtiani Veteres ſecuti ſunt. pag. 589. Quod an bene an male fecerint, diſceptatur. pag. 591. 592. *Hierarchicorum*, pro *adoratione ad Orientem* in Eccleſiam reducendâ, rationes profligatæ. p. 592, 593, 594.

Orationis Loci alia ſub Veteri *alia* ſub N. Teſtamento ratio. p. 583.

Orationis ad menſam origo quæ? pag. 584. Ejus apud Judæos, Paganos, Chriſtianos frequens uſus. p. 585.

Orationis vere *efficacis* κριτήρια. pag. 576, 577.

Orationes nulli loco ſub *N. Teſtamento* affixæ. p. 583. *Stando* ab antiquis Chriſtianis paſſim fuſæ. p. 671, 672. Certâ quadam Dei promiſſione niti ſemper debent. p. 575, 576. Qualem exauditionis certitudinem ſubjectivam requirant? pag. 576. Quænam omnium efficaciſſimæ? p. 577.

Orandi ad Orientem ritus unde? pag. 586, 587. Multiplices circa illum conjecturæ. *Ibid.* Neque e *Verbo Dei* neque ex *Apoſtolorum exemplis* derivari poteſt. p. 590.

Orantium ad hanc vel illam mundi plagam converſio apud omnes Gentes non uniformis p. 589, 590.

Oriens an plaga mundi nobilior? pag. 592.

Orientalium ſtupenda Polygamia. p. 356.

Origenes an Tractatus de *Hiſtoria Jobi* autor? p. 17. Ejus, de omnibus tandem hominibus ſalvandis, error exploſus. p. 51. Plures ſe invicem ſucceſſuros mundos invexit. p. 64. Magno Eccleſiæ ſcandalo ſeipſum exſecuit. p. 500, 501. Quod quem in finem fecerit, exponitur. p. 499. Ordinatio ejus in Sacerdotem a *Demetrio*, Epiſcopo *Alexandrino*, condemnata. p. 500.

Oſcula libidinoſa ſtupri & adulterii anteludia. p. 109, 110. Ob ea ſola, juxta nonnullos, mulier *Dote* ſuâ defraudanda. p. 110.

P.

Pæderaſtas impune occidere cuivis privato, juxta Hebræos, licitum. p. 631.

Page [vox apud *Belgas*] unde? pag. 499.

Panis hordeaceus in explorationem innocentiæ ab aliquibus adhibitus. p. 117.

Parabola & *Allegoria* ut differant? p. 595.

Parabola vox πολύσημος. p. 690. 694. Quid communiſſime in Scripturis ſignificet? p. 694.

Parabola de *Divite* & *Lazaro* explicatio & applicatio paradoxa. p. 254. 255.

Parabola in *Prophetias* non convertendæ. p. 698. 699.

Para-

Digitized by Google

Parabolarum Vet. Teſtamenti ratio p. 703

Parabolis cur Chriſtus tam crebro uſus? p. 695. 999. Quænam ad juſtum earum intellectum neceſſaria? pag. 697. 698. Scopus earum præcipue attendendus. p. 697. Quomodo ab *Hiſtoriis Evangelicis* diſtinguendæ? p. 699. 700. 701. 702. &c. An *nomina propria* etiam admittant? p. 700. 701. Quæ de *Divite* & *Lazaro* Lucas habet, an iis etiam accenſenda? p. 701. Semper in iis Chriſtus loquens introducitur, nunquam Evangeliſtæ vel quiſquam alius. p. 703.

Paraboli vel *Parabolani* unde dicti? p. 692. 693. An iidem fuerint cum *Circuitoribus*? p. 693. Cur maxime Medici nomine hoc olim inſigniti? *Ibid.* Quomodo a *Confectoribus* diſtincti? p. 693. 694.

Paracelſus obſcurus Scriptor p. 66. Eraſmi de eo judicium. *Ibid.* *Homunculi* ejus an veri homines fuerint? p. 65. Sententiæ *Præadamiticæ* non videtur faviſſe. p. 68.

Παραδειγματίζειν quid? p. 104. 105.

Paradiſi Avis quæ, & unde ſic dicta? p. 317.

Paſſalornichitæ hæretici qui? pag. 402. 403.

Patereni unde nomen ſuum adepti? p. 716

Patibulum quid? p. 440. 441. Cur Cruci, juxta Lipſium, a Conſtantino ſubrogatum? p. 441. Pœna ejus levior, quam Crucis. *Ibid.*

Patibulum Hamanis cur *quinquaginta* cubitos altum? p. 441.

Patriarcharum præceptores, juxta *Kabbaliſtas*, qui? p. 4.

Patrum autoritati in rebus Theologicis quouſque deferendum? p. 274. 804.

Paulæ & *Euſtochii*, ſociarum Hieronymi, laus. p. 568. De receſſu earum ad agrum *Bethlehemiticum* quid judicandum? p. 567. *Phariſæis mulieribus* aut *Montani Propheti ſſis* non accenſendæ. p. 568.

Paulus Apoſtolus revelationibus clarus. p. 186. Continentiæ dono eximius. p. 203. Uxorem ducendi jure haud magis quam alii deſtitutus. *Ibid.* Superbiæ ſpiritualis periculo expoſitus. pag. 195. 196. Ab *Angelo Satanæ* colaphizatus. vid. *Surculus*.

Pauperes Lugdunenſes qui? pag. 714. 716. Unde ſic dicti? *Ibid.*

Pauperes ita a ditioribus curandi, ut *mendicato* vivere opus non habeant. p. 684. 687. Ab *Egenis* an & quomodo diſtinguendi? p. 987. 688.

Pauperibus multis modis a Deo in V. T. proſpectum. p. 686.

Peccatum quo ſenſu a Deo etiam immitti dicendum? p. 200. 201. Quouſque in ipſis regenitis *regnare* adhuc poſſit? p. 753. 754.

Peccati in *naturale* & *Legale* diſtinctio rejecta. p. 67. *Partialiter* tantum non *totaliter dominantis* κράτησις. pag. 756. *Dominium* in irregenitos in quibus conſiſtat? pag. 753.

Peccati in Spiritum S. proprietates. pag. 413 422. *Atrocitas* unde æſtimanda? *Ibid.* *Irremiſſibilitatis* ejus vera & unica cauſa. p. 422.

Peccata omnia impura & contaminoſa. p. 204. Ea, quæ talia dolere & odiſſe quomodo ipſi etiam irregeniti poſſint? p. 373. 374. Alia *tranſeuntia* alia *permanentia* p. 352.

Pentateuchus per modum Diarii non conſcriptus. p. 22. 23. *Autor* ejus *Moſes.* p. 20. 21. *Reſtaurator* Eſdras. p. 22. Multa in eo per πρόληψιν dicta. p. 27. 28. *A Scribis* quibuſdam quoad res geſtas, non concinnatus. p. 30. 31. 32. 333. &c.

Perjuri in Deum quinam proprie dicendi? p. 750. 751. Ne iis quidem, ritè pœnitentibus, omnis ſpes veniæ abjicienda. p. 752.

Pergama quo ſenſu *recidiva* dicta? p. 737

Perillus remunerationis ſpe fruſtratus. p. 441. Primus proprio artificio perditus. p. 442.

Peroza, Perſarum Regis, aſtus pag. 436.

Perſiæ Reges divino cultus genere honorati. p. 426. 427.

Perveſtigatores apud Hebræos qui? p. 299. 300

Phalaris, Agrigentinorum tyrannus, quis? p. 442. *Taurus* ejus *aneus* quem in finem fabricatus? p. 441. Ipſe tandem a ſuis ei incluſus, vivuſque exuſtus. p. 442.

רְמֵךְ & פַּחַד *ſigni* quomodo differant? p. 345.

Phariſæi unde dicti? p. 563. 564. Eorum ortus ad quæ tempora referendus? p. 564. Varium eorum genus. p. 565. Dogmata impia. p. 564. An omnia *Fato* adſcripſerint, an quædam tantum? *Ibid.* Moribus a *Sadducæis* quomodo diſtincti? p. 564. 565. Imperitæ plebi impenſe æſtimati. p. 560. Ab *Haſidæis* oriundi. p. 566.

Phariſææ mulieres quæ? p. 567. *Judæorum* de iis proverbium. *ibid.*

Phariſaizantes in Eccleſia Reformatâ qui? p. 568. Digreſſiuncula, eo pertinens, ad limam vocata. pag. 568 569 570. 571.

Pherecydes Syrus Moſe recentior. pag. 16.

Philautia in ſe & per ſe ἀναμάρτητον. p. 40. 41. Quâ talis non mortificanda. p. 41. Tota ejus ratio variis *Concluſionibus* expoſita. p. 41. &c. Quo ſenſu in ipſa *virtutum praxi* etiam abneganda? p. 44. 45. 46.

Philautia inordinata damnoſiſſima animæ labes. p. 58.

Phileteri Thyanenſis res præclare geſtæ. p. 526.

Philippus Melanchton mortis ſuæ præſagus. p. 193.

Phineas quo jure *Cozbi* & *Zimri* confoderit? p. 633. 636

Phœnix quale animal? p. 607. An ſola de *Arbore vetitâ* non comederit? *Ibid.* Quomodo *juveneſcere* dicatur? p. 608.

Φωκιολεων-[illegible] & σπέρχειν quomodo differant? p. 819.

Phoc

Photini, Epiſcopi Lugdunenſis, prudens dictum. p. 401.

Pietatis genuinæ ſignum omnium certiſſimum. p. 56.

*Pientiores*ne ſemper habendi qui cum *paucioribus*, pejores qui cum *pluribus* faciunt? p. 56. Quo ſenſu *eorum* potius partibus, quam *horum* ſemper accedendum? *Ibid.* Unde ſit, quod *pejores* paſſim *plures* ſint, *meliores* e contra *pauciores*? p. 56, 57, 58, 59.

Piorum numerus *abſolutè* magnus, *comparatè* exiguus. p. 50, 51.

Plures ejuſdem loci ſenſus quomodo admitti poſſint? p. 279.

Plures Solem Orientem adorare velle, quam Occidentem, unde ortum? p. 589.

Polygamia an ſub V. T. licita? p. 350. &c. Diſquiſitionis hujus momentum. p. 364, 365. *Negantis* partis rationes propoſitæ & expenſæ. p. 50, 51. &c. An ejus *pœnitentiam* unquam egerint Patres? p. 351, 352. An *juri naturali* repugnet & quomodo? pag. 358, &c. Hujuſne ac *Matrimonii* cum propriis ſororibus, *Leviratus*, ac *Inceſtus*, eadem ratio? pag. 359, &c. *Affirmantium* conſiderationes excuſſæ. pag. 355, &c. An & quomodo Deus circa eam *diſpenſaverit*? p. 361, 362. Quomodo innotuerit Patribus illa *diſpenſatio*? p. 360. Quibus rationibus nixa fuerit? p. 361, 362. Cur ſub N. T. abolita? pag. 361, 362. Autoris ſuper negotio hoc ἐπίκρισις. 362, &c. Sententia *Patribus* favorabilior non uſque adeo nova. pag. 364, 365. Premenda tamen potius, quam temerè promenda. p. 366.

Polygamia ſub N. T. planè illicita. p. 363, 364 Etiam Paganorũ quidam ab eâ alieni. p. 358. *Bernardini Ochini* & *Cajetani* circa hoc errores. p. 363

Pomponii Tribuni in præſtando *juramento* ſuo fides. p. 789, 790.

Pontificum Romanorum faſtus. pag. 430. Tituli *idololatrici* iis inſcripti. *Ibid.*

Popelicani. vid. *Publicani.*

Poppo, Danorum Apoſtolus, quis? p. 122. Quid tantam apud eos gratiam ei conciliaverit? p. 122.

Populus Dei vel *interne* vel *externe* conſiderandus. p. 473.

Poſidis Eunuchi laus. p. 526.

Potiphar, Pharaonis *Eunuchus*, an exſectus? p. 521. Cum *Potiphera*, Principe *On*, non confundendus. p. 522.

Præadamitæ Epitaphium. p. 70.

Præadamitarum artifex quis? pag. 64. Rationes commento ejus oppoſitæ. p. 66, 67. Objectiones dilutæ. p. 67, 68. Error ejus cur tam paucos homines infecerit? p. 71. Tandem ab ipſo Autore ejuratus. p. 72.

Præmia εἰσελαστικὰ apud Antiquos quæ? vid. *Victores.*

Præceptum Dei ab ejuſdem *executione* neceſſario diſtinguendũ p. 639, 640.

Præcepta Dei *affirmativa* & *negativa* quo diſcrimine obligent? p. 387.

Præcipitatio ſupplicii genus tum *Gentibus* tum *Judæis* uſurpatum. p. 387. Ab his ad *Lapidationem* relatum. *Ibid.*

Αὐτοφονίας ſpecies deſperabundis olim familiaris. pag. 388, 389. Hâc *Judas*, non *laqueo* periit. p. 389, 390.

Præcipitatorum exempla varia. p. 388.

Prædes apud Romanos qui? p. 708.
Præmonitio ſive קִינוּי apud Hebræos quid? p. 79, 80.
Præs & *Vas* quomodo differant? pag. 708.
Præſepe, in quo Chriſtus recens natus cubavit, quale? p. 849. An beſtiarum manducatorium, an vero domicilium quoddam publicum, recipiendis hoſpitibus pauperioribus inſerviens, fuerit prolixe diſquiritur. p. 809, 810, 811, 812.
Præſumptio Spiritualis in quibus conſiſtat? p. 759.
Precationis ante-baptiſmalis verba explicata & vindicata. p. 241, 242.
Πρῴωνὶς quale vocabulum, & unde deductum? pag. 387, 389, 390, 391.
Πρεσβὺς, πρεσβεύειν quid? p. 450.
Probæ Falconiæ laus. p. 318.
Probatio Vulgaris, juxta Canoniſtas, quæ? pag. 120. Quibus populis olim uſurpata? p. 121, 122.
Probationum innocentiæ genera varia. p. 115, 116, 117, 118. Quidnam in genere de iis ſtatuendum ſit, quatuor *Concluſionibus* oſtenditur. p. 117, 118, &c.
Procris, Erechtei Athenienſium Regis, filia cur a marito *Cephalo* ſagittis confoſſa? p. 77.
Profeſſio veritatis divinæ, quando non quando imo neceſſaria? pag. 399. 400. Neceſſitas ejus *præcepti* tantum non *medii*. p. 402. Quo ſenſu *mutis* & *infantibus* etiam adſcribenda? *Ibid.*
Promiſſionis, Deo factæ, ſinceritas unde æſtimanda? p. 751.
Promiſſiones Dei aliæ *generaliores*, aliæ *ſpecialiores*. p. 575.
Promiſſiones, Deo vel hominibus factæ, qualem ſemper involvant conditionem? p.
Promiſſi non-executio quando ἀναμάρτητος? p. 570. Quibus caſibus, utut peccaminoſa, pro *perfidiâ* tamen non habenda? p. 751. Quando a *Perfidia* non abſolvenda? pag. 752.
Prophetiæ Savanorolæ, Gregorii Thaumaturgi, Joh. Huſſi, Hieronymi Pragenſis quo loco habendæ? p. 193.
Prophetiæ rerum *præteritarum* quomodo interpretandæ? p. 245, 246.
Prophetarum tempus cur *hæreſium* & *ſectarum* expers? p. 556.
Prophetarum extraordinaria in hominum corpora poteſtas. p. 452, 453.
Prophetarum nomine quo ſenſu ſacrorum Annalium Scriptores ab aliquibus inſigniti? p. 31, 32.
Prophetarum Monaſterienſium, Knipperdollingi & Johannis Leidenſis ſomnia, turbæ, exitium. p. 194.
Προσκυνεῖν de quo *cultus* genere accipiendum? p. 432.
Protoplaſti ætate & ſtaturâ perfectis creati. p. 233. 234. Ambo *eodem die* conditi. p. 228, 229. *Lecti ſaxei* fabuloſè iis adſcripti. p. 346, 347.
Providentia Dei, in conſervandâ Sacrarum Scripturarum integritate, admirabilis. p. 341.

Pru-

Digitized by

Prudentia peræque, ac *zelus*, Chriſtianis neceſſaria. p. 640, &c. Officia præſtanda tollere non debet, ſed juvare & dirigere. *Ibid.* *Fidei* exercitio non eſt inimica. p. 641. *Inconſtantiæ* in bono maxime adverſa. p. 643.

Prudentiæ, *Verbi* Divini, *Fidei* in piorum officiorum executione peculiares partes. p. 641.

Publicanum eſſe & *publicum agere* non ſemper idem. p. 711.

Publicani apud Antiquos qui? p. 706. Vocis origo. p. 705. *Spontanei* olim vel a *Rege conſtituti*. p. 706, 715. *Vileſne* apud Romanos habiti, an *honorati*? pag. 706, 707. *Superiores* fuerunt & *inferiores*. p. 707. Cur *mancipes*, *prædes* & *ſocii* dicti? p. 708. Judæis maxime inviſi, & quare? p. 709. Ad *teſtimonia publica* perhibenda non admiſſi. pag. 709, 710. *Injuſti* plerumque & *ſeditioſi*. pag. 710, 711, 713. Quidam eorum pro *latronibus* ab Hebræis habiti? 715. Aliqui etiam *Judæi*, non omnes *Pagani* pag. 711, 712. *Hodierni* eodem cum *antiquis* loco non habendi. p. 714. Quidam ab ipſis quoque Judæis æſtimati. pag. 715. Duriores & iniquiores *Romanis* etiam exoſi. *Ibid.* Imperatorum contra eos decreta. p. 710, 711.

Publicani de pontibus qui? p. 707.

Publicanorem Princeps quis dictus? p. 708, 709.

Publicani, de quibus in Annalibus Eccleſiaſticis, quales? p. 716. Aliter *Popelicani* dicti *Ibid.* Ὀνοματοπολογίας eorum ratio. p. 717. Sæviſſimis Pontificiorum perſecutionibus fuerunt obnoxii. *Ibid.*

Publicanus patibulo affixus. pag. 714, 715.

Puellarum apud *Corinthios* proſtitutio deteſtanda. p. 163.

Pueri meritorii qui? p. 155. Eorum proſtitutio quibuſdam etiam *Gentibus* inviſa. p. 157. Proſtitutionis illius *atrocitas* unde deducenda. pag. 159. Imperatorum contra eam ſtatuta. p. 158. Cur populo Dei eliminati? p. 160.

Pulicum ſaltus demetiri quinam dicendi? p. 228.

Pur an & quale apud Hebræos Feſtum? p. 440, 442. Vocis origo. p. 442. Quibus *ceremoniis* celebrari ſolitum? pag. 444, 445. *Maledictiones* & *benedictiones* pronunciari in eo ſolitæ. pag. 446, 447. *Eleemoſynæ* erogatæ. pag. 447. In feſtivitatem mere *Bacchanalem* hodie converſum. p. 445, 446.

Pyrrhonii & *Sceptici* qui? p. 39, 40.

Pythagoras an ipſe quicquam ſcripſerit incertum. p. 661. *Silentium* ſuis impoſuit, & quomodo? p. 405. Cur e Græciâ ad Hebræos profectus? p. 14. Præceptum ejus, de animatorum *eſu abſtinendo*, an ad *omnia* an ad *quædam* tantum animalia ſe extenderit? p. 660, 661. Cur accurate hoc definire tam arduum ſit? pag. 661. Verſiculi aurei ei adſcripti. pag. 661. Ejus ἰχθύων μὴ

γένεσθαι quid, & quibus rationibus nixum? p. 661.

Pythagorici Philoſophi mendaces paſſim & creduli. p. 662. Libris ſuis *falſa nomina* præfigere ſoliti. *Ibid.*

Q.

Quæſtionis, de Moſe *Pentateuchi* autore vel non autore, momentum. pag. 36.

Quæſtores noſtrates (d'*Ontſangers*) a *portitoribus* quomodo diſtincti? p. 707. cum *vulgaribus* apud Romanos *Publicanis* non comparandi. *Ibid.*

R.

Ῥάβδος vox *πολύσημος*. p. 454.

Ῥαβδοῦχοι apud Romanos qui? pag. 454, 455.

Raimundus Lullius quis? p. 403. Errores ejus teterrimi. *Ibid.*

Rationis humanæ in rebus Spiritualibus uſus multiplex. pag. 719. Ejus a *Fide* differentia qualis? p. 331. Quo ſenſu quandoque etiam ut *norma* conſideranda? p. 720.

Rechabitæ peculiarem apud Hebræos *ſectam* non conſtituerunt. pag. 506, 507. Eorum abſtinentia ad *jejunium* non referenda. p. 662.

Recidivæ vox unde? p. 737. *Ἀνακρι-βῶς morbis* & *febribus* vulgo inſcripta. p. 738. Ad *relapſus* deſignandos a quonam traducta? *Ibid.*

Redituum duplex apud *Romanos* genus. p. 705.

Regibus quot uxores ab *Hebræis* olim conceſſæ? p. 358.

Reginæ Veteribus dictæ quævis *Regia* ſtirpe oriundæ. p. 773.

Relapſorum apud *Canoniſtas* genera varia. p. 738. Eorum a *Celatoribus* & *Fautoribus* diſtinctio? pag. 739. Belluinus *Pontificiorum* in eos rigor. p. 739.

Relapſus vox diverſimode a Theologis uſurpata. p. 738.

Relapſus quilibet atrox peccatum. p. 742. Omnem ſpem veniæ tamen non excludit. p. 743, 744. Multa, quibus aggravari notabiliter poteſt, conſideranda. pag. 741, 742. Quomodo ipſis nonnunquam *relabentibus* utilis? p. 746, 747. *Perfidiam* in Deum non ſemper infert. p. 750, 751. Quo ſenſu citra peccati *dominium* aliquando conſiſtat? p. 754, 755. Cur magis aliquando irregeniti eo abſtineant, quam regeniti? p. 756, 757. Ut & qui tenuiori gaudent gratia, quam qui provectiores ſunt? p. 757.

Relapſus proprie dicti qui? pag. 757. Hos in *regenitos* cadere etiam poſſe probatur & explicatur. p. 740, 741. 742. Varii malitiæ eorum gradus. p. 741, 742. Frequentia eorum an & quomodo cum *gratia* ſubſiſtere poſſit? pag. 755, 756. Omnes pii in iis evitandis haud æque felices. p. 756, 757.

Relapſuum evitandorum adminicula. p. 758, 759, 760, &c.

Remiſſio omnium peccatorum quo ſenſu

Digitized by Google

ſu ſimul & ſemel facta. pag. 744.
Remiſſio peccatorum triplex. p. 177, 178.
Repudii apud Iſraelitas *libellus* cur peccato non caruerit? p. 108, 109.
Res metu facta quo ſenſu *voluntaria* tamen dicendæ? p. 790, 791.
Res ſpirituales quomodo *ſupra* quomodo *contra* rationem? p. 719.
Revelationum Divinarum ſpecies variæ. p. 187. Quibus indiciis a Satanæ vel propriæ mentis illuſionibus diſcriminandæ? p. 188, 189, 190. An extraordinâriarum & immediatarum ullus adhuc uſus? p. 190, &c. Cur præpropere fides iis non adhibenda? p. 194, 195.
Rheni nomen unde? pag. 116. Cur ἐλεγχίγαμος dictus? p. 115.
Ritus Moſaici unde principaliter derivati? p. 146, 147, 163.
Romanæ Eccleſiæ ſpurcities notata. pag. 160, 162, 163, 164.
Romæ natus quo ſenſu quis dicendus, qui nunquam *Romæ* fuit. p. 800.
Romanus homo quis? p. 800.
Romani quomodo ſe militiæ olim devoverint? p. 344.
רתיית Lapidationis apud Hebræos ſpecies. p. 387.

S.

Sabbaitarum ſecta unde? p. 4.
Sabbata quo ſenſu אותות *ſigna* dicta? p. 247.
Sacerdotes juvenes apud Hebræos qui? p. 631. Sacerdotes immundi quomodo impune ab iis occiſi? *Ibid.*
Sacramenta & *typi* quomodo differant? p. 224. An ante lapſum locum etiam habuerint, & quomodo? p. 603, 604. Veteris Teſtamenti eorum, quæ ſub N. T. ſunt, non ſunt typi. p. 242, 264, 274, 275.
Sacramentorum ſignificandi & obſignandi vis unde? p. 253.
Sacrificantes in Veteri Eccleſiâ qui? p. 411. Cur *Idololatræ* etiam dicti? *Ibid.*
Sacrificia omnibus Gentibus non communia. p. 329, 330. Cur ab ipſo Mundi primordio a Deo ordinata? p. 328. Præceptum eorum quâ viâ Protoplaſtis olim innotuerit? p. 330. Non *data* tantum ante Legem, ſed & *imperata*. p. 332.
Sacrificiorum origo. p. 327. 328. Protoplaſti non ſolo *naturæ lumine*, ſed Divino *mandato* ad ea impulſi. *Ibid.* Quomodo etiam *Gentiles* eò adducti? p. 328, 329.
Sacrificiorum ἐμπυρισμὸς. p. 335. 336. Etiam apud *Paganos* quædam ejus veſtigia. p. 336. Ratio ejus a *Chryſoſtome* reddita. *Ibid.*
Sadducæi a *Phariſæis* quomodo diſtincti? p. 564, 565. Quo ſenſu *Angelos* eſſe negaverint? p. 559. Perperam cum *Doſithæis* confuſi. p. 557. Quidam eorum *Herodiani* p. 559. *Arnobii* de iis error, p. 560.
Sadducæorum origo? p. 557. Cum *Epicuræis* convenientia. p. 559. In tutanda & propaganda ſecta ſua pertinacia. p. 560. Errores præcipui. p. 557 &c. An *Dei Providentiam* inficiati ſint? p. 559. Solumne *Moſis Pentateuchum* ut Dei verbum admiſerint? p. 560, 561, 562. Diſcrepantia ſuper hoc

Eruditorum placita. p. 560. 561. Sententia negativa recepta, probata & ab objectionibus vindicata. p. 561. 562. *Opinionum conciliatio* fruſtra a Druſio tentata. p. 563.
סקילה quale ſupplicii genus? pag. 387.
Salvandorum numerius temere à quibuſdam definitus. p. 53.
Salus aeterna ut *bonum* etiam *noſtrum* expetenda. p. 47. 48.
Samaritani an *ſolos libros Moſis* receperint? p. 563. Odii inter hos & Judæos cauſa. *Ibid.*
Samiis cur *nemo litteratior* dictus? pag. 344.
Samſæorum ſecta quæ? p. 398.
Saporis, Epiſtolæ ad *Conſtantinum* M. datæ faſtuoſa ſubſcriptio. p. 427.
Sarmenticii & *Semiſſii* cur Chriſtiani olim nominati? p. 716.
Sanfordus Anglus mortis ſuæ prænuncius. p. 193.
Satanæ colaphi quid? p. 198. Ejus in corpora hominum potientia qualis? p. 206. 207.
שאה מאה quid? p. 171. 172.
Schaccicus ludus qualis? p. 171. 172. Primus eorum inventor. *Ibid.* Quis in eo victor habitus. *Ibid.* An idem cum *Latrunculorum* apud Antiquos *ludo*? p. 171. Relaxationi animi noxius magis, quam proficuus. p. 171. 172. Quo nomine a *Perſis* indicatus? p. 172. Quem in finem a *Gothis* & *Sweciis* olim adhibitus? p. 171.
Scandalum aliud *datum* aliud *acceptum*. p. 815. Res imperatæ nunquam juſta ejus materia. *Ibid.* Præbendi ejus occaſio ſollicitè evitanda. p. 591.
שחוה qualem cultum ſignificet? p. 431, 432.
Σκολοψ quid? p. 196, 197.
Scriba vox vel *latius* vel *ſtrictius* ſumenda. p. 30. 31.
Scribarum varia olim genera. p. 31. An ulli eorum Scriptores divini proprie fuerint? p. 31. 32. Ortus eorum ad quæ tempora referendus? p. 31.
Scriptor omnium *primus* ignotus. pag. 6. 7.
Scriptores de ſeipſis nonnunquam in tertia perſona loqui ſolent. p. 25. 26 Quando rite id fiat? *Ibid.*
Scriptura juxta *erroneam vulgi opinionem* nunquam loqui ſolita. p. 776. 777. Minime cum de rebus *ſpiritualibus* & *moralibus* agit. p. 776. 780. Veritas ejus in *abſolutam* & *relativam* perperam diſtincta. p. 776. Quando & quomodo cum hominibus balbutire nonnunquam dicenda? p. 783. Verba ejus omne id, quod ſignificare poſſunt, non ſemper ſignificant. p. 392. Quibus ſub cautelis latiori ſemper ſenſu accipienda? p. 205. Quatuor intelligendæ ejus modi ab *Auguſtino* indicati. p. 220. Ejus in hominibus in ſui aſſenſum pertrahendis potentia admiranda. pag. 454. Argumenta Divinitatis ejus *inſita* ab *aſſutis* non divellenda. p. 454.

Scrip-

Scripturæ Canon quis? p. 492.
Scripturæ verba & *veritates* ut differant? p. 723.
Sellam ferre qualis olim pœna? pag. 440.
Semiramis, Aſſyriorum Regina, quæ? p. 504. Deteſtabilis ejus libido. *Ibid.* Prima *Eunuchorum* introductrix non fuit. *Ibid.*
Senes prolifici. p. 202. 203.
Seres qualis Gens, & Ser fluvius unde denominatus? p. 5.
Servorum apud Romanos *ſtigmata.* p. 344. Quibus caſibus ea ipſis inſcripta? p. 344. 345.
Sethi columnæ quales? p. 9. Male cum *Mercurii columnis* ab aliquibus confuſæ. p. 5. Quod de iis *Joſephus* narrat pro commentitio a quibuſdam habitum? p. 9. 10.
Sethiani hæretici qui? p. 348.
סֵתֶר *tegumentum*, unde derivatum? p. 93
Sexagenariis cur nuptiis olim interdictum? p. 202.
Sibylla Perſica quæ? p. 6. Quomodo aliter dicta? *Ibid.* Ante Noë nata? *Ibid.* Ejus Pater quis? *Ibid.* Quando vaticinata? *Ibid.* De rebus Alexandri M. cecinit. *Ibid.*
Silentium aliud *licitum* aliud *illicitum.* p. 403. Aliud *patientiæ*, *meticuloſitatis*, *prudentiæ.* p. 404. 405. *Latroni* ad conſervandam vitam promiſſum & *juramento* confirmatum cur non præſtandum? p. 792.
Silentium prudentiæ in quo conſiſtat? p. 405. Quot modis pro re natâ adhibendum? p. 407. 408. A *mendacio* & *falſiloquio* quomodo diſtinctum? p. 408. Non minus ſæpe, quam *garrulitas*, noxium. p. 403.
Serttiduanum, quod Amicis *Jobi* adſcribitur, quomodo intelligendum? p. 404.
Silentium Pythagoricum quale? pag. 405.
סִלּוֹן quid, & unde deductum? p. 196 108.
Simile non eſt idem. p. 276. 277. Non omnia ſimilia ex *intentione efficientis* talia. p. 256. Neque omnia ex ipſâ Dei intentione ſimilia pro *typicis* mox habenda. p. 256. 257.
Simon zelotes unde ſic dictus? pag. 624. 625.
Simonis Magi Helena quæ? pag. 567. 568.
Simſonis αὐτοφονίας peccati expers. p. 287. In imitationis exemplum tamen non trahenda. *Ibid.*
Socii apud Romanos qui? p. 708.
Socrates cur non niſi per *Canem* jurare ſolitus? p. 127.
Sodomia averſabilis fœditas. p. 156. 157. &c. *Roma* ejus ſchola p. 160. 162. 163, 164. A Pontificis oppugnata, nimis, minus pallita. p. 160. 164. *Lactantii* in reos ejus invectiva p. 166
Sors cur ab *Hamane* in urnam miſſa? p. 444. *Pythagorica* quæ? p. 174
Sortium varia apud Hebræos genera. p. 442. 443. Fauſti apud Perſas aliasque Gentes dies eâ explorati. p. 444.

Sor-

Sortitio in adeundis certaminibus quomodo olim uſurpata? p. 173. 174. *Venetorum* ad explorandum, quænam primum expugnandæ eſſent urbes, qualis? pag. 176.

Spada Perſarum vicus. p. 505.

Spadonium qualis herba? p. 497.

Spado. vid. *Eunuchus.*

Σπαργανόειν & σπάργανον quid? p. 891. 820. Hoc quomodo a φασκιολίῳ diſtinctum? p. 820.

Specus Hierapolitanus. vid. *Hierapolis.*

Σπινθὴρ quid ſignificet? p. 161.

Spintriæ apud Romanos qui? p. 161.

Spiritus S. quomodo piorum cordibus inhabitet? p. 721. 722. Variæ ejus in fidelibus operationes. p. 723. Veritates ad ſalutem neceſſarias mentibus eorum offert. p. 723. Eos plene & efficaciter de iis convincit. *Ibid.* Aſſenſus iis adhibendi impedimenta removet. p. 724. Dulcedinem earum particulariter iis inſinuat. p. 725. In exercitio pietatis gratioſe eos juvat. p. 725. 726.

Spiritus S. illuminatio *Rationis* noſtræ irradiationem multis numeris exſuperat. p. 721. 726. 727. Quæ impie, eo quod inexplicabilis ſit, a nonnemine exploſa. p. 727. 728.

Spiritus S. de revelationum divinarum veritate perſuaſio efficaciſſima. p. 652. 654. Teſtimonium ejus, *fidei* veritatibus divinis debitæ, non *argumentum* ſed *efficiens.* p. 650.

Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjiciendi. p. 642.

Spiritus τοῦ σωφρονισμοῦ quid? p. 640. 641.

Sponſæ & *Sponſi* cur olim velati? p. 90. 91.

Sponſalia, invitis parentibus contracta, ipſo jure nulla. p. 788.

Stantes in Vet. Eccleſiâ qui? p. 411.

Stationes Romanorum variæ p. 672.

Stationes veterum *Chriſtianorum* cur *Jejuniis* accenſæ? p. 672. An & quatenus tamen ab iis diſtinctæ? *Ibid.*

Stephani Agricolæ apoſtaſia. pag. 418. Conſcientiæ angores. *ibid.* Αὐτοχειρία. *Ibid.*

Stephani Proto-martyris lapidatio juxta *jus Zelotarum* non inſtituta. pag. 632, 634.

Stimulus, *ſurculus*, *ſudes*, *aculeus* ſynonyma. p. 196, 197.

צלע quid? p. 68.

Strangulatio Judæorum quomodo olim inſtituta? p. 386.

Stygius fons qualis? p. 116.

Styli diverſitas diverſum Scriptorem non ſemper arguit. p. 35.

Subjectum inhæſionis & *prædicationis* ut differant? p. 730.

Sulpitii Severi ad Pelagianiſmum receſſus & inde reditus. p. 413, 414.

Superatio peccati in regenitis quæ? p. 754. Gradus ejus varii. p. 755. An & quomodo cum piorum *relapſibus* conſiſtere poſſit? p. 754.

Superbiæ ſpiritualis retundendæ media varia. p. 203.

Surculus in carne *Pauli* quidnam fuerit? p. 99. In genere aliquid *peccamino-*

Digitized by Google

minoſum non fuit. pag. 200. Nec in ſpecie *æſtus carnalis libidinis* p. 201, 202. Neque *ſuperbia* Spiritualis. p. 204, 205. Sed *Corporis* quædam afflictio. p. 205, 206. *Animæ* quædam *ægritudo*. p. 207, 208. *Adverſariorum* jugis *vexatio*. p. 208, 209. 210, 211.

Suſceptores Baptiſmales qui? pag. 531. Qualibus nominibus a Veteribus inſigniti? p. 531. Quouſque ad piam parvulorum educationem obligati? pag. 535, 538, 540. A *Patrimis* & *Matrimis* diſtinguendi. p. 531. Ortus eorum e *Verbo Dei* non derivandus. p. 532, 533. Neque ab *Apoſtolorum praxi* vel *Hygino* Romano Epiſcopo arceſſendus. p. 533, 534. Sed plane eſt incertus. p. 534.

Suſceptorum duplex olim genus. p. 534. Uſus in Eccleſiâ qualis? p. 535. Inſtitutio merè humana, non Divina. pag. 534. Hæretici, minorennes, aperte impii, ſenes decrepiti in eos nos adſciſcendi. p. 535, 536. Multiplex eorum abuſus. p. 538, 539.

Συζητητὴς quid? p. 3. Cur *Henoch* ita dictus? *Ibid.*

Suſpenſionis apud Hebræos modus. p. 386.

Sylla unde *Felix* dictus? p. 786. Quo mortis genere interierit? *Ibid.*

T.

Tabella, Servorum collis appendi olim ſolitæ, quales? pag. 344.

TAGIN Hebræorum quid? pag. 34.

Talionis Lex. p. 442. Ejus exercitæ exempla varia, & æquitas manifeſta. *Ibid.*

Tammeri (Sixti) turpis a verâ Religione defectio. p. 418. Mors miſeranda. *Ibid.*

Τελώνης vox quæ, & unde derivata? p. 705.

Templi Hieroſolymitani ſepta quot? p. 618, 712.

Templa Antiquorum omnia ad *Orientem* non ædificata. p. 590, 591.

Tertulliani encomium. pag. 416. Ad *Montaniſmum* ſeceſſio ſcandaloſa. *Ibid.*

Teſtes Hebræorum in *Circumciſione* quot & quales? p. 532. In *Proſelytorum Baptiſmo* non unus ſed plures paſſim adhibiti. *Ibid.* Quorum officium indicatur. *Ibid.*

Teſtes & *Suſceptores* in Baptiſmo an diſtinguendi? p. 542.

Τετελεσμένοι & τελεσφόροι qui? p. 161.

Thamar cur theriſtro ſe texerit? p. 89. An *Juda* meretricem eam eſſe inde ſuſpicatus ſit? *Ibid.* Quale tegumenti genus *theriſtrum* id fuerit? p. 90.

Theologia Symbolica quo ſenſu non argumentativa? p. 698.

Therapeutæ apud Antiquos qui? p. 300. *Judaine* fuerint, an *Chriſtiani*? *Ibid.* Legum Moſaicarum corruptores & depravatores magis fuerunt, quam

quam explanatores. p. 300. 301.

Θηρίον & θηριομαχεῖν quid? pag. 713.

Thucydides quanti *Demoſtheni* æſtimatus? p. 7.

Thurificantes in Veteri Eccleſiâ qui? p. 411.

תורה vox quandoque *latius* quandoque *strictius* ſumpta. p. 21.

Traditionis Satanæ quoties in Scripturâ mentio? p. 456. In miraculoſâ peccatoris occiſione non conſtitit. p. 457. Neque in diris & execrationibus, quibus peccator Diabolo devovebatur. p. 457. Neque in corporis quadam afflictione. p. 457. Sed in *Excommunicatione Eccleſiaſtica*, cujus ratio tum explicatur, tum confirmatur. pag. 458 459. *Ejus* quædam apud ipſos Hebræos veſtigia. p. 457. Quo ſenſu in Eccleſiis modernis adhuc retinenda? p. 465. Poteſtas eam exercendi quomodo ſibi ſoli Paulus vindicaverit? pag. 464. 465.

Traditores in Veteri Eccleſiâ qui, & quare ſic dicti? p. 510.

Tributum. vid. *Vectigal*.

Trinitatis de condendo *homine* προβουλία. pag. 222, 223. Fruſtra ei ἐγκέλευσις a quibuſdam ſubſtituta, p. 223. 224.

Tuccia, Veſtalis Virgo, quomodo impactæ impudicitiæ maculam eluerit? p. 116.

Turrelupini quales hæretici. p. 142.

Typus tantum eſt, quem ut talem Deus in Verbo ſuo proponit. pag. 205, 206. Semper excellentius quid habet, quam *antitypus*. p. 277. 278. Quo ſenſu *unius rei* tantum *unicus*? p. 293.

Typi vox πολυσημώτατος. p. 240, 241. 242. *Allegoriis* non niſi valde impropriè inſcripta. pag. 24. 244.

Typi propriiſſime dicti *Deſcriptio*. pag. 244.

Typum aliquid eſſe quomodo cognoſcere potuerint Iſraelitæ? pag. 294, 295, &c.

Typi vel *rerum* vel *perſonarum*. p. 278. Explicatio eorum difficilis & perplexa. p. 258, 259. Ad *ſigna arbitraria*, ut genus ſuum, referendi. p. 255, 256. Eorum in N. T. uſus, p. 290, 291. Minus accurate in *Hiſtoricos* & *Propheticos* diſtributi. p. 278, 279. Rerum tantum *futurarum* ſunt, non *præteritarum* aut *præſentium*. p. 244, 245, 246, 247. A *Sacramentis* quomodo diſtincti? p. 246. Omnes V. Teſtamenti Hiſtoriæ iis non accenſendæ. pag. 248, 249, 250, &c. Neque etiam omne id, quod, qualemcunque cum re aliquâ N. T. analogiam habens, *extraordinario* Dei *mandato* & *potentiâ* effectum olim fuit. p. 272, 273, 274. &c. Dignoſcendorum illorum aliud *fundamentum* aliud *inſtrumentum*. p. 266. An & quo ſenſu etiam N. Teſtamento qui-

Digitized by Google

quidam tribuendi? pag. 282, 283, 284, &c. Male in *innatos* & *illatos* diſtributi. p. 257. *Simplices* aliqui, aliqui *compoſiti*. pag. 279. Ex ipſo Dei *ſilentio* quandoque etiam cognoſcendi. pag. 272. Analogiam inter rem & rem neceſſario poſtulant. pag. 276. Quæ tamen neque *ſola* ſufficit, neque *perfecta* præciſe requiritur. *Ibid.* *Legales* & *extra-legales* formaliter non differunt. p. 247. Non omnes *αὐτολέξει*, ſed quidam etiam *per conſequentiam* in Scripturâ indicati. p. 264, 265, 271. Noſtræ in iis inveſtigandis partes quæ? p. 266, 267, &c. Regulæ, in iis per *conſequentiam* e Verbo Dei educendis, obſervandæ. p. 271, 272.

Typi naturales rejecti. p. 257. 258. Impiorum *perſonæ* typi eſſe poſſunt, non eorum *peccata*. pag. 283, 284, &c.

Typorum ratio ſingulis Iſraelitis non æque olim perſpecta. p. 294. Indagandorum eorum certiſſima & tutiſſima via, p. 261, 262, 263, 264, 265.

Typos indicandi in Scripturâ modus vel *magis implicitus* vel *magis explicitus*. p. 271, 272.

Typis cur duxerit ſuos Deus in Veteri Teſtamento? p. 239, 240.

V.

Valeſiorum ſecta qualis? p. 499.

Vectigal & *Tributum* quomodo differant? p. 705, 706.

Verba Jeremiæ, quæ Matt. 27. 9. allegantur, unde deſumpta? pag. 488.

Verſio LXX. Interpretum quando concinnata? p. 668. An in deteſtationem ejus *Jejunium* ab Hebræis indictum? *Ibid.* Quænam *deteſtationis* illius cauſa? p 668, 669.

Velationes capitis multis olim caſibus uſurpatæ. p. 81. &c. Cur, cum in omni alias cultu a Gentilibus adhiberentur, in *Saturni*, *Honoris*, & *Herculis* veneratione non adhibitæ? p. 82. Veterum circa earum uſum diſcrepantes mores. p. 82. 83. Sine iis mulieres in Vet. Eccleſia ad *Cænam* non admiſſæ. pag. 83. Quædam etiamnum in noſtris Eccleſiis uſurpatæ. p. 84, 85, 86. Cur & quomodo olim in Principum inauguratione adhibitæ? p. 91, 92. Quando pro ignominioſis habitæ? p. 94, 95.

Velum ſuſpectæ adulterii mulieri cur ablatum? p. 95.

Veſtis Coa. vid. *Coa veſtis.*

Veſtes Ludicæ unde dictæ? pag. 93. Earum uſus. *Ibid.*

Veſtes pelliceæ Protoplaſtorum an Sacrificiorum indices? p. 330.

Victores Athletæ cur olim non per Urbis portam, ſed dejectam muri ejus partem, ingredi ſoliti? p. 175.

Vigilantiæ Spiritualis neceſſitas. p. 764. Actus ejus varii. p. 764, 765.

Vindicta Spiritualis quæ? p. 765.

Virga a quibus portari olim ſolitæ? p. 455.

Virga Apoſtolica quid? pag. 451. Requiſita ejus varia. p. 451, 452. Primarii ejus aſſertores. p. 451. Nomenclatura ejus non ἱερὸς, ſed ἀγγερφ. pag. 456. Cum *Traditione Satanæ* non confundenda. p. 456, 457. Uſus ejus ſemper cum *miraculo* conjunctus. p. 458.

Virginis cujuſdam Celeberrimæ zelus nimis deſultorius. p. 39. Ejuſdem ad *Neo-donatiſmum* receſſus. *Ibid.* Ευκληρία. *Ibid.* Obitus. *Ibid.*

Virginis & *mulieris* voces quomodo differant? vid. *Mulier.*

Virginum Carthaginenſium, in facierum ſuarum occultatione, mos. p. 86.

Virtutes proprias enarrare quibus caſibus licitum? p. 26, 27.

Vita propria Scriptores. p. 19, 20.

Vitellius quantus *Caligulæ* adulator, & quare? p. 93.

Vota duplicis generis. pag. 762, 787. Ad evitandos *relapſus* ſummè neceſſaria. p. 761, 762. Non tantum in Vet. Teſtamento, ſed etiam in Novo nuncupanda. p. 762. Pontificiorum paſſim ſuperſtitioſa. *Ibid.* *Relative* non *abſolute* neceſſaria. *Ibid.* Quot modis *temeraria* dicenda? p. 759. Ex iis per ſe peccati aggravatio nulla. p. 763, 764. Cur *ſcripto* & *tabellis* olim conſignata? p. 763. Ob *inconſtantiam* noſtram non omittenda. p. 762. Cur *poſt* ea nuncupata tentationes ad peccatum vehementiores ſæpe, quam *ante* illa? p. 762, 763.

Urias Sacerdos qualis? p. 536. Cur & quo ſenſu ab Eſaia in *teſtem* adſcitus? p. 532, 537. Quo jure *fidelis* dictus? p. 536, 537.

Uſthazanis Eunuchi contra minimam idololatriæ ſpeciem præbendam conſtansia memorabilis. p. 435.

Utlagati apud *Anglos* quo jure a quovis *prœmio* occidi olim ſoliti? pag. 633.

Y.

Ὑποτύπωσις vox quid propriè notet? p. 242.

Z.

Zabiorum de *tribus* hominibus *ante Adamum* conditis delirium. p. 61.

Zacharia prophetare quando cœperit? p. 668.

Zamir vermis, cujus operâ Salomo Templum dicitur exſtruxiſſe. p. 4.

Zeilon qualis Inſula? p. 311.

Zelotæ quartam Judæorum ſectam non conſtituerunt. p. 626. Y dem cum Eſſæis non fuerunt. *Ibid.* Nefarii paſſim & impii. p. 625. 626. 637 Notio ejus hominibus Chriſtianis haud temere inſcribenda. p. 636. 637.

Zelotarum jus. p. 624. Ονομαστολογίας ratio.

ratio. p. 624. 625. Origo ejus. p. 629. Definitio. p. 618. 629. Neque Scripturis neque rationibus fultum. p. 629. 631. 632. Fundamenta, quibus inædificari ſolitum, everſa. p. 932. 633. 635. 636. Conditiones ad ejus exercitium a *Magiſtris* requiſitæ p. 629. 630. Peccata, ob quæ Judæi id exercebant, indicata. p. 630. 631. Cum *Moderamine inculpatæ tutelæ*, & Lege de *Fure nocturno* occidendo, non comparandum. p. 634. 635.

Zelotypus quiſnam proprie dicendus? p. 75. 76.

Zelotypia vox unde derivata? p. 75. Gravia ejus tormenta. p. 75. Ne ipſi quidem pii ab ea ſemper immunes. *Ibid.* Mercator quidam *Baſilaenſis* miſere eâ excruciatus, imo ad uxoricidium & *αὐτοχειρίαν* adactus. p. 77. Effectus ejus noxii. *Ibid.*

Zelotypiæ potus quomodo aliter dictus? p. 77. Innocentiæ adulteræ exploratio per eum cur neceſſaria? p. 79. Ante alia omnia detectionis & correctionis media non fuit offerendus. p. 79. 80. *Terra de pavimento* cur ei immixta? p. 80. 81. Qualis ſuſpectæ mulieri *Liber* exhibitus? p. 97. Quænam verba ei inſcripta? *Ibid.* Cur propriæ maledictioni mulier velut ſubſcribere coacta? p. 97. 98. Quænam *mulieres* ab epotatione hac immunes? p. 98. 99. Explorationis *Locus* & *Tempus*. p. 99. Per *tumorem uteri* quid intelligendum? p. 99. 100. Mulieris *femur* cur ſpecialiter hic affectum, non aliud corporis membrum? p. 100. 101. An *mors* potionem hanc ſemper inſecuta? p. 100. Cur explorationis hic modus a Deo inſtitutus? p. 102. 103. An probabile ſit, *crebro* eum ab Hebræis uſurpatum fuiſſe? p. 103. 104. Cur Lex hæc in favorem *maritorum*, & non ſimilis in favorem *mulierum* lata? pag. 105, 106, &c. An peccaverint ſemper mariti juxta eam contra uxores ſuas ſuſpectas procedentes? pag. 107, 108. Quo tempore & quas ob cauſas ceſſare exploratio hæc cœperit? p. 110, 111. An Chriſtus Joh. 8. 6. digitum ad eam intenderit? p. 111, 112, 113.

Zelus genuinus res non tantum conſiderari jubet, ſed rerum etiam momenta. pag. 367.

Zelus legitimus commendatus. pag. 637. In cauſâ Dei quomodo neceſſarius? pag. 638. An & quomodo nonnunquam cohibendus? pag. 638, 639. Quo ſenſu ad *extremum virium* ſemper intendendus? p. 643, 644.

Zeli exercitia non tantum *intenſive* ſed & *extenſive* conſideranda. p. 644. Cohibitione ejus juſtâ carnalis commoditatis fræna non laxantur. p. 645.

Zenobia, Palmyrenorum Reginæ, laus. pag. 159. Continentia illaudabilis. *Ibid.*

Zoroaſtres quis? pag. 10. Ejuſdem nominis plures. *Ibid.* Non fuit ipſe *Moſes*. p. 10. 11. Neque *Chamus* Noachi filius. p. 10. Omnia ejus Scripta, juxta nonnullos, ſuppoſititia. p. 10, 11. Liber ejus *Similitudo* dictus quis? p. 5.

F I N I S.

EMENDANDA.

OBſerva, LECTOR, me poſt EXERCITATIONES haſce plane abſolutas demum animadvertiſſe, Typographum, vel nimis forte feſtinantem (prout canis feſtinans cœcos ſemper catulos parit) vel neſcio quam aliam ab cauſam, variis *Operis* hujus foliis prælo committendis tam diu non ſuperſediſſe, donec noviſſima mea correctio exhibita ipſi eſſet, ſed, eâ ut ut non conſpectâ, ſe ad excudenda ea præpropere tamen accinxiſſe, atque hoc ipſum, præter illa, quæ in Præfatione monui, in causâ eſſe, quod, licet nonnulla quidem exemplaria emendatiora prodeant, alia tamen, ea nempe, quæ ante ultimam meam limam impreſſa ſunt, ad te acceſſura ſint minus emendata, imo ſat multis vitiis referta. Quod neſcire te nolui, ne penes quem oſcitantiæ hujus culpa ſtet, plane ignores, nec, quod haud raro alias fit, in me inſontem cudatur faba. Cæterum menda, quæ obſervare mihi datum fuit, ſic corrigito:

P. 3. l. 32. l. *materiæ*. p. 10. l. 5. *comminuit*. p. 11. l 21. l. *qualiſve*. p. 16. l. 6. l. *doceri*. p. 17. l. 10. l. *allocutos*. p. 18. l. 14. PENTATEUCHI. p. 19. l. 11. l. Rom. 3. 2. p. 23. l. 21. l. αὐθεντία. Ib. l. 31. l. κλαμείντι. p. 25. l 10. l. *idiomate*. p. 31. l. 36. l. *Sacrorum*. p. 35. l. 30. l. *dirigere*. p. 37. l. 27. l. *ſurrepit*. p. 39. l. 1. l. προφάσει. p. 47. l. 23. l *præcipue*. & l. 31. l. *fruitori*. p. 52. l. 1. l. *ob*. lin. 32. l. *falſus*. p. 61. l. 1. l. *errore*. l. 2. l. ἀΐδιον. & l. 5. l. ἀΐδια. p. 68. l. 37. l. *paſtoritiâ*. p. 71. l. 24. l. *qui*. p. 72. l. 19. l. *anguſtum*. p. 81. l. 23. l. *Digreſſiunculam*. p. 97. l. 10. l. *inſcriptum*. p. 103. l. 8. l. *afferrent*. l. 14. l. *liberare*. p. 104. l. 9. l. *ignominioſâ*. p. 105. l. 17. l. *proſtituere*. p. 112. l. 34. l. *quibus ne*. p. 113. l. 1. l. *Quin*. p. 117. l. 21. l. *perceptione*. p. 119. l. 15. l. *prodire*. p. 122. l. 17. l. *manifeſtius*. p. 127. l. 32. *finit*. p. 128. l. 38. l. *eſſet*. p. 130. l. 33. l. *oleariæ*. p. 131. l. 7. l. τάφος. p. 133. l. 33. l. *argenteis*. p. 138. l. 13. l. *ſolo*. p. 141. l. 21. *puriſſimus*. p. 147. l. 24. l. *præfiguratio*. p. 150. l. 21. l. *piiſſimus*. l. 39. l. *cunctæ*. p. 158. l. 28. l. *dilapidant*. p. 171. l. 20. l. *proſtravit*. p. 172. l. 30. poſt *curarum*. l. *quia*. l. 32. ante *te* del. *quia*. p. 173. l. 31. l. *urnam*. p. 175. l. 15. l. *ænea*. p. 136. l. 13. l. κύρος. p. 183. l. 7. l. *Collocutor*. p. 186. l. 27. l. ילדה. p. 90. l. 14. l. *afflat*. p. 193. l. 36. l. *vaticinandi*. p. 194. l. 28. l. *tumultibus*. p. 19. l. 14. l. *ridiculus*. p. 215. l. 2. l. *tempore*. p. 216. l. 38. l. *quippe* p. 236. l. 20. l. συμφωνια. p. 238 l. 2. l. *plures*. p. 242. l. 30. l. ὑποδείγματος. p. 251. l 8. l. *præteritum*. p. 254. l. 30. l. *mendicitatem*. p. 261. l. 30. l. *Teſtamenti*. l. 32. l. ὑποδείγματος. p. 262. l. 13. l. πλειῶσαι. p. 265. l. 5. l. *earumque*. l. 36. l. V. T. p. 280. l. 27. l. πνευματικῇ. p. 281. l. 20. l. αὐτοζῶν. p. 293. l. 16. l. ἀνεξιχνίαστος. l. 19. l. *figurati*. p. 301. l. 31. l. *perſtrinxitque*. p. 305. l. 1. l. *ibi*. p. 312. l. 15. l. παραχρῆμα. p. 323. l. 13. l. *neminem*. p. 324. l. 5. l. 4. 3—15. p. 325. l. 13. l. Σαμαίνα. p. 328. l. 23. l. ἄγουν. p. 335. l. 34. l. ἐνεπύρισεν. p. 339. l. 21. l. *ſimpliciter*. p. 342. l. 3. ante *parte* l. *ex*. l. 32. l. *fuiſſe*. ibid. l. *infando*. l. 33. l. *ſimilive*. p. 343. l. 9. l. *enim*. l. 12. l. *lintrem*. l. 13. l. *triremem*. l. 14. l. *Adde*. p. 345. l. 17. l. *originalia*. p. 346. l. 25. l. *unuſquiſque*. l. 33. l. *eâ*. p. 369. l. 32. l. Παθητικῶς. p. 389. l. 19. *Biothanati*. p. 391. l. 14. l. ver-

verbis. p. 397. l. 10. l. *Matt. 6. 7.* p. 398. l. 4. l. κηρύττουσα. l. 27. *l. adſcribit.* p. 401. l. 10. l. *irritaturque.* p. 408. l. 10. l. *habenda.* p. 441. l. 8. l. *crucis.* l. 9. l. *Lipſii.* l. 11. l. *pœnis.* l. 14. l. *ſub.* l. 22. l. *eum.* ib. l. *Adonibeſeci.* l. 25. l. *alium.* l. 27. l. *Diomedes.* l. 28. l. *equos.* p. 442. l. 21. l. *adjectivum.* p. 443. l. 21. l. *infauſtos.* p. 444. l. 10. poſt *infauſti* pone *hypocolon.* idem del. poſt *ſuâ.* l. 16. l. die. l. 18. l. פורים. l. 25. l. *dies.* l. 28. l. *Tertia.* l. 31. poſt. 13. del. *punctum.* l. ult. l. *Bacchanalem.* p. 445. l. 6. l. *oratione.* l. 7. poſt *Tubingæ.* pone 12. *Feb.* 1634. quod delendum lin. ſeq. l. 8. l. *Collatis.* ib. l. *feſtivitatibus.* l. 13. l. *expreſſiſſima.* l. 16. l. *platæas.* l. 18. l. *Bacchanalibus.* l. 25. l. *debacchatæ.* l. 33. l. *Nyctileium.* ib. poſt *appellatum* pone *comma.* ibid. l. *promiſcuiſque.* l. 34, poſt *libidinem.* l. *procederet.* p. 447. l. 3. l. *haſque.* p. 448. l. 16. l. Ραβδοῦχοι. l. 18. l. *applicata.* l. 21. l. *de.* p. 450. l. 26. l. *alterutrum.* p. 453. l. 12. l. *quâque.* p. 454. l. 16. l. *quærat.* p. 456. l. 26. l. *eos.* p. 457. l. 16. l. *Luz.* l. 15. l. *Peccator.* p. 460. l. 7. l. *ſecundam.* p. 461. l. 2. l. *dicebatur.* p. 462. l. 4. l. *quam.* l. 15. l. *&* 2. l. 25. l. *Docti.* p. 463. l. 2. l. *genuinum.* l. 4. l. *minime.* p. 468. l. 18. l. *ſententiarum.* p. 473. l. 18. l. Populis. p. 482. l. 3. l. *palmarium.* p. 484. l. 6. l. *Iſraelitis.* p. 491. l. 20. l. *ipſiſſimo.* p. 494. l. 4. l. *Sacerdotum.* p. 498. l. 15. l. σπασμὸς. l. 29. del. *pront.* p. 505. l. 20. l. ὁ πάνυ *Voſſius.* p. 514. l. 29. l. *virilem, reliquit.* p. 517. l. 4. l. *fœtaque.* l. 24. l. *latranti.* p. 518. l. 22. l. *fraude.* p. 520. l. 10. del. *Sed.* l. 15. poſt *enim* l. *orbati.* p. 532. l. 2. l. Chas-baz. p. 533. l. 17. l. *ſuppoſititium.* p. 534. l. 34. l. *inædificantes.* l. 35. l. *Eccleſiaſtica.* p. 535. l. 25. l. *reſpondent.* l. 27. l. *Chriſto.* p. 537. l. 20. l. *aviæ.* p. 538. l. 13. l. *Promittis.* p. 542. l. 8. l. *proſilirent,* & del. *re.* p. 543. l. 30. l. Ὑμῖν. p. 550. l. 12. l. *magnus.* p. 552. l. 14. l. *fertur.* p. 555. l. 17. ante *Helena.* l. *Simonis.* p. 560. l. 1. l. *perſequerentur.* p. 561. l. 13. l. *acceſſiſſe.* l. 25. l. νόμισμα. p. 562. l. 1. l. *dicebant.* l. 22. poſt *tantum.* pone duo puncta. l. 37. l. *traxerint.* p. 563. l. 25. l. *transfugas.* l. 26. l. *certo.* p. 567. l. 16. l. *feciſſe.* p. 566. l. 13. l. *cucurbitis.* p. 567. l. 5. l. *ſplendidiſſimi.* l. 24. l. *Simonis.* p. 583. l. 21. l. *oratoriorum.* p. 590. l. 20. l. *quæ.* p. 592. l. 22. l. *chimæricum.* p. 635. l. 25. l. *ac.* p. 671. l. 19. l. *id.* p. 697. l. 30. l. ἀποδόσει. p. 711. l. 10. poſt *aliquando.* l. *per.* & poſt *colligere* del. hypocolon. p. 723. l. 19. l. ναυτικωτέρῳ. p. 729. l. 22. l. *ignoratur.* p. 731. l. 4. l. *Animæ.* p. 735. l. 16. dele *commendata.* p. 736. l. 22. l. *Vortio.* p. 761. l. 19. l. *noſtras.* p. 767. l. 7. l. *Act.* 24. 24. p. 787. l. 2. l. *pudendam.* p. 797. l. 14. l. *Bodinus.* & l. ult. l. *tabellas.* p. 801. l. 31. l. *deſcribendi.* p. 816. l. 27. 32. l. πανδοχεῖον.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google